

[MORALIA.]

PRAEFATIO IN LIBROS MORALIUM.

I. Gregorianorum operum novis curis ac typis edendorum initium ducimus a Moralibus in Job, propter antiquitatem tum operis (est enim omnium quae sanctus Doctor elucubravimus primum), tum auctoris sacri hoc in commentario explicati; cum liber Job aut Moysen, ut plerique sentiunt, aut Moyse antiquiorem parentem habeat. Hanc expositionem aggressus est noster Gregorius, cum apocrisiarii seu legati sedis apostolicae Constantinopoli provinciam obiret, ut in epistola ad Leandrum proxime sequente fusius explicat; postea vero majori otio potitus, ad incudem revocavit et retractavit; sicque majori diligentia iterum ac tertio recognitum a sanctissimo doctissimoque Patre illud opus (quod de nulla alia ejus lucubratione asserere licet) ut numeris omnibus absolutissimum, priorem locum ordine quoque dignitatis merito consecutum est.

In ea sane expositione aequae copiosa et eleganti, tantum caeteros scriptores qui librum Job commentariis illustrare conati sunt, antecellit, quantum in divinorum arcanorum cognitione et contemplatione, Christianae ethices scientia experientiae conjuncta, rerumque sacrarum omnium peritia, longe superior fuit. Adeo ut his in libris refertissimum simul habeamus armamentarium ad ecclesiastica dogmata astruenda confirmandaque, et copiosissimum ad mores instruendos ac informandos promptuarium.

II. Statim ac in lucem editi sunt libri illi, quam avide fuerint excepti, jubentibus etiam episcopis ut ad vigilias sacras legerentur, quamque aegre id tulerit vir humilitate praestantissimus, ipse nos docet in epistola ad Joannem subdiaconum Ravennae, his verbis: «Illud autem quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reverendissimus frater et coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, quia non est illud opus popolare; et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generaret. Sed dic ei ut commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat» (**Lib. XII, epist. 24**).

III. Praeconceptam de sancti Gregorii Moralibus opinionem ad posteros propagatam, majores quoque nostri testatam nobis reliquerunt, maxime cum ex illis, ut prae manibus semper haberi possent, tot, variis sub nominibus, epitomes confecerunt. Insigniores hic commemorabimus in bibliothecis a nobis repertas. In Codice Corbeiensi nunc bibliothecae sancti Germani a Pratis, qui collectionem quarundam epistolarum sancti Gregorii a Paulo Diacono missam ad sanctum Adhalardum abbatem Corbeiensem continet, exstat quoque opusculum hoc titulo donatum: *In nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Incipit Egloga quam scripsit Lateen filius Haith, de Moralibus Job quas Gregorius fecit*. Videtur esse saltem DCCC annorum. Quaedam folia perierunt. Post librum trigesimum, ex reliquis quinque nihil legitur.

In bibliotheca sancti Audoeni Rothomagensis habemus manu exaratum, *Adalberti Levitae speculum ad Hairmannum presbyterum*, seu Moralia beati Gregorii abbreviata. Codex est DC annorum. Ejusdem collectionis exemplar jam

occurrerat doctissimo nostro Joanni Mabillonio bibliothecam Praemonstratensem excutienti (**Tom. I vet. Anal., p. 317**).

In Cod. ms. bibliothecae Gemeticensis sunt abbreviationes Moraliū sub titulo *Reclinatorii animae*.

Eosdem collegisse dicuntur Simon Affligeniensis monachus *decem parvulis libris*, et Garnerius canonicus et subprior sancti Victoris Parisiensis libris sexdecim. Exstat Garnerii opus *Gregorianum* dictum, in bibliotheca Navarraea. Verum omnium qui hujusmodi compendia confecerunt, illustrior fuit sanctus Odo ex canonico sancti Martini Turonensis, monachus et abbas Cluniacensis postea factus, cujus libros XXXV ex Moralibus Gregorianis collectos edidit Parisiis D. Martinus *Marrier* sancti Martini a Campis monachus anno 1617. Exstant in bibliotheca Patrum Lugdun. tom. XVII. Huic scriptioni operam dedit Odo cum adhuc junior in sancti Martini sodalitia militaret. Odonis exemplum secutus Joannes ejus discipulus, qui ipsius vitam tribus libris complexus est, *opusculum ex Gregorii Moralibus defloratum* concinnavit, quod in bibliotheca Casinensi a se inventum testatur idem Mabillonius (**Mus. Ital. tom. I, p. 123**).

In bibliotheca Laudunensis Ecclesiae insignis est Codex manu exaratus eosdem Moraliū libros in compendium redactos exhibens, quem huic Ecclesiae dono contulerunt duo ejusdem canonici, Adalelmus Thesaurarius, postea, teste Flodoardo, ejusdem Ecclesiae creatus episcopus, an 921, ac Bernardus (*Gall. Christ., in episc. laud.*). Opus sic incipit: *In nomine Domini. Prologus beati Job. Inter multos saepe quaeritur, quis beati Job libri scriptor haberetur. Alii quidem*

Moysen, etc. Sic absolvitur prologus: suae victoriae gesta narravit. Post prologum legitur: Incipiunt Moralia sancti Gregorii papae de libro Job. Vir erat in terra Hus nomine Job. Idcirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur. Sicut enim gravioris culpa, est, etc. Liber primus desinit in haec verba: quia sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Sequuntur ordine XXXIII libri. Nam tricesimus quintus deest. Quis autem hujus collectionis auctor sit, nondum nobis compertum est.

IV. Ex his liquet quam assidui essent veteres in legendis colligendisque velut in fasciculos Gregorianorum Moralium libris; quod habita de illis existimationis argumentum est luculentissimum. Ut autem Latinae linguae imperitia quominus legerentur non obsesset, ipsorum in vulgares linguas translationes factae sunt plurimae. Nam Notkerus eos Germanice vertisse dicitur; Hispanice autem Grimoaldus, monasterii sancti Aemi iani monachus, circa saeculi XI finem, ut de caeteris taceamus (**Bibl. vet. Hisp., tom. II, lib. VII, c. 1, num. 13**). Non minus aviditatem legendi libros Moralium probat Codicum manu descriptorum, qui libros illos repraesentant, innumera pene multitudo. Praecipuos a nobis lectos et evolutos hic recensere operae pretium duximus.

Antiquitate praestantissimus est Codex cl. viri Stephani Baluzii, qui Gregorii aetatem pene attingere creditur. Utinam vero plures quam quinque libros, scilicet a vigesimo tertio ad vigesimum septimum, complecteretur!

Secundus propter antiquitatem locus debetur *Rhemensi* plus quam nongentorum annorum, qui Ecclesiae Rhemensi dono datus est ab Hincmaro archiepiscopo. Hunc

appellamus *Rhem. vet.*, aut 1 *Rhem.* ut ab alio Codice ejusdem Ecclesiae, sed aetatis inferioris, distinguatur.

Tres Codices nobis suppeditavit bibliotheca archimonasterii sancti Remigii Rhemensis. Prior majoris formae vocabitur a nobis *Remig.* 1; sequentes, 2 et 3.

Insignis Codicis Ecclesiae Bellovacensis copiam habuimus, annitente cl. viro D. *Foy* a sancto Hilario ejusdem Ecclesiae canonico, qui quoad vixit studiosissimum se ostendit litterarum litteratorumque omnium. Codex qui DCC annorum aetatem praefert, complectitur viginti priores *Moralium* libros. In quibusdam locis recentiori manu correctus fuit, seu potius corruptus; sed prioris lectionis quae facile dignoscitur, ratio nem habuimus. Libro undecimo praemittitur index capitulorum, quorum distinctio ex textibus libri *Job* explicatis repetitur. Adduntur argumenta quaedam, *de igne aeterno*, *de felicitate*, *de timore Dei*, etc. Remigianus Codex 1 exhibet etiam nonnulla summaria titulorum loco ascripta. Codex Bellovacensis primis his litteris *Bellov.*, aut *Belvac.*, significabitur.

Decem priorum librorum *Moralium* variantes lectiones ex duobus Codicibus Corbeiensibus excerpsimus, qui cum ab invicem nunquam fere discrepent, ambo sic notabuntur, *Corb.* Alterius Corbeiensis occurret saepe mentio, qui cum Parisiis in bibliotheca sancti Germani a Pratis nunc asservetur, dicetur *Corb. Germ.* Eadem sancti Germani bibliotheca nobis praebeuit optimae notae Codicem *Germanensis* titulo infra indicandum.

Asceterii Dionysiani prope Parisios olim fuit Codex a DCCC circiter annis descriptus, quem *Colbertinum* nominamus, quod in celeberrima Colbertina bibliotheca nunc asservetur.

Ex Ecclesia Laudunensi duos Codices in quibus libri Moraliū continentur a decimo septimo inclusive ad ultimum, utendos accepimus, infra sic indicandos *Laud. primus, Laud. secundus*.

Sex priores libros et totidem posteriores cum vigesimo, vigesimo primo et vigesimo secundo, eruimus ex bibliotheca monasterii Vallis Clarae, ordinis Cisterciensis in dioecesi Laudunensi, annuente reverendissimo abbate, faventeque doctissimo aequae ac humanissimo viro domno *de Noyville* ejusdem monasterii vigilantissimo praeposito, cujus ope ac labore multa alia ad nostram Editionem adornandam, consecuti sumus. Huic Codici notam hanc assignamus *Val. Clar.*

Decem priores Moraliū libros, atque undecim novissimos invenimus in monasterii Longipontis ejusdem ordinis Cisterciensis membranis optimae notae sexcentorum circiter annorum antiquitatem prae se ferentibus; quae hoc dimidiato nomine *Longipont.* facile a caeteris secernentur.

Duobus Codicibus sancti Cornelii Compendiensis usi sumus, uno DCC annorum, altero inferioris aetatis. Antiquiorem appellabimus *Compend. 1*, alterum *Compend. 2*.

Regiae apud Parisios bibliothecae Codices elegantia et venustate magis quam vetustate commendatos consulimus, et magna ex parte evolvimus. Unus omnes Moraliū libros continet, alter decem et octo, tertius tantum quinque; quartus

longe majori forma elegantissimisque characteribus exaratus, decem et septem duntaxat.

Ex Codice Carnotensis Ecclesiae, saeculo X scripto, pauca delibavimus, quod ab aliis jam a nobis lectis non discreparet.

In monasterio sancti Petri in valle Carnotensi exstat Codex Moraliū ante annos DCCC scriptus, quem Ardeus Carnotensis Ecclesiae decanus, postea in monasterio Floriacensi monachus, indeque Carnotum missus ad restaurandum sancti Petri monasterium, secum detulisse dicitur. Hunc in quibusdam tantum locis insignioribus consulimus, quod magna ex parte mutilus sit.

Floriacensis monasterii bibliotheca magna olim Mss. supellectile instructissima, tria Moraliū exemplaria manu exarata asservat, ex quibus varias lectiones non paucas excerpsimus.

Ex Bibliotheca sancti Martini Turonensis eorundem Moraliū vetus exemplar obtinuimus evolvendum, spondente pro nobis cl. viro D. de Galiczon doctore ac socio Sorbonico, eiusdem Ecclesiae canonico et praecentore, cui litterae plurimum debent.

Ex Codice sancti Albini Andegavensis multas Moraliū varias lectiones accepimus, et novae inseruimus Editioni.

In bibliotheca monasterii Vindocinensis tres nacti sumus Codices Moraliū manu exaratos vetustissimos, Qui antiquitate praestat tredecim libros ultimos exhibet; alter duodecim priores, tertius viginti duos. In eo singulis libris quidam praemittuntur indices argumentorum seu titulorum ac

veluti caput, in quae libri secantur. Idem duplicem saepe lectionem exhibet, quod etiam in Uticensi, Lyrano et Bigotiano infra commemorandis, observavimus.

Verum majorem Codicum mss. copiam, et variarum lectionum segetem nobis subministravit Normannia, qua in provincia nova haec Editio potissimum adornata est.

Libros quindecim priores accepimus ex bibliotheca Ecclesiae Bajocensis, favente praesertim illustrissimo reverendissimoque episcopo Henrico *de Nesmond*; qui cum resarciendae ex sancti Gregorii doctrina disciplinae ecclesiasticae sit studiosissimus, ut emendatoria prodirent ejusdem sancti Doctoris opera curandum putavit.

Omnes Moraliū libros legimus in Codicibus Ebroicensis Ecclesiae nobis commodatis beneficio praesertim clarissimorum virorum DD. *Bitaut* decani, *Petit* praecentoris, et *Aubery* canonici ac bibliothecae praefecti.

Eosdem libros contulimus ad varios Mss. sancti Michaelis in periculo maris, sancti Martini Sagiensis, sancti Ebrulfi in pago Uticensi, beatae Mariae de Lyra, beati Petri de Conchis, monasterii Beccensis, Pratellensis, Gemeticensis. Hi Codices pene omnes DCC annorum aetatem assequi videntur, optimaeque sunt notae, praesertim Pratellenses et Gemeticenses qui antiquitate praestant. Sancti Ebrulphi Codices aliquando Uticenses appellabimus a pago Uticensi in quo situm est illud monasterium. Conchensis nunc asservatur in celeberrima bibliotheca Bigotiana apud Rothomagum, ex qua illum accepimus cum plurimis aliis, humanitate clarissimi viri D. *Bigot de Monville* in suprema Normanniae curia

senatoris integerrimi; quapropter eum non Conchensem sed *Bigotianum* appellabimus.

Octo Anglicanorum Mss. variantes lectiones suppeditavit nobis Thomas Jamesius in *Vindiciis Gregorianis*, sed paucissimas; ex quibus tamen intelligere licet Angliae Codices manu exaratos a nostris non discrepare.

Denique Romanorum Vaticanorumque Codicum lectiones diversas ad nos misit D. Claudius *Estiennot*, quem huic labori plurimisque aliis pro reipublicae litterariae bono susceptis immortuum, lugemus.

V. Christianorum studium erga libros Moraliū sancti Gregorii non minus probant frequentes eorum Editiones, a quo ars typographica amanuensium labores levavit, quam Codicum manu exaratorum copia. Eas tantum quibus usi sumus, hic recensere sufficiet, sive seorsim excusi sint laudati libri, sive simul cum aliis sancti Doctoris operibus; omnes enim enumerare immensi laboris esset ac supervacanei.

Antiquior a nobis lecta, Parisiensis est an. 1495, quae prodiit cura *magistri Udalrici Gering Constantiensis, et Berctholdi Rembolt Argentiniensis sociorum in sole aureo vici Sorbonici commorantium*.

Hanc secutae sunt plurimae Parisienses, scilicet an. 1518, cum omnibus sancti Gregorii operibus studio ejusdem *Rembolt* vel alterius cognominis in aedibus *Joannis Parvi*. An. 1533, 1542, 1551, 1562, 1571, 1575 (quae duae ultimo loco laudatae *Joannis Gilotii Campani* viri doctissimi opera prodierunt) 1586, 1605, 1619, 1640 et 1675, a Gussanvillaeo adornata. Prior Basileensis est anni 1496, quam proxime

excepit excusa in officina *Nicolai Keslers* an. 1503. Huic successit quae in eadem urbe publici juris facta est, *aere et impensis Ludovici Horneken Bibliopolae civisque magnae Agrippinae, labore tamen et curis Adae Petri a Lagendorf hypoplastis* (forte typoplastis) *pridie Kalendis Februariis, an. 1514, e nobili Basilea, regnante Salvatore nostro carne trabeato*. Haec Editio discrepare non videtur a superiori Basileensi, aut in textu, aut in capitum partitione. Quarta publici juris facta est an. 1551, iterumque prodiit an. 1564, ex officina Frobeniana, cura Buldrichi Cocci.

Omnes laudatas Editiones aetate superat Romana an. 1475, Sixto IV Romae sedente, cui praefixa est brevis praefatio dominici Brixienensis episcopi. De alia Romana cui operam impendit Venusinus episcopus, jam diximus in praefatione generali.

Editionem Venetam an. 1494 non raro adhibuimus, dimidiato *Barthol.* nomine infra designatam propter Bartholomaeum Cremonensem canonicum regularem, qui huic accurandae praefuit. Eam antecesserat prior Veneta an. 1480, quae nobis non occurrit. De aliis Editionibus Lugduni, Rothomagi, Duaci, Antuerpiae, aut alibi factis dicere supersedemus, ut quid in hac novissima praestitum sit a nobis, uberius explicare liceat.

VI. Primo quidem ex variis Mss. magno labore nec minori fide collatis, purum sancti Gregorii textum, quantum in nobis fuit, restituimus. Locorum vero a nobis emendatorum in primo et secundo libro hic specimen accipe; nam omnes Moraliū libros examinare non patiuntur praefationis angustiae.

Libro I, num. 17, prius legebatur de Christo, *mortem pro illo humilem sumpsit*; cum legendum sit *mentem*, etc. Num. 18, *qui* (jubilaeus annus) *monade addita, nostrae adunationis summa impletur*, ubi redundat *summa*, mutatque sensum; uti legere est in nota ad hunc locum. Num. 20, *infirmiores fidelium mentes accipimus, fidem Trinitatis tenentes*; quae tria ultima verba invitis Mss. addita expunximus ut omnino superflua; quod statim liquet legenti quae sequuntur. Num. 21, antea lectum, *memoratis filiis et filiabus*; etsi hoc loco filiarum tantum haberi mentio debeat. Ibidem vitiose prius, *tota gentilium vitiositas*, pro *torta*, etc., quae lectio mss. Codicum ex sequentibus astruitur: *in tortis vitiosisque vitae veteris conversationibus*; ubi corrupte superiores editores legerunt una voce, *intortis*. Num. 22, pro *in omne quod faciunt* (modus est loquendi Gregorio familiaris) olim lectum, *id omne*.

Num. proxime sequenti aliis in Editis habes: *quid est enim sedendo asinum Jerusalem venire*. Ubi contra mentem sancti Doctoris Gussanvillaeus legit: *sedendo asinam*, Num. 31, apud eundem occurrit: *per eos praedicationis gratia derivatur*, pro *purgationis*. Ibidem graviore errore legitur de Christo: *nam cuncta sciens, sed in semetipso ignorantiam nostram suscipiens*, etc. Haec sane a doctrina sancti Gregorii prorsus abhorrent, ut observavimus hunc locum emendando. Itaque sequendo mss. Codices, restituimus: *Sed in locutione sua ignorantiam nostram suscipiens*. Num. 37, prius scriptum: *quae, metu relinquitur*, pro *quae mente relinquitur*, quod reposuimus ex Mss.

Libro secundo, num. 9, olim corrupte: *dicitur eis qui aderant*, cum legi debeat, tum ex Mss., tum ex orationis

serie: *dicitur eis qui adhaerent*. Non minus vitiose, num. 11, irrepperat, *tanto majorem vocem in aures circumscripti spiritus exprimit*, pro *incircumscripti spiritus*, scilicet Dei. Ibidem, *quomodo dicuntur vindictam desiderare*, pro, *quomodo dicuntur petere*. Num. 13, ubi legitur, *Deum dicimus in sua propositione perdidisse*, additum gratis ab aliis Editoribus, *victoriam*. Num. 15, iidem mutarunt *addicat*, quod significat *condemnet*, in *addiscat*. Num. 19, in aliis Editis contra Mss. fidem, ac sancti Doctoris mentem, post haec verba, *alia ad tentandum dat*, adjectum, *alia ad affligendum*. Num. 28, pro *ictus verberum*, in Editis Gussanvill. *ictus verborum*. Num. 35, Excusi habent, *de temporalibus editis loquitur*, incaute addito *de*, quae particula mutat sensum. Num. 49, legitur *alta sapere*, pro *capere*. Num. 56, post haec verba, *unitatem concordiae perdidit*, in Editis sequitur longum hoc assummentum a Mss. reprobatum, nec antecedentibus cohaerens nec consequentibus: *cum et post resurrectionem suam quibusdam non credituris se abscondit*. Num. 59, ubi simpliciter legendum, *erit ergo quando conspicuus etiam Synagogae appareat*, sic ab Editoribus mutatum, *erit ergo quandoque conspicuus, ut etiam Synagogae appareat*. Num. 60, in Excusis legis, *accipit omnia*, pro, *accipit inter omnia*; et num. 61, *in persecutione*, pro *in percussione*. Num. 76, haec genuina lectio, *domus eruitur*, mutata erat in, *domus obruitur*. Denique num. 92, paulo ante libri finem, haec sententia de Spiritu sancto: *dissimiliter ergo spiritus in illo manet, a quo per naturam nunquam recedit*, sic interpolata

legebatur: *in illo manet, cui se ad votum substantialiter exhibet, et a quo*, etc.

De his porro restitutionibus et emendationibus a nobis factis rationem semper subjecimus in brevibus notis saepius ex Mss. consensu petitam. Quando vero vetera dissentiunt exemplaria, variantes quasdam lectiones, quae alicujus momenti visae sunt, indicare satis nobis fuit.

VII. Secundo divisionem hujus operis sex in partes a sancto Doctore institutam, in nostris Mss. observatam, sed in Editis neglectam, et a plerisque Editoribus forsitan ignoratam secuti sumus. De illa partitione sanctus Gregorius ita loquitur in epist. ad Leandrum mox subjicienda: *Opus hoc per triginta et quinque volumina extensum in sex Codicibus explevi. Initio libri XI: In epistola, inquit, libris praemissa causam reddidi cur tertiam hujus operis partem, ad aliarum usque similitudinem minime emendando perduxi. Denique in fine libri XVI: haec sicut in hujus partis tertiae initio promisisse me memini, sub brevitae transcurri.* Pluribus id confirmare sive ex ipso Gregorio petitis, sive ex aliis scriptoribus, operae pretium non est. Itaque prima pars, ut ex Mss. inspectione facile intelligetur, continet quinque priores libros. Secunda pars alios quinque usque ad undecimum. Ab undecimo incipit pars tertia. Quarta a decimo septimo, non ab octavo decimo, ut mendose habetur in Editione Paris. 1518, inchoatur. Quinta a vigesimo tertio, et desinit in vigesimo septimo. Ad sextam partem liber vigesimus octavus pertinet cum reliquis.

VIII. Tertio etsi caput divisionem ab iis qui nos praecesserunt Editoribus institutam retinere in animo esset, eam tamen ob gravissimas rationes mutare coacti sumus.

Sanctum Gregorium de libris Moraliū per capita distinguendis non curasse in confesso est apud omnes. De primo auctore divisionis per capita factae haec leguntur in Cod. Colbertino notato 62, post epistolam ad Leandrum, et praefationem in Moral. libros.

In nomine Dei Patris, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti. Incipit prologus super capitula Moraliū beati Gregorii papae venerabilissimi. Christi Jesu Gregorius servus ac urbis Romae papa venerabilissimus composuit, et praetitulavit multa volumina librorum. Praeposuit etiam per libros seriem capitulorum. Fecit quoque in verba Job expositionem, sed capitulorum ad ejusdem sententias non addidit ordinationem. Igitur Henrici II imperatoris tempore Rainerius Aretinae Ecclesiae canonicus presbyter, per omnes fere sententias supradictae expositionis vigilantī studio et cogitatione capitula supposuit, non propter inanis gloriae favorem, sed ductus divini amoris zelo et utilitate legentium, seu etiam legentes audientium; ut quidquid utile ad tempus in illis sententiis quaereret, cito et quasi sine labore inveniret.

In prioribus Edit. Parisiensibus, et in aliis aut vetustioribus aut fere supparibus, libri Moraliū in varias sectiones brevissimas, nulla facta capitum mentione fuerunt distincti. Basileensis an. 1503 exhibet capitulorum partitionem, quam retinuerunt sequentes Editores usque ad Coccium. Hic enim aliam, ut ipse praefatur, divisionis methodum secutus, nova capita instituit; quae divisio in omnibus aliis posterioribus Editis perseveravit. Verum ut ab hac et ab ea quae praecesserat dividendi ratione recederemus, persuasit quod idem caput saepe diversa penitus complecti observaverimus: aut idem argumentum, cui unicum deberetur caput, in plura

distribui. Exemplo sint in veteribus Editis ante Coccium capp. 3, 4 et 5 libri primi, ac in posterioribus Editionibus Cocciana et caeteris quae secutae sunt, ejusdem libri capita etiam 3, 4 et 5, in quo absolvitur explicatio historica litteralisque textus Job, ac mutato stylo inchoatur expositio allegorica ad haec verba: *Vir erat in terra Hus, etc., haec per historiam facta credimus, etc.*

Cum itaque neuter capitum assignandorum arrideret modus, eum amplexi sumus quem offerre videbantur textus libri Job versus aut integri aut dimidiati, dum sigillatim a sancto Doctore explicandi proponuntur; ita ut idem fere semper sit et capitis et paraphrasis seu explicationis exordium. Nihilominus tamen textum in minores sectiones numeralibus notis distinctas partiri curavimus. Priorum etiam Editionum capita inter uncinos assignavimus, ut quae juxta illas Editiones passim in libris laudantur, nullo negotio possint inveniri. Vetustiores ante Coccianam *Vet.* appellamus; hanc autem et sequentes, *Rec.*

IX. Quarto, argumenta capitum pene ubique mutavimus, quod textui minime responderent. Exemplo statim occurrit argumentum capitis 1 praefationis. In Edit. Paris. an. 1518, legitur: *de qua stirpe, vel quo tempore fuerit Job*; quod in sequentibus Ed. etiam in Gussanvillaeana an. 1675, perseveravit. Attamen sancti Gregorii scopum minime repraesentat; disserit enim hoc loco de scriptore libri Job; quaerit utrum Moyses fuerit aut alius ex prophetis, ac tandem docet Spiritum sanctum sacri hujus libri solum esse auctorem, usum tamen ipsius Job calamo, quod in argumento significandum esse existimavimus.

Cum argumenta superioribus in Editis ordine praepostero fuerint huc usque ante capitum inscriptionem annotata, morem in aliis libris edendis observari solitum sequi maluimus; et prius quidem caput inscribendum esse judicavimus; deinde quid in capite assignato tractetur, brevi argumento aperiendum. Insuper quidquid observatione dignum nobis occurrit in textu, summatim in margine descripsimus. Brevibus quoque notis ad calcem columnarum rejectis, loca quaedam obscura et rudioribus lectoribus minime perspicua illustravimus. Caeterum quam antiquus usus sit ascribendi in margine exteriori summaria eorum quae in contextu fusius continentur, liquet ex Hieronymi epist. 101, ad Pammachium, qui rogatus ab Eusebio Cremonensi ut quamdam Epiphaniae Epistolam in Latinum verteret, de hoc opere ita scribit: *Feci quod voluit, accitoque notario raptim celeriterque dictavi ex latere in pagina, breviter annotans quem intrinsecus sensum singula capitula continerent.*

Quinto, longos libri Job textus integra capita continentes, quos in nullis Mss. libris reperimus, ut inutiles resecurimus.

Sexto, testimonia et elogia veterum scriptorum de libris Moraliū jam edita, nonnullis aut additis aut detractis, praemisimus.

X. Ex hac editione expungere noluimus historiam inventorum a Tajone Caesaraugustano episcopo Moraliū, quamvis non omni ex parte certam; quam non solum in omnibus antiquioribus Editionibus, sed etiam in Codice manu exarato monasterii Longipontis legimus. Rationes de narrationis hujus veritate dubitandi sunt plurimae.

Primo, dicitur hic sanctum Leandrum *Job* a sancto Gregorio *expositum in Hispaniam ad sedem Hispalensem detulisse*. Constat tamen rogante Leandro missum fuisse a sancto Doctore per Probinum presbyterum, uti legitur lib V, epist. 49. Aliunde vero sanctum Leandrum Romam venisse sedente sancto Gregorio, quomodo probari posset?

Secundo, Romanus pontifex hac in relatione, *papa et dominus papa*, quasi singulariter hoc titulo jam tunc gauderet, simpliciter appellatur; quod utrum hanc redoleat aetatem et antiquitatem non sat scimus.

Tertio, exstat epistola ipsius Tagionis ad Eugenium Toletanum a cl. viro Stephano Baluzio, Miscellaneorum tom. IV, edita ex Cod. Colbertino, in qua miraculi de inventione Moraliū nulla fit mentio, etsi hujus commemorandi occasionem nactus esset Tagio. Imo negat Gregorium unquam a se visum: *Vidimus*, inquit, *Gregorium nostrum Romae positum, non visibus corporis, sed obtutibus mentis. Vidimus eum non solum in ejus notariis, sed etiam in familiaribus*, etc. Ergo quae de Gregorio a Tagione viso in historia inventionis Moraliū habentur, sunt rejicienda.

Quarto, quod in hac relatione legitur, Augustinum altiori loco contineri, quam quilibet successorum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quos inter plurimi martyres numerantur, fide dignum non videtur. De Tagione repertisque ab eo Moralibus legi possunt Mariana, lib. VI Historiae, c. 8, et Mabillonius, tom. II Analect., p. 78.

De scribendi genere a sancto Gregorio in libris Moraliū observato nihil aliud monendum, quam quod in praefatione

generali supra diximus. De his quidem potissimum libris loquitur, cum ait in fine epistolae ad Leandrum: *Non metacismi collisionem fugio; non barbarismi confusionem devito*, etc. Ubi per metacismum intelligi posse coniecimus frequentia hyperbata seu transpositiones verborum, quae tum in Moralibus tum in aliis sancti Gregorii operibus occurrunt. Fortasse tamen per metacismum intelligenda est potius, ad grammaticorum mentem, frequens litterae *m* repetitio, quae in sermone ingratam collisionem generat, etsi huiusmodi repetitiones in Moralibus non deprehenderimus.

Col. 767, in nota legitur *mutata punctuatione*, additurque: *hac voce, punctuatio, licet minus usitata aut etiam recens conflata, uti coget aliquando necessitas, ne circumlocutionibus detur locus*. Attamen ab hac voce quae nobis occurrit in notis Angeli Roccae ad librum Sacramentorum, et in similibus scriptoribus, deinceps abstinuimus, magisque placuit *interpunctio*.

DE INVENTIONE LIBRORUM MORALIUM SANCTI GREGORII. (C,S)*

Beatus Gregorius papa librum beati Job, petente sancto Leandro Hispalensi episcopo, exposuit, sicut in prologo Moraliū patenter videri potest, et ei expositum tradidit; illeque expositum eum in Hispaniam ad sedem Hispalensem detulit. Hispalensis autem civitas vulgari nomine Sibia vocatur, et est metropolis Hispaniae. Decedente ergo beato

Leandro, sanctus Isidorus germanus ejus, doctor praecipuus, loco ejus factus est archiepiscopus. Post cujus decessum, libri Moraliū, quos beatus Leander attulerat, ita per negligentiam perditī sunt, ut in tota Hispania non invenirentur. Post aliquot ergo annos Cyndesindus [*Ms.*, Cyncynder] rex Hispaniae concilium triginta episcoporum in urbe Toletana congregavit: ubi querimonia facta de amissione Moraliū, unanimi consilio episcoporum, praefatus rex Tagionem Caesaraugustanum episcopum Romam misit cum epistolis ad papam, pro quaerendis [*Ms.*, Trajonem cum epistolis suis pro requirendis] eisdem libris. Erat enim Tagio [*Ms.*, Trajo] episcopus divinae Scripturae amator ferventissimus. Venit ergo Romam, praesentatisque regalibus epistolis et muneribus, cum de die in diem videret petitionem suam a papa differri, quasi prae multitudine aliorum librorum, illi quos quaerebat, non possent in archivo sedis apostolicae reperiri, ad ultimum postulavit ut saltem sibi licentia daretur, una nocte integra in ecclesia beati Petri vigilandi et orandi. Qua accepta, cum enixius obsecraret Deum, ut jamjamque sui itineris effectus prosperaretur, ecce circa mediam noctem in ipso orationis fervore persistens, vidit totam Ecclesiam immenso lumine repleri. Deinde prospicit magnam reverendorum virorum niveis vestibus indutorum multitudinem, januam ecclesiae ingredientem, et decenti ordine binos et binos ad altare sancti Petri tendentem. Cumque nimio terrore perterritus, de loco in quo stabat, se movere non auderet, ecce vidit duos ex eis de coetu eorum egressos ad se venientes. Ex quibus unus dulciter salutans eum, percontatur quis esset, unde et cur venisset, et cur ea hora ibi vigilaret. Episcopo vero ad singula respondente, totamque itineris sui et orationis causam referente, is qui advenerat,

digitum protendens: *in scrinio, inquit, illo quod cernis, continentur libri quos quaeris.* Tunc vero episcopus fiducia assumpta, *Obsecro, inquit, mi domine, ut mihi servo tuo pandere digneris quatenus sit illa quam cerno, tam praeclara virorum processio.* Protinus ille respondens, *Duo, inquit, illi, quos praecedentes, seque invicem manu inserta vides complectentes, [XXII] beati apostoli sunt Petrus et Paulus. Reliqui vero, quos post eos cernis stantes, ipsi sunt successores eorum, hujus apostolicae sedis pontifices. Et eodem ordine, quo eos in episcopatu sunt secuti, etiam nunc eos sequuntur. Et sicut hanc Ecclesiam in vita sua dilexerunt, ita et nunc post obitum diligunt, et frequenter eam invisere veniunt.* Tunc episcopus, *Oro, inquit, mi domine, ut dicas mihi quisnam tu ipse sis.* Ille respondit: *Ego sum Gregorius, pro cuius libris tanti itineris laborem sustinuisti. Ideoque nunc veni ut tuae satisfacerem petitioni.* Tunc episcopus inquit, *Obsecro, domine mi, si hic est, mihi dicas quisnam istorum est* [Vet. edit., *Si hic est, et quinam est*] *beatus Pater Augustinus, cuius libros non minus quam tuos dilexi.* Respondit: *Beatum Augustinum virum excellentissimum, de quo quaeris, altior a nobis continet locus.* Haec dixit, statimque cum socio, qui secum venerat, ad coetum aliorum rediit. Postea, vidente episcopo, omnes simul ad altare beati Petri reverenter submissis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine, janua Ecclesiae repetierunt, et cum lumine quod prius viderat recesserunt. Mane autem facto, praefatus episcopus domino Papae cuncta quae viderat retulit. Sicque acceptos et descriptos libros Moraliū in Hispaniam reportavit. Hancque visionem eis deinceps praenotari et praescribi instituit.

SANCTI GREGORII MAGNI ROMANI
PONTIFICIS MORALIUM LIBRI, SIVE
EXPOSITIO IN LIBRUM B. JOB. (C,S)

Epistola *In qua operis sui tempus, occasionem,
divisionem, institutum ac dicendi et
interpretandi modum explicat.*

CAPUT PRIMUM. *Opus subsequens quando
inchoatum, qua occasione, quibus hortatoribus,
quidve rogitantibus.*

1 Reverendissimo et sanctissimo fratri Leandro coepiscopo,
Gregorius servus servorum Dei.

Dudum te, frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic sedis apostolicae responsa constringerent, et te illuc injuncta pro causis fidei Visigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui: quoniam diu longeque conversionis gratiam distuli, et postquam coelestium desiderio afflatus saeculari habitu contegi melius putavi (**Joan. Diac., l. I, c. 27**). Aperiebatur enim mihi jam de aeternitatis amore quid quaererem, sed inolita me consuetudo devinxerat, ne 2 exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc

me cogeret animus praesenti mundo quasi specie tenus deservire, coeperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed, quod est gravius, mente retinerer. Quae tandem cuncta sollicite fugiens, portum monasterii petii, et relictis quae mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ex hujus vitae naufragio nudus evasi. Quia enim plerumque navem incaute religatam, etiam de sinu tutissimi littoris unda excutit, cum tempestas excrescit, repente me, sub praetextu ecclesiastici ordinis, in causarum saecularium pelago reperi; et quietem monasterii, quia habendo non fortiter tenui, quam stricte tenenda fuerit, perdendo cognovi. Nam cum mihi ad percipiendum sacri altaris ministerium, obedientiae virtus opponitur, hoc sub Ecclesiae colore susceptum est, quod **3** si inulte liceat, iterum fugiendo deflectatur. Postque hoc nolenti mihi atque renitenti, cum grave esset altaris ministerium, etiam pondus est curae pastoralis injunctum. Quod tanto nunc durius tolero, quanto me ei imparem sentiens, in nulla fiducia consolatione respiro. Quia enim mundi jam tempora, malis crebrescentibus, termino propinquante turbata sunt; ipsi nos, qui internis mysteriis deservire credimur, curis exterioribus implicamur: sicut eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi, hoc de me, ignorante me, actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno palatio licentius excubarem; ubi me scilicet multi ex monasterio fratres mei, germana vincti charitate, secuti sunt. Quod divina factum dispensatione conspicio, ut eorum semper exemplo ad orationis placidum littus, quasi anchorae fune restringerer, cum causarum saecularium incessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium, velut ad tutissimi portus sinum, terreni actus volumina fluctusque fugiebam; et licet illud me

ministerium ex monasterio abstractum, a pristinae quietis vita, mucrone suae occupationis exstinxerat; inter eos tamen per studiosae lectionis alloquium, quotidianae me aspiratio compunctionis animabat. Tunc eisdem fratribus, etiam cogente te, placuit, sicut ipse meministi, ut librum beati Job exponere importuna me petitione compellerent; et prout veritas vires infunderet, eis mysteria tantae profunditatis aperirem. Qui hoc quoque mihi in onere suae petitionis addiderunt, ut non solum verba historiae per allegoriarum sensus excuterem, sed allegoriarum sensus protinus in exercitium moralitatis inclinarem; adhuc aliquid gravius adjungentes, ut intellecta quaeque testimoniis cingerem; et prolata testimonia, si implicita fortasse viderentur, interpositione superadditae expositionis enodarem.

CAPUT II.

Qua animi demissione, qua in Deum fiducia. Idem opus qua ratione retractatum, absolutum ac divisum. Quos rimetur sensus.---Mox vero, ut in obscuro hoc opere, atque ante nos hactenus indiscusso, ad tanta me pertrahi ac talia cognovi, solo auditus pondere victus, fateor, lassatusque succubui. Sed repente inter formidinem devotionemque deprehensus, cum in largitorem munerum oculos mentis attollerem, cunctatione postposita, illico certus attendi, quia impossibile esse non poterat, quod de fraternis mihi cordibus charitas imperabat. Fore quippe idoneum me ad ista desperavi: sed ipsa mei desperatione robustior, ad illum spem protinus erexi, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit

disertas (**Sap. X, 21**); qui immensos brutosque asinae ruditus, per sensatos humani colloquii distinxit modos. Quid igitur mirum, si intellectum stulto homini praebeat, qui veritatem suam, cum voluerit, etiam per ora jumentorum narrat (**Num. XXII, 28**)? Hujus ergo robore considerationis accinctus, ariditatem meam ad indagandum fontem tantae profunditatis excitavi. Et quamvis eorum, quibus exponere compellebar, longe me vita transcenderet, injuriosum tamen esse non credidi, si fluenta usibus hominum plumbi fistula ministraret. Unde mox eisdem coram positis fratribus, priora libri sub oculis dixi; et quia tempus paulo vacantius reperi, posteriora tractando 4 dictavi. Cumque mihi spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ita ut inventa sunt, nonnulla derelinquens, ea quae me loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando composui, quia et cum postrema dictarem, quo stylo prima dixeram, sollicite attendi. Egi ergo, ut et ea quae locutus sum, studiosa emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictatus erigerem; et ea quae dictaveram, non longe a colloquentis sermone discreparent; quatenus dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili res non dissimilis formaretur; quamvis tertiam hujus operis partem ut colloquendo protuli, pene ita derelinqui, quia cum me fratres ad alia pertrahunt, hanc subtilius emendari noluerunt. Quibus nimirum multa jubentibus, dum parere modo per expositionis ministerium, modo per contemplationis ascensum, modo per moralitatis instrumentum volui, opus hoc per triginta et quinque volumina extensum, in sex Codicibus explevi. Unde et in eo saepe quasi postponere ordinem expositionis invenior, et paulo diutius contemplationis latitudini ac moralitatis insudo. Sed tamen quisquis de Deo loquitur, curet necesse est ut

quidquid audientium mores instruit, rimetur; et hunc rectum loquendi ordinem deputet, si cum opportunitas aedificationis exigit, ab eo se, quod loqui coeperat, utiliter derivet. Sacri enim tractator eloquii morem fluminis debet imitari. Fluvius quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum divertit; cumque illas sufficienter impleverit, repente sese in alveum refundit. Sic nimirum, sic divini verbi esse tractator debet, ut cum de qualibet re disserit, si fortasse juxta positam occasionem congruae aedificationis invenerit, quasi ad vicinam vallem linguae undas intorqueat; et cum subjunctae instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alveum recurrat.

CAPUT III.

Quo ordine singulos sensus explicet. Allegorico interdum necessario inhaerendum.---Sciendum vero est, quod quaedam historica expositione transcurrimus, et per allegoriam quaedam typica investigatione perscrutamur; quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutimus; nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirentes, tripliciter indagamus. Nam primum quidem fundamenta historiae ponimus; deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extremum quoque per moralitatis gratiam, quasi superducto aedificium colore vestimus. Vel certe quid veritatis dicta, nisi reficiendae mentis alimenta credenda sunt? Quae modis alternantibus multipliciter disserendo, ferculum ori offerimus;

ut invitati lectoris quasi convivae nostri fastidium repellamus, qui dum sibi multa oblata considerat, quod elegantius decernit, assumat. Aliquando vero exponere aperta historiae verba negligimus, ne tardius ad obscura veniamus: aliquando autem intelligi juxta litteram nequeunt; quia superficie tenus accepta, nequaquam instructionem legentibus, sed errorem gignunt. Ecce etenim dicitur: *Sub quo curvantur qui portant orbem* (**Job. IX, 13**). Et de tanto viro quis nesciat quod nequaquam vanas poetarum fabulas sequitur, ut 5 mundi molem subvehi giganteo sudore suspicetur? Qui rursum pressus percussionibus dicit: *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea* (**Job. VII, 15**). Et quis rectum sapiens credat virum tanti praeconii, quem videlicet constat ab interno iudice praemia pro patientiae virtute recipere, decrevisse inter verbera suspendio vitam finire? Aliquando etiam, ne fortasse intelligi juxta litteram debeant, ipsa se verba litterae impugnant. Ait namque: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo* (**Job. III, 2**). Et paulo post subjicit: *Occupet eam caligo, et involvatur amaritudine* (**Ibid., 5**). Atque in ejusdem noctis maledictione subjungit: *Sit nox illa solitaria* (**Ib., 7**). Qui nimirum nativitatis dies, ipso impulsu temporis evolutus, stare non poterat. [*Vet. et Rec. IV.*] Quo igitur pacto hunc involvi caligine optabat? Elapsus quippe, jam non erat; et tamen si in rerum natura subsisteret, sentire amaritudinem nequaquam posset. Constat ergo quod nullo modo de die insensibili dicitur, qui sensu percuti amaritudinis optatur. Et si conceptionis nox reliquis noctibus conjuncta discesserat, quo pacto hanc fieri solitariam exoptat? Quae ut a lapsu temporis figi non potuit, ita etiam nec a reliquarum noctium conjunctione separari. Qui rursum dicit: *Usquequo non parcis*

mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam (Job. VII, 19)? Et tamen paulo superius dixerat: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt (Job. VI, 7).* Quis autem nesciat salivam facilius posse glutiri quam cibum? Qui itaque se sumere cibum denuntiat, incredibile est valde quo ordine glutire posse salivam negat. Atque iterum dicit: *Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum (Job. VII, 20)?* vel certe: *Consumere me vis peccatis adolescentiae meae (Job. XIII, 26)?* Et tamen alia responsione subjungit: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea (Job. XXVII, 6).* Quo igitur pacto a corde suo minime in omni vita reprehenditur, qui peccasse se publica voce testatur? Neque enim simul unquam conveniunt culpa operis, et irreprehensibilitas cordis. Sed nimirum verba litterae, dum collata sibi convenire nequeunt, aliud in se aliquid quod quaeratur ostendunt, ac si quibusdam vocibus dicant: Dum nostra nos conspiciatis superficie destrui, hoc in nobis quaerite, quod ordinatum sibi congruens apud nos valeat intus inveniri.

CAPUT IV.

*Aliquando litterali sensui inhaerendum.---*Aliquando autem qui verba accipere historiae juxta litteram negligit, oblatum sibi veritatis lumen abscondit; cumque laboriose invenire in eis aliud intrinsecus appetit, hoc quod foris sine difficultate assequi poterat, amittit. Sanctus namque vir dicit: *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex*

ea; si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem; si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est (Job. XXXI, 16 et seq.). Quae videlicet si ad allegoriae sensum violenter inflectimus, cuncta ejus misericordiae facta vacuumus. Divinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est 6 fluvius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet. Ut ergo uniuscujusque loci opportunitas postulat, ita se per studium expositionis ordo immutat; quatenus tanto verius sensum divinae locutionis inveniat, quanto ut res quaeque exegerit, per causarum species alternat.

CAPUT V.

Gregorius aegritudine laborans opus sequens perfecit. Artem loquendi neglexit. Quibus utatur Scripturae versionibus.--- Quam videlicet expositionem recensendam tuae beatitudini, non quia velut dignam debui, sed quia te petente memini promisisse, transmisi. In qua quidquid tua sanctitas tepidum incultumque repererit, tanto mihi celerrime indulgeat, quanto hoc me aegrum dicere non ignorat. Nam dum molestia corpus atteritur, affecta mente etiam dicendi studia languescunt. Multa quippe annorum jam curricula devolvuntur, quod crebris viscerum doloribus crucior, horis momentisque

omnibus fracta stomachi virtute lassescio, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhele. Interque haec dum sollicitus penso quia, Scriptura teste, *Omnis filius qui a Deo recipitur, flagellatur* (**Hebr. XII, 6**), quo malis praesentibus durius deprimor, eo de aeterna certius praesumptione respiro. Et fortasse hoc divinae providentiae consilium fuit, ut percussum Job percussus exponerem, et flagellati mentem melius per flagella sentirem. [*Vet. et Rec. V.*] Sed tamen recte considerantibus liquet, quia adversitate non modica laboris mei studiis in hoc molestia corporalis obsistit, quod carnis virtus cum locutionis ministerium exhibere vix sufficit, mens digne non potest intimare quod sentit. Quid namque est officium corporis, nisi organum cordis? Et quamlibet peritus sit cantandi artifex, explere artem non valet, nisi ad hanc sibi et ministeria exteriora concordent: quia nimirum canticum, quod docta manus imperat, quassata organa proprie non resultant; nec artem flatus exprimit, si scissa rimis fistula stridet. Quanto itaque gravius expositionis meae qualitas premitur, in qua dicendi gratiam sic fractura organi dissipat, ut hanc peritiae ars nulla componat? Quaeso autem ut huius operis dicta percurrans, in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosae loquacitatis levitas studiose compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur (**Deut. XVI, 21**). Et cuncti procul dubio scimus, quia quoties in foliis male laetae segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Unde et ipsam loquendi artem, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut huius quoque epistolae tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque et praepositionum casus servare contemno, quia indignum (**Dist.**

38, c. Indignum) vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim haec ab ulus interpretibus, in Scripturae sacrae auctoritate servata sunt. Ex qua nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profecto est ut quasi edita soboles speciem suae matris imitetur. Novam vero translationem dissero; sed cum probationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo; ut quia sedes apostolica, cui Deo auctore praesideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.

Praefatio In qua quae toto opere edisserenda sunt paucis perstringit.

CAPUT PRIMUM.

7 1. *Quis scriptor libri Job.*---Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Job scriptor habeatur. Et alii quidem Moysen, alii unum quemlibet ex prophetis scriptorem hujus operis fuisse suspicantur. Quia enim in libro Geneseos (**Genes. XXXVI, 33.**) Jobab de stirpe Esau descendisse, et Bale filio Beor in regnum successisse describitur, hunc beatum Job longe ante Moysi tempora exstitisse crediderunt, morem profecto sacri eloquii nescientes, quia in superioribus suis partibus solet breviter longe post secutura perstringere, cum

studet ad alia subtilius enumeranda properare. Unde et illic Jobab, priusquam reges in Israel existerent, fuisse memoratur. Nequaquam ergo exstitisse ante legem cognoscitur, qui Israeliticorum judicum tempore fuisse signatur. Quod dum quidam minus caute considerant, Moysen gestorum illius quasi longe antepositi scriptorem putant; ut videlicet is qui potuit ad eruditionem nostram legis praecepta edere, ipse credatur etiam ex gentilis viri historia, virtutis ad nos exempla mandasse. Nonnulli vero, ut dictum est, scriptorem hujus operis unum quemlibet ex prophetis arbitrantur: asserentes quod nullus tam mystica Dei verba cognoscere potuit, nisi cujus mentem prophetiae spiritus ad superna sublevavit.

2. *Auctor Spiritus sanctus.*---Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo percontamur?

[*Vet. II.*] 3. *Quo inspirante Job sua certamina descripsit.*---Arbitrari tamen verius possumus, quod idem beatus Job, qui certamina spiritalis pugnae sustinuit, etiam consummatae suae victoriae gesta narravit. Nec movere debet quod in eodem libro dicitur, *Dixit Job*; vel, *haec atque illa pertulit Job*. Moris 8 enim Scripturae sacrae est ut ipsi qui scribunt,

sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* (**Num. XII, 3**). Hinc Joannes dicit: *Discipulus ille, quem diligebat Jesus* (**Joan. XIX, 26**). Hinc Lucas ait: *Quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas et alius* (**Luc. XXIV, 13**); quem profecto alium, dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, seipsum fuisse monstravit. Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium tanquam de aliis proferunt. Ergo sanctus Spiritus per Moysen locutus est de Moyse; sanctus Spiritus per Joannem locutus est de Joanne. Paulus quoque quia non ex se ipso loqueretur, insinuat dicens: *An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus* (**II Cor. XIII, 3**)? Hinc est quod angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo angelus, modo Dominus memoratur: angelus videlicet, propter hoc, quod exterius loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interius praesidens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus nominatur. Hinc David ait: *Attendite popule meus legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei* (**Psal. LXXVII, 1**). Non enim lex David, aut populus David, sed personam ejus, ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cujus inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesia cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio populi lector clamat: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (**Exod. III, 6**). Et quod ipse Deus sit, vere profecto non dicit; nec tamen per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit; quia cui ministerium lectione exhibet, ejus dominium voce praetendit. Itaque scriptores sacri eloquii, quia repleti sancto Spiritu super se trahuntur,

quasi extra semetipsos fiunt; et sic de se sententias, quasi de aliis proferunt. Unde et beatus Job sancto Spiritu afflatus, potuit sua gesta, quae erant videlicet supernae aspirationis dona, quasi non sua scribere: quia eo alterius erant quae loquebatur, quo homo loquebatur quae Dei sunt; et eo alter quae erant illius loquebatur, quo Spiritus sanctus loquebatur quae hominis sunt.

CAPUT II [*Vet. III*].

94. *Praecepta homini data.*---Sed jam debemus ista postponere, et ad considerata sacrae historiae gesta properare. Omnis homo eo ipso quo homo est, suum intelligere debet auctorem; cuius voluntati tanto magis serviat, quanto se quia de se ipso nihil sit pensat; ecce autem conditi Deum considerare negleximus. Adhibita sunt praecepta, praeceptis quoque obtemperare noluimus. Adjunguntur exempla, ipsa quoque imitari exempla declinamus, quae edidisse nobis positos sub lege conspiciamus. Quia enim Deus aperte quibusdam sub lege positus locutus est, quasi alienos nos ab eisdem praeceptis aspicimus, quibus haec specialiter locutus non est. Unde ad confutandam impudentiam nostram, gentilis homo ad exemplum deducitur; ut quia obedire homo legi sub lege positus despicit, ejus saltem comparatione evigilet, qui sine lege legaliter vixit. Erranti igitur homini data est lex; erranti vero etiam sub lege adducitur testimonium eorum qui extra legem sunt, ut quia conditionis nostrae ordinem servare noluimus, praeceptis admoneremur; et quia praeceptis obedire contempsimus,

exemplis confunderemur; nec, ut dictum est, eorum exemplis, quos lex astringeret, sed quos lex a peccato nulla cohiberet.

5. Praecepta contemnenti addita exempla Job hominis gentilis.---Circumscripsit nos divina providentia, circumvenit excusationem nostram; undique conclusus est aditus tergiversationis humanae. Homo gentilis, homo sine lege, ad medium adducitur, ut eorum qui sub lege sunt pravitas confundatur. Quod bene per prophetam ac breviter dicendo ostenditur: *Erubescere, Sidon, ait mare (Isai. XXIII, 4)*. In Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum - in mari autem, vita gentilium. Erubescere ergo, Sidon, ait mare, quia ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum, atque ex actione saecularium confunditur actio religiosorum: dum illi etiam promittendo non servant quae in praeceptis audiunt; et isti vivendo ea custodiunt, in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur [*Vet. IV*]. Qua vero auctoritate liber iste sit praeditus, ipsa sacrarum paginarum soliditas attestatur, dum per Ezechielem prophetam dicitur (*Ezech. XIV, 14*), quod tres solummodo viri liberentur, Noe scilicet, Daniel et Job. Nec immerito inter Hebraeorum vitas, in auctoritatis reverentiam vita iusti gentilis adducitur, quia Redemptor noster, sicut ad redemptionem Iudaeorum et gentilium venit, ita se Iudaeorum et gentilium prophetari vocibus voluit; ut per utrumque populum diceretur, qui pro utroque populo quandoque pateretur.

6. Ejus virtus, quo magis fragraret, flagellis attrita.---Vir itaque iste summis viribus fultus, sibi notus erat et Deo: qui si non flagellaretur, a nobis nullatenus agnosceretur. Virtus quippe etiam per quietem se exercuit, sed virtutis opinio commota per flagella fragravit. Et qui quietus in se ipso quod

erat continuit, commotus ad notitiam omnium odorem suae fortitudinis aspersit. Sicut enim unguenta latius redolere nesciunt nisi commota, et sicut aromata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur expandunt; ita sancti viri omne quod virtutibus redolent in tribulationibus innotescunt. Unde et recte in Evangelio dicitur: *Si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc, et transibit* (**Matth. XVII, 19**). Granum quippe **10** sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur. Nam non contritum lene est: si vero conteratur, inardescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus, cum non pulsatur, despicabilis ac lenis aspicitur: si qua vero illum tritura persecutionis opprimat, mox omne, quod calidum sapit, ostentat; atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur; quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus coactus innotescit. Unde bene per prophetam dicitur: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit* (**Ps. XLI, 9**). Misericordia enim Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur; in nocte vero declaratur, quia donum, quod in tranquillitate sumitur, in tribulationibus manifestatur.

CAPUT III [*Vet. V*].

7. *Virtutes Job recensentur.*---Sed subtilius perscrutandum est cur tot flagella pertulit, qui tantam virtutum custodiam sine reprehensione servavit. Humilitatem quippe habuit, quia et ipse testatur: *Si contempsisti judicium subire cum servo meo, et*

ancilla mea, cum disceptarent adversum me (Job. XXXI, 13). Hospitalitatem exhibuit, sicut ipse perhibet, dicens: *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit (Job. XXXI, 32).* Disciplinae vigorem tenuit, sicut ipse indicat dicens: *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo (Job. XXIX, 9).* Mansuetudinem in vigore custodivit, sicut ipse fatetur, dicens: *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator (Ibid., 25).* Eleemosynarum largitatem amplexus est, sicut ipse insinuat dicens: *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea (Job. XXXI, 17).* Cum igitur omnia virtutum mandata perficeret, unum ei deerat, ut etiam flagellatus agere gratias sciret. Notum erat quia servire Deo inter dona noverat: sed dignum fuerat ut districtio severitatis inquireret utrum devotus Deo et inter flagella permaneret. Poena quippe interrogat, si quietus quis veraciter amat. Quem hostis quidem ut deficeret petiit, sed ut proficeret accepit. Fieri Dominus benigne permisit quod diabolus inique postulavit. Nam cum idcirco illum expetisset hostis ut consumeret, tentando egit ut ejus merita augeret. Scriptum quippe est: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis (Job. I, 22).* Et quidem quaedam verba responsionum illius imperitis lectoribus aspera resonant, quia sanctorum dicta pie intelligere, sicut dicuntur, ignorant; et quia animum dolentis et justis in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris verba bene interpretari non possunt. Mentem quippe patientis bene pensare novit condescensio passionis.

8. *Ab imperitorum criminationibus Dei judicio absolvitur.*--- Credunt ergo beatum Job in suis sermonibus deliquisse, minus caute intuentes, quia si beati Job responsa redarguant,

falsam etiam de eo Domini sententiam fuisse testantur. Diabolo namque a Domino dicitur: *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram: vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo (Vers. 8)?* Cui a diabolo mox respondetur: *Nunquid gratis Job colit Deum? Nonne tu vallasti eum cunctamque familiam ejus? Sed mitte manum tuam, et tange eum, si non in faciem benedixerit tibi (Vers. 10).* Hostis itaque in beato Job vires suas exercuit, sed tamen certamen contra **11** Deum assumpsit. Inter Deum itaque et diabolum beatus Job in medio materia certaminis fuit. [*Vet. VI*]. Quisquis ergo sanctum virum inter flagella positum, dictis suis peccasse asserit, quid aliud, quam Deum, qui pro illo proposuerat, perdidisse reprehendit? Ipse quippe in se tentati causam suscipere voluit, qui eum et ante flagella praetulit, et praeferens tentari per flagella permisit. Si ergo excessisse Job dicitur, laudator illius succubuisse perhibetur, quamvis eum nullatenus deliquisse etiam dona testantur. Quis enim nesciat quod culpis non praemia, sed poenae debeantur? Qui ergo duplicia recipere quae amiserat meruit, ex remuneratione edocuit quia nequaquam vitium sed virtus fuit omne quod dixit. Assertioni quoque huic adhuc adjungitur, quod ipse pro amicis delinquentibus intercedit. In gravibus namque peccatis quis positus (**Causa 3, q. 7, c. In gravibus**), dum suis premitur, aliena non diluit. Mundus ergo ostenditur esse de se, qui emundationem potuit obtinere pro aliis. Si vero hoc quibusdam displicet, quod bona sua ipse narravit, sciendum est quia inter tot rerum damna, inter tot corporis vulnera, inter tot pignorum funera, amicis ad consolationem venientibus, et ad increpationem prorumpentibus, de vita sua desperare cogebatur; et quem tot detrimenta afflixerant, contumeliosa insuper increpantium

verba feriebant. Hi namque, qui ad consolandum venerant, dum quasi ejus injustitiae exprobrabant, desperare eum de semetipso funditus compellebant. Quod ergo bona sua ad mentem revocat, non se per jactantiam elevat; sed quasi collapsum inter verba et vulnera ad spem animum reformat. Gravi enim desperationis telo mens percutitur, cum supernae irae tribulationibus premitur, et foris linguarum opprobriis urgetur. Beatus igitur Job tot dolorum jaculatione confossus, dum labefactari per opprobria timuit, ad statum se fiducia ex anteacta vita confirmando revocavit. Nequaquam ergo in arrogantiae vitium cecidit, quia contra internum desperationis impulsus, per exteriora praeconiorum suorum verba pugnavit; ut dum bona quae fecerat diceret, nequaquam de bono quod quaesierat desperaret.

CAPUT IV [*Vet. VII*].

9. *Omnia Satanae machinamenta contra Job erecta.*--- Sed jam nunc ipsum ordinem tentationis ejus exsequamur. Inimicus saeviens, et sancti viri validissimum pectus debellare contendens, cunctas contra eum tentationum machinas erexit; abstulit substantiam, interfecit filios, percussit corpus, instigavit uxorem, amicos ad consolationem adduxit; sed in asperitatem increpationis excitavit: alium quoque amicum durius increpantem, in extrema et acriori invectione servavit, ut saltem crebrius feriendo cor attingeret, quod novo vulnere semper iteraret. Quia enim in saeculo potentem vidit, damnis substantiae eum moveri credidit, quem non concussum ex filiorum morte pulsavit. Videns autem quia ad augmentum

divinae laudis etiam ex vulnere crevit orbitatis, petiit feriendam salutem corporis. Intuens etiam quia per dolorem corporis pervenire nequiverit ad passionem mentis, instigavit uxorem. Civitatem quippe, quam expugnare appetiit, nimis munitam vidit; et idcirco exterius tot plagas inferens, quasi foras exercitum admovit; animum vero uxoris in verbis malae persuasionis **12** accendens, quasi intus civium corda corruptit. Ex bellis enim exterioribus discimus quid de interioribus sentiamus. Inimicus namque saeviens, et urbem circumfusus exercitibus vallans, si ejus munimina invicta conspexerit, ad alia se pugnandi argumenta convertit, ut intus etiam quorundam civium corda corrumpat; quatenus cum extrinsecus impugnatores admoverit, internos quoque habeat adjuutores, atque increscente belli foras certamine, de quorum intus fide confiditur, eorum perfidia urbs destituta capiatur.

10. *Foris bellum, virulenta intus consilia adhibuit.*---Itaque exterius quasi ariete constituto, murum civitatis istius tot ictibus perculit, quot vicibus adversa nuntiavit. Intus autem quasi civium corda corruptit, dum fortia urbis hujus munimina persuasionem destruere conjugis studuit. Foras itaque admovit impetum belli, intus venena consilii: ut tanto citius urbem caperet, quanto eam exterius interiusque turbaret. [*Vet. VIII.*] Quia autem nonnunquam plus conturbant verba quam vulnera, amicorum, ut dictum est, se linguis armavit. Qui quidem quia seniores erant, de eorum verbis minus fortasse doleri poterat. Helium junior subrogatur, ut sanctum pectus tanto acriori vulnere percuteret, quanto contra illud ictus brachii vilioris excitaret. Ecce ad feriendum invictissimum robur inimicus saeviens, quot tentationum jacula invenit; ecce quot obsidionum machinamenta

circumposuit; ecce quot percussionum tela transmisit: sed in his omnibus mansit mens imperterrita, stetit civitas inconcussa.

CAPUT V.

11. *Patientia Job in adversis.*---Student hostes, cum contra faciem veniunt, alios ex occulto transmittere, qui eo licentius pugnantis latus feriant, quo is qui pugnat intentius venientes hostes contra faciem aspectat. [*Rec. V.*] Igitur Job, in hujus certaminis bello deprehensus, suscepit damna, quasi hostes contra faciem; sustinuit verba consolantium, quasi hostes ex latere: sed in his omnibus circumacto gravitatis suae clypeo, ubique munitus astitit, undique venientibus gladiis vigilanter obviavit: amissam substantiam tacite despicit, carnem in filiis mortuam aequanimiter dolet, carnem in se percussam patienter tolerat, carnem in conjuge male suadentem sapienter docet. Super haec amici in asperam correptionem prosiliunt; et pro sedando dolore venientes, vim doloris adjungunt. Omnia ergo machinamenta tentationum sancto viro vertuntur in augmenta virtutum. Per vulnera quippe probatur ejus patientia; per verba vero exercetur ejus sapientia. Ubique fortiter occurrit, quia et flagella robore, et verba ratione superavit. Amici vero ejus, qui ad consolationem quidem veniunt, sed usque ad verba increpationis excedunt, ignorantia magis credendi sunt, quam malitia deliquisse. Neque enim tantum virum amicos iniquos habuisse credendum est: sed dum discernere causam flagellorum nequeunt, in culpam dilabuntur.

[*Vet. IX.*] 12. *Varia percussionum genera.*---Percussionum quippe diversa sunt genera. Alia namque est percussio, qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur; alia, qua peccator percutitur, ut corrigatur; alia, qua nonnunquam quisque percutitur, non ut praeterita corrigat, sed ne ventura committat; alia qua **13** plerumque percutitur, per quam nec praeterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur; sed ut, dum inopinata salus percussione sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur; cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumuletur. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque retractatione puniatur, sicut periturae Judaeae dicitur: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli (Jer. XXX, 14).* Et rursum: *Quid clamas ad me, super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus (Ibid., 15).* Aliquando peccator percutitur, ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio dicitur: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat (Joan. V, 14).* Verba enim salvantis indicant, quia peccata praecedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro praeterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod aperte Paulus apostolus de semetipso testatur, dicens: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet (II Cor. XII, 7).* Qui enim non ait, quia extulit, sed ne extollat, aperte indicat quod percussione illa, ne eveniat, compescitur, non autem quae evenit culpa purgatur. Nonnunquam vero quisque nec pro praeterita, nec pro futura iniquitate percutitur; sed ut sola divinae virtutis potentia, ex amputata percussione monstretur. Unde cum Domino in Evangelio de caeco nato diceretur: *Hic peccavit, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur (Joan. IX, 2)?* respondit Dominus dicens: *Neque*

hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei (Ibid. 3)? In qua manifestatione quid agitur, nisi ut ex flagello meritorum virtus augeatur; et cum nulla praeterita iniquitas tergitur, magna de patientia fortitudo generetur. Unde idem beatus Job praefertur prius voce judicis, et post manui committitur tentatoris: quem post flagellum Deus dum remunerans familiarius alloquitur, aperte quantum de verbere creverit indicatur. Amici ergo beati Job, dum percussionum genera distinguere nesciunt, percussum pro culpa crediderunt: et dum Deum justum in percussione sua conantur asserere, beatum Job compulsi sunt de injustitia reprobare; nescientes videlicet quod idcirco flagellatus fuerat, ut pro flagello ejus divinae gloriae laus cresceret, non autem ut per flagella peccata quae nequaquam commiserat emendaret. Unde et ad veniam citius redeunt, quia ignorantia potius quam malitia peccaverunt. Quorum superbiam divina justitia eo vehementer humiliat, quo nequaquam illos ad suam gratiam, nisi per eum quem despexerant, reformat. Valde quippe elata mens retunditur, si ipsi super quem se extulit supponatur.

CAPUT VI [*Vet. X*].

13. *Sancti omnes quasi stellae, noctem vitae praesentis illuminant.*---Sed libet inter haec mira divinae dispensationis opera cernere quomodo ad illuminandam noctem vitae praesentis astra quaeque suis vicibus in coeli faciem veniant, quousque in finem noctis Redemptor humani generis, quasi verus lucifer, surgat. Nocturnum namque spatium, dum decedentium succedentiumque stellarum cursibus illustratur,

magno coeli decore peragitur. Ut ergo noctis nostrae tenebras suo tempore editus, vicissimque permutatus stellarum radius tangeret, ad ostendendam innocentiam, venit Abel; ad docendam **14** actionis munditiam, venit Enoch; ad insinuandam longanimitatem spei et operis, venit Noe; ad manifestandam obedientiam, venit Abraham; ad demonstrandam conjugalis vitae castimoniam, venit Isaac; ad insinuandam laboris tolerantiam, venit Jacob; ad rependendam pro malo bonae retributionis gratiam, venit Joseph; ad ostendendam mansuetudinem, venit Moyses; ad informandam contra adversa fiduciam, venit Josue; ad ostendendam inter flagella patientiam, venit Job. Ecce quam fulgentes stellas in coelo cernimus, ut inoffenso pede operis iter nostrae noctis ambulemus. Nam cognitioni hominum divina dispensatio quot justos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras coelum misit, quousque verus lucifer surgeret, qui aeternum nobis mane nuntians, stellis caeteris clarius ex divinitate radiaret.

14. *Cuncti Christum praenuntiarunt, maxime Job.*---Quem electi omnes dum bene vivendo praeceunt, et rebus et vocibus prophetando promiserunt. Nullus etenim justus fuit, qui non ejus per figuram nuntius exstiterit. Dignum quippe erat ut in semetipsis bonum omnes ostenderent, de quo et omnes boni essent, et quod prodesse omnibus scirent. Unde et sine cessatione promitti debuit quod et sine aestimatione dabatur percipi, et sine fine retineri; ut simul omnia saecula dicerent quid in redemptione communi saeculorum finis exhiberet. Unde et necesse fuit ut etiam beatus Job, qui tanta incarnationis ejus mysteria protulit, eum quem voce diceret ex conversatione signaret; et per ea quae pertulit, quae passurus

esset ostenderet; tantoque verius passionis illius sacramenta praediceret, quanto haec non loquendo tantummodo, sed etiam patiendo prophetaret. [*Vet. XI.*] Sed quia Redemptor noster unam se personam cum sancta Ecclesia, quam assumpsit, exhibuit; de ipso enim dicitur, *Qui est caput omnium nostrum (Ephes. IV, 15)*; et de Ecclesia ejus scriptum est: *Corpus Christi, quod est Ecclesia (Colos. I, 24)*; quisquis eum in semetipso significat, modo hunc ex capite, modo ex corpore designat, ut non solum vocem capitis, sed etiam corporis teneat. Unde et Isaïas propheta ejusdem Domini verba exprimens, ait: *Quasi sponso posuit mihi mitram, et quasi sponsam ornavit me ornamento (Isaïae LXI, 10)*. Quia igitur ipse in capite sponsus, ipse est in corpore sponsa, necesse est ut cum nonnunquam aliquid de capite dicitur, sensim ac subito etiam ad vocem corporis derivetur; et rursum cum de corpore aliquid dicitur, repente ad vocem capitis ascendatur. [*Vet. XII.*] Beatus ergo Job venturi cum suo corpore typum Redemptoris insinuat; uxor vero ejus, quae eum ad maledicendum provocat, vitam carnalium designat; qui intra sanctam Ecclesiam incorrectis moribus positi, quo per fidem bonis juxta sunt, eo per vitam durius premunt; quia dum quasi fideles vitari non possunt, a fidelibus tanto deterius, quanto et interius tolerantur.

15. *Amici Job haereticos adumbrant.*---Amici vero ejus, qui dum consulunt invehuntur, haereticorum figuram exprimunt, qui sub specie consulendi agunt negotium seducendi. Unde et ad beatum Job quasi pro Domino loquuntur, sed tamen a Domino non approbantur; quia videlicet omnes haeretici Deum, dum defendere nituntur, offendunt. Unde eis aperte et ab eodem sancto viro dicitur: *Disputare cum Deo cupio:*

prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum (Job XIII, 3 et 4). Constat ergo eos haereticorum typum errando gerere, quos sanctus vir redarguit cultui perversorum dogmatum deservire. [*Rec. VII.*] Omnis vero haereticus in eo quod Deum defendere cernitur, veritati illius adversatur, Psalmista attestante, qui ait: *Ut destruas inimicum et defensorem (Psalm. VIII, 3).* Inimicus quippe et defensor est, qui Deum quo praedicat impugnatur.

CAPUT VII.

16. *Nominibus suis Job Christum, amici ejus haereticos significant.*---Nam quia beatus Job venturi Redemptoris speciem teneat, etiam nomine demonstrat. Job quippe interpretatur dolens. Quo nimirum dolore, vel Mediatoris passio, vel sanctae Ecclesiae labor exprimitur, quae multiplici praesentis vitae fatigatione cruciatur. Amici quoque ejus ex vocabulo nominis meritum suae indicant actionis. Nam Eliphaz Latina lingua dicitur Domini contemptus. Et quid aliud haeretici faciunt, nisi quod, dum falsa de Deo sentiunt, eum superbiendo contemnunt? Baldad interpretatur vetustas sola. Bene autem omnes haeretici in his quae de Deo loquuntur, dum non intentione recta, sed appetitione temporalis gloriae videri praedicatores appetunt, vetustas sola nominantur. Ad loquendum quippe non zelo novi hominis, sed vitae veteris pravitate concitantur. Sophar quoque Latino sermone dicitur dissipatio speculae, vel speculationem dissipans. Mentis namque fidelium ad contemplanda superna se erigunt; sed dum haereticorum verba pervertere recta

contemplantes appetunt, speculam dissipare conantur. [*Vet. XIII.*] In tribus itaque amicorum Job nominibus, tres haereticarum mentium perditionis casus exprimuntur. Nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de illo perversa sentirent; et nisi vetustatis cor traherent, in novae vitae intelligentia non errarent; et nisi speculationem bonorum destruerent, nequaquam eos superna judicia tam districto examine pro verborum suorum culpa reprobarent. Contemnendo igitur Deum, in vetustate se retinent: sed in vetustate retinendo, pravis suis sermonibus speculationi rectorum nocent.

CAPUT VIII.

17. *In amicorum Job reconciliatione haereticorum conversio figuratur.*---Quia vero nonnunquam haeretici divinae gratiae largitate perfusi ad unitatem sanctae Ecclesiae redeunt, bene hoc ipsa amicorum reconciliatione signatur. Pro quibus tamen beatus Job exorare praecipitur, quia haereticorum sacrificia accepta Deo esse nequeunt, nisi pro eis universalis Ecclesiae manibus offerantur; ut ejus meritis remedium salutis inveniant, quam verborum jaculis impugnando feriebant. Unde et septem pro eis sacrificia memorantur oblata; quia dum septiformis gratiae Spiritum confitentes accipiunt, quasi septem oblationibus expiantur. Hinc est quod in Joannis Apocalypsi per septem Ecclesiarum numerum universalis Ecclesia designatur (**Apoc. I, 11**). Hinc per Salomonem de Sapientia dicitur: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem* (**Prov. IX, 1**). Ipso ergo sacrificiorum

numero reconciliati haeretici, quid **16** prius fuerint exprimunt, qui perfectioni septiformis gratiae non nisi redeundo junguntur.

18. *Illorum mactanda superbia, ut Ecclesiae hoc sacrificio restituantur.*---Bene autem tauros pro se et arietes obtulisse describuntur. In tauro quippe cervix superbiae, in ariete autem ducatus gregum sequentium designatur. Quid est ergo pro eis tauros arietesque mactare, nisi eorum superbum ducatum interficere; ut de se humilia sentiant, et post se corda innocentium non seducant? Cervice enim tumentis ab Ecclesiae unitate resilierant, et infirmos post se populos quasi sequentes greges trahebant. Veniant igitur ad beatum Job, id est, revertantur ad Ecclesiam, et septenario sacrificio tauros et arietes mactandos offerant; qui ut universali Ecclesiae conjungantur, humilitate interveniente interficiant quicquid prius tumidum de superbo ducatu sapiebant.

CAPUT IX.

19. *Superbus, licet recte sentiens, increpandus. Qua ratione non indiget sacrificio.*---Per Helium autem, qui rectis quidem sensibus loquitur, sed ad stulta elationis verba derivatur, persona uniuscujusque arrogantis exprimitur. Multi namque intra sanctam Ecclesiam positi, recta quae sapiunt recte proferre contemnunt. Unde et divinae increpationis verbis arguitur, nec tamen pro illo sacrificium offertur; quia fidelis quidem est, sed tamen arrogans: per veritatem credulitatis intus est, sed per tumoris sui obstaculum acceptabilis non est.

Hinc ergo increpatio redarguit, sed sacrificium non reducit; quia in ea quidem fide est in qua esse debuit, sed superna hunc justitia increpans pro superfluis repellit. Unde et bene Heliu Latino sermone dicitur, Deus meus iste, vel Deus Dominus. Arrogantes enim viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis Deum elate vivendo refugiunt, eum tamen veraciter credendo confitentur. Quid est enim, Deus meus iste, nomine dicere, nisi eum, cui credidit, aperta professione monstrare? vel quid est, Deum Dominum dicere, nisi hunc et Deum per divinitatem credere, et Dominum ex incarnatione perhibere?

CAPUT X. [*Vet. XIV.*]

20. *Job duplicia recipiens quid praesignet. Sanctorum ante resurrectionem una beatitudo; post duplex.*---Bene autem post damna rerum, post funera pignorum, post cruciatus vulnerum, post certamina pugnasque verborum, duplici remuneratione sublevatur; quia nimirum sancta Ecclesia, adhuc etiam in hac vita posita, pro laboribus quos sustinet, duplicia munera recipit; cum susceptis plene gentibus, in fine mundi Judaeorum etiam ad se corda convertit. Hinc enim scriptum est: *Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI, 25)*. Duplicia et postmodum recipiet: quia finito labore praesentis temporis, non solum ad animarum gaudium, sed etiam ad beatitudinem corporum ascendit. Unde bene per prophetam dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt (Isai. LXI, 7)*. Sancti quippe in terra viventium duplicia possident, quia nimirum beatitudine mentis simul et corporis gaudent. Unde Joannes in

Apocalypsi, quia ante resurrectionem corporum clamantes sanctorum animas vidit, accepisse eas stolas singulas aspexit, dicens: *Et datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis, ut requiescerent tempus 17 adhuc modicum, donec impleretur numerus conservorum et fratrum eorum (Apoc. VI, 11)*. Ante resurrectionem quippe stolas singulas accepisse dicti sunt, quia sola adhuc mentis beatitudine perfruuntur. Binas ergo accepturi sunt, quando cum animarum perfecto gaudio, etiam corporum incorruptione vestientur.

21. *Afflictio hic certa; quantum duratura sit, incertum.*--- Recte autem afflictio quidem beati Job dicitur sed quantitas temporis in ejus afflictione reticetur; quia sanctae Ecclesiae in hac vita tribulatio cernitur, sed quanto hic tempore conterenda atque differenda sit, ignoratur. Unde et ore Veritatis dicitur: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, 18 quae Pater posuit in sua potestate (Act. I, 7)*. Per hoc ergo, quod beati Job passio dicitur, docemur quod experiendo novimus. Per hoc vero quod quantitas temporis in passione reticetur, docemur quid nescire debeamus.

In longum praefationis verba protraximus, ut quasi totum breviter perstringendo loqueremur. Sed quia ad loquendi initium, diu loquendo, pervenimus, debemus prius historiae radicem figere, ut valeamus mentem postmodum de allegoriarum fructu satiare.

Pars prima, LIBROS QUINQUE COMPLECTENS.

LIBER PRIMUS. *Capitis primi libri Job priores
versus primum historico, deinde allegorico,
postremo morali sensu explanat.*

CAPUT PRIMUM.

VERS. 1.---*Vir erat in terra Hus, nomine Job.* HISTORICUS
SENSUS.---1. *Job inter malos bonus dicitur, quod summa
laus est.*---Idcirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus
meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat quod
sit terra gentilium? Gentilitas autem eo obligata vitiis exstitit,
quo cognitionem sui conditoris ignoravit. Dicatur itaque ubi
habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter
malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum
bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpae
est, inter bonos bonum non esse; ita immensi est praeconii,
bonum etiam inter malos exstitisse. Hinc est quod isdem
beatus Job sibimet attestatur, dicens: *Frater fui draconum, et
socius struthionum (Job. XXX, 29).* Hinc Petrus magnis Loth
laudibus extulit, quod bonum inter reprobos invenit,
dicens: *Et justum Loth oppressum a nefandorum injusta
conversatione eripuit. Aspectu enim et auditu justus erat,
habitans apud eos, qui de die in diem animam justi iniquis
operibus cruciabant (II Pet. II, 7, 8).* Qui nimirum cruciari
non posset, nisi prava propinquorum opera et audiret, et
cerneret. Et tamen aspectu et auditu justus dicitur, quia
iniquorum vita, non delectando justis aures atque oculos, sed

feriendo tangebatur. Hinc Paulus discipulis dicit: *In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (**Philip. II, 15**). Hinc angelo Pergami ecclesiae dicitur: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae; et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam* (**Apoc. II, 13**). Hinc sancta Ecclesia sponsi voce laudatur, cum ei in amoris Cantico dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (**Cant. II, 2**). Bene ergo beatus Job, memorata terra gentili, inter iniquos vixisse describitur; ut, juxta sponsi praeconium, inter spinas lilium crevisse monstretur. Unde recte mox subditur:

CAPUT II.

IBID.---*Simplex, et rectus.*

2. *Job simplicitas et rectitudo. Utraque necessaria.*---Nonnulli namque ita sunt simplices, ut rectum quid sit ignorent. Sed eo verae simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt; quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est quod Paulus discipulos admonet dicens: *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo* (**Rom. XVI, 19**). Hinc rursum dicit: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* (**I Cor. XIV, 20**). Hinc per semetipsam Veritas discipulis praecipit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* (**Matth, X. 16**). Utraque enim necessario in admonitione conjunxit; ut et simplicitatem columbae astutia

serpentis instrueret, et rursum serpentis astutiam columbae simplicitas temperaret. Hinc est quod sanctus Spiritus praesentiam suam hominibus, non in columba solummodo, sed etiam in igne patefecit (**Matth. III, 11, 16**). Per columbam quippe simplicitas, per ignem vero zelus indicatur. In columba igitur, et in igne ostenditur (**Act. II, 3**): quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. Sequitur:

CAPUT III.

IBID.---*Timens Deum, et recedens a malo.*

3. *Deum timere quid sit. Bona malis admista reprobantur.*--- Deum timere est nulla, quae facienda sunt bona praeterire. Unde per Salomonem dicitur: *Qui Deum timet, nihil negligit* (**Eccle. VII, 19**). Sed quia nonnulli sic bona quaedam faciunt, ut tamen a quibusdam malis minime suspendantur, bene postquam timens Deum dicitur, recedens quoque a malo perhibetur. Scriptum quippe est: *Declina a malo, et fac bonum* (**Psal. XXXVI, 27**). Neque enim bona Deo accepta sunt, **19** quae ante ejus oculos malorum admistione maculantur. Hinc namque per Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdet* (**Eccle. IX, 18**). Hinc Jacobus attestatur dicens: *Quicumque totam legem servaverit, offendant autem in uno, factus est omnium reus* (**Jac. II, 10**). Hinc Paulus ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (**I Cor. V, 6**). [*Vet. III.*] Beatus igitur Job, ut ostendatur quam

mundus in bonis exstitit, solerter indicatur quam alienus a malis fuit.

4. *Cur virtutes Job ab exordio describantur.*---Mos vero esse narrantium solet, ut cum palaestrae certamen insinuant, prius luctantium membra describant quam latum validumque sit pectus, quam sanum, quam pleni tumeant lacerti, quam subterpositus venter nec mole gravet, nec extenuatione debilitet; ut cum prius aptos certamini artus ostenderint, tunc demum magnae fortitudinis ictus narrent. Quia ergo athleta noster contra diabolum fuerat certaturus, quasi ante arenae spectaculum, sacrae scriptor historiae in athleta hoc spiritales virtutes enumerans, mentis membra describit, dicens: *Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo*, ut, dum membrorum positio magna cognoscitur, ex hac ipsa jam forti positione subsequens etiam victoria praenoscat. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 2.---*Natique sunt ei septem filii et tres filiae.*

5. *Filiorum multitudo eum ad avaritiam non pellexit.*---Saepe ad avaritiam cor parentis illicit fecunditas prolis. Eo enim ad ambitum congregandae haereditatis accenditur, quo multis haeredibus fecundatur. Ut ergo beati Job quam sancta mens fuerit, ostendatur, et justus dicitur, et multae prolis pater fuisse perhibetur. Qui in libri sui exordio devotus sacrificiis offerendis asseritur, promptus autem largitatibus etiam post a semetipso memoratur. Pensemus ergo quanta fortitudine

praeditus exstitit, quem ad haereditatis tenaciam nec tot haeredum affectus inclinavit. Sequitur:

CAPUT V [*Vet. IV*].

VERS. 3.---*Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum; quingenta quoque juga boum, et quingentae asinae, ac familia multa nimis.*

6. *Opes sine amore possedit.*---Scimus, quia ad majorem dolorem mentem commovent damna majora. Ut igitur ostendatur, quanta virtutis exstitit, multum fuisse dicitur, quod patienter amisit. Nunquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Itaque dum substantia magna describitur, et tamen paulo post patienter amissa perhibetur; quam sine dolore perdidit, constat quia sine amore possedit. Notandum quoque est, quod prius cordis divitiae, et post, opes corporis describuntur. Solet enim rerum abundantia tanto magis a divino timore mentem solvere, quanto magis hanc exigit diversa cogitare. Nam dum per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. Quod per semetipsam Veritas, cum parabolam seminantis exponeret, indicavit dicens: *Qui seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo saeculi istius, et fallacia divitiarum, suffocat verbum, et sine fructu efficitur* (**Matth. XIII, 22; Luc. VIII, 7, 8; Marc. IV, 7**). Ecce beatus Job et multa possidere dicitur, et paulo post divinis sacrificiis instanter deservire perhibetur.

7. *Cuncta jam corde reliquerat.*---Consideremus ergo cujus sanctitatis iste vir fuerit, qui ad tam sedula Dei obsequia, et sic

occupatus vacavit. Necdum praecepti virtus emicuerat, quae omnia relinqui praeciperet; sed tamen beatus Job ejusdem jam praeceptionis vim corde servabat; quia nimirum substantiam suam mente **20** reliquerat, quam sine delectatione possidebat.

CAPUT VI.

IBID.---*Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.*

8. *Quantis divitiis afflueret.*---Orientales viros esse praedivites quis ignorat? Magnus ergo inter Orientales exstitit, ac si aperte diceretur: quia et divitibus ditior fuit.

CAPUT VII.

VERS. 4.---*Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo: et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis.*

9. *Substantia dividenda inter filios, eorum corda non divisit.*---Solet inter fratres major substantia, discordiae fieri gravioris causa. O inaestimabilem paternae institutionis laudem! Et pater dives dicitur, et filii concordēs asseruntur. Et dum dividenda inter eos substantia aderat, corda tamen omnium indivisa charitas replebat.

CAPUT VIII [*Vet. V, Rec. IV*].

VERS. 5.---*Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, surgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.*

10. *Nulla pene convivia sine culpa, propter voluptatem et loquacitatem.*---Cum dicitur, *mittebat et sanctificabat illos*, aperte demonstratur quid distractionis erga illos praesens ageret, quibus absens sollicitudine non deesset. Sed hoc nobis est solerter intuendum quod, peractis diebus convivii, purgatio per singulos adhibetur holocausti. Vir quippe sanctus noverat quia celebrari convivia sine culpa vix possent. Noverat quia magna purgatione sacrificiorum diluendae sunt epulae conviviorum; et quidquid in semetipsis filii convivantes inquinaverant, pater sacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia quae a conviviiis aut separari vix possunt, aut certe nequaquam possunt. Pene semper enim epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (**Exod. XXXII, 6**).

11. Pene semper epulas loquacitas sequitur; cumque venter reficitur, lingua diffrenatur. Unde recte dives apud inferos aquam appetere describitur, dicens: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (**Luc. XVI, 24**). Prius epulatus quotidie splendide dicitur; et post aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, ut diximus, inter epulas valde diffluere loquacitas solet, ex poena indicat culpam, cum eum, quem epulatum quotidie

splendide Veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, ut plerumque, cum una tangitur, longe alia ac multis interjacentibus posita chorda quatiatur: cumque ista sonitum reddit, illa, quae in eodem cantu temperata est, aliis impercussis, tremit. Sic ergo in Scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitiis agitur; ut dum loquendo aliud insinuat, tacendo aliud innotescat. [*Vet. VI.*] Nihil enim contra divitem de loquacitate memoratur; sed dum poena in lingua dicitur, quae in convivio inter alias gravior fuerit culpa monstratur.

12. *Job octavo die sacrificium offerens, mysterium resurrectionis colit.*---Cum vero septem fratres per dies singulos convivia facere describuntur, et peractis diebus convivii, Job septem sacrificia offerre perhibetur; aperte historia indicat quod beatus Job octavo die sacrificium offerens mysterium resurrectionis colat. Dies namque qui nunc Dominicus dicitur, a morte Redemptoris est tertius, sed in ordine conditionis octavus, qui et primus in conditione est. Sed quia revolutus septimum sequitur, octavus **21** recte numeratur. Quia ergo octavo die offerre septem sacrificia dicitur, plenus septiformis gratiae Spiritu pro spe resurrectionis Domino deservisse perhibetur. Unde et psalmus pro octava praescribitur, in quo gaudium de resurrectione nuntiatur [*Vet. VII*]. Sed quia beati Job filii tanta fuerant disciplina bonae institutionis accincti, ut neque per facta in conviviiis, neque per verba delinquerent, aperte monstratur, cum subditur:

CAPUT IX [*Rec. V*].

IBID.---*Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis.*

13. *De alterius corde non est temere judicandum. In rectores fidelium qui eorum opera nesciunt.*---Perfectos quippe esse in opere et sermone docuerat, pro quibus de sola pater cogitatione metuebat. Quia vero de alienis cordibus judicare temere non debeamus, in sancti hujus viri verbis agnoscimus, qui non ait: *Quia benedixerunt in cordibus suis:* sed, *Ne forte benedixerint Deo in cordibus suis.* Unde bene per Paulum dicitur: *Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (I Cor. IV, 5).* [*Vet. VIII*]. Quisquis enim in cogitatione a rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Nos ergo tanto minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto scimus, quia visu nostro non possumus alienae cogitationis tenebras illustrare. Sed hac solerter intuendum est, quanta pater severitate potuit filiorum opera corrigere, qui tanta sollicitudine studuit corda mundare. Quid ad haec rectores fidelium dicunt, qui discipulorum suorum et aperta opera nesciunt? Quid in sua excusatione cogitant, qui in commissis sibi nec vulnera actionum curant? Ut vero hujus sancti operis etiam perseverantia demonstretur, recte subjungitur:

CAPUT X.

IBID.---*Sic faciebat Job cunctis diebus.*

14. *Job perseverantia.*---Scriptum quippe est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (Matth. X, 22; XXIV, 13.)* In sacrificio igitur sancta actio, in cunctis autem diebus sacrificii, constantia sanctae actionis ostenditur. Haec breviter historiam sequendo transcurrimus; nunc ordo expositionis exigit ut exordium repetentes, allegoriarum jam secreta pandamus.

CAPUT XI. [*Vet. IX*].

VERS. 1.---*Vir erat in terra Hus, nomine Job.*

15. SENSUS ALLEGOR.---*Christus Job nomine designatus.*--Haec per historiam facta credimus, sed per allegoriam jam qualiter sint impleta, videamus. Job namque, ut diximus, interpretatur dolens: Hus vero consiliator. Quem ergo alium beatus Job suo nomine exprimit, nisi eum de quo propheta loquitur dicens: *dolores nostros ipse portavit (Isai. LIII, 4)?* Qui Hus terram inhabitat, quia in corda populi consiliatoris regnat. Paulus quippe ait *Christum Dei virtutum, et Dei sapientiam. (I Cor. I, 24).* Atque haec ipsa Sapientia per Salomonem dicit: *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus (Proverb. VIII, 12).* Hus ergo terram inhabitat Job, quia Sapientia, quae pro nobis passionis dolorem sustinuit, corda vitae consiliis dedita sibimet habitationem fecit.

CAPUT XII [*Vet X*].

IBID.---*Et erat vir ille simplex et rectus.*

16. *Simplicitatem et rectitudinem tenuit.*---In rectitudine justitia, in simplicitate autem mansuetudo signatur. Plerumque nos cum rectitudinem justitiae exsequimur, mansuetudinem relinquimus; et cum mansuetudinem servare cupimus, justitiae rectitudinem declinamus. Incarnatus **22** vero Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit: quia nec in mansuetudine distractionem justitiae, nec rursum in distractione justitiae virtutem mansuetudinis amisit. Unde cum quidam, deducta adultera, hunc tentare voluissent, ut in culpam aut immansuetudinis aut injustitiae laberetur, ad utraque respondit dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (**Joan., VIII, 7**). Dat simplicitatem mansuetudinis *qui sine peccato est vestrum*; dat zelum justitiae, *primus in illam lapidem mittat*. Unde et ei propheta dicit: *Intende, prospere procede, et regna propter veritatem et mansuetudinem et justitiam* (**Psal. XLIV, 5**). Veritatem quippe exsequens, mansuetudinem cum justitia conservavit; ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursum pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret. Sequitur:

CAPUT XIII.

IBID.---*Timens Deum, et recedens a malo.*

17. *Deum quomodo timuit.*---Scriptum est de illo: *Et replevit eum spiritus timoris Domini (Isai. XI, 3).* Incarnatus enim Dominus in semetipso omne quod nobis inspiravit, ostendit; ut quod praecepto diceret, exemplo suaderet. Juxta humanitatis ergo naturam Redemptor noster Deum timuit; quia ut superbum hominem redimeret mentem pro illo humilem sumpsit. Cujus bene per hoc, quod recedere a malo Job dicitur, et actio designatur. Ipse quippe recessit a malo, non quod faciendo contigit, sed quod inveniundo reprobavit: quia vetustam, quam natus invenit, humanae conversationis vitam deseruit; et novam, quam secum detulit sequacium moribus impressit.

CAPUT XIV [*Rec. VI*].

Vers. 2.---*Natique sunt ei septem filii, et tres filiae.*

18. *Septenarius numerus perfectus.*---Quid in septenario numero nisi summa perfectionis accipitur? Ut enim humanae rationis causas de septenario numero taceamus, quae asserunt, quod idcirco perfectus sit, quia ex primo pari constat, et primo impari; ex primo qui dividi potest, et primo qui dividi non potest; certissime scimus quod septenarium numerum Scriptura sacra pro perfectione ponere consuevit (**Genes. II, 3**). Unde et septimo die Dominum requievisse ab operibus asserit. Hinc est etiam quod septimus dies in requiem hominibus, id est, in sabbatum datus est. Hinc est quod jubileus annus, in quo plenaria requies exprimitur, septem

hebdomadibus consummatur, qui monade addita nostrae adunationis impletur.

[*Vet. XII.*] 19. *Filii Job apostolos signant.*---*Nati sunt ergo ei septem filii.* Ad praedicandum scilicet viriliter incedentes apostoli. Qui dum perfectionis praecepta peragunt, quasi superioris sexus fortitudinem in conversatione tenuerunt. Hinc est enim, quod perfectione septiformis gratiae Spiritus implendi duodecim sunt electi. A septenario quippe numero in duodenarium surgitur. Nam septenarius suis in se partibus multiplicatus, ad duodenarium tenditur. Sive enim quatuor per tria, sive per quatuor tria ducantur, septem in duodecim vertuntur. Unde sancti apostoli, quia sanctam Trinitatem in quatuor partibus mundi praedicare mittebantur, duodecim sunt electi; ut etiam numero perfectionem ostenderent, quam vita et voce praedicarent.

20. *Filiae fidelium plebes. Fidelium tres ordines.*---*Natae sunt et tres filiae.* Quid in filiabus, nisi **23** infirmiores fidelium plebes accipimus, quae etsi ad perfectionem operis nequaquam forti virtute permanent, fidem tamen Trinitatis cognitam constanter tenent? In septem ergo filiis ordo praedicantium, in tribus vero filiabus multitudo significatur auditorum. Possunt etiam per tres filias tres ordines fidelium designari. Post filios quippe filiae nominantur, quia post apostolorum conspectam fortitudinem, tres distinctiones fidelium in Ecclesiae conversatione secutae sunt: pastorum videlicet, et continentium, atque conjugatorum. [*Vet. XIII.*] Unde et Ezechiel propheta tres liberatos viros audisse se asserit, Noe scilicet, et Danielelem, et Job (**Ezechiel XIV**). Quid enim per Noe, qui arcam in undis rexit, nisi praepositorum ordo signatur; qui dum ad formam vitae

populis praesunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Quid per Danielelem, cujus mira abstinentia scribitur, nisi continentium vita figuratur; qui dum cuncta, quae mundi sunt, deserunt, despectae Babyloniae alta mente dominantur? Quid per Job, nisi bonorum conjugum vita signatur; qui de rebus mundi, quas possident, dum pia opera faciunt, quasi per terrae viam ad coelestem patriam tendunt? Quia igitur post sanctos apostolos tres istae fidelium distinctiones secutae sunt, recte post filios, tres filiae natae memorantur. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 3.---*Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum.*

21. *Ovibus innocentes, camelis vitiosi gentiles adumbrati et Samaritani.*---Quia fideles auditores ex varia conversatione collecti sunt, quod prius universaliter, memoratis filiabus, dicitur, hoc distincte postmodum appellatione animalium subinfertur. Quid enim in septem millibus ovium, nisi perfectam quorundam innocentiam exprimit, quae ad perfectionem gratiae, ex legis pascuis venit? Quid vero in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens, torta gentilium vitiositas designatur? [*Vet. XIV.*] In Scriptura autem sacra aliquando cameli nomine ipse Dominus, aliquando autem populus gentilis exprimitur. Cameli enim nomine Dominus designatur, sicut ab eodem Domino Judaeis adversantibus dicitur: *Liquantes culicem, camelum glutientes* (**Matth. XXIII, 24**). Culex enim

susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judaei culicem, quia seditiosum dimitti latronem petierunt; camelum vero glutierunt, quia eum qui ad suscipienda nostrae mortalitatis onera sponte descenderat exstinguere clamando conati sunt. Rursus cameli nomine gentilitas designatur. Unde et Rebecca ad Isaac veniens (**Genes. XXIV, 61**), dorso cameli deducitur; quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans, in tortis vitiosisque vitae veteris conversationibus invenitur. Quae, Isaac viso, descendit; quia Domino cognito, vitia sua gentilitas deseruit, et ab elatione celsitudinis ima humilitatis petiit. Quae et verecundata pallio velatur, quia coram illo ex anteacta vita confunditur. Unde et per Apostolum eisdem gentibus dicitur: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* (**Rom. VI, 21.**) Quia igitur per oves, **24** Hebraeos a pascuis legis ad fidem venientes accipimus, nihil obstat ut per camelos, tortos moribus, atque onustos idolorum cultibus, gentilium populos sentiamus. Quia enim ex semetipsis sibi invenerunt deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso excreverat, quod portarent.

[*Vet XV.*] 22. Potest etiam per camelos, quia communia sunt animalia, Samaritanorum vita signari. Cameli namque ruminant, sed nequaquam ungulam findunt. Samaritani quoque quasi ruminant, quia ex parte legis verba recipiunt; et quasi ungulam non findunt, quia eam pro parte contemnunt. Qui et grave onus in dorso mentis tolerant, quia in omne, quod faciunt, sine spe aeternitatis elaborant. Fidem quippe resurrectionis nesciunt. Et quid esse gravius atque onustius potest, quam afflictionem saeculi praetereuntis perpeti, et nequaquam ad relevationem mentis gaudia remunerationis

sperare? Sed quia in carne Dominus apparens, et Hebraeorum populos perfectionis gratia implevit, et Samaritanorum quosdam ad cognitionem fidei, mira opera ostendendo, perduxit; dicatur recte de umbra, quae veritatem exprimeret, quod et septem millia ovium, et camelorum tria millia possideret. Sequitur:

CAPUT XVI.

IBID.---*Quingenta juga boum, et quingentae asinae.*

23. *Boum nomine quid designetur. Quid nomine asinorum.*--- Jam superius dictum est, quod in quinquagenario numero, qui septem hebdomadibus ac monade addita impletur, requies designatur; denario autem numero summa perfectionis exprimitur. Quia vero fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto ad quingentesimum pervenitur. [*Vet. XVI.*] In Scriptura autem sacra boum nomine aliquando hebetudo fatuorum, aliquando bene operantium vita signatur. Quia enim bovis nomine stultorum vecordia figuratur, recte per Salomonem dicitur: *Statimque eam sequitur quasi bos ductus ad victimam (Proverb. VII, 22).* Rursum quia boum nomine vita uniuscujusque operantis exprimitur, legis praecepta testantur, quae per Moysen praecepit, dicens: *Non alligabis os bovi trituranti (Deut. XXV, 4).* Quod aperte rursum dicitur: *Dignus est operarius mercede sua (Luc. X, 7).* Asinorum quoque nomine aliquando stultorum pigritia, aliquando immoderata petulantium luxuria, aliquando gentilium simplicitas designatur. Stultorum pigritia

asinorum appellatione figuratur, sicut per Moysen dicitur: *Non arabis in bove simul et asino* (**Deut. XXII, 10**). Ac si diceret: Fatuos sapientibus in praedicatione non socies, ne per eum qui implere rem non valet, illi qui praevalet obsistas. Immoderata quoque petulantium luxuria asinorum appellatione exprimitur, ut propheta testatur, qui ait: *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum* (**Ezech. XXIII, 20**). Asinorum rursus nomine, simplicitas gentilitatis ostenditur. Unde Jerusalem tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur (**Matth. XXI, 5**). Quid est enim sedendo asinum Jerusalem venire, nisi gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo et praesidendo perducere? Quod uno et facili testimonio ostenditur: quia et per boves Judaeae **25** operarii, et per asinum gentiles populi designantur, cum per prophetam dicitur: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui* (**Isai. I, 3**). Quis enim bos, nisi Judaicus populus exstitit, cujus cervicem jugum legis attrivit? Et quis asinus, nisi gentilitas fuit, quam quilibet seductor reperit quasi brutum animal, et nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem, et asinus Domini praesepe cognovit, quia et Hebraicus populus Deum, quem colebat, sed ignorabat, reperit; et gentilitas legis pabulum, quod non habebat, accepit. Quod igitur superius nominatis ovibus et camelis dicitur, hoc inferius in bobus et asinis replicatur.

24. *Praedicatores Judaeorum boves jugo legis pressi.*--- Habuit vero et ante Redemptoris adventum Judaea boves, quia ad praedicandum misit operarios, quibus voce Veritatis dicitur: *Vae vobis, hypocritae, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum*

filium gehennae duplo, quam vos (Matth. XXIII, 15). Quos grave jugum legis presserat, quia exteriora litterae mandata tolerabant. Quibus voce Veritatis dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. XI, 28, 29). Quod ergo in Evangelio bene laborantibus requies promittitur, hoc est quod hic juga boum quingenta memorantur: quia qui Redemptoris dominio colla subjiciunt quo, nisi ad requiem, tendunt? [Vet. XVII.] Unde et asinae quingentae perhibentur; quia vocatae plebes gentilium, dum ad requiem pervenire desiderant, cuncta mandatorum onera libenter portant. Unde bene, quod hanc requiem populus gentilis appeteret, Jacob filios alloquens, prophetica hoc studuit voce signare, dicens: Isachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum (Genes, 14, 15). Inter terminos namque accubare, est praestolato mundi fine requiescere, nihilque de his quae nunc in medio versantur quaerere, sed ultima desiderare. Fortisque asinus requiem ac terram optimam videt, cum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad aeternae vitae patriam tendit. Quae ad portandum humerum supponit; quia conspecta superna requie, praeceptis etiam gravibus in operatione se subjicit, et quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit. Quia ergo ad aeternam requiem pro electorum parte Judaea gentilitasque colligitur, recte quingenta juga boum, et quingentae asinae haberi perhibentur. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Vet. XVIII*].

IBID.---*Ac familia multa nimis.*

25. *Stulti mundi prius vocati quam sapientes.*---Quid est, quod prius animalium multitudo describitur, et familia in extremo memoratur: nisi quod ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut post ejus etiam astuta vocarentur, Paulo attestante, qui ait: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes* [**I Cor. I, 27**)? Ipsa namque sanctae Ecclesiae principia, litterarum perhibentur ignara, ut videlicet, cunctis in praedicatoribus suis Redemptor ostenderet quod ad vitam credentes populos non sermo, sed causa suaderet. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Vet. XIX*].

IBID.---*Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.*

26. *Christus humanitate caeteris similis, divinitate singularis.*---Quod Redemptor noster Oriens dicitur, propheta **26** testante perhibetur, qui ait: *Et ecce vir Oriens nomen ejus* (**Zach. VI, 12**). Omnes ergo, qui in hoc Oriente fide consistunt, recte Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines sunt, ipse autem Oriens Deus et homo, recte dicitur, *Erat magnus inter omnes Orientales*. Ac si aperte diceretur: Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat; quia non ut caeteros adoptio, sed natura

illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate caeteris apparuit similis divinitate tamen mansit super omnia singularis.

CAPUT XIX [*Rec. VII, Vet. XX*].

Vers. 4.---Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos.

27. *In filiis Job convivia celebrantibus praedicatores intelligendi.*---Filii facturi convivia per domos ibant, cum praedicatores apostoli in diversis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabant. Unde et eisdem filiis de esurientibus plebibus dicitur: *Date illis vos manducare* (**Matth. XIV, 17; XV, 32; Marc. VI, 37; Luc. IX, 13**). Et rursum: *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via*. Id est, in praedicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitae labore succumbant. Hinc rursum eisdem filiis dicitur: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* (**Joan. VI, 27**). Quae convivia quomodo exhiberentur, adjungitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT XX.

IBID.---Unusquisque in die suo.

28. *Juxta mensuram intelligentiae pascendi auditores.*---Si ignorantiae obscuritas sine dubitatione nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Unde et per Paulum

dicitur: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem (Rom. XIV, 5)*. Ac si aperte dicat: Alius quaedam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia intellectu possibilia ita ut sunt videnda cognoscit. Unusquisque ergo filius in die suo convivium exhibet, quia sanctus quisque praedicator juxta mensuram illuminatae intelligentiae mentes audientium epulis veritatis pascit. In die suo Paulus fecerat convivium, cum dicebat: *Beatiores erunt si sic permanserint secundum meum consilium (I Cor. VII, 40)*. De die suo unumquemque admonebat cogitare, cum diceret: *Unusquisque in suo sensu abundet (Rom. XIV, 5)*. Sequitur:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis.*

29. *Hi per filias Job significantur. Scriptura sacra modo cibus, modo potus.*---Sorores filii ad convivium vocant: quia infirmis auditoribus sancti apostoli refectionis supernae gaudia praedicant, eorumque mentes, quia a veritatis pabulo jejunas aspiciunt, divini eloquii epulis pascunt. [*Vet. XXI.*] Bene autem dicitur: *Ut comederent et biberent cum eis*. Scriptura enim sacra aliquando nobis est cibus, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et mandendo glutitur. Potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Cibum vidit propheta Scripturam sacram, qui exponendo frangeretur, cum

diceret: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (**Thren. IV, 4**): id est, infirmi quique Scripturae sacrae valentiores sententias petierunt exponendo comminui; sed qui exponere debeat non valet inveniri. Potum vidit Scripturam sacram propheta, cum diceret: *Omnes sitientes venite ad aquas* (**Isai. LV, 1**). Si potus aperta mandata non essent, per semetipsam Veritas non clamaret: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (**Joan. VII, 37**). Quasi cibum et potum vidit propheta Judaeae defuisse, cum diceret: *Nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit* (**Isai. V, 12**). Paucorum quippe est fortia et occulta **27** cognoscere; multorum vero, historiae aperta sentire. Et idcirco Judaeae nobiles non siti, sed fame interiisse asserit; quia hi qui praeesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiae dederant, quod de intimis discutiendo manderent non habebant. Quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus, parvulorum intelligentia et in exterioribus exsiccatur, recte illic adjungitur: *Multitudo ejus siti exaruit*. Ac si aperte diceret: dum vulgus vitae suae studium deserit, jam nec fluenta historiae exquirat. Et occulta sacri eloquii mandata et aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se judici conquerentes dicunt: *Manducavimus et bibimus coram te* (**Luc. XIII, 26**). Quod aperte exponendo subjungunt: *Et in plateis nostris docuisti* (**Ibid.**). Quia ergo sacra eloquia in locis obscurioribus exponendo franguntur, in locis vero apertioribus ita, ut inventa fuerint, potantur, dicatur recte: *Mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis*. Ac si aperte diceretur: infirmos quosque blanda ad se persuasionem deducebant, quatenus eorum mentes, et magna per contemplationem disserentes pascere, et parva per historiam tradentes nutrire. Sequitur:

CAPUT XXII [*Vet. XXII*].

VERS. 5.---*Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat Job, et sanctificabat eos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.*

30. *Christus praedicatorum suorum corda mundat.*---In orbem dies convivii transeunt, cum praedicationum ministeria peraguntur. Peractisque conviviiis, holocaustum Job pro filiis obtulit; quia pro apostolis de praedicatione redeuntibus, Patrem Redemptor exoravit. Bene autem mittendo sanctificare dicitur; quia dum sanctum Spiritum, qui a se procedit, discipulorum cordibus tribuit, quidquid culpaе inesse potuit, emundavit. Recteque ad offerenda holocausta diluculo consurgere perhibetur; quia per hoc quod pro nobis intercessionis suae petitionem obtulit, discussa erroris nocte, humanae mentis tenebras illustravit; ne quo peccati contagio, ex ipsa praedicationis gratia, mens in occulto polluat; ne sibi quae agit tribuat; ne sibi tribuendo quae agebat, amittat. Unde recte subjungitur:

CAPUT XXIII [*Vet. XXIII; Rec. VIII*].

IBID.---*Dicebat enim, Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis.*

31. *Maculae a praedicatoribus contractae quomodo diluendae.*---Deo quippe benedicere, id est maledicere, est de ejus munere sibi gloriam praebere. Unde recte sanctis apostolis post praedicationem Dominus pedes lavit (**Joan XIII, 5**); ut videlicet aperte monstraret quia plerumque et in bono opere peccati pulvis contrahitur, et inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam saepe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamlibet tenuiter, sese intrinsecus, quia per eos purgationis gratia derivatur, extollunt; cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malae cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post praedicationem pedes discipulorum lavare, nisi post praedicationis gloriam, cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare? Nec obstat ab omnimoda Mediatoris scientia quod dicitur: *Ne forte*. Nam cuncta sciens, sed in locutione sua ignorantiam nostram suscipiens, **28** atque dum suscipit docens, nonnunquam quasi ex nostra dubitatione loquitur, sicut dicit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram?* (**Luc. XVIII, 3.**) Expletis ergo conviviiis, sacrificium Job pro filiis offerens dicebat: *Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis*; quia Redemptor noster postquam praedicatores suos a malis impugnantibus diluit, etiam inter bona quae egerant a tentationibus defendit. Sequitur:

CAPUT XXIV [*Vet. XXIV; Rec. IX*].

IBID.---*Sic faciebat Job cunctis diebus.*

32. *Holocaustum a Christo pro nobis jugiter oblatum.* Cunctis diebus Job sacrificium offerre non cessat; quia sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat, qui sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippe ejus incarnatio nostrae emundationis oblatio est; cumque se hominem ostendit, delicta hominis interveniens diluit. Et humanitatis suae mysterio perenne sacrificium immolat, quia et haec sunt aeterna quae mundat.

33. [*Vet. XXV.*] *Quid hactenus de sensu histor. et allegor. quid deinceps de morali proseguendum.*---Igitur quia in ipso expositionis exordio sic persona beati Job nuntiari Dominum diximus, ut designari per illum caput et corpus, id est, Christum et Ecclesiam diceremus; postquam caput nostrum quomodo designatum credatur, ostendimus, nunc corpus ejus, quod nos sumus, quomodo exprimatur, indicemus; ut quia audivimus ex historia quod miremur, cognovimus ex capite quod credamus; consideremus nunc ex corpore quod vivendo teneamus. In nobismetipsis namque debemus transformare quod legimus; ut cum per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierit vita concurrat.

CAPUT XXV [*Vet. XXVI, Rec. X*].

VERS. 1.---*Vir erat in terra Hus nomine Job.*

34. SENSUS MORALIS.---*Job electos significat. Quae eorum affectio circa terrena et aeterna.*---Si Job dolens, et Hus consiliator dicitur, non immerito per utraque nomina electus quisque figuratur; quia nimirum consiliatorem

animum inhabitat, qui dolens de praesentibus ad aeterna festinat. Nam sunt nonnulli qui vitam suam negligunt; et dum transitoria appetunt, dum aeterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cumque superna, quae amiserunt, non considerant, esse se, heu miseri! in bonis putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt; nequaquam ad contemplationem aeternae patriae desiderii aciem tendunt: sed semetipsos in his ad quae projecti sunt deserentes, vice patriae diligunt exsilium quod patiuntur, et in caecitate, quam tolerant, quasi in claritate luminis exsultant. At contra electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ad quae sint conditae exquirunt; cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, in conditoris sui spe et contemplatione requiescit, supernis interseri civibus appetit; et unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente jam extra mundum surgit, aerumnam exsilii, quam tolerat, deplorat, et ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat. Cum ergo dolens videt, quam sit aeternum quod perdidit, invenit salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit; et quo magis crescit consilii scientia, ut peritura **29** deserat, eo augetur dolor, quod necdum ad mansura pertingat. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui apponit scientiam, apponit dolorem (Eccles. I, 18)*. Qui enim scit jam summa quae adhuc non habet, magis de infimis in quibus retinetur dolet.

35. *In terra Hus, id est, in consilio habitant.*---Recte ergo in terra Hus habitare Job dicitur, quia in scientiae consilio electi uniuscujusque dolens animus tenetur. Intuendum quoque est

quam nullus dolor mentis sit in actione praecipitationis. Qui enim sine consiliis vivunt, qui se ipsos rerum eventibus praecipites deserunt, nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui solerter in vitae consilio figit mentem, caute sese in omni actione circumspiciendo considerat; et ne ex re quae agitur repentinus finis adversusque subripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat; pensat ne ab his quae agenda sunt formido praepediat; ne in his quae differenda sunt praecipitatio impellat; ne prava per concupiscentiam aperto bello superent; ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Job ergo in terra Hus habitat, dum mens electi quo magis per consilium vivere nititur, eo angusti itineris dolore fatigatur. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Vet. XXVII, Rec. XI*].

IBID.---*Simplex et rectus, timens Deum, et recedens a malo.*

36. *Justi simplicitas et rectitudo.*---Quisquis aeternam patriam appetit, simplex procul dubio et rectus vivit: simplex videlicet opere, rectus fide; simplex in bonis quae inferius peragit, rectus in summis quae in intimis sentit. Sunt namque nonnulli qui in bonis quae faciunt simplices non sunt, dum non in his retributionem interius, sed exterius favorem quaerunt. Unde bene per quemdam sapientem dicitur: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis (Eccli. II, 14)*. Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi quod per cogitationem quaerit.

37. *A timore inchoat, in charitate consummatur.*---Bene autem dicitur: *Timens Deum, et recedens a malo*; quia sancta electorum Ecclesia simplicitatis suae et rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat. Cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei coeperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit; quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. Recte ergo cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam a malo perhibetur; quia dum metum charitas sequitur, ea quae mente relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur. [*Vet. XXVIII.*] Et quia ex timore unumquodque vitium premitur, ex charitate autem virtutes oriuntur, recte subjungitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XII*].

VERS. 2.---*Natique sunt ei septem filii et tres filiae.*

38. *Septem filii Job totidem dona Spiritus sancti significant; tres filiae, spem, fidem et charitatem.*---Septem quippe nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonae cogitationis, sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem propheta dinumerat, cum Spiritus mentem fecundat, dicens: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (Isai. XI, 2).* Cum ergo per adventum Spiritus sancti, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini unicuique

nostrum **30** gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quae supernae nostrae nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amor aeternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filii tres procul dubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei charitatisque conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii perveniunt, nisi in fide, spe et charitate fuerit omne quod agunt. Quia vero hanc praeceuntium virtutum copiam multimoda bonorum operum cogitatio sequitur, recte subjungitur:

CAPUT XXVIII [*Rec. XIII*].

VERS. 3.---*Et fuit possessio ejus septem millia ovium et tria millia camelorum.*

39. *Oves possidet qui mentem innoxiam intus veritate pascit.*---Servata quippe veritate historiae, imitari spiritaliter possumus, quod carnaliter audimus. Ovium enim septem millia possidemus, cum cogitationes innocuas, perfecta cordis munditia, intra nosmetipsos inquisito veritatis pabulo pascimus.

40. *Camelos possidet, qui quod in se altum ac tortuosum, aut fidei subdit, aut prae charitate flectit.*---Eruntque nobis in possessione etiam tria millia camelorum, si omne, quod in nobis altum ac tortuosum est, rationi fidei subditur, et sub cognitione Trinitatis, sponte in appetitu humilitatis inclinatur. Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus, humiliter deponamus. Camelos procul dubio possidemus,

cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternae compassionem flectimus, ut vicissim onera nostra portantes, alienae infirmitati compati condescendendo noverimus. Possunt etiam per camelos, qui ungulam nequaquam findunt, sed tamen ruminant, terrenarum rerum bonae dispensationes intelligi: quae quia habent aliquid saeculi, et aliquid Dei, per commune eas necesse est animal designari. Neque enim terrena dispensatio, quamvis aeternae utilitati serviat, sine perturbatione mentis valet exhiberi. [*Vet. XXIX.*] Quia igitur per hanc et ad praesens mens confunditur, et in perpetuum merces paratur, quasi commune animal, et aliquid de lege habet, et aliquid non habet. Ungulam namque non findit, quia non se penitus anima ab omni terreno opere disjungit; sed tamen ruminat, quia bene dispensando temporalia, per certitudinis fiduciam coelestia sperat. Terrenae igitur dispensationes, quasi camelorum more, capite legi concordant, pede discrepant; quia et coeli sunt illa quae juste viventes appetunt, et hujus mundi sunt ea in quibus opere versantur. Nos ergo cum easdem terrenas dispensationes cognitioni Trinitatis subdimus, quasi camelos fide possidemus. Sequitur:

CAPUT XXIX [*Vet. XXX*].

Quingenta quoque juga boum, et quingentae asinae.

41. *Boum juga concordēs virtutes. Asinae lascivientes, motus aut cogitationes simplices.*---Juga boum in usum nostrae possessionis sunt, cum concordēs virtutes exarant duritiam

mentis. Quingentas quoque asinas possidemus, cum lascivientes motus restringimus; et quidquid in nobis carnale exsurgere appetit, spiritali cordis dominatu refrenamus. Vel certe asinas possidere, est cogitationes intra nos simplices regere: quae dum in subtiliori intellectu currere non valent quo quasi pigrius ambulant, eo fraterna onera mansuetius portant. Sunt namque nonnulli qui dum alta non intelligunt, ad exteriora conversationis opera se humiliter premunt. Bene ergo per asinas, pigrum quidem animal, sed tamen portandis oneribus deditum, **31** simplices cogitationes accipimus; quia dum nostram plerumque ignorantiam cognoscimus, levius onera aliena toleramus. Cumque nos quasi singularis sapientiae altitudo non elevat, ad perferendam alieni cordis inertiam, mens se nostra aequanimiter inclinatur. Recte autem sive juga boum, sive asinae quingentae referuntur; quia vel in hoc, quod prudenter sapimus, vel in hoc, quod humiliter ignoramus, dum aeternae pacis requiem quaerimus, quasi intra jubilei numerum tenemur. Sequitur:

CAPUT XXX [*Vet. XXXI, Rec. XIV*].

IBID.---*Ac familia multa nimis.*

42. *Multa familia est multitudo cogitationum cohibenda.*--- Multam nimis familiam possidemus, cum cogitationes innumeras sub mentis dominatione restringimus; ne ipsa sui multitudine animum superent, ne perverso ordine discretionis nostrae principatum calcent. Et bene cogitationum turba multae familiae appellatione signatur. Nam scimus quod

absente domina, ancillarum linguae perstrepunt, silentium deserunt, deputati operis officia negligunt, totumque sibimet ordinem vivendi confundunt. At si repente domina veniat, mox perstrepenes linguae reticent, officia uniuscujusque operis repetunt; sicque ad opus proprium, ac si non recesserint, revertuntur. Si igitur a domo mentis ad monumentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor, velut garrula ancillarum turba multiplicat. Ut autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit; et quasi ancillae se ad injunctum opus tacite reprimunt, dum cogitationes protinus causis se propriis ad utilitatem subdunt. Possidemus ergo multam familiam, cum recto jure innumeris cogitationibus rationis discretionem dominamur. Quod nimirum cum solerter agimus, jungi per eandem discretionem angelis conamur. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXXI.

IBID.---*Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.*

43. *Earum refrenatione magni efficimur.*---Tunc namque magni inter omnes Orientales efficimur, cum eis spiritibus, qui orienti luci inhaerent, pressa carnalis corruptionis nebula, discretionis nostrae radiis, in quantum possibilitas suppetit, sociamur. Unde et per Paulum dicitur: *Nostra conversatio in coelis est* (**Philipp. III, 20**). Quisquis temporalia ac defectiva sequitur, occasum petit; quisquis vero superna desiderat, quia in Oriente habitat, demonstrat. Magnus ergo

non inter Occidentales, sed inter Orientales efficitur, qui non inter malorum actiones ima et fugitiva quaerentium, sed inter choros proficere supernorum civium conatur. Sequitur:

CAPUT XXXII [*Vet. XXXII, Rec. XV*].

VERS. 4. *Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo.*

44. *Virtutes singulae, in die suo convivium faciunt.*---Filii per domos convivium faciunt, dum virtutes singulae juxta modum proprium mentem pascunt. Et bene dicitur: *Unusquisque in die suo.* Dies enim uniuscujusque filii, est illuminatio uniuscujusque virtutis. Ut enim haec ipsa dona breviter septiformis gratiae replicem, alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor. Neque enim hoc est sapere, quod intelligere; quia multi aeterna quidem sapiunt, sed haec intelligere nequaquam possunt. Sapientia ergo in **32** die suo convivium facit, quia mentem de aeternorum spe et certitudine reficit. Intellectus in die suo convivium parat; quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illustrat. Consilium in die suo convivium exhibet; quia dum esse praecipitem prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo convivium facit; quia dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiae apponit. Scientia in die suo convivium parat, quia in ventre mentis ignorantiae jejunium superat. Pietas in die suo convivium exhibet, quia cordis viscera misericordiae operibus replet. Timor in die suo

convivium facit; quia dum premit mentem, ne de praesentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat.

45. *Si ab invicem separentur, deficiunt.*---Sed illud in hoc filiorum convivio perscrutandum video, quod semetipsos invicem pascunt. Valde enim singula quaelibet virtus destituitur, si non una alii virtuti suffragetur. Minor quippe est sapientia, si intellectu careat; et valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat; quia cum altiora sine sapientiae pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest; quia quod tractando invenit, carens viribus, usque ad perfectionem operis non perducit: et valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur; quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sine rationis moderamine deterius in praeceps ruit. Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet; quia dum bona cognita exsequi negligit, sese ad iudicium arctius stringit. Et valde inutilis est pietas, si scientiae discretionem caret; quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodo misereatur ignorat. Timor quoque ipse nisi has etiam virtutes habuerit, ad nullum opus procul dubio bonae actionis surgit; quia dum ad cuncta trepidat, ipsa sua formidine a bonis omnibus torpens vacat. Quia ergo alternato ministerio virtus a virtute reficitur, recte dicitur quod apud se filii vicissim convivantur. Cumque una aliam sublevando sublevat, quasi per dies suos numerosa soboles pascenda convivium parat. Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXXIII, Rec. XVI*].

IBID.---*Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis.*

46. *Ad convivium virtutum invitandae, spes, fides, charitas.*--
-Cum virtutes nostrae in omne quod agunt, spem, fidem, et charitatem ciunt, quasi operatores filii, tres ad convivium sorores vocant, ut fides, spes et charitas in opus bonum gaudeant quod unaquaeque virtus administrat. Quae quasi ex cibo vires accipiunt, dum-bonis operibus fidentiores fiunt; et dum post cibum contemplationis rore infundi appetunt, quasi ex poculo ebriantur.

[*Vet. XXXIV.*] 47. *Ipsis bonis quae agimus, ad deterius propinquamus.*---Sed quid est, quod in hac vita sine quavis tenuissimi contagii iniquatione peragatur? Nonnunquam namque ipsis bonis quae agimus ad deterius propinquamus; quia dum laetitiam menti pariunt, quamdam etiam securitatem gignunt; dumque mens segura redditur, in torporem laxatur. Nonnunquam vero aliquantula elatione nos polluant; et tanto dejectiores apud Deum faciunt, quanto apud nosmetipsos tumidiores reddunt. Unde bene subjungitur.

CAPUT XXXIV [*Rec. XVII*].

VERS. 5. *Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat Job, et sanctificabat eos.*

33 47. *In bonis operibus purganda intentio.*---Peracto quippe orbe dierum convivii, mittere ad filios, eosque sanctificare, est post virtutum sensum, intentionem cordis dirigere, et omne

quod agitur, districta retractationis discussione mundare; ne bona aestimentur quae mala sunt; ne saltem veraciter bona putentur sufficientia, cum perfecta non sunt. Sic enim mens plerumque decipitur, ut aut qualitate mali, aut boni quantitate fallatur. [*Vet. XXXV.*] Sed hos virtutum sensus melius preces quam discussiones inveniunt; nam ea quae perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, saepe verius orando quam investigando penetramus. Cum enim mens per quamdam compunctionis machinam ad alta sustollitur, omne, quod ei de se ipsa occurrerit, sub se ipsa dijudicando certius contemplatur. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXXV [*Rec. XVIII*].

IBID.---*Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.*

48. *Holocaustum precis pro singulis virtutibus purgandis offerendum.*---Diluculo namque consurgimus, cum compunctionis luce perfusi humanitatis nostrae noctem deserimus, et ad veri luminis radios, oculos mentis aperimus. Atque holocaustum per singulos filios offerimus, cum pro unaquaque virtute Domino hostiam nostrae precis immolamus: ne sapientia elevet; ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam praebet, praecipitet; ne scientia, dum novit et non diligit, inflet; ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat. Cum ergo pro

unaquaque virtute, ut pura esse debeat, preces Domino fundimus, quid aliud, quam juxta filiorum numerum holocaustum per singulos exhibemus? Holocaustum namque totum incensum dicitur. Holocaustum igitur dare, est totam mentem igne compunctionis incendere, ut in ara amoris cor ardeat, et quasi delicta propriae sobolis, inquinamenta cogitationis exurat.

49. [*Vet. XXXVI.*] *Illud non offert qui internos motus non frenat.*---Sed haec agere nesciunt, nisi hi qui priusquam cogitationes ad opus prodeant, internos suos motus sollicite circumspicientes frenant; haec agere nesciunt, nisi qui virili custodia munire mentem noverunt. Unde recte inopinata morte exstinctus Isboeth dicitur, quem et Scriptura sacra non in domo ostiarium, sed ostariam habuisse testatur, dicens: *Venientes filii Remmon Berothitae, Rechab et Banaa, ingressi sunt fervente die domum Isboeth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum; et ostiaria domus purgans triticum obdormivit. Assumentes spicas tritici, latenter ingressi sunt, et percusserunt eum in inguine. (II Reg. IV, 5.)* Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes a vitiis separat. Quae si obdormierit, in mortem proprii Domini insidiatores admittit; quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt. Atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis delectatione carnis perforare. Nequaquam vero Isboeth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis

namque **34** virilisque sensus praeponi cordis foribus debet, quem nec negligentiae somnus opprimat, nec ignorantiae error fallat. Unde bene et Isboseth appellatus est, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est; quia dum virtutes se agere aestimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectae cogitationis. Hinc Salomon ait: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (**Prov. IV, 23**). Virtutes ergo quas a mus dignum est ut summopere ab intentionis origine pensemus, ne ex malo ortu prodeant, etiam si recta sunt quae ostentant. Unde hic quoque recte subjungitur:

CAPUT XXXVI [*Vet. XXXVII, Rec. XIX*].

IBID.---*Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis.*

50. *Variae hostis insidiae; ut bona opera vitiet, in operis initio, in progressu, in fine.*---Filii in cordibus maledicunt, cum recta nostra opera a non rectis cogitationibus prodeunt; cum bona in aperto exerunt, sed in occulto noxia moliuntur. Deo quippe maledicunt, cum mentes nostrae se de se aestimant habere quod sunt. Deo maledicunt, cum se et ab illo accepisse vires intelligunt, sed tamen de ejus muneribus propriam laudem quaerunt. [*Vet. XXXVIII.*] Sciendum vero est, quod bona nostra tribus modis antiquus

hostis insequitur, ut videlicet hoc, quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, ut omne, quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Aliquando vero intentionem boni operis vitare non praevalent, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit; ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio, quasi ex insidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine actionis illaqueat; quantoque vel a domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto ad decipiendum bonae actionis terminum astutius exspectat; et quo incautum quemque quasi recedendo reddiderit, eo illum repentino nonnunquam vulnere durius insanabiliusque transfigit.

51. Intentionem quippe in bono opere polluit, quia cum facilia ad decipiendum corda hominum conspiciat, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit; ut in his, quae recta faciunt, ad appetenda ima, fortitudine intentionis inclinentur. Unde recte sub Judaeae specie, de unaquaque anima laqueo miserae intentionis capta, per prophetam dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite*. Ac si aperte (**Threnn. I, 5**) diceretur: Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur; tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent.

52. Cum vero intentionem vitare non praevalent, in via positos laqueos tegunt, ut in eo quod bene agitur cor exaltans se ex latere ad vitium derivetur; quatenus quod inchoans aliter proposuerat, in actione longe aliter quam coeperat percurrat. Saepe enim bono operi dum laus humana obviat, mentem

operantis immutat: quae quamvis quaesita non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus **35** delectatione cum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentionis intimae vigore dissipatur. Saepe se bene inchoatae nostrae justitiae, ex latere ira subjungit; et dum zelo rectitudinis immoderatus mentem turbat, cunctam quietis intimae salutem sauciat. Saepe gravitatem cordis, quasi ex latere subjuncta tristitia sequitur; atque omne opus quod mens bona intentione inchoat, haec velamine moeroris obumbrat. Quae et nonnunquam tanto tardius repellitur, quanto et pressae menti quasi serior famulatur. Saepe se bono operi laetitia immoderata subjungit; cumque plus mentem quam decet, hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. Quia enim bene etiam inchoantibus subesse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, recte prophetico plenus spiritu dicebat: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (**Psal. CXLI, 4**). Quod bene ac subtiliter Jeremias insinuat, qui dum gesta foris referre studuit, quae intus apud nosmetipsos gererentur indicavit, dicens: *Venerunt octoginta viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria, rasi barba, et scissis vestibus, squalentes; munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathaniae in occursum eorum de Maspha, incedens et plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Aicham. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos* (**Jerem. XLI, 5**). Barbam quippe radunt, qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt. Vestes scindunt, qui sibimetipsis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo Domini thus et munera veniunt; qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in ipsa sanctae

devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniae filius in eorum occursum venit; quia nimirum quilibet malignus spiritus, prioris sui, Satanae videlicet exemplo, in superbiae errore generatus, se ad laqueum deceptionis opponit. De quo et bene dicitur: *Incedens et plorans ibat*; quia ut devotas mentes interimere feriendo praevaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat; et dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc, quod intus de virtute latet, occidit. Qui plerumque se spondet ad altiora provehere. Unde et dixisse perhibetur, *Venite ad Godoliam filium Aicham*; atque dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde et recte dictum est: *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos*. Viros ergo ad offerenda Deo munera venientes, in medio civitatis interficit; quia divinis deditae operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, hoste subripiente, dum devotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam. De cujus hostis manu non evaditur, nisi citius ad poenitentiam recurratur. Unde illic apte subjungitur: *Decem autem viri reperti sunt inter eos qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei, et olei, et mellis; et non occidit eos (Jer. XLI, 8)*. Thesaurus quippe in agro est spes in poenitentia, quae quia non cernitur, quasi in terra cordis suffossa continetur. Qui ergo thesauros in agro habuere, servati sunt; quia qui post incautelae suae vitium, ad lamentum **36** poenitentiae redeunt, nec capti moriuntur.

53. Cum vero antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tanto nequius obsidet, quanto solum sibi

remansisse ad decipiendum videt. Hos namque fini suo appositos laqueos Propheta conspexerat, cum dicebat: *Ipsi calcaneum meum observabunt (Psal. LV, 7)*. Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines, illorum superbiae sequaces, calcaneum observant, cum actionis bonae finem vitiare desiderant. Unde et eidem serpenti dicitur: *Ipsa tuum observabit caput, et tu calcaneum ejus (Genes. III, 15, sec. LXX)*. Caput quippe serpentis observare, est initia suggestionis ejus aspicere, et manu sollicitae considerationis a cordis aditu funditus extirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi suggestionem primam intentionem non percutit, decipere in fine tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur; quoniam totam sibi arborum fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiavit. Quia ergo summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens, reprobam intentionem polluat, recte dicitur: *Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis*. Ac si aperte diceretur: Nullum est bonum, quod foris agitur, si non pro eo intus ante Dei oculos innocentiae victima in ara cordis immolatur. [*Vet. XXXIX*]. Tota itaque virtute perspicendus est fluvijs operis, si purus emanat ex fonte cogitationis. Omni cura servandus est a malitiae pulvere oculus cordis; ne hoc, quod in actione rectum hominibus ostendat, apud semetipsum per vitium pravae intentionis intorqueat.

54. *Ideo curandum, ne bona opera nostra pauca sint, aut indiscussa.*---Curandum itaque est ne bona nostra pauca sint;

curandum ne indiscussa; ne aut pauca agentes, inveniamur steriles; aut indiscussa relinquentes, vecordes. Neque enim unaquaeque vere virtus est, si mista aliis virtutibus non est. Unde recte ad Moysen dicitur: *Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum; aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiana compositum opere unguentarii, mistum diligenter et purum* (**Exod. XXX, 34**). Thymiana quippe ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolemus. Quod mistum et purum fit; quia quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. Unde et bene subjungitur: *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram testimonii tabernaculo* (**Ibid., 36**). In tenuissimum pulverem aromata universa conterimus, cum bona nostra quasi in pilo cordis, occulta discussione tundimus; et si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere, et usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum, quod de eodem pulvere dicitur: *Pones ex eo coram testimonii tabernaculo*; quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu judicis placent, cum haec mens subtilius recogitando conterit, et quasi de aromatibus pulverem reddit; ne **37** grossum durumque sit bonum quod agitur; ne si hoc arcta retractationis manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat. Hinc est enim quod sponsae virtus, sponsi voce laudatur, cum dicitur: *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (**Cant. III, 6**)? Sancta quippe Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit; quia ex vitae suae virtutibus in interni quotidie

incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quae ea quae agit, dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem et thus habet in opere, sed pulverem in cogitatione. Hinc est, quod de oblаторibus hostiae ad Moysen iterum dicitur: *Detracta pelle hostiae, artus in frusta concidant* (**Levit. I, 6**). [*Vet. XL.*] Pellem namque hostiae subtrahimus, cum a mentis nostrae oculis superficiem virtutis amovemus. Cujus artus in frusta concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima, membratimque cogitamus. Curandum ergo est, ne cum mala vincimus, bonis lascivientibus supplantemur; ne fortasse fluxa prodeant, ne incircumspecta capiantur, ne per errorem, viam deserant, ne per lassitudinem fracta, anteacti laboris meritum perdant. In cunctis enim vigilanter debet se mens circumspicere, atque in ipsa circumspectionis **38** suae providentia perseverare. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XX*].

IBID.---*Sic faciebat Job cunctis diebus .*

55. Perseverantia necessaria.---Incassum quippe bonum agitur (**De poenit., dist. 3, can. 17, incassum**), si ante terminum vitae deseratur; quia et frustra velociter currit, qui prius quam ad metas veniat deficit. Hinc est enim quod de reprobis dicitur: *Vae his qui perdiderunt sustentiam* (**Eccli. II, 16**). Hinc electis suis Veritas dicit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (**Luc. XXII, 28**).

Hinc Joseph, qui inter fratres usque ad finem justus perseverasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibitur (**Genes. XXXVII, 24, sec. LXX**). Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitae nos terminum tegit. Hinc est quod per Moysen caudam hostiae in altari offerre praecipitur (**Exod. XXIX, 22; Levit. III, 9**); ut videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. Bene igitur coepta cunctis diebus agenda sunt; ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantiae manu teneatur.

56. Haec itaque sub intellectu triplici diximus, ut fastidienti animae varia alimenta proponentes, aliquid, quod eligendo sumat, offeramus. Hoc tamen magnopere petimus, ut qui ad spiritalem intelligentiam mentem sublevat, a veneratione historiae non recedat.

LIBER SECUNDUS. *Capitis primi a versu sexto ad finem usque, secundum triplicem sensum prosequitur enarrationem.*

CAPUT PRIMUM.

1. *S. scriptura Speculum est.*---Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur (**Vid. August. in Psal. CIII, ser. 1, n. 4**), ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim foeda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus, quantum proficimus, ibi a provectu quam longe distamus. Narrat autem gesta sanctorum, et ad imitationem corda provocat infirmorum. Dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum praelia, debilia nostra confirmat; fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit; ut et in victoria fortium quod imitando arripere, et rursum videamus in lapsibus quod debeamus timere. Ecce enim Job describitur tentatione auctus, sed David tentatione prostratus; ut et majorum virtus spem nostram foveat, et majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat; quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant; et audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia formidine premitur, nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur.

CAPUT II.

VERS. 6.---*Quadam die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.*

2. HISTORICUS SENSUS. *Quam accurate S. Scriptura facta describat.*---Intueri libet quomodo sacra eloquia in exordiis narrationum qualitates exprimant, terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis signant, quid de ventura actione subjiciant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum, sicut de Israel dicit quia verba Dei in monte audire non potuit, sed praecepta in campestribus accepit: subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglecte vivendo laxavit. A positione corporis futura denuntiat, sicut in apostolorum Actibus Stephanus Jesum, qui a dextris virtutis Dei sedet, stantem se vidisse manifestat (**Act. VII, 55, 56**). Stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut evangelista, cum praedicante Domino, nullos tunc ex Judaea credituros diceret, praemisit dicens: *Hiems autem erat* (**Joan. X, 22**). Scriptum namque est: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (**Matth. XXIV, 12**). Idcirco ergo hiemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiae frigus indicaret. Hinc est quod de negaturo Petro praemittitur: *Quia frigus erat, et stans ad prunas calefaciebat se* (**Joan. XVIII, 18**). Jam namque intus a charitatis calore torpuerat, et ad amorem praesentis vitae, quasi ad persecutorum prunas infirmitate aestuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas **39** exiisse perhibetur, cum egrediente illo, ab evangelista dicitur: *Erat autem nox* (**Joan. XIII, 30**). Hinc

enim et iniquo diviti dicitur: *Hac nocte repetent animam tuam abs te* (**Luc. XII, 20**). Anima quippe, quae ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur (**III Reg. III, 11**). Hinc est quod angeli ad Abraham meridie veniunt; punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur (**Gen. XVIII, 1, 2; XIX, 1**). Quia igitur beati Job tentatio ad victoriam deducitur, a die coepta perhibetur, cum dicitur:

CAPUT III.

IBID.---*Quadam die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.*

3. *Quomodo Angeli Deo adsunt, etiam in ministerium missi. Quantae subtilitatis sint angeli.*---Qui autem Dei filii, nisi electi angeli vocantur? De quibus cum constet, quod obtutibus majestatis inserviant, valde quaerendum est unde veniant, ut coram Domino assistant. De his quippe voce Veritatis dicitur: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (**Matth. XVIII, 10**). De his propheta ait: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (**Daniel. VII, 10**). Si igitur semper vident, et semper assistunt, vigilantia cura quaerendum est unde veniunt, qui nunquam recedunt. Sed cum de illis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capiunt salutis* (**Heb. I, 14**)? Per hoc, quod missos cognoscimus, unde

veniant invenimus. [*Vet. III.*] Sed ecce quaestioni quaestionem jungimus, et quasi dum ansam solvere nitimur, nodum ligamus. Quomodo enim aut semper assistere, aut videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantae subtilitatis sit angelica natura pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internae contemplationis gaudiis priventur; quia si conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare potuissent; fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, caecis nullatenus propinarent. In hoc itaque est nunc natura angelica a naturae nostrae conditione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et caecitatis ignorantia coarctamur: angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiae longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distenti sunt, quia ipsum fontem scientiae contemplantur. Quid enim de his quae scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostrae valde dilatata est, sed tamen comparatione divinae scientiae angusta: sicut et ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus, corpus. Et mittuntur igitur, et assistunt: quia et per hoc, quod circumscripti sunt, exeunt; et per hoc, quod intus quoque praesentes sunt nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt; quia et ad nos spiritali praesentia foras exeunt, et tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem servant. Dicatur ergo: *Venerunt filii Dei, ut* **40** *assisterent coram Domino*, quia illuc spiritus conversione redeunt, unde nulla mentis aversione discedunt.

CAPUT IV.

IBID.---*Affuit inter eos etiam Satan.*

4. *Satan inter angelos, quia naturam non amisit.*---Valde quaerendum est quomodo inter electos angelos Satan adesse potuerit, qui ab eorum sorte, exigente superbia, dudum damnatus exivit. Sed recte inter eos adfuisse describitur, quia etsi beatitudinem perdidit, naturam tamen eis similem non amisit; et si meritis praegravatur, conditione naturae subtilis attollitur. Inter Dei ergo filios coram Domino adfuisse dicitur; quia eo intuitu, quo omnipotens Deus cuncta spiritalia conspicit, etiam Satan in ordine naturae subtilioris videt, attestante Scriptura, quae dicit: *Oculi Domini contemplantur malos et bonos (Prov. XV, 3)*. Sed hoc, quod adfuisse Satan coram Domino dicitur, in gravi nobis quaestione versatur. Scriptum quippe est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. V, 8)*. Satan vero, qui mundo corde esse non potest, quomodo ad videndum Dominum adfuisse potest.

5. *Deo adest, quia ab eo videtur.*---Sed intuendum est quia adfuisse coram Domino, non autem Dominum vidisse perhibetur. Venit quippe, ut videretur, non ut videret. Ipse in conspectu Domini, non autem in conspectu ejus Dominus fuit: sicut caecus cum in sole consistit, ipse quidem radiis solis perfunditur, sed tamen lumen non videt quo illustratur. Ita ergo etiam inter angelos in conspectu Domini Satan adfuit; quia vis divina, quae intuendo penetrat omnia, non se videntem immundum spiritum vidit. Quia enim et ipsa, quae

Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda sunt superno conspectui, Satan adfuit absens praesenti. Sequitur:

CAPUT V [*Vet. IV, Rec. III*].

VERS. 7.---*Cui dixit Dominus, Unde venis?*

6. *Nescire Dei est reprobare.*---Quid est, quod venientibus angelis electis nequaquam dicitur, Unde venitis? Satan vero unde veniat percontatur? non enim requirimus, nisi utique quae nescimus. Nescire autem Dei, reprobare est. Unde quibusdam in fine dicturus est: *Nescio vos unde sitis, discedite a me, omnes operarii iniquitatis (Luc. XIII, 27)*. Sicut et nescire mentiri vir verax dicitur qui labi per mendacium dedignatur; non quo si mentiri velit, nesciat, sed quo falsa loqui veritatis amore contemnat. Quid est ergo ad Satan dicere, *Unde venis*, nisi vias illius quasi incognitas reprobare? Veritatis igitur lumen tenebras, quas reprobat, ignorat; et Satanae itinera, quia judicans damnat, dignum est ut quasi nesciens requirat. Hinc est quod Adae peccanti conditoris voce dicitur, *Adam ubi es? (Genes. III, 9)*. Neque enim divina potentia nesciebat, post culpam servus ad quae latibula fugerat; sed quia vidit in culpa lapsum, jam sub peccato velut ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat; eumque et vocat, et requirit, dicens, *Adam ubi es?* Per hoc quod vocat, signum dat quia ad poenitentiam revocat. Per hoc quod requirit, aperte insinuat, quia peccatores jure damnandos ignorat. Satan ergo Dominus non vocat, sed

tamen requirit, dicens: *Unde venis?* quia nimirum Deus apostatam spiritum ad poenitentiam nequaquam revocat; sed vias superbiae ejus nesciens, damnat. **41** Igitur dum Satan de itinere suo discutitur, electi angeli requirendi unde veniant non sunt: quia eorum viae tanto Deo notae sunt, quanto et ipso auctore peraguntur; dumque soli ejus voluntati inserviunt, eo esse incognitae nequeunt, quo per approbationis oculum ex ipso semper ante ipsum fiunt. Sequitur:

CAPUT VI.

IBID.---*Respondens Satan, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.*

7. *Satanae circuitus, ejus anxietatis argumentum.*---Solet per gyrum circuitus, laboris anxietas designari. Satan ergo laborans terram circuivit, quia quietus in coeli culmine stare contempsit. Cumque se non volasse, sed perambulasse insinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat. Perambulans ergo terram circuivit; quia ab illo spiritalis potentiae volatu corruens, malitiae suae pressus gravedine, foras ad gyrum laboris venit. Hinc est enim quod et de ejus membris per Psalmistam dicitur: *In circuitu impii ambulant* (**Psal. XI, 9**); quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. IV*].

VERS. 8.---*Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?*

8. *Variae Dei spirituumque locutiones.*---Hoc quod divina voce beatus Job simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo dicitur, quia subtiliter membratimque supra exposuimus, replicare quae diximus devitamus; ne dum discussa repetimus, tardius ad indiscussa veniamus. [*Vet. V.*] Hoc ergo nobis est solerter intuendum, quid sit, quod vel ad Satan loqui Dominus dicitur, vel quod Satan Domino respondere perhibetur. Discutienda quippe est quaenam sit ista locutio. Neque enim vel a Domino, qui summus atque incircumscriptus est spiritus, vel a Satan, qui nulla est carnea natura vestitus, humano modo aereus flatus folle ventris attrahitur, ut per organum gutturis, vocis expressione reddatur. Sed dum naturae invisibili natura incomprehensibilis loquitur, dignum est ut mens nostra qualitatem corporeae locutionis excedens, ad sublimes atque incognitos modos locutionis intimae suspendatur. Nos namque ut ea quae sentimus intrinsecus extrinsecus exprimamus, haec per organum gutturis, per sonum vocis ejicimus. Alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus; sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguae januam egredimur, ut quales sumus intrinsecus ostendamus. Spiritualis autem natura non ita est, quae ex mente et corpore composita dupliciter non est. Sed rursus sciendum est quia ipsa etiam natura incorporea cum loqui dicitur, ejus locutio nequaquam una atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad angelos, aliter angeli ad Deum; aliter Deus ad sanctorum animas, aliter

sanctorum animae ad Deum; aliter Deus ad diabolum, aliter diabolus ad Deum.

9. *Aliter Deus loquitur ad angelos.*---Nam quia spiritali naturae ex corporea oppositione nihil obstat, loquitur Deus ad angelos sanctos eo ipso, quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostentat: ut quidquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant, et velut quaedam praecepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus **42** inspiratur. Unde cum eorum cordibus, Deus contra humanam superbiam, animadversionem ultionis infunderet, dixit: *Venite descendamus, et confundamus ibi linguam eorum* (**Genes. II, 7**). Dicitur eis qui adhaerent, *Venite*; quia nimirum hoc ipsum nunquam a divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper accrescere est; et nunquam corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus et dicit: *Descendamus et confundamus linguam eorum*. Ascendunt angeli, in eo quod creatorem conspiciunt. Descendunt angeli, in eo quod creaturam sese in illicitis erigentem examine distractionis premunt. Dicere ergo Dei est: *Descendamus et confundamus linguam eorum*, in seipso eis hoc, quod recte agatur ostendere, et per vim internae visionis, eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inspirare.

10. *Aliter angeli ad Deum.*---Aliter loquuntur angeli ad Deum, sicut et per Joannis Apocalypsim dicunt: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam* (**Apoc. V, 12**). Vox namque angelorum est in laude conditoris, ipsa admiratio intimae contemplationis. Virtutis divinae miracula obstupuisse, dixisse est, quia

excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quae vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format. Deus ergo angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc, quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt.

[*Vet. VI.*] *Aliter Deus ad sanctorum animas, et illae ad Deum.* --Aliter Deus ad sanctorum animas, aliter sanctorum animae loquuntur ad Deum. Unde et in Joannis Apocalypsi rursum dicitur: *Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant; et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ubi illico adjungitur, *Datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum.* Quid est enim animas vindictae petitionem dicere, nisi diem extremi judicii, et resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat; et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua (Psal. IX, 17).* Sed cum aliter moveri soleat mens quae petit, aliterque quae petitur, et sanctorum animae ita in interni secreti sinu Deo inhaereant, ut inhaerendo requiescant; quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat

nullatenus discrepare? quomodo dicuntur petere, quas et voluntatem Dei certum est, et ea quae futura sunt, non ignorare? Sed in ipso positae, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quo quidquam desiderent, quod ab **43** ejus voluntate, quem cernunt, discordat: sed quo mente ardentius inhaerent, eo etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt; et modo nobis adhuc incomprehensibili, in hoc, quod petendo esuriunt, praesciendo satiantur. Discordarent ergo a voluntate conditoris, si quae eum vident velle, non peterent; eique minus inhaerent, si volentem dare, desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum divinitus dicitur: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum et fratrum vestrorum*. Desiderantibus animabus, *Requiescite tempus adhuc modicum*, dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa praescientia solatium consolationis aspirare; ut et animarum vox sit hoc, quod amantes desiderant; et respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus est, ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere; ut cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.

[*Vet. VII.*] 12. *Aliter Deus ad diabolum, et ille ad Deum*. Aliter Deus loquitur ad diabolum, aliter diabolum ad Deum. Loqui enim Dei est ad diabolum, vias ejus ac negotia animadversione occultae districtiois increpare, sicut hic dicitur: *Unde venis?* Diaboli autem ei respondere, est omnipotenti majestati ejus nihil posse celare. Unde hic ait, *Circuivi terram, et perambulavi eam*. Quasi enim dicere

ejus est quid egerit, scire quod actus suos illius oculis occultare non possit. Sciendum vero est, quia sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum; tribus modis diabolum ad Deum. Quatuor modis loquitur Deus ad diabolum; quia et injustas vias ejus arguit, et electorum suorum contra illum justitiam proponit, et tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, et aliquando eum, ne tentare audeat, prohibet. Injustas enim vias ejus redarguit, sicut jam dictum est: *Unde venis?* Electorum suorum contra illum justitiam proponit, sicut ait: *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram?* Tentandam eorum innocentiam concedendo permittit, sicut dicit: *Ecce universa quae habet in manu tua sunt.* Rursumque eum a tentatione prohibet, cum dicit: *Tantum in eum ne extendas manum tuam.* Tribus autem modis loquitur diabolum ad Deum, cum vel vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat. Vias quippe suas insinuat, qui ait: *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Electorum innocentiam accusat, qui dicit: **(Vers. 9, 10)** *Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum?* Tentandam eandem innocentiam postulat, cum dicit: *Extende manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Sed dicere Dei est, *Unde venis?* sicut et supra insinuavimus, vi suae justitiae itinera malitiae ejus inerepare. Dicere Dei est, *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram?* tales electos suos justificando facere, qualibus nimirum apostata angelus possit invidere. Dicere Dei est, *Ecce universa quae habet in manu tua sunt*, **44** ad probationem fidelium, contra eos occulta vi incursum illum

suae malitiae relaxare. Dicere Dei est, *Tantum in eum ne extendas manum tuam*, ab immoderatae tentationis impetu eum etiam permittendo restringere. Dicere autem diaboli est, *Circuivi terram, et perambulavi eam*, sagacitatem suae malitiae invisibilibus ejus oculis occultare non posse. Dicere diaboli est, *Nunquid frustra Job timet Deum?* contra bonos intra cogitationum suarum latibula conqueri; eorumque propectibus invidere, atque invidendo reprobationis rimas exquirere. Dicere diaboli est, *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet* (Vers. 11), ad afflictionem bonorum, malitiae aestibus anhelare. Quo enim eorum tentationem invidens appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit. Quia igitur internarum locutionum modos succincte diximus, ad intermissum paululum expositionis ordinem revertamur

CAPUT VIII [*Vet. VIII, Rec. V*].

VERS. 8.---*Considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei super terram, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?*

13. *Dei diabolique pugna, cujus materia Job fuit.*---Praecedenti jam sermone tractatum est, quia diabolus non contra Job, sed contra Deum certamen proposuit; materia vero certaminis beatus Job in medio fuit. Et si in sermonibus suis dicimus Job inter flagella deliquisse, quod sentire nefas est, Deum dicimus in sua propositione perdidisse. Nam ecce et in

hoc loco intuendum est, quia non prius diabolus beatum Job a Domino petiit, sed eum Dominus in diaboli despectum laudavit. Et nisi in sua justitia permansurum nosset, non utique pro illo proponeret. Nec periturum in tentatione concederet, de quo ante tentationem, ex Dei laudibus, in tentatoris mente invidiae fuerant faces excitatae.

14. *Quam astute quaerat diabolus unde nos accuset.*---Sed antiquus adversarius cum quae accuset mala, non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quaerit. Cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur. Cum nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit; tanquam bona facta bono animo non fiant, et idcirco perpendi a iudice bona non debeant. Quia enim fructus arboris esse et in aestu virides conspicit, quasi vermem ponere ad radicem quaerit. Nam dicit:

CAPUT IX.

VERS. 9, 10.---*Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio illius crevit in terra.*

15. *Ex prosperis et ex adversis tentat.*---Ac si aperte dicat: Qui tot bona in terra recepit, quid mirum est, si pro eis se innocenter gerit? Innocens vere esset, si bonus inter adversa persisteret. Cur autem magnus dicitur, quem merces sui uniuscujusque operis tanta rerum multiplicitate comitatur? Astutus quippe adversarius, cum sanctum virum inter

prospera bene egisse considerat, reprobare apud judicem per adversa festinat. Unde recte in Apocalypsi voce angelica dicitur: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte* (**Apoc. XII, 10**). [*Vet. IX.*] Scriptura autem sacra saepe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo et nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male nos uti insinuat. In nocte accusat, cum in adversis **45** nos non habere patientiam demonstrat. Beatum ergo Job quia necdum flagella attigerant, quasi adhuc unde in nocte accusare posset, omnino non habebat. Quia vero in prosperis magna sanctitate viguerat, pro eisdem prosperis bona illum egisse simulabat: versuta assertione mentiens quod non ad usum Domini substantiam possideret, sed ad usum substantiae Dominum coleret. Sunt enim nonnulli qui ut fruantur Deo, dispensatorie utuntur hoc saeculo. Et sunt nonnulli qui ut fruantur hoc saeculo, transitorie uti volunt Deo. Cum igitur bona divini muneris narrat, putat quod facta fortis operarii leviget; ut cujus vitam reprehendere de operibus non valet, ejus mentem quasi ex cogitationibus addicat; mentiens quod non amoris Domini, sed temporalis prosperitatis appetitioni servierit omne, quod innocue exterius vixit. Vires ergo beati Job nesciens, sed tamen unumquemque adversis probari verius sciens, tentandum hunc expetit; ut qui per diem prosperitatis inoffenso gressu incesserat, saltem in nocte adversitatis impingeret, et ante laudatoris sui oculos offensione impatientiae prostratus jaceret. Unde subjungit:

CAPUT. X [*Rec. VI*].

VERS. 11.---*Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*

16. *Diabolus nihil nisi Deo permittente potest.*---Cum sanctum virum Satan tentare appetit, et tamen Domino, ut manum suam extendere debeat, dicit; valde notandum est quia ferendi vires nec ipse sibi tribuit, qui contra auctorem omnium singulariter superbit. Scit namque diabolus, quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit, quia nec per semetipsum in eo quod est spiritus existit. Hinc est quod in Evangelio expellenda de homine legio dicebat: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* (**Matth. VIII, 31**). Qui enim per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum si sine auctoris manu, sancti viri domum contingere non valebat?

[*Vet. X.*] 17. *Diaboli voluntas mala, sed potestas justa.*---Sciendum vero est quia Satanae voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas injusta: quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem. Quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus fieri non nisi juste permittit. Unde bene in libris Regum dicitur: *Spiritus Domini malus irruebat in Saul* (**I Reg. XVIII, 10**). Ecce unus idemque spiritus, et Domini appellatur, et malus: Domini videlicet per licentiam potestatis justae, malus autem per desiderium voluntatis injustae. Formidari ergo non debet, qui nihil nisi permissus valet. Sola ergo vis illa timenda est, quae cum hostem saevire permiserit, ei ad usum justi iudicii, et injusta illius voluntas servit. Paululum vero manum postulat extendi; quia exteriora sunt quae expetit conteri. Neque enim Satan facere se aliquid multum putat, nisi cum in anima sauciat, ut ab illa patria

feriens revocet, a qua ipse longe, telo suae superbiae prostratus jacet.

18. *Facies Dei respectus gratiae.*---Sed quid est quod ait: *Nisi in faciem benedixerit tibi?* Nos nempe quod amamus respicimus; quod vero aversari volumus, ab eo faciem 46 declinamus. Quid itaque Dei facies, nisi respectus ejus gratiae praebetur intelligi? Ait ergo: *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Ac si aperte dicat: Ea quae dedisti subtrahe; nam si accepta perdiderit, respectum tuae gratiae, ablatis rebus temporalibus, non requiret. Si enim ea in quibus delectatur non habuerit, favorem tuum etiam maledicendo contemnet. Cujus petitione callida nequaquam provocata Veritas vincitur, sed ad deceptionem suam hosti conceditur, quod fideli famulo ad augmentum muneris suffragetur. Unde mox subditur:

CAPUT XI [*Vet. XI, Rec. VII*].

VERS. 12.--- *Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.*

19. *Deus tentatori alia permittit, alia negat.*---Consideranda est in verbis Domini dispensatio sanctae pietatis, quomodo hostem nostrum permittit, et retinet; relaxat, et refrenat. Alia ad tentandum dat, sed ab aliis religat. *Universa quae habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* Substantiam prodit, sed tamen corpus ejus protegit, quod quidem postmodum tentatori traditurus est; sed tamen

non simul ad omnia relaxat hostem, ne undique feriens frangat civem. Mala enim cum multa electis eveniunt, mira conditoris gratia ex tempore dispensantur; ut quae coacervata perimerent, possint divisa tolerari. Hinc Paulus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I Cor. X, 13). Hinc David ait: *Proba me, Domine, et tenta me* (Psal. XXV, 2). Ac si aperte dicat: Prius vires inspicere, et tunc ut ferre valeo, tentari permitte. Hoc tamen quod dicitur: *Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam*, intelligi et aliter potest, quia fortem quidem pugnatorem suum Dominus noverat, sed tamen dividere ei certamina contra hostem volebat; ut quamvis robusto bellatori victoria in cunctis suppeteret, prius tamen de uno certamine hostis ad Dominum victus rediret: tuncque ei aliud iterum vincendo concederet, quatenus fidelis famulus eo mirabilius victor existeret, quo victus hostis se contra illum iterum ad nova bella repararet. Sequitur:

CAPUT XII [*Vet. XII, Rec. VIII*].

IBID.---*Egressusque est Satan a facie Domini.*

20. *Deus est intra et extra omnia, supra et infra omnia.*---Quid est quod Satan a facie Domini egressus dicitur? Quo enim exitur ab eo qui ubique est? Hinc namque ait: *Coelum et terram ego impleo* (Jer. XXIII, 24). Hinc est, quod Sapientia illius dicit: *Gyrum coeli circuivi sola* (Eccli. XXIV, 8). Hinc

de ejus Spiritu scriptum est: *Spiritus Domini implevit orbem terrarum* (**Sap. I, 7**). Hinc est quod Dominus iterum dicit: *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (**Isai. LXVI, 1**). Rursumque de eo scriptum est: *Coelum metitur palmo et omnem terram pugillo concludit* (**Isa. XL, 12**). Sedi quippe, cui praesidet, interior et exterior manet. Coelum palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creavit, exterior. Id namque quod interius concluditur, a concludente exterius continetur. Per sedem ergo, cui praesidet, **47** intelligitur esse interius supraque; per pugillum, quo continet, esse exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans; nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque ex alia manet interior: sed unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans; unde superius praesidens, inde inferius sustinens; et unde exterius ambiens, inde interius replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens; interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco; est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.

21. *A facie Domini exit Satan, cum ad desiderii sui effectum venit.*---Quo igitur exitur ab eo, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam

deest? Sed quandiu Satan pressus majestatis potentia, appetitum suae malitiae exercere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit. [*Vet. XIII.*] A facie autem Domini exiit; quia relaxatus divinitus ab internae retentionis angustia, ad sui desiderii effectum venit. A facie Domini exiit, quia diu vinculis disciplinae religata quandoque voluntas noxia ad opus processit. Cum enim, sicut dictum est, id quod voluit implere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit; quia illum ab effectu malitiae superna dispensatio coactavit. Sed a facie ejus exiit, quia potestatem tentationis accipiens, ad malitiae suae vota pervenit. Sequitur:

CAPUT XIII [*Rec. IX*].

VERS. 13, 14, 15.---*Cum autem quadam die filii et filiae ejus comederent, et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinae pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

22. *Diabolus tentandi tempora eligit.*---Notandum quae tempora tentationibus congruant. Tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit, quando beati Job filios in convivio invenit. Neque enim solummodo intuetur hostis quid faciat, sed etiam quando faciat. Nam quamvis potestatem acceperit, aptum tamen ad subversionem tempus exquisivit; ut videlicet nobis Deo dispensante proderetur, quia praenuntia tribulationis est laetitia satietatis. Intuendum vero est, quam

callide ipsa damna, quae illata sunt, nuntiantur. Non enim dicitur, boves a Sabaeis ablati sunt: sed qui ablati sunt, boves arabant; ut videlicet memorato fructu operis, causa crescat doloris. Unde et apud Graecos non solum asinae, sed fetae asinae raptae referuntur; ut dum minima animalia audientis animum minus ex sui qualitate percuterent, amplius ex fecunditate vulnerarent. Et quia eo magis adversa animum feriunt, quo cum multa sunt, etiam subita nuntiantur, aucta est mensura gemituum, etiam per articula nuntiorum. Nam sequitur:

CAPUT XIV [*Vet. XIV*].

VERS. 16.---**48** *Cumque adhuc ille loqueretur, venitalius, et dixit: Ignis Dei cecidit de coelo, et tactas oves puorosque consumpsit, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

23. *Casibus repentinis constantiam Job evertere conatur.*--- Ne rebus perditis minorem audienti dolorem moveat, ejus animum ad excedendum etiam ipsis nuntiorum verbis instigat. Intuendum quippe est, quam callide dicitur: *Ignis Dei*, ac si diceretur: Illius animadversionem sustines, quem tot hostiis placare voluisti; illius iram toleras, cui quotidie serviens insudabas. Dum enim Deum, cui servierat, adversa intulisse indicat, laesum commemorat, in quo excedat; quatenus anteacta obsequia ad mentem reduceret, et frustra se servisse aestimans, in auctoris injuriam superbiret. Pia etenim mens, cum se adversa ab hominibus perpeti conspicit, in divinae gratiae consolatione requiescit; cumque tentationum

procellas increscere extrinsecus viderit, secessum spei Dominicae appetens, intra conscientiae portum fugit. Ut vero versutus hostis uno eodemque tempore sancti viri robustissimum pectus et humanis adversitatibus, et divina desperatione concuteret, et prius Sabaeos irruisse intulit, et mox ignem Dei de coelo cecidisse nuntiavit; ut quasi omnem aditum consolationis excluderet, dum et ipsum adversantem ostenderet, qui consolari animum inter adversa potuisset: quatenus dum se tentatus undique destitui atque undique premi considerat, in contumeliam tanto audacius, quanto et desperatius erumpat. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 17.---*Sed et illo adhuc loquente, venit alius et dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

24. *Vulnera ingeminat.*---Ecce iterum, ne quid minus de humana adversitate doluisset, Chaldaeorum turmas irruisse denuntiat; et ne illum minus desuper veniens adversitas feriat, iteratam iram in aere demonstrat. Nam sequitur:

CAPUT XVI [*Vet. XV*].

VERS. 18, 19.---*Loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

25. *Ad odium Dei provocare conatur.*---Qui uno vulnere non prosternitur, idcirco bis, terque percutitur, ut usque ad intima quandoque feriat. Nuntiata itaque fuerat adversitas de Sabaeis, nuntiata divina animadversio per ignem de coelo, nuntiatur ab hominibus iterum camelorum raptus, caedesque puerorum, et divinae indignationis ira repetitur, dum ventus irruens concussisse domus angulos, atque exstinxisse liberos indicatur. Quia enim notum est, quod absque superno nutu moveri elementa non possint, latenter infertur quod ipse contra illum elementa moverit, qui moveri permisit; quamvis Satan semel accepta a Domino potestate ad usum suae nequitiae etiam elementa concutere praevalet. Nec movere debet, si spiritus de summis projectus turbare in ventos aerem potuit; cum nimirum constet quia et damnatis **49** in metallum, ad usum aqua et ignis servit. Quaesitum est igitur ut nuntiarentur mala, quaesitum ut multa, quaesitum ut subita. Sed cum prius adversa nuntiavit, tranquillo adhuc pectori quasi sanis membris vulnus inflixit; cum vero percussum cor feriendo repetiit, ut ad impatientiae verba compelleret, super vulnera vulnus irrogavit.

26. *Plagae Job subitae et multiplices.*---Intuendum vero est quam callide curavit hostis antiquus, non tam jactura rerum sancti viri patientiam rumpere, quam ipso ordine nuntiorum. Qui studens prius parva, et post nuntiare majora, in extremo

filiorum mortem intulit, ne vilia pater rei familiaris damna duceret, si illa jam orbatus audiret; et minus percuteret rerum amissio, praecognita morte filiorum, quia videlicet nulla esset haereditas, si illos prius subtraheret qui servabantur haeredes. Sed a minimis incipiens, in ultimum graviora nuntiavit; ut dum gradatim deteriora cognosceret, in ejus corde doloris locum omne vulnus inveniret. Notandum quam callide tot malorum pondera, et divisa, et subita nuntiantur, ut et repente, et particulatim crescens, in audientis corde sese dolor ipse non caperet; et tanto ardentius in blasphemiam accenderet, quanto subitis ac multiplicibus nuntiis in se angustius aestuaret.

[*Vet. XVI, Rec. X*]. 27. *Praepositis voluptati servientibus, subditis frena laxantur. In conviviiis etiam moderatis locum diabolus invenit.* Sed neque hoc neglecte praetereundum puto, quod filii in majoris fratris domo convivabantur, cum pereunt. Dictum namque est superius, quod convivia peragi sine culpa vix possunt. Ut ergo nostra, non illorum loquamur, sciendum nobis est quia quod a minoribus voluptuose agitur, majorum disciplina cohibetur; cum vero majores ipsi voluptati deserviunt, nimirum minoribus lasciviae frena laxantur. Quis enim sub disciplinae se constrictione retineat, quando et ipsi, qui jus constrictionis accipiunt, sese voluptatibus relaxant? Dum ergo in majoris fratris domo convivantur, pereunt, quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit, quando et ipsos qui pro custodia disciplinae praelati sunt laetitiae servire cognoscit. Tanto enim licentius ad feriendum occupat, quanto et hi qui intercedere pro culpis poterant voluptati vacant. Absit autem ne tanti viri filios per conviviorum studia ingurgitando ventri vacasse suspicemur; sed tamen veraciter novimus quia etsi per disciplinae quisque

custodiam necessitatis metas edendo non transit, accensa tamen mentis intentio inter convivia torpescit; et minus in quanto sit tentationum bello considerat, quae se per securitatem relaxat. In die ergo primi fratris filios obruit, quia antiquus hostis in minorum morte subversionis aditum per negligentiam majorum quaerit. Sed quia quantis nuntiorum jaculis sit percussus, agnovimus; vir fortis noster, qualis inter vulnera consistat, audiamus. Sequitur:

CAPUT XVI [*Rec. XI*].

VERS. 20.---*Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram adoravit.*

28. *Flagella Dei aut non sentire, aut nimis, vitium est.*---Nonnulli magnae constantiae philosophiam putant, si disciplinae asperitate correpti, ictus verberum doloresque non sentiant. Nonnulli vero tam nimis percussionum flagella sentiunt, ut immoderato dolore commoti, etiam in excessum linguae dilabantur. Sed quisquis veram tenere philosophiam **50** nititur, necesse est ut inter utraque gradiatur. Non est enim pondus verae virtutis, insensibilitas cordis: quia et valde insana per stuporem membra sunt, quae et incisa dolore nequaquam possunt. Rursus virtutis custodiam deserit, qui dolorem verberum ultra quam necesse est sentit; quia dum nimia afflictione cor tangitur, usque ad impatientiae contumelias excitatur, et qui per flagella corrigere malefacta debuerat, agit ut nequitia per flagellum crescat. Contra insensibilitatem quippe percussorum per prophetam

dicitur: *Percussisti eos, nec doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (**Jerem. V, 3**). Contra pusillanimitatem percussorum per Psalmistam dicitur: *In miseriis non subsistent* (**Psal. CXXXIX 11**). In miseriis namque subsisterent, si aequanimiter adversa tolerarent. At postquam mente inter flagella corruunt, quasi inter illatas miseras subsistendi constantiam perdunt.

[*Vet XVII.*] 29. *Job utrumque cavit. Mos nutriendi vel abscidendi capillos tempore afflictionis.*---Beatus itaque Job, quia verae philosophiae regulam tenuit, contra utraque mira se aequitatis arte servavit; ut nec dolorem non sentiens, flagella sperneret; nec rursum ultra modum dolorem sentiens, contra iudicium flagellantis insaniret. Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis, surrexit, scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit. Quod vestimenta scidit, quod tonso capite in terram corruit, monstrat nimirum quia flagelli dolorem sensit. Quod vero adjicitur, *adoravit*, aperte ostenditur, quia et in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit. Nec omnino ergo non motus est, ne Deum ipsa insensibilitate contemneret; nec rursum omnino motus est, ne nimis dolendo peccaret. Sed quia duo sunt praecepta charitatis, Dei videlicet amor, et proximi; ut dilectionem proximi exsolveret, impendit filiis luctum; ne dilectionem Dei desereret, explevit inter gemitus orationem. Solent nonnulli in prosperis Deum diligere, in adversis autem positi flagellantem minus amare. Beatus autem Job per hoc, quod motus exterius exhibuit, ostendit quia flagella patris agnovit; per hoc autem, quod adorando humilis mansit, ostendit quia amorem patris nec in dolore deseruit. Ne igitur superbus esset non sentiens, in

percussione corruit; ne autem se ferienti extraneum faceret, ad hoc corruit ut adoraret. Mos autem veterum fuit, ut quisquis speciem sui corporis capillos nutriendo servaret, eos tempore afflictionis abscideret; et rursum qui tranquillitatis tempore capillos abscideret, eos in ostensione afflictionis enutriret. Beatus itaque Job tranquillitatis tempore capillos servasse ostenditur, cum ad doloris usum caput totondisse memoratur; quatenus cum in cunctis eum rebus manus superna percuteret, etiam sponte illum poenitentiae species diversa fuscaret. Sed iste exutus rebus, filiis orbatus, qui vestimenta scidit, qui caput totondit, qui in terram corruit, quid dicat, audiamus.

CAPUT XVII [*Rec. XII*].

VERS. 21.---*Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc.*

30. *Temporalia parvi facienda, quod ea aliquando non habuerimus, nec habituri simus.*---O quam altae sedi interni consilii praesidet iste, qui scissis vestibis in terra prostratus jacet! Quia enim judicante Domino, cuncta amiserat, pro servanda **51** patientia illud tempus ad memoriam reduxit, quo necdum ista quae perdidit habebat; ut dum intuetur quod aliquando illa non habuit, dolorem temperet quod amisit. Magna enim consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res quas perdidimus non habuisse. Quia vero omnes nos terra genuit, hanc non immerito matrem vocamus. Unde scriptum est: *Grave jugum*

super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium (Eccli. XL, 1). Beatus igitur Job, ut patienter lugeat quod hic amisit, vigilanter attendit qualis huc venerit. Ad augmentum autem servandae patientiae, adhuc solertius inspicit hinc qualis recedit, et dicit: *Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc.* Ac si dicat: *Nudum me huc intrantem terra protulit, nudum me hinc exeuntem terra recipiet.* [*Vet. XVIII.*] Qui ergo accepta, sed relinquenda perdidi, quid proprium amisi? [*Rec. XIII.*] Quia vero consolatio non solum ex consideratione conditionis adhibenda est, sed etiam ex justitia conditoris, recte subjungit:

IBID.---Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.

31. *Deus bonis nos spolians, non nostra aufert, sed sua.---* Sanctus vir, tentante adversario, cuncta perdiderat; sed tamen sciens, quia contra se Satan tentandi vires, nisi permittente Domino, non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed: *Dominus dedit, Dominus abstulit;* fortasse enim fuerat dolendum, si quod conditor dederat hostis abstulisset: at postquam non abstulit nisi ipse qui dedit, sua recepit, non nostra abstulit. Si enim ab illo accipimus, quibus in hac vita utimur, cur doleat quod ipso judicante exigimur, quo largiente feneramur? Nec aliquando injustus est creditor, qui dum praefixo reddendi tempore non constringitur; quando vult, exigit quod feneratur. Ubi et bene subjungitur: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Cum enim in hac vita ea quae nolumus, patimur, necesse est ut ad eum qui injustum velle nil potest, studia nostrae voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos

agitur, cui non nisi justum placet. Si igitur justa placere Domino scimus, pati autem nulla, nisi quae Domino placuerint, possumus; justa sunt cuncta quae patimur, et valde injustum est, si de justa passione murmuramus.

32. *Diabolus nos aggrediens, humilitate ac patientia nostra confoditur.*---Sed quia orator fortis quomodo assertionem partis suae contra adversarium allegavit, audivimus; nunc quomodo in orationis suae termino judicem benedicendo laudet audiamus. Sequitur: *Sit nomen Domini benedictum.* Ecce omne quod rectum sensit, Domini benedictione conclusit; ut hinc adversarius inspiciat, et ad poenam suam victus erubescat, quia ipse Domino contumax etiam in beatitudine conditus exstitit, cui homo hymnum gloriae etiam percussus dicit. [*Vet. XIX.*] Intuendum vero est, quia hostis noster tot nos jaculis percutit, quot tentationibus affligit. Quotidie namque in acie stamus, quotidie tentationum ejus tela excipimus. Sed et nos contra illum jacula mittimus, si confossi tribulationibus, humilia respondemus. Beatus igitur Job percussus damno rerum, percussus morte filiorum, quia vim doloris vertit in laudem conditoris, **52** dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum;* superbum hostem humilitate perculit, crudelem patientia stravit. Nec credamus, quod bellator noster accepit vulnera, et non inflixit. Quot enim voces patientiae in Dei laudem percussus reddidit, quasi tot in adversarii pectore jacula intorsit, et acriora valde quam sustinuit infixit. Afflictus enim terrena perdidit, sed afflictionem humiliter sustinens coelestia multiplicavit. Sequitur:

CAPUT XIX [*Rec. XIV*].

VERS. 22.---*In omnibus his non peccavit Job: neque stultum aliquid contra Deum locutus est.*

33. *Job a murmuratione oris et cordis abstinuit.*---Quia tentationum tribulationibus deprehensi, etiam tacito cogitationum motu possumus non loquendo peccare, beato Job et oris testimonium perhibetur, et cordis. Prius enim dicitur: *Non peccavit*; et tunc demum subditur: *Neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Qui enim stultum locutus non est, culpam a lingua compescuit; sed cum praemittitur, *Non peccavit*, constat quod murmurationis vitium etiam a cogitatione restrinxit. Nec peccavit ergo, nec stulte locutus est, quia nec per conscientiam tacitus tumuit, nec linguam in contumaciam relaxavit. Stulte enim contra Deum loquitur, qui inter divinae animadversionis flagella positus, justificare semetipsum conatur. Si enim innocentem se asserere superbe audeat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Hucusque nos verba historiae transcurrisse sufficiat: jam nunc ad indaganda allegoriae mysteria expositionis se sermo convertat. Sed in hoc quod scriptum est:

CAPUT XX [*Vet. XX, Rec. XV*].

VERS. 6.---*Quadam die cum venissent filii Dei coram Domino; adfuit inter eos etiam Satan:*

34. *Deus tempora sine tempore disponit.*---Discutiendum prius est, cur quadam die factum aliquid coram Domino dicitur, cum apud illum nequaquam cursus temporis, mutatione diei noctisque varietur. Neque enim in ea luce, quae sine accessu ea quae eligit illustrat, et sine recessu ea quae respuit deserit, defectus mutabilitatis venit; quia in semetipsa manendo immutabilis, mutabilia cuncta disponit; sicque in se transeuntia condidit, ut apud se transire nequaquam possint; nec tempus intus in conspectu ejus defluit, quod apud nos foras decurrit. Unde fit ut in aeternitate ejus fixa maneant ea quae non fixa exterius saeculorum volumina emanant. Cur ergo apud eum dicitur, *Quadam die*, cui nimirum dies una est aeternitas sua? quam videlicet nec fine claudi, nec initio vidit aperiri Psalmista, cum dicit: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (**Psal. LXXXIII, 11**).

35. *Assuetos temporalibus sensim ad aeterna deducit.*---Sed cum Scriptura sacra temporaliter editis loquitur, dignum est ut verbis temporalibus utatur, quatenus condescendendo levet; et dum de aeternitate aliquid temporaliter narrat, assuetos temporalibus sensim ad aeterna trajiciat; seque bene nostris mentibus aeternitas incognita, dum verbis cognitis blanditur, infundat. Quid autem mirum, si in sacro eloquio incommutabilitatem suam Deus praepropere humanae menti non aperit; quando et resurrectionis suae solemnitate celebrata, quibusdam provectionum accessibus innotuit, incorruptionem corporis, quod resumpsit? Luca quippe attestante (**Luc. XXIV, 4**) didicimus quod quibusdam se in

monumento quaerentibus prius angelos misit; et rursum **53** discipulis de se in via loquentibus ipse quidem, sed non cognoscendus apparuit (**Ibid., 15**), qui post exhortationis moras, cognoscendum se in panis fractione monstravit; ad extremum vero repente ingrediens, non solum se cognoscibilem, sed etiam palpabilem praebeuit. Quia enim infirma adhuc gestabant corda discipuli, in cognitione tanti mysterii ista fuerant dispensatione nutriendi, ut paulisper aliquid quaerentes invenirent; invenientes crescerent, et crescentes cognita robustius tenerent. Quia igitur non repente, sed causarum verborumque incrementis, quasi quibusdam ad aeternitatem passibus ducimur, intus apud eum quadam die aliquid factum dicitur, qui ipsa quoque tempora sine tempore contuetur.

[*Vet. XXI.*] 36. *In luce tenebras videt.*---An quia etiam Satan adfuit, dum quadam die hoc factum dicitur, indicare sacra Scriptura studuit quia in luce Deus tenebras vidit? Nos quippe uno eodemque contuitu lucem et tenebras intueri non possumus: quia cum in tenebras oculus figitur, lux fugatur; et cum ad lucis se coruscationem verterit, tenebrarum umbra discedit. Illa autem vis, quae cuncta mutabilia immutabiliter videt, quasi in die ei Satan adfuit, quia apostatae angeli tenebras sine obscuritate comprehendit. Nos, ut dictum est, uno eodemque intuitu contemplari non possumus, et quae approbando eligimus, et quae reprobando damnamus: quia cum ad hanc animus vertitur, ab illa cogitatione separatur; cum vero ad illam reducitur, ab hac cui inhaesit removetur.

37. *Diversa ordinans non est diversus.*---Deus vero, quia sine mutabilitate simul cuncta respicit, sine distentione comprehendit, videlicet et bona quae juvat, et mala quae

judicat, et quae adjuta remunerat, et quae judicans damnat, in his quae diverso disponit ordine, diversus non est. In die ergo ei Satan adfuisse describitur, quia lumen aeternitatis ejus nulla mutabilitatis fuscatione tangitur; et in hoc, quod ei tenebrae praesentes fiunt, adfuisse inter filios Dei dicitur: quia ea vi justitiae immundus spiritus penetratur, qua videlicet mundorum spirituum corda complentur; eoque radio luminis iste transfigitur, quo illi ut luceant perfunduntur.

38. *Deo serviunt angeli boni ad adjutorium, mali ad probationem.*---Inter filios Dei adfuit, quia etsi illi Deo ad electorum adjutorium, iste ad probationem servit. Inter filios Dei adfuit, quia etsi ab illis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur, iste occultae ejus justitiae nesciendo serviens, ministerium exsequi reprobationis conatur. [*Rec. XVI.*] Unde bene in libris Regum per prophetam dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et exercitum coeli a dextris et sinistris ejus, et dictum est: In quo decipiam Achab, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaath? Et dixit alius ita, et alius aliter. Et egressus est unus, et dixit: Ego decipiam Achab. Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit, dicens: Egrediar, et ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus (III Reg. XXII, 19 seq.).* Quid enim solium Domini, nisi angelicas potestates accipimus, quarum mentibus altius praesidens, inferius cuncta disponit? Et quid exercitus coeli, nisi ministrantium angelorum multitudo describitur? Quid est ergo, quod exercitus coeli a dextris et sinistris ejus stare perhibetur? Deus enim, **54** qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextra, nec sinistra concluditur. Sed dextra Dei, angelorum pars electa; sinistra autem Dei, pars angelorum reprobata designatur. Non enim ministrant Deo

solummodo boni, qui adjuvent; sed etiam mali, qui probent; non solum qui a culpa redeunt sublevent, sed etiam qui redire nolentes gravent. Nec quod coeli exercitus dicitur, angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus, aves coeli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dicit: *Contra spiritualia nequitiae in coelestibus* (**Ephes. VI, 12**). Quorum caput enuntians, ait: *Secundum principem potestatis aeris ejus* (**Ephes. II, 2**). A dextra ergo Dei et sinistra angelorum exercitus stat: quia et voluntas electorum spirituum divinae pietati concordat; et reproborum sensus suae malitiae serviens, iudicio districtiois ejus obtemperat. Unde et mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur, per quem Achab rex, exigentibus suis meritis, decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciae deservire voluisse, ut diceret: *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*. Sed quia Achab rex peccatis praecedentibus dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari: quatenus qui saepe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad poenam, occulta justitia licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati poenam etiam nolentes trahant. Quod ergo illic a dextris atque sinistris Dei, exercitus coeli astitisse describitur, hoc hic inter filios Dei Satan adfuisse perhibetur. Ecce a dextris Dei steterunt angeli, quia nominantur filii Dei; ecce a sinistris stant angeli, quia adfuit inter eos etiam Satan.

[*Vet. XXII.*] 39. Sed quia allegoriae mysteria indagare decrevimus, non inconvenienter accipimus quod in die Dominus Satan vidit, quia vias ejus in Sapientiae suae incarnatione corripuit; quasi eum non vidisse fuerit, tandiu

pravitatem illius in humani generis perditione tolerasse. Unde et ei divina voce mox dicitur:

CAPUT XXI.

VERS. 7. *Unde venis?*

40. *Diaboli insidias Deus incarnatae sapientiae luce detexit.* --In die Satan de viis suis requiritur, quia in luce manifestatae sapientiae occulti hostis insidiae deteguntur. Quia ergo incarnato Domino diabolus increpatur, et a sua pestifera effrenatione corripitur, recte subjungitur: *Cui dixit Dominus: Unde venis?* Tunc enim Satanae vias requirendo arguit, cum per Mediatoris adventum persuasionis ejus nequitas reprimens increpavit. Nec immerito in hoc die filii Dei coram Domino astitisse referuntur; quia videlicet ad aeternae patriae vocationem electi omnes, luce sapientiae se illustrante, collecti sunt. Quos quamvis incarnata Sapientia aggregare effectum operis venerat, divinitati tamen illius jam per ejus praescientiam intrinsecus assistebant. Sed quia de viis suis antiquus hostis Redemptore veniente discutitur, quid dicat audiamus.

CAPUT XXII. [*Rec. XVII.*]

IBID.---*Circuivi terram, et perambulavi eam.*

41. *Diabolus terram circuivit, quia omnes homines circumvenit, et possedit.*---Ab Adam quippe, ante adventum Domini, omnes post se gentium nationes traxit. Circuivit terram et perambulavit, quia per corda gentium iniquitatis suae vestigia impressit. Cadens enim a sublimibus **55** humanas mentes jure possedit, quia in culpaе suae vinculo volentes astrinxit; tantoque latius in mundo vagatus est, quanto a reatu quisque illius liber per omnia inventus non est. Cui quasi ex potestate mundum circuisse est, nullum hominem qui sibi plene resisteret invenisse. Sed jam Satan redeat, id est, ab effectu suae malitiae vis illum divina constringat, quia jam apparuit in carne qui in peccati contagione ex carnis nihil habebat infirmitate. Venit humilis, quem et superbus hostis admiretur; quatenus qui fortia divinitatis ejus despexerat, etiam humanitatis ejus infirma pertimescat. Unde et mox significatione mirifica, contra eum ipsa humanitatis infirmitas obstupescenda proponitur, ut dicatur:

CAPUT XXIII.

VERS. 8.---*Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?*

42. *Donec veniret Christus de quo rursus explicantur dicta de Job. Assumpsit humilitatem carnis, sine injuria majestatis. Virtutibus suis diaboli superbiam repressit.*---Quod Job interpretetur dolens, paulo ante jam diximus. Dolens vero ipse

veraciter per figuram dicitur, qui portare dolores nostros, Propheta attestante, perhibetur. Cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus et homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter sit accipit. Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dedignatus non est. Nec majestati injuriam intulit assumpta humilitas carnis; quia et ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit; quia etsi per Paulum dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (**Philipp. II, 6**), ei semetipsum exinanisse, est ab invisibilitatis suae magnitudine se visibilem demonstrasse, ut servi forma tegeret hoc quod incircumscripse omnia ex divinitate penetraret. Dei autem ad Satan per figuram dicere est: *Nunquid considerasti servum meum Job?* unigenitum filium contra eum in forma servi admirabilem demonstrare. Eo enim, quo illum tantae virtutis in carne innotuit, quasi superbienti adversario, quod dolens consideraret, indicavit. Sed quia bonum quod miraretur intulerat, restat ut ad reprimendam ejus superbiam virtutes illius adhuc enumerando subjungat. Sequitur.

CAPUT XXIV. [*Vet. XXIII*].

IBID.---*Homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.*

43. *Qua ratione Christus simplex, rectus, etc. Diabolo divinitatem suam, ob ea quae passus est, dubiam fecit.*---Venit namque inter homines mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, ad praebendum exemplum vitae hominibus, simplex; ad non parcendum malignis spiritibus, rectus; ad debellandam superbiam, timens Deum; ad detergendam vero in electis suis vitae immunditiam, recedens a malo. De ipso enim per Isaiam principaliter dicitur: *Et replebit eum spiritus timoris Domini (Isai. XI, 3)*. Et ipse a malo singulariter recessit: quia facta imitari noluit, quae in hominibus invenit, quoniam attestante Petro: *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (I Pet. II, 22)*. Sequitur: *Respondens Satan ait: Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio illius crevit in terra*. Antiquus hostis Redemptorem **56** humani generis, debellatorem suum in mundum venisse cognovit: unde et per obsessum hominem in Evangelio dicitur: *Quid nobis, et tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos (Matth. VIII, 20)*. Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, cum posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu suae superbiae in dubium venit. Nil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde et ad tentationum se argumenta convertit, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (Matth. IV, 3)*. Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit. Unde et nunc inferre perhibetur.

CAPUT XXV.

VERS. 9, 10.---*Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.*

44. *Eum humilem videns superbus diabolus, Deum esse dubitavit.*---Eum quippe ac domum ejus a Deo vallatam dicit; quia tentando ejus conscientiam penetrare non potuit. Substantiam ejus vallatam asserit, quia electos ejus invadere non praesumit. Operibus manuum ejus benedixisse Deum, et possessionem ejus excrevisse in terra queritur: quia scilicet tabescens videt, quod fides ejus in notitiam hominum, praedicantibus apostolis, multiplicatur. Possessio quippe ejus crescere dicitur, dum laborantibus praedicatoribus, fidelium quotidie numerus augetur. Haec itaque Satan Deo dixisse est, talia invidendo sensisse. Haec Satan Deo dixisse est, de his tabescendo, doluisse. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Vet. XXIV*].

VERS. 11.---*Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*

45. *Ejus divinitatem tentationibus exploravit.*---Quem enim tranquillitatis tempore, Dei gratia custoditum credidit, peccare posse per passionem putavit. Ac si aperte dicat: Interrogatus afflictionibus homo, et peccator agnoscitur, qui in miraculis Deus putatur, Dixit ergo Dominus ad Satan:

CAPUT XXVII.

VERS. 12.---*Ecce universa quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.*

46. *Satanae manus, non potestas, sed tentatio debet intelligi.* --Cum sacram historiam sub figurali intellectu discutimus, Satanae manus non potestas, sed tentatio debet intelligi. Universa itaque quae habet, in manum tentantis dantur, et in eum tentationis manus extendi prohibetur, quod tamen fieri substantia amissa conceditur: quia nimirum prius Judaea, quae possessio ejus fuerat, in infidelitate sublata est, et post ejus caro patibulo crucis affixa. Qui igitur prius Judaeam adversantem pertulit, et postmodum usque ad crucem venit, quasi prius habita amisit, et post in semetipso adversantis nequitiam pertulit.

CAPUT XXVIII.

IBID.---*Egressusque est Satan a facie Domini.*

47. *Diabolus voti compos factus a facie Domini exit.*---Sicut et superius dictum est, Satan a facie Domini exiit, quia ad desiderii sui vota pervenit. Quasi enim ante ipsum erat, dum propter ipsum quae male sitiebat implere non poterat.

CAPUT XXIX.

VERS. 13.---*Cum autem quadam die filii ejus et filiae comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti.*

18. *Filius Domini major Judaicus populus.*---Beati Job filios ac filias, vel apostolorum ordinem, vel cunctorum fidelium multitudinem diximus designasse. Incarnatus autem Dominus prius ex Judaea ad fidem paucos elegit, et post sibi **57** multitudinem populi gentilis aggregavit. Quis autem major Domini filius, nisi Judaicus accipi populus debet, qui ei dudum datae legis fuerat doctrina generatus: minor autem gentilis populus, qui et in mundi extremitate collectus est? Quia igitur cum Satan utilitati hominum nesciens deserviret, et corruptis persecutorum cordibus licentiam Dominicae passionis expeteret, sancti apostoli necdum aggregandam Deo gentilitatem noverant, et soli Judaeae fidei arcana praedicabant; cum Satan exiisse a Domino dicitur, filii et filiae in domo fratris primogeniti convivari referuntur. Dictum quippe eis fuerat: *In viam gentium ne abieritis* (**Matth. X, 5**). Post mortem namque resurrectionemque Domini in gentium praedicationem conversi sunt. Unde et in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat loqui primum verbum Dei; sed quia repulistis illud, et indignos vos judicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes* (**Act. XIII, 46**). Hi itaque filii sponsi, de quibus et ejusdem voce sponsi dicitur: *Non jejunabunt filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus* (**Matth. IX, 15**), in domo fratris primogeniti convivantur, quia videlicet adhuc apostoli sacrae Scripturae deliciis in solius Judaici populi collectione vescebantur.

CAPUT XXX [*Vet. XXV, Rec. XVIII*].

VERS. 14, 15.---*Nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinae pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

49. *Simplices perfectioribus adhaerentes, eorum intellectu pascuntur.*---Quid aliud per figuram boves, quam bene operantes; quid aliud asinas, quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Quae bene juxta boves pasci referuntur; quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magis vicinae sunt, quo et fraterna bona, sua per charitatem credunt; cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo se asinae cum bobus reficiunt, quia prudentibus conjuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur. Sabaei autem captivantes interpretantur. Et qui alii captivantium nomine, nisi immundi spiritus designantur, qui cunctos quos sibi subjiciunt in infidelitatem captivos ducunt? Qui et pueros gladio feriunt, quia eos tentationis suae graviter jaculis vulnerant, quos necdum juvenilis constantia liberos vel robustos servat. Qui bene quidem bona incipiunt, sed in ipsa adhuc inchoationis suae teneritudine captivantibus immundis spiritibus substernuntur. Quos gladio hostis percutit, quia aeternitatis desperatione transfigit.

[REC. XIX.] 50. *Prophetia, caeteris pereuntibus, in aeternum manet.*---Quid est autem hoc quod nuntius venit, qui

diceret: *Evasi ego solus?* Quis est iste nuntius, qui, aliis pereuntibus, solus evadit, nisi propheticus sermo, qui, dum fiunt omnia mala quae praedixit, quasi sanus ad Dominum solus redit? Dum enim vera dixisse de perditorum casu cognoscitur, quasi inter mortuos vixisse monstratur. Hinc est, quod ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur (**Genes. XXIV, 9**), quia videlicet ad desponsandam Ecclesiam Domino, interposita prophetia famulatur. Sabaeis ergo irruentibus, solus puer qui nuntiaret evasit, quia malignis spiritibus infirmorum mentes in captivitatem ducentibus, sententia prophetiae convaluit; **58** quae eamdem captivitatem praenuntians dicit: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* (**Isai. V, 13**). Prophetia ergo quasi salvatur, dum captivitas, quam praedixit, ostenditur. Sequitur:

CAPUT XXXI [*Vet. XXVI, Rec. XX*].

VERS. 16.---*Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit de coelo, et tactas oves, puerosque consumpsit, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

51. *Ignis oves et pueros Job consumens, invidiam sacerdotum contra Christum significat. Malos ignis nunc cruciat per livorem, postea per vindictam.*---Omnes qui praedicationis officium in synagoga tenuerunt, coelum recte vocati sunt, quia nimirum sapere superna credebantur. Unde et Moyses, cum sacerdotes ac populum ad verba suae admonitionis excitaret,

dixit: *Attende, coelum, et loquar; et audiat terra verba ex ore meo* (**Deut. XXXII, 1, sec. LXX**); per coelum videlicet signans praepositorum ordinem, per terram vero subditam plebem. Hoc igitur loco coelum, sacerdotes, vel Phariseos, vel legis doctores non inconvenienter accipimus, qui ante oculos hominum dum coelestibus officiis inservirent, quasi desuper lucere videbantur. Sed quia ipsi summopere in redemptoris nostri adversitate commoti sunt, quasi ignis de coelo cecidit, dum ad decipiendum imperitum populum, ab his etiam qui vera docere putabantur, flamma invidiae exarsit. Teste quippe Evangelio novimus quod doctrinae veritatis invidentes, opportunitatem Dominicae traditionis exquirebant; sed metuentes populum, quae moliebantur innotescere non audebant. Hinc etiam in eo scriptum est, quod dissuadendis populis dicunt: *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba haec quae non novit legem, maledicti sunt* (**Joan. VII, 48**). Quid autem in ovibus atque in pueris, nisi innocentes quosque, sed tamen adhuc infirmos, accipimus? qui dum adversitatem Phariseorum ac principum tolerare timuerunt, infidelitatis concrematione consumpti sunt. Dicatur ergo: *Ignis Dei cecidit de coelo, et tactas oves, puerosque consumpsit*, id est, a praepositorum cordibus flamma invidiae corruit, et quidquid boni in plebibus oriebatur, incendit; quia dum mali praepositi suum contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine corda sequentium subvertunt. Ubi et bene adjungitur: *Et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi*; quia dum impletur praedicta causa malitiae, fallaciae interitum evadit sermo prophetiae, qui ait: *Et nunc ignis adversarios consumit* (**Isai. XXVI, 11**). Ac si aperte dicat: Malos non solum ignis per vindictam post cruciat, sed nunc etiam per livorem cremat,

quia qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsos afficiunt invidiae tormento. Puer ergo solus fugiens remeat, et igne periisse oves puerosque denuntiat, dum prophetia Judaicum populum deserens, vera se dixisse manifestat, quae ait: *Zelus apprehendit populum ineruditum*. Ac si aperte dicat: Dum verba prophetarum plebs discutere noluit, sed credulitatem suam verbis invidentium dedit, zeli igne periit, quia in alienae invidiae se flamma concremavit. Sequitur:

CAPUT XXXII [*Vet. XXVII*].

VERS. 17.---*Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

59 52. *Chaldaei tres turmas facientes Pharisei, Herodiani et Sadducaei. Cameli, Samaritani, aut Judaei merae legis litterae adhaerentes.*---Quia Chaldaeos interpretari feroces novimus, qui alii Chaldaeorum nomine designantur, nisi persecutionis auctores usque ad apertos clamores malitiae prorumpentes, cum dicunt: *Crucifige, crucifige* (**Luc. XXIII, 21; Marc. III, 6**)? Qui de semetipsis tres turmas faciunt, cum se ad proponendas quaestiones Domino Pharisei, Herodiam et Sadducaei diviserunt. Qui ore quidem Sapientiae victi sunt: sed quia stultos quosdam post se eos traxisse credendum est, factis turmis camelos tulerunt. Unusquisque namque eorum ordo in prava quae sapuit, insipientium corda corrumpit; et dum

persuadendo ad interitum pertraxit, quasi tortuosas mentes infirmantium ad captivitatem duxit. Praedicante quippe in Samaria Domino, multi ex Samaritanis fuerunt in possessionem ejusdem Redemptoris nostri asciti. Sed nunquid ii qui pro septem viris unius mulieris mortuis, de resurrectionis desperatione Dominum tentant (**Matth. XXII, 25**), nequaquam conati sunt credentes Samaritanos a fide reducere, quos constat spem resurrectionis ignorare? Qui dum ex lege nonnulla recipiunt, nonnulla contemnunt, quasi camelorum more, velut mundum animal ruminant, sed ut immundum ungulam nequaquam findunt. Quamvis et eos cameli ruminantes, sed tamen ungulam non findentes, indicant qui in Judaea juxta litteram, historiam audierant, sed virtutem ejus discernere spiritaliter nesciebant. Quos tribus turmis Chaldaei rapiunt; dum Pharisei, Herodiani et Sadducae ab omni sensus rectitudine iniqua persuasione pervertunt. Simulque pueros gladio feriunt, quia etsi qui in populo uti jam ratione poterant, eis ipsi non virtute rationis, sed potestatis auctoritate contraibant; dumque se quasi praepositos imitari a subditis volunt, etsi intelligere aliquid sequentes possunt, ex auctoritate tamen suscepti regiminis eos ad perniciem pertrahunt. A quibus bene solus puer qui nuntiet fugit: quia Phariseis, Herodianis, atque Sadducaeis iniqua patrantibus, eos nimirum deserens propheticus sermo convalescit, qui ait: *Et tenentes legem nescierunt me* (**Jer. II, 8**). Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXVIII, Rec. XXI*].

VERS. 18, 19.--- *Loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus. Quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt.*

53. *Judaicus populus in primogenito Job figuratus.*---Paulo ante jam diximus quod filios et filias, praedicantes apostolos et plebes subditas sentiamus: qui in domo fratris primogeniti convivari referuntur, quia in habitatione adhuc Judaici populi sacrae praedicationis deliciis vescebantur. *Repente autem vehemens ventus irruit a regione deserti.* Regio deserti est cor infidelium, quod dum Creator deserit, nullus inhabitator colit. Ventus autem vehemens quid aliud, quam tentatio fortis accipitur? Ventus ergo vehemens a regione deserti irruit; quia in passione Redemptoris nostri contra fideles ejus, fortis tentatio a cordibus Judaeorum venit. Potest etiam deserti regio, derelicta immundorum spirituum multitudo non inconvenienter intelligi. A qua ventus venit, et domum concutit, quia ab **60** eis tentatio prodiit, et persecutorum corda commovit.

54. *Ejus domus eversa, est synagoga, quatuor angulis, hoc est quatuor ordinibus concussis diruta. Unde et oppressi liberi.*--
-Sed haec domus, in qua convivabantur filii, in quatuor angulis stabat. Tres enim regentium ordines in synagoga cognovimus, sacerdotum scilicet, scribarum atque seniorum populi. Quibus si et Phariseos jungimus, quatuor in hac domo angulos invenimus. A regione igitur deserti ventus venit, et quatuor domus angulos concutit, quia ab immundis spiritibus tentatio irruit, et mentes quatuor ordinum, in malitiam persecutionis excitavit. Quae domus corruens,

oppressit liberos, quia dum Judaea in crudelitatem Dominicae persecutionis cecidit, apostolorum fidem desperationis formidine obruit. Teneri enim tantummodo magistrum viderunt, et jam negantes per diversa fugiebant. Et quamvis interna manus eorum spiritum in praescientia ad vitam tenuit, a vita tamen fidei eos interim carnalis timor exstinxit. Qui ergo auctorem suum, Judae saeviente, reliquerunt, quasi concussis angulis domo eversa necati sunt. Quid autem illo tempore de grege fidelium factum credimus, quo fugisse ipsos etiam arietes scimus? Sed inter haec unus qui nuntiet evadit, quia convaluisse se sermo propheticus, qui haec denuntiaverat, ostendit, dicens de persecutore populo: *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa* (**Jerem. XI, 15**); dicens de bonis praedicatoribus, sed tamen in passione fugientibus: *Proximi mei a longe steterunt* (**Psal. XXXVII, 12**); dicens de cunctis valde formidantibus: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (**Zach. XIII, 7; Matth. XXVI, 31**). Sequitur:

CAPUT XXXIV *Vet. [XXIX, Rec. XXII].*

VERS. 20.---*Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua.*

55. *Job surgens et vestem scindens Christum adumbrat.*--- Ruente domo extinctis filiis, Job surrexit, quia Judaea in infidelitate perdita, praedicatoribus in pavoris morte cadentibus, Redemptor humani generis semetipsum a carnis suae morte suscitavit: quanto judicio persecutores suos deseruit, demonstravit. Surgere quippe ejus est qua

districcione peccatores derelinquat ostendere, quasi enim jacere ejus est patienter mala tolerare. Surgit ergo, cum contra reprobos judicium justitiae exerit. Unde et recte vestimenta scidisse perhibetur. Quid enim vestimentum Domini nisi Synagoga exstitit, quae prophetis praedicantibus expectationi incarnationis illius adhaesit? Sicut enim his nunc vestitur, a quibus diligitur, Paulo attestante qui ait: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam (Ephes. V, 27)*. Quae enim maculam aut rugam non habere dicitur, profecto vestis rationalis et per actionem munda, et per spem tensa monstratur. Ita cum incarnandum eum Judaea credidit, adhaerendo nihilominus vestis fuit.

56. *Synagoga ejus vestis scissa, aliis credentibus, aliis non credentibus.*---Sed quia exspectatus venit, veniens nova docuit, docens mira exercuit, mira faciens prava toleravit; vestem quam indutus fuerat scidit, dum in Judaea alios ab infidelitate sustulit, alios in infidelitate dereliquit. Quid est igitur vestis scissa, nisi Judaea in contrariis sententiis divisa? Si enim vestis ejus scissa non esset, evangelista non diceret quod praedicante Domino contentio oriebatur in populo, *Ut alii dicerent, Bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas (Joan. VII, 12)*. Quasi scissa vestis illius fuit quae divisa **61** per sententias unitatem concordiae perdidit. Sequitur:

CAPUT XXXV.

IBID.---*Et tonso capite corruens in terram, adoravit.*

57. *Quasi tonso capite in terram ruit, dum Judaico sacerdotio rejecto, ad gentes descendit.*---Quid per decisos capillos, nisi sacramentorum subtilitas; quid per caput, nisi summa sacerdotii designatur? Unde et ad Ezechielem prophetam dicitur: *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et assumes eum, et duces per caput tuum et barbam (Ezech. V, 1)*, ut videlicet prophetae facto iudicium Redemptoris exprimatur, qui in carne apparens caput rasisit, quia a Judaico sacerdotio praeceptorum suorum sacramenta abstulit; barbam rasisit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit. [*Vet. XXX.*] Quid vero hoc loco per terram, nisi homo peccator exprimitur? Primo quippe peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis (Genes. III, 19)*. Terrae ergo nomine peccatrix gentilitas designatur. Nam cum justam Judaea se crederet, constat quam reprobam de gentilitate sentiret, Paulo attestante, qui ait: *Nos natura Judaei, et non ex gentibus peccatores (Gal. II, 15)*. Mediator igitur noster quasi detonso capite in terram corrui, quia Judaeam deserens, dum sacramenta sua ab ejus sacerdotio abstulit, ad notitiam gentium venit. Capillos enim a capite rasisit, quia sacramenta legis ab illo primo suo sacerdotio sustulit; et in terram corrui, quia salvandis se peccatoribus dedit; dumque eos qui sibi iusti videbantur deseruit, hos qui se injustos et noverant, et fatebantur, assumpsit. Hinc et ipse in Evangelio dicit: *Ego in iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant (Joan. IX, 39)*. Hinc et columna nubis, quae in eremo populum praeibat (*Exod. XIII. 21*), splendore ignis non in die, sed in nocte radiabat, quia videlicet redemptor noster, suae conversationis exemplo, ducatum sequentibus praestans, de justitia sua confidentibus nulla luce claruit;

peccatorum vero suorum tenebras agnoscentibus, igne sui amoris infulsit. Nec quod corruere Job dicitur, indignum mens hoc significatione Redemptoris arbitretur. Scriptum namque est: *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel (Isai. IX, 8)*. Jacob quippe supplantator, Israël vero videns Deum dicitur. Et quid per Jacob, nisi Judaicus populus; quid per Israël nisi gentilis populus designatur? Quia quem Jacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Jacob ergo missum verbum, in Israël cecidit, quia eum quem ad se venientem Judaicus respuit, hunc repente confitens populus gentilis invenit. De sancto quippe Spiritu scriptum est: *Cecidit spiritus Domini super eos (Act. X, 44)*.

58. *Cadere qui dicatur verbum Dei aut Spiritus sanctus.*--- Idcirco autem vel verbum Dei, vel Spiritus sanctus in sacra Scriptura cadere dicitur, ut inopinatus ejus adventus exprimatur. Quod enim ruit vel cadit, ad ima repente venit. Mediatori ergo in terram quasi corruisse est, nullis signis praecurrentibus inopinate ad gentes venisse. Bene autem dicitur quod corruens adoravit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim, quia fieri docuit; sicut et de ejus Spiritu dicitur: *Ipsa Spiritus postulat 62 pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. VIII, 26)*. Neque enim petit, qui aequalis est, sed postulare dicitur; quia nimirum quos repleverit, postulantes facit: quamvis hoc et in semetipso Redemptor noster ostendit, qui Patrem etiam, dum passioni propinquaret, exoravit. Quid enim mirum, si in forma servi exorando so Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium usque ad mortis extrema toleravit? Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Vet. XXXI, Rec. XXIII*].

VERS. 21.---*Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc.*

59. *Christus ad Judaeos e quibus exivit, in fine mundi est reversurus.*---Redemptoris mater juxta carnem Synagoga exstitit, ex qua ad nos per corpus visibilis processit. Sed hunc intra se tegmine litterae adopertum tenuit, dum ad spiritalem ejus intelligentiam mentis oculos aperire neglexit. Hunc quia in carne humani corporis latentem videre Deum noluit, quasi in divinitate nudum considerare contempsit. Sed nudus de utero matris exiit: quia a Synagoga carne prodiens conspicuus ad gentes venit. Quod bene Joseph relicto pallio fugiente signatum est (**Genes. XXXIX, 12**). Dum enim mulier adultera male illo uti voluisset, relicto pallio fugit foras, quia dum Synagoga Dominum purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit, ipse tegmen litterae ejus oculis reliquit, et ad cognoscendam divinitatis suae potentiam conspicuum se gentibus praebuit. Unde et Paulus dixit: *Usque hodie, dum legitur Moyses, velamen est super cor eorum* (**II Cor. III, 15**), quia videlicet adultera mulier apud semetipsam pallium retinuit, et quem male tenebat, nudum amisit. Qui ergo a Synagoga veniens, fidei gentium conspicuus apparuit, ex utero matris nudus exivit. Sed nunquid hanc omnimodo deserit? Et ubi est quod per prophetam dicitur: *Si fuerit numerus filiorum Israël quasi arena maris, reliquiae salvae fient* (**Isai. X, 22, Rom. IX, 27**)? Ubi quod scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et*

sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI, 25)? Erit ergo quando conspicuus etiam Synagogae appareat. Erit in fine mundi procul dubio, quando gentis suae reliquiis semetipsum, sicut est Deus, innotescat. Unde et bene hic dicitur: *Nudus revertar illuc*. Nudus quippe ad uterum matris revertitur, cum in mundi hujus termino is, qui in saeculo factus homo despicitur, Synagogae suae oculis, Deus ante saecula declaratur. Sequitur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XXIV*].

IBID.---*Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.*

60. *Deus Christo Judaeam dedit et abstulit.*---Redemptor noster per hoc quod Deus est, cum Patre dat omnia; per hoc vero quod homo est, a Patre accipit inter omnia. Dicat igitur de Judaea, cum venturum incarnationis ejus mysterium crederet: *Dominus dedit*. Dicat de Judaea, cum exspectatam incarnationis ejus praesentiam contempsisset: *Dominus abstulit*. Data quippe est, cum per quosdam futura credidit; sed exigente merito suae caecitatis ablata est, cum credita per quosdam venerari contempsit.

61. *Christus exemplo docuit Deo in flagellis benedicere.*---In se autem credentes edoceat, ut in flagellis positi benedicere Domino sciant, cum subditur: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*. Unde et teste Evangelio (**Matth. XXVI, 26**), cum **63** propinquare passioni dicitur, accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque

agit, qui flagella alienae iniquitatis suscipit. Et qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit; ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpae propriae facere debeat, si ipse aequanimiter flagella culpae portat alienae ut hinc ostendat quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit aequalis. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

VERS. 22.---*In omnibus his non peccavit Job neque stultum aliquid contra Deum locutus est.*

62. *Dolus apud homines prudentia, apud Deum stultitia est.*--
-Quod nec peccasse, nec stultum aliquid contra Deum locutus asseritur; hoc de illo Petrus, sicut jam praediximus, aperte testatur, dicens: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (I Pet. II, 22)*. Dolus quippe in ore, quanto apud homines prudentius callet, tanto apud Deum stultius desipit, Paulo attestante, qui ait: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19)*. Quia ergo dolus in ore ejus non fuit, stultum proculdubio nihil dixit. Hunc contra Deum sacerdotes et principes locutum stulte crediderunt, cum interrogatus passionis tempore, Dei se Filium testaretur. Unde et conquirantes dicunt: *Quid adhuc egemus testibus? ecce ipsi audivimus blasphemiam (Matth. XXVI, 65)*. Sed contra Deum stulte nihil dixit: quia vera loquens, hoc de se infidelibus etiam moriendo intulit, quod paulo post redemptis omnibus resurgendo monstravit.

[*Vet. XXXII.*] 63. SENSUS MORALIS.---*Satan Deo cum sanctis angelis assistit, cogitationes malas bonis interserendo.*---Haec in significationem nostri capitis breviter tractata transcurrimus: nunc in aedificationem ejus corporis, ea moraliter tractanda replicemus, ut quod actum foris narratur in opere, sciamus quomodo intus agatur in mente. Nam cum filii Dei assistunt coram Deo, inter eos quoque assistit et Satan, quia plerumque bonis nostris cogitationibus, quae in corde nostro, adventu sancti Spiritus operante, seminantur, antiquus ille callide se interserit et subjungit inimicus, ut bene cogitata perturbet, maleque perturbata dilaniet. Sed nequaquam nos in tentatione deserit, qui creavit. Nam hostem nostrum, qui se contra nos in insidiis contegit, illustratione sui luminis nobis deprehensibilem reddit; propter quod ei mox dicit:

CAPUT XXXIX.

VERS. 7.---*Unde venis?*

64. *Cui dicendum unde venis?*---Callidum namque hostem requirere, est ejus nobis insidias declarare, ut quo eum subintrare cor cernimus, forti contra illum circumspectione vigilemus.

CAPUT XL.

IBID.---*Qui respondens ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.*

65. *Qui insidias ejus Deus nobis detegat.*---Satanæ terram circuire, est carnalia corda perscrutari, et unde occasionem accusationis invenire possit, exquirere. Terram circuit, quia humana corda circumvenit, ut bona tollat, ut mala mentibus inserat, ut inserta cumulet, ut cumulata perficiat, ut perfectos in iniquitatibus ad poenam socios acquirat. Et notandum quod non transvolasse, sed perambulasse se asserit, quia nimirum nequaquam quem tentat velociter deserit; sed ubi molle cor invenit, ibi pedem miserae persuasionis figit, ut immorando actionis pravae vestigia imprimat, et ex suae iniquitatis similitudine, quos valet, reprobos reddat. Sed contra hunc beatus Job laudatur, et dicitur:

CAPUT LXI.

VERS. 8.---*Nunquid considerasti servum meum Job, quod 64 non sit ei similis super terram, vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?*

66. *Laudare Dei est bona dare, ac data custodire.*---Quem divina inspiratio contra hostem roborat, hunc quasi in Satanæ auribus Deus laudat. Laudare quippe ejus est, et prius bona concedere, et post concessa custodire. Sed antiquus hostis eo contra bonos gravius saevit, quo vallari eos divinae protectionis munere conspicit. Unde et subjungens dicit:

CAPUT XLII.

VERS. 9.---*Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio illius crevit in terra.*

67. *Suis viribus homo non stat.*---Ac si aperte dicat: Cur laudas quem protegendo roboras? Despecto enim me, dignus tuis laudibus homo esset, si suis contra me viribus staret. Unde mox et malitiose de homine expetit, quod tamen protector hominis benigne concedit. Nam subditur:

CAPUT XLIII [*Rec. XXV*].

VERS. 11. *Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.*

68. *Electi in tentatione proficiunt.*---Plerumque enim, dum virtutum fructus fecunde reddimus, dum continua prosperitate pollemus, aliquantulum mens erigitur, ut a semetipsa sibi existere bona quae habet, arbitretur. Quae nimirum bona antiquus hostis malitiose attrectare appetit; sed haec tentari Deus nonnisi benigne permittit, ut dum mens tentatione pulsante, in bonis de quibus gaudebat concutitur, imbecillitatis suae debilitate cognita, in spe divini adjutorii

robustius solidetur. Fitque mira dispensatione pietatis, ut unde malignus hostis cor tentat, ut interimat, inde misericors conditor hoc erudiat, ut vivat. Unde et bene subjungitur:

CAPUT XLIV.

VERS. 12.---*Ecce universa quae habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.*

69. *Deo perseverantiam tribuente.*---Ac si aperte dicat: Electi uniuscujusque bona sic tibi tentanda exterius tribuo, ut tamen ipse noveris, quia perseverantem mihi illum in mentis radice conservo. Ubi et bene subditur:

CAPUT XLV.

IBID.---*Egressusque est Satan a facie Domini:*

70. *Quo moderante, diabolus bonorum corda usque ad interitum non vulnerat.*---Quia per hoc, quod usque ad defectum cordis praevalere nequaquam permittitur, exclusus ab intimis, exterius vagatur. Qui etiam si virtutes mentis plerumque turbat, eo ipso foris est, quo resistente Deo, usque ad interitum bonorum corda non vulnerat. Tantum quippe contra illa saevire permittitur, in quantum necesse est ut tentationibus erudita solidentur; ne ea quae agunt bona, suis viribus tribuant, ne in securitatis torpore se deserant, et a formidinis accinctione dissolvant: sed ad proventus sui

custodiam tanto solertius invigilent, quanto se contra adversarium stare semper in acie tentationum vident.

CAPUT XLVI [*Vet. XXXIII*].

VERS. 13, 14, 15.---*Cum autem quadam die filii et filiae ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinae pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio; et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

71. *Fides virtutum omnium prima.*---In electorum corde prior bonorum sequentium sapientia nascitur, atque haec per donum Spiritus quasi primogenita proles profertur. Quae profecto sapientia, nostra fides est, propheta attestante, qui ait: *Nisi credideritis non intelligetis (Isai. VII, 9. sec. LXX).* Tunc enim vere ad intelligendum sapimus, cum cunctis **65** quae conditor dicit, credulitatis nostrae fidem praebemus. In domo ergo fratris primogeniti convivantur filii, cum virtutes reliquae epulantur in fide. Quae si non prima in corde nostro gignitur, reliqua quaeque esse bona non possunt, etiamsi bona videantur. In domo fratris primogeniti filii convivantur, dum virtutes nostrae in habitaculo fidei, sacri eloquii cibo satiantur. Scriptum quippe est: *Sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. XI, 6).* Tunc ergo virtutes nostrae veras vitae epulas sumunt, cum nutriri fidei sacramentis incipiunt. In domo fratris primogeniti

convivantur filii, quia nisi virtutes reliquae sapientiae epulis repletae, ea quae appetunt prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.

72. *Virtutibus nostris quam varie insidietur diabolus.*---Sed ecce dum bona quae agimus, sapientiae epulis fideique pascuntur, hostis noster arantes boves et pascentes asinas subtrahit, et pueros gladio occidit. Quid arantes boves, nisi graviores nostras cogitationes accipimus? quae dum cor studiosa exercitatione conficiunt, uberes provectuum fructus reddunt. Quid pascentes intelligimus asinas, nisi simplices motus cordis? quos dum studiose a duplicitatis errore compescimus, quasi in campo liberae puritatis nutrimus. Sed plerumque hostis callidus, cum graves cogitationes in corde conspicit, eas sub introducta voluptatis delectatione corrumpit; et dum motus cordis simplices videt, subtilia inventionum acumina ostendit; ut dum laus de subtilitate quaeritur, puritatis simplicitas amittatur; et si usque ad opus pravum pertrahere non valet, tentando tamen bonorum cogitationibus subripiens nocet; ut dum turbare bona mentis agnoscitur, ea quasi funditus abstulisse videatur. Possunt etiam per arantes boves, cogitationes charitatis accipi; quibus prodesse aliis conamur, cum fraterni cordis duritiam praedicando scindere cupimus. Potest etiam per asinas, quae nimirum sese onerantibus, nulla ferocitatis insania resistunt, patientiae mansuetudo signari. Et saepe hostis antiquus cum velle prodesse nos loquendo aliis conspicit, in quodam torpore otii mentem mergit; ut aliis prodesse non libeat, etiam cum a propriis vacat. Arantes ergo boves subtrahit, cum cogitationes mentis fraternae utilitatis fructibus deditas, per submissum negligentiae torporem frangit. Et quamvis electorum corda

intra arcana suae cogitationis invigilant, et quid a tentatore sustineat, superantes pensant, eo tamen ipso malignus inimicus aliquid rapuisse se gaudet, quo cogitationibus bonorum vel ad momentum praevalet.

[*Vet. XXXIV.*] 73. *Ejus conatibus quanta vigilantia occurrendum. Discretionis munus in tentatione.*---Saepe autem cum praeparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur exquirat, et ibi scandali laqueos inserit, ut quo magis res quaeque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur. Et quidem electorum corda ad se semper sollicite redeunt, et semetipsa graviter vel pro levi motu excessionis affligunt; et dum mota discunt quomodo stare debuerint, aliquando melius concussa solidantur. Sed antiquus hostis, dum tolerantiae cogitationes vel ad momentum turbat, quasi abstulisse se ab agro cordis asinas exsultat. In his autem quae agere disponimus, rationabili custodia quid quibus rebus congruat, sollicite **66** pensamus. Sed plerumque hostis, dum subita ad nos perturbatione tentationis irruit, circumspectiones cordis inopinate praeveniens, quasi ipsos custodes pueros gladio occidit. Sed tamen unus fugit, qui alia periisse nuntiet, quia in eo quod mens ab hoste patitur, rationis discretio semper ad animum redit; et quasi solam se evasisse indicat, quae apud semetipsam fortiter quidquid pertulerit pensat. Aliis ergo pereuntibus unus ad domum redit, dum turbatis in tentatione motibus discretio ad conscientiam recurrit; ut quod repentinis incursibus praeoccupata mens perdidisse se pensat, hoc compunctionis studio afflicta recipiat.

CAPUT XLVII.

VERS. 16.---*Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit de coelo, et tactas oves puerosque consumpsit; et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

74. *Diabolus castas cogitationes corrumpere conatur. Sed discretio periculum avadit.*---Quid per oves, nisi cogitationum innocentia, quid per oves, nisi bonorum cordium munditia designatur? Coelum vero aerium dici paulo ante jam diximus: unde et aves coeli nominamus. Et scimus quod immundi spiritus, qui e coelo aethereo lapsi sunt, in hoc coeli terraeque medio vagantur: qui tanto magis corda hominum ascendere ad coelestia invident, quanto se a coelestibus per elationis suae immunditiam projectos vident. Quia ergo ab aereis potestatibus contra cogitationum nostrarum munditiam flamma livoris irruit, de coelo ignis ad oves venit. Saepe enim mundas mentis nostrae cogitationes ardore libidinis accendunt; et quasi igne oves concremant, dum castos motus animi, luxuriae tentatione perturbant. Qui ignis Dei dicitur, quia etsi non faciente Deo, tamen permittente, generatur. Et quia impulsu subito ipsas nonnunquam circumspectiones mentis obruunt, quasi custodes pueros gladio occidunt. Sed tamen unus incolumis fugit, dum omne quod mens patitur, perseverans discretio subtiliter respicit, solaque mortis periculum evadit; quia etiam perturbatis cogitationibus, discretio non succumbit, ut damna sua animo renuntiet, et quasi dominum ad lamentum revocet.

CAPUT XLVIII [*Rec. XXVI*].

VERS. 17.---*Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio; et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

75. *Quantis periculis terrenarum rerum dispensatio sit obnoxia.*---Per camelos, qui mundum aliquid habent, dum ruminant, et immundum, dum nequaquam ungulam findunt, supra jam diximus bonas rerum temporalium dispensationes intelligi, in quibus quo est cura distensior, eo nobis multiplicius insidiatur inimicus. [*Vet. XXXV.*] Omnis enim, qui dispensandis terrenis rebus praesidet, occulti hostis jaculis latius patet. Nonnulla enim providens agere nititur, et saepe dum cautus futura subtiliter praevidet, incautus damna praesentia nequaquam videt; saepe dum praesentibus invigilat, ad instantia praevidenda dormitat; saepe dum aliqua torpens agit, quae vigilanter agenda sunt negligit; saepe dum plus justo vigilantem se in actione exhibet, ipsa actionis suae inquietudine rebus subditis pejus nocet. Aliquando autem linguae modum ponere nititur, sed onere dispensationis exigente, silere prohibetur. Aliquando dum nimia se censura restringit, tacet etiam 67 quae loqui debuit. Aliquando ad inferenda necessaria dum se latius relaxat, dicit etiam quae loqui non debuit. Plerumque autem tantis cogitationum voluminibus implicatur, ut ipsa ferre vix valeat, quae intra se providus versat; et cum nil opere faciat, sub magno cordis sui pondere vehementer insudat. Quia enim dura sunt quae apud semetipsum intus patitur, quietus foris otiosusque lassatur. Plerumque enim quasi ventura animus conspicit, totamque

contra haec intentionem proponit; magnusque ardor contentionis se inserit, sopor fugit, nox in diem vertitur; et cum quieta foris membra lectulus teneat, intus magnis clamoribus in cordis foro litigatur. Et fit plerumque ut nulla eveniant quae praevidentur: totaque illa cogitatio, quae diu se plena intentione paraverat, repente vacua quiescat. Tanto autem longius mens a necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. Quia igitur dispensationis curas maligni spiritus modo torpenti vel praecipitata actione feriunt, modo pigra vel immoderata locutione confundunt, pene autem semper nimis cogitationum molibus premunt, tribus turmis Chaldaei camelos rapiunt. Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum dispensationum studia modo illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare; ut dum se ad administranda exterius mens efficaciter extendere nititur, a sui consideratione separetur; et eo damna quae de semetipsa patitur nesciat, quo erga aliena fortiori studio quam decet elaborat. Recta autem mens cum curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat attendit; et nec per alienae sollicitudinis immoderationem sua studia negligit, nec per suae utilitatis vigilantiam aliena postponit. Sed tamen plerumque dum ad utraque mens solerter invigilat, dum magnis erga se, et ea quae sibi commissa sunt, circumspectionibus vacat, repentino turbata cujuslibet causae emergentis articulo, ita in praeceps rapitur, ut ab ea subito cunctae circumspectiones ejus obruantur. Unde et custodes camelorum pueros Chaldaei gladio feriunt. Sed tamen unus redit; quia inter haec discretionis ratio mentis nostrae oculis occurrit, et sollicita sibimet anima quid subito impulsu tentationis intrinsecus amittat, intelligit. Sequitur.

CAPUT XLIX [*Rec. XXVII*].

VERS. 18, 19.--- *Loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt: et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.*

76. *Virtutibus quatuor innititur spiritale aedificium. Unde concutiatur.*---Sicut supra jam diximus, regio deserti est immundorum spirituum multitudo derelicta: quae dum conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit a qua ventus vehemens venit, et domum subruit; quia ab immundis spiritibus fortis tentatio subripit, et a tranquillitatis suae statu conscientiam evertit. [*Vet. XXXVI.*] In quatuor vero angulis domus ista consistit, quia nimirum solidum mentis nostrae aedificium, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni **68** operis structura consurgit. Unde et quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium aestu temperatur. Sed nonnunquam dum menti ignavia subripit, prudentia frigescit; nam cum fessa torpet, ventura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio subripit, temperantia nostra marcescit; in quantum enim ad delectationem praesentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. Nonnunquam se timor cordi insinuat, et vires nostrae

fortitudinis turbat; et eo minores contra adversa existimus, quo quaedam perdere immoderatus dilecta formidamus. Nonnunquam vero amor suus se menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine justitiae divertit; et quo se totam auctori reddere negligit, eo in se justitiae juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit; dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit; et quasi quassatis angulis domus eruitur, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur.

77. Inde virtutes caeterae quasi cordis soboles se invicem pascunt.---Intra hos autem quatuor domus angulos filii convivantur, quia intra arcana mentis, quae principaliter his quatuor virtutibus ad summae rectitudinis culmen erigitur, virtutes caeterae quasi quaedam cordis soboles se invicem pascunt. Donum quippe Spiritus, quod in subjecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam format, eandem mentem ut contra singula quaeque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat, ut contra stultitiam, sapientiam; contra hebetudinem, intellectum; contra praecipitationem, consilium; contra timorem, fortitudinem; contra ignorantiam, scientiam; contra duritiam, pietatem; contra superbiam det timorem.

78. His qui virtutibus praediti sunt, gratia aliquando utiliter se subtrahit.---Sed nonnunquam, dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, si continua in his securitate perfruitur, a quo sibi haec sint obliviscitur; seque a se habere putat, quod nunquam sibi abesse considerat. Unde fit ut aliquando se haec eadem gratia utiliter subtrahat, et praesumentem menti, quantum in se infirmatur, ostendat. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sunt, quando haec

quasi amittendo, sentimus quia a nobis servari non possunt. Ad hoc itaque intimandae humilitatis magisterium, fit plerumque ut irruente tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens, qualiter malis imminetibus obviet, vel contra tentationem quomodo se praeparet, ignoret. Sed hac ipsa stultitia cor prudenter eruditur, quia unde ad momentum desipit, eo post verius, quo et humilior, sapit; et sapientia unde quasi amittitur, inde certius possidetur. Aliquando dum sublimia intelligendo in elatione se animus erigit, in rebus imis et vilibus gravi hebetudine pigrescit, ut repente sibi etiam ima clausa videat, qui pernix summa penetrabat. Sed haec ipsa hebetudo intellectum nobis, dum subtrahit, servat, quia dum ad momentum cor humiliat, verius ad sublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere consilii gravitate gaudemus, pulsante causae emergentis articulo, praecipitatione subita rapimur; et qui nos semper disposite vixisse credidimus, repente **69** intima confusione vastamur. Sed tamen ejusdem confusionis eruditione discimus, ne nostris viribus consilia nostra tribuamus; et tanto maturius ad gravitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum mens fortiter adversa contemnit, subortis adversitatis eventibus, hanc metus vehemens percutit. Sed per hunc concussa discit cui tribuat quod in quibusdam fortiter stetit; et tanto post validius fortitudinem retinet, quanto hanc repente irruente formidine sibi jam quasi elapsam videt. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentinae ignorantiae caecitate torpescimus. Sed quo ignorantia mentis oculus ad momentum clauditur, eo post ad scientiam verius aperitur, ut nimirum flagello suae caecitatis eruditus, et scire ipsum a quo habeat sciat.

Aliquando dum religiose cuncta disponimus, dum pietatis viscera plene nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente percutimur. Sed quasi obdurati cognoscimus, cui pietatis habitae bona tribuamus; et pietas verius velut exstincta recipitur, dum quasi amissa amplius amatur. Aliquando dum subjectum se divinae formidini animus gaudet, repente superbia tentante rigescit. Sed tamen valde mox timens quia non timet, ad humilitatem se iterum festinus inflectit; et tanto hanc solidius recipit, quanto ejus virtutis pondus quasi amittendo pensavit.

79. Tentationibus acquiruntur humilitas et vigilantia.--- Eversa igitur domo, moriuntur filii quia turbata in tentatione conscientia, ad utilitatem propriae cognitionis raptim et in momento temporis obruuntur genitae in corde virtutes. [*Vet. XXXVII.*] Qui profecto filii intus per spiritum vivunt, dum exterius carne moriuntur, quia videlicet virtutes nostrae tentationis tempore etsi in momento turbatae ab status sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseverantiam integrae in mentis radice subsistunt. Cum quibus etiam tres sorores occumbunt, quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quaestiones pulsatur fides. Saepe enim quasi a conditoris amore torpescimus, dum ultra quam nobis congruere credimus, flagello fatigamur. Saepe dum plus quam necesse est mens formidat, fiduciam sibimet spei debilitat. Saepe dum immensis quaestionibus animus tenditur, perturbata fides quasi defectura fatigatur. Sed tamen vivunt filiae, quae domo concussa moriuntur, quia etsi intra conscientiam, spem, fidem, charitatemque pene occumbere perturbatio ipsa renuntiat, has tamen ante Dei oculos vivas perseverantia

rectae intentionis servat. Unde et puer qui haec nuntiet solus evadit, quia mentis discretio etiam inter tentamenta incolumis permanet. Agitque puer ut Job filios fiendo recipiat, dum, discretione nuntiante, dolens animus vires quas quasi amittere coeperat poenitendo conservat. Mira autem hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpa nonnunquam pulsatione feriat. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit enerviter cadere, inde accipit fortiter stare. Tentatus autem, non solum vires a quo accipiat discit, sed quanta eas vigilantia servet intelligit. **70** Saepe enim quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravivit. Nam dum lassum se quisque in otio remittit, dissolutam mentem corruptori prostituit; at si eum ex dispensatione supernae pietatis tentatio non repente vehementer irruens, sed temperato accessu erudiens pulsat, nimirum ad insidias providendas evigilat, ut contra hostem se in certamine cautus accingat. Unde et bene subjungitur:

CAPUT L.

VERS. 20.---*Tunc surrexit Job.*

80. *Discretio tentationibus proficit.*---Sedere enim, quiescentis est; assurgere, decertantis. Auditis ergo adversis surgere, est expertis tentationibus mentem ad certamina

robustius parare. Quibus nimirum tentationibus etiam discretio proficit, quia ut virtutes a vitiis subtilius distinguat, agnoscit. Unde et bene subjungitur:

CAPUT LI [*Vet. XXXVIII*].

IBID.---*Scidit vestimenta sua.*

81. *Tentationibus pulsati ad luctum poenitentiae humilitatemque confugiant ut sanentur.*---Vestimenta scindimus, cum discernendo nostra opera retractamus. Si enim apud Deum nos opera nostra quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur: *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus (Apoc. XVI, 15)*. Turpitudine enim nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos in judicio, nequaquam subsequenteris boni operis tegmine velatur. Sed quia cum culpa tentamur, ad lamenta accendimur; atque ipsis lamentis excitati, ad perspicendam lucem justitiae subtilius oculos mentis aperimus, quasi in dolore vestimenta scindimus, quia ex fletu, discretione crescente, cuncta quae agimus, districtius irata manu judicamus. Tunc omnis nostra elatio corrui, tunc cuncta ab animo cogitationum superfluitas cadit. Unde et subditur:

CAPUT LII.

IBID.---*Et tonso capite corruens in terram adoravit.*

82. *Elatio et cogitationum vanitas, quomodo resecentur.*---Nam quid moraliter per capillos, nisi defluentes animi cogitationes accipimus? Unde et alias Ecclesiae dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua, sponsa, et eloquium tuum dulce (Cant. IV, 3).* Vitta quippe crines capitis astringit. Labia ergo sponsae sicut vitta sunt, quia exhortatione sanctae Ecclesiae, cunctae in auditorum mentibus diffusae cogitationes ligantur; ne remissae defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsae cordis oculos deprimant; sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctae praedicationis ligat. Quam recte et coccineam asserit; quia sanctorum praedicatio solo charitatis ardore flammescit. Quid vero per caput, nisi ea, quae principale uniuscujusque actionis est, mens ipsa signatur? Unde et alias dicitur: *Et oleum de capite tuo non deficiat (Eccles. IX, 8).* Oleum quippe in capite, est charitas in mente; et a capite deficit oleum, cum charitas a mente discedit. Caput ergo detondere est cogitationes superfluas a mente resecare. Et detonso capite in terram corruit, qui repressis praesumptionis suae cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit humiliter agnoscit.

[*Vet. XXXIX.*] 83. *Difficile magna agere, et de actis fiduciam non habere.*---Difficile namque est magna agere, et apud semetipsum quempiam de magnis actibus cogitationum fiduciam non habere. Eo ipso enim quo contra vitia fortiter vivitur, cogitationum praesumptio in corde generatur; et cum mens foras culpas valenter conterit, plerumque apud semetipsam latenter intumescit; jamque se esse magni alicujus meriti aestimat, nec se peccare in cogitatione suae

aestimationis putat. Ante districti autem judicis oculos tanto deterius delinquitur, quanto culpa **71** quo occultius, eo pene incorrigibiliter perpetratur: et tanto ad vorandum latius patet fovea, quanto de semetipsa elatius gloriatur vita. Unde, ut saepe jam diximus, pia conditoris dispensatione agitur, ut de se confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur quatenus infirmata, quid sit inveniat, et praesumptionis propriae fastum deponat. Mox enim ut tentatio mentem pulsaverit, omnis cogitationum nostrarum praesumptio tumultusque conquiescit.

84. *Mens elata in tyrannidem erumpit; satellites ejus tentatione fugantur.*---Mens enim cum se in elatione erigit, quasi in tyrannidem erumpit. Habet autem tyrannidis suae satellites, faventes sibimet cogitationes suas. Sed si super tyrannum hostis irruat, favor mox satellitum cessat. Intrante namque adversario, satellites fugiunt, cumque territi declinant, quem in pace positi callida adulatione laudabant. Subductis vero satellitibus, ante hostem solus remanet, quia recedentibus elatis cogitationibus, perturbatus animus se solummodo et tentationem videt. Auditis ergo adversis caput detondetur, cum tentationibus vehementer irruentibus, a praesumptionis suae cogitationibus mens nudatur. Quid est enim quod Nazaraei capillos nutriunt (**Num. VI, 5**), nisi quod per vitam magnae continentiae praesumptionum cogitationes crescunt? Sed quid est quod, devotione completa, caput Nazaraeus radere capillosque in igne sacrificii ponere jubetur, nisi quod tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus? Quas nimirum sacrificii igne concremare, est flamma eas divini amoris incendere, ut totum cor in Dei

amore ardeat, et cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaraei capillos devotionis perfectione consumat. [*Vet. XL.*] Et notandum quod in terram corruens adoravit. Ille enim veram Deo adorationem exhibet qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quae agit esse de misericordia conditoris agnoscit. Unde et competenter dicit:

CAPUT LIII.

VERS. 21.---*Nudus egressus sum de utero matris meae: nudus revertar illuc.*

85. *Qui se a virtutibus nudum putat, ipsa melius humilitate vestitur.*---Ac si tentatus animus et in infirmitatis suae inopia deprehensus dicat: Nudum me in fide prima gratia genuit, nudum eadem gratia in assumptione salvabit. Est namque magnum animi turbati solatium, ut pulsatus vitiis, cum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam misericordiae spem recurrat; et eo se nudari non sinat, quo se a virtutibus humiliter nudum putat: qui etsi fortasse aliqua virtute in tentatione detegitur, infirmitatem tamen propriam agnoscens, ipsa melius humilitate vestitur; et valde robustius quam steterat jacet, cum sibi sine divino adjutorio cessat tribuere quod habet. Unde et manum mox largitoris et iudicis humiliter agnoscit, dicens:

CAPUT LIV.

IBID.---*Dominus dedit, Dominus abstulit.*

86. *Tentatione eruditi crescimus.*---Ecce tentationibus eruditus crevit, qui et in virtute habita largitatem dantis, et in perturbatione fortitudinis, potestatem tollentis agnoscit. Quae tamen fortitudo non tollitur, sed perturbata fatigatur; quatenus concussa mens, dum se hanc jamjamque quasi amittere trepidat, semper facta humilis nunquam perdat.

CAPUT LV.

IBID.---*Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen 72 Domini benedictum.*

87. *Tentato quid agendum.*---In hoc, quod interna perturbatione concutimur, dignum est ut ad conditoris judicium recurramus; ut inde cor nostrum adjutori suo majores laudes exhibeat, unde pulsatum verius imbecillitatem suae infirmitatis pensat. Bene autem dicitur:

CAPUT LVI.

VERS. 22.---*In omnibus his non peccavit Job nec stultum aliquid contra Deum locutus est.*

88. *De tentatione non murmuret.*---Quia solerti cura custodire dolens animus debet, ne cum se intus tentatio stimulat, in verbis foras illicitae locutionis erumpat, ne de probatione murmuret, et ignis qui hunc velut aurum concremat, per excessum sermonis illiciti in paleae favillam vertat.

[*Vet. XLI, Rec. XXVIII.*] 89. *Dona Dei aliquando utiliter subtrahuntur. Prophetiae Spiritus prophetis non adest semper.*---Nihil vero obstat si hoc quod de virtutibus diximus, de his quae in ostensione virtutis dantur donis sancti Spiritus sentiamus. Alii namque prophetiae, alii genera linguarum, alii virtutes curationum dantur. Sed quia haec ipsa dona non semper in mente eodem modo sunt, liquido ostenditur quod ne se mens in praesumptione elevet, aliquando utiliter subtrahuntur. Nam si prophetiae spiritus prophetis semper adesset, nimirum Elisaeus propheta non diceret; *Dimitte eam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me verbum (IV Reg. 4, 2).* Si prophetiae spiritus prophetis semper adesset, inquisitus Amos propheta non diceret: *Non sum propheta*, ubi et subdidit: *Neque filius prophetae; sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros (Amos. VII, 14).* Quomodo autem propheta non fuit, qui de futuris tot vera praedixit? Aut quomodo propheta fuit, si de se in praesenti vera denegavit? Sed quia eadem hora qua requisitus est prophetiae sibi spiritum deesse sensit, de semetipso testimonium veraciter intulit, dicens: *Non sum propheta.* Qui tamen secutus adjunxit: *Et nunc audi verbum Domini. Haec dicit Dominus: Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiae tuae in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur; et*

tu in terra polluta morieris (Ibid. 16, 17). Quibus prophetae verbis aperte ostenditur quia dum de se illa loqueretur, impletus est; et mox habere prophetandi spiritum meruit, quia se prophetam non esse humiliter agnovit. Et si prophetiae spiritus prophetis semper adesset, David regi de templi se constructione consulenti, nequaquam Nathan propheta concederet quod post paululum negaret (**II Reg. I, 3, 5**).

90. *Spiritum habere permanentem Christi est privilegium. Qui dicatur et in discipulis mansurus.*---Unde bene et in Evangelio scriptum est: *Super quem videris Spiritum descendantem et manentem super eum, hic est qui baptizat (Joan. I, 33).* In cunctis namque fidelibus Spiritus venit, sed in solo Mediatore singulariter permanet, quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus et omnia et semper potest. Nam fideles, qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper, ut volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitu ostensione testantur. Sed cum rursum de eodem Spiritu Veritatis ore discipulis dicitur, *Apud vos manebit, et in vobis erit (Joan. XIV, 18)*, quid est quod divina voce Mediatoris signum haec eadem sancti Spiritus mansio declaratur, cum dicitur: *Super quem videris Spiritum descendantem, et manentem super eum?* Si igitur juxta magistri vocem et in discipulis manet, quomodo jam singulare signum erit quod in Mediatore **73** permanet? Quod tamen citius cognoscimus, si dona ejusdem Spiritus discernamus.

[*Vet. XLII, Rec. XXIX.*] 91. *Mansurus est in donis quibus sanctitas confertur, non in iis quibus haec pro aliorum utilitate declaratur.*---Alia namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitae

sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, charitas, dona ejus sunt, sed ea sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt. Prophetiae autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt, sed quae virtutis ejus praesentiam pro correctione intuentium ostendunt. In his igitur donis sine quibus ad vitam perveniri non potest, sanctus Spiritus sive in praedicatoribus suis, sive in electis omnibus semper manet; in illis autem quibus per ostensionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quaeritur, nequaquam semper in praedicatoribus permanet, quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum praesidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit: sed aliquando se eis a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humiliter virtutes ejus habeantur, quo habitae teneri non possunt.

92. *Longe aliter ab his manet in Christo.*---Mediator autem Dei et hominum homo Christus Jesus, in cunctis eum et semper et continue habet praesentem, quia et ex illo isdem Spiritus per substantiam profertur. Recte ergo et cum in 74 sanctis praedicatoribus maneat, in Mediatore singulariter manere perhibetur, quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, et tangat; ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, a quo per naturam nunquam recedit. Dona vero ejus quibus ad vitam tenditur,

sine periculo amitti non possunt; dona autem quibus vitae sanctitas demonstratur, plerumque, ut dictum est, sine dipendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, haec pro alienis provectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant; in istis vero ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas, quia ad elationem mentem fortasse sublevant. Cum igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, dicamus recte: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Tunc enim vere ostendimus quia accepta recte tenuimus, cum profecto aequanimiter ad momentum sublata toleramus.

LIBER TERTIUS. *Totum caput secundum libri Job, ad modum superiorum librorum, historice, allegorice ac moraliter explanat.*

CAPUT PRIMUM.

HISTORICUS SENSUS.---1. Beatus Job ad mortem petitus in tentatione, ad vitam crevit ex verbere; et antiquus hostis unde se bona ejus aestimavit extinguere, inde doluit multiplicasse. Sed quia in primo certamine se succubuisse considerat, ad alia se tentationum bella restaurat, et de sancto viro mala adhuc impudenter sperat; quia bona malus credere

non potest, vel experta. Ea autem quae in prima ejus percussione praemissa sunt, iterum subnectuntur, cum dicitur:

VERS. 1, 2, 3.---*Factum est cum quadam die venissent filii Dei et assisterent coram Domino, venissetque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram, homo simplex et rectus, timens Deum, et recedens a malo.*

Infirmetas superbiae diaboli increpatur.---Haec quia latius supra disseruimus, melius silendo praeterimus: ne, dum saepius discussa repetimus, tardius ad indiscussa veniamus. Quamvis hoc, quod voce Domini ad Satan dicitur: *Unde venis?* nequaquam aestimo quod ei, ut prius, dicatur. Cum enim ab eo certamine in quo relaxatus fuerat victus redit; et unde venit requiritur, qui unde veniat scitur; quid aliud quam infirmitas superbiae ejus increpatur? ac si ei aperte divina vox dicat: Ecce ab uno et in infirma carne posito homine vinceris, qui te contra me auctorem omnium erigere conaris. Unde mox Dominus cum beati Job bona, sicut prius diceret, haec cum victoriae triumphis enumerans adjungit:

CAPUT II.

IBID.---*Et adhuc retinens innocentiam suam.*

2. *Job innocentiam gloriosius servavit in verberare.*---Ac si aperte dicat: Tu quidem exercuisti malitiam, sed ille

innocentiam non amisit; et unde te aestimasti provectum ejus imminuere, inde compulsus es ejus provectui deservire, quia mentis innocentiam, quam gloriose tenuit in tranquillitate, gloriosius servavit in verberare. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. II*].

IBID.---*Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra.*

3. *Deus afflixit Job frustra, quia in eo non punivit peccatum; et non frustra, quia auxit ejus meritum.*---Cum sit Deus justus et verax, valde quaerendum est quomodo beatum Job frustra afflxisse se indicat. Quia enim justus est, frustra affligere non potuit; sed rursum quia verax est, aliter non potuit dixisse quam fecit. Ut ergo justo et veraci utraque convenient, quatenus et vera dicat, et injusta non faciat; cognoscamus beatum Job et juxta aliquid frustra, et rursum juxta aliquid non frustra percussum. Quia enim justus et verax haec de semetipso asserit, ostendamus et verum exstitisse quod dixit, et rectum fuisse quod fecit. Necesse quippe erat, ut sanctus vir Deo soli sibi que cognitus, quanta virtute polleret, ad imitandum cunctis innotesceret. Aperte namque aliis virtutis exempla non daret, si ipse sine tentatione remaneret. Actum ergo est ut et vires ejus cunctis imitandas ipsa vis percussione ostenderet, et flagella proderent quod in tranquillitate latuisset. Sed eisdem flagellis crevit virtus patientiae, atque ex dolore verberis aucta est gloria remunerationis. Ut ergo in dicto Domini veritas, rectitudo autem teneatur in facto, beatus

Job et non frustra percutitur, quia augetur meritum; et tamen frustra percutitur, quia nullum punitur **75** admissum. Frustra enim percussus est, cui culpa nulla reciditur; et non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulatur.

[*Vet. II.*] 4. *Commotus Deus qui intelligatur.*---Sed quid est quod dicitur: *Commovisti me adversus eum?* Nunquid Satanae verbis Veritas accenditur, ut in subditorum suorum cruciatibus instigetur? Quis haec de Deo senserit, quae recto etiam homine indigna perpendit? Sed quia nos ferire nisi commoti nescimus, ipsa divina percussio commotio vocatur; et ad nostra verba divina voce descenditur, ut ejus factum ab homine utcunque capiatur. Illa enim vis quae absque necessitate omnia creavit, et sine despectu omnibus praesidet, et sine labore cuncta sustentat, et sine occupatione regit, etiam sine commotione corrigit, sicque humanas mentes ad ea quae voluerit flagellis format, ut in diversitatis umbram a suae incommutabilitatis luce non transeat. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 4, 5.---*Respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo dabit pro anima sua; alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.*

5. *Deus sinit diabolum contra sanctos bellum redintegrare, ut saepius victus obmutescat.*---Antiquus hostis ex rebus exterioribus colligit, quod beato viro ad mentis crimen infligit. Pellem enim pro pelle dari asserit, quia saepe dum venire

ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus, ut ab ictu oculos defendamus; et corpus vulneri objicimus, ne in corpore teneriori vulneremur. Satan ergo haec consue-
fieri sciens, dicit: *Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua*. Ac si aperte dicat: Idcirco Job tot extra se flagella aequanimiter patitur, quia pavet, ne ipse feriat. Cura ergo carnis est, quod damno affectuum carnalium motus non est, quia dum sibimetipsi metuit, minus suorum percussiones sentit. Unde et mox ejus carnem feriendam postulat, dicens: *Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi (Job II, 5)*. Superius dixerat: *Tange cuncta quae possidet, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi (Job I, 11)*. Nunc quasi prioris propositionis oblitus, fractus de aliis alia postulat. Quod tamen recte divina dispensatione permittitur, quatenus altercator impudens vel saepe victus obmutescat. Sequitur:

CAPUT V [*Rec. III*].

VERS. 6.---*Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.*

6. *Manui adversarii Job sic traditur, ut in adjutoris manu semper retineatur.*---Ecce iterum permissionem verberis comitatur custodia protectionis, et electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit, alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Job desereret in manu tanti adversarii, homo quid esset? In ipsa ergo justitia permissionis

miscetur quaedam libra pietatis, quatenus in uno eodemque certamine et servus humilis ex oppressione proficiat, et hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itaque adversarii sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adjutoris sui manu retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio ipsa Veritas dicit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea* (**Joan. X, 28**); et tamen expetenti hosti dicitur: *Ecce in manu tua est*. Isdem ergo in manu Dei, isdem in manu est diaboli. Nam dicens: *In manu tua est*; cum protinus adjungit: *Verumtamen animam illius serva*; patenter pius adjutor innotuit, quia tenuit quem concessit, et dando non dedit, quem adversarii sui 76 jaculis ejiciens abscondit.

[*Vet. III.*] *Satan id servare dicitur, in quod irrumpere non sinitur.*---Quid est autem hoc, quod ad Satan dicitur: *Animam illius serva*? Quo enim pacto ille custodit, qui custodita semper irrumpere appetit? Sed servare Satan dicitur, irrumpere non audere, sicut e contrario Patrem in oratione postulamus, dicentes: *Ne nos inducas in tentationem* (**Matth. VI, 13**). Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper a tentatione subditos misericorditer protegit: sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est, a tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cum tentari nos ultra quam possumus non permittit. Sicut ergo Deus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ab adversario induci patiatur; ita adversarius servare animam dicitur cum hanc tentando superare prohibetur.

VERS. 7.---*Egressus igitur Satan a facie Domini.*

Quomodo Satan a facie Domini exeat, ea jam quae superius sunt dicta, manifestant. Sequitur:

CAPUT VI.

IBID.---*Percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus.*

8. *In corpore Job nihil vacat a poena, ut in anima nihil vacet a gloria.*---Duobus semper modis flagella pensanda sunt, ut scilicet perpendantur, aut qualia sint, aut quanta. Nam saepe multa ex qualitate, saepe gravia ex quantitate levigantur: si videlicet cum multa sunt, non sint gravia; cum vero gravia, non sint multa. Ut igitur ostendatur quomodo per asperitatem flagelli adversarius contra sanctum virum non solum per nequitiam qualitatis, sed etiam per pondus quantitatis exarsit, ad demonstrandam qualitatem dicitur: *Percussit eum ulcere pessimo*; ad insinuandam vero quantitatem subjungitur: *A planta pedis usque ad verticem*, ut nimirum nihil in mente vacet a gloria, in cuius corpore nil vacat a poena. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. IV*].

VERS. 8.---*Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

9. *Job testa saniem corporis radens, nos docet vas fictile quod gestamus cito conterendum.*---Unde testa, nisi ex luto conficitur? Quid vero est sanies corporis, nisi lutum? Saniem ergo radere testa perhibetur, ac si aperte diceretur: Luto tergebat lutum. Pensabat quippe vir sanctus unde sumptum

fuerat quod gestabat, et fragmento vasis fictilis confractum vas fictile radebat. Quo facto patenter ostenditur corpus suum quomodo sibi sanum subdidit, quod et percussum sic despiciens curavit; quam ille mollitiem sanae suae carni concessit, qui non vestem, non digitos, sed testam etiam vulneribus admovit. Testa ergo radebat saniem, ut semetipsum et in fragmento considerans, etiam de extensione vulneris sumeret curam mentis.

[*Vet. IV.*] 10. *In sterquilinio jacens cogitat corpus brevi stercus futurum.*---Quia vero saepe per ea quae circa corpus sunt, animus inflatur, et per hoc quod erga nos agitur fragilitas nostri corporis ab oculis cordis amovetur (sicut nonnulli saeculares cum temporalibus dignitatibus fulciuntur, dum locis altioribus praesident, dum multorum obsequia sibi suppetere ad votum vident, fragilitatem suam intueri negligunt, et vas quod gestant fictile, quam sit velociter conterendum, obliviscentes omni modo non attendunt), beatus Job ut considerationem fragilitatis suae etiam ex circumstantibus traheret, et ante oculos suos vim suae despectionis augeret, non quolibet in terra, quae pene ubique munda reperitur, sed in sterquilinio sedisse describitur. In sterquilinio ponebat corpus, ut ex terra sumpta quae esset carnis substantia, bene proficiens perpenderet animus. In sterquilinio ponebat corpus ut etiam ex loci fetore caperet, 77 quod festine corpus ad fetorem rediret.

[*Rec. V.*] 11. *Ex sanctorum flagellis intelligendum quae ipsis merces, quae iniquis poena reservetur.*---Sed ecce cum beatus Job tot rerum damna sustinet, tot funeribus pignerum percussus dolet, tot vulnera tolerat; dum decurrentem saniem testa radit, dum per putredinem defluens in sterquilinio

residet; intueri libet quid est, quod omnipotens Deus quos sibi tam charos in aeternum conspicit, tam vehementer quasi despiciens affligit. Ecce autem dum beati Job vulnera cruciatusque considero, repente mentis oculos ad Joannem reduco, et non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris uterum impletus, atque, ut ita dixerim, priusquam nasceretur, renatus: ille amicus sponsi, ille, quo inter natos mulierum major nemo surrexit; ille sic propheta, ut plus etiam quam propheta (**Matth., XI, 9**), ab iniquis in carcerem mittitur, et pro puellae saltatu, capite truncatur, et vir tantae severitatis pro risu turpium moritur. Nunquidnam credimus aliquid fuisse, quod in ejus vita illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo et mel silvestre comedit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disjunctus longe ab hominibus fuit? Quando illum vel silentii culpa attigit, qui ad se venientes tam vehementer increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* (**Matth. III, 7; Luc. III, 7; Marc. I, 4.**) Quid est ergo, quod Job Dei testimonio praefertur, et tamen plagis usque ad sterquilinum sternitur? Quid est, quod Joannes Dei voce laudatur, et tamen pro temulenti verbis in saltationis praemium moritur? Quid est, quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc saeculo despicit, quos sic sublimiter ante saecula elegit: nisi hoc, quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis; et foras usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit. Hinc ergo unusquisque colligat quid illic sint passuri quos reprobat,

si hic sic cruciat quos amat; aut quomodo ferientur qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice teste laudantur. Sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VI*].

VERS. 9.---*Dixit autem illi uxor sua: Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.*

12. *Tentat diabolus stantes aut tribulationibus frangere, aut persuasionibus mollire. Quaerit mulierem quasi scalam, qua in cor Job ascendat: sed frustra.*---Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit; ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. In utrisque ergo contra beatum Job se vehementer exercuit. Nam prius patrifamilias intulit damna rerum, orbavit patrem morte filiorum, percussit incolumem putredine vulnerum. Sed quia putrescentem foras, sanum adhuc interius stare conspexit; et quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiolem fieri per exhibitam laudem conditoris invidit; callide cogitans pensat quod contra se athleta Dei unde premitur, inde sublevatur, victusque ad subtilia tentandi argumenta convertitur. [*Vet. V.*] Nam antiquae artis insidias repetit; et quia scit quomodo Adam decipi soleat, ad Evam recurrit. **78** Beatum enim Job inter tot rerum damna, inter tot percussionum vulnera, quasi in quadam virtutum arce stare invictum vidit. In alto quippe mentem fixerat; et idcirco hanc hostiles insidiae irrumpere non valebant. Quaeritur ergo ab adversario in hanc arcem

munitissimam quibus gradibus ascendatur. Vicina est autem viro mulier atque subjuncta. Cor igitur mulieris tenuit, et quasi scalam, qua ad cor viri ascendere potuisset invenit. Occupavit animum conjugis, scalam mariti. Sed nihil hac arte praevaluit, quia sanctus vir subjectam sibi mulierem, et non praepositam attendit; et recta loquens docuit, quam serpens, ut perversa loqueretur, instigavit. Dignum quippe erat ut fluxam mentem virilis censura restringeret, cum profecto et de ipso primo lapsu humani generis nosset quod docere mulier recta nesciret. Unde bene et per Paulum dicitur: *Docere autem mulieri non permitto (I Tim. II, 12)*; quia nimirum aliquando cum docuit, a sapientiae aeternitate separavit. Antiquus itaque hostis ab Adam in sterquilinio perdidit, qui Adam in paradiso superavit; atque adjutricem suam mulierem dum ad verba malae persuasionis accendit, ad doctrinam sanctae eruditionis misit; et quae excitata fuerat ut perderet, erudita est ne periret. Sic sic a nostris viris fortibus hostis percutitur, ut sua ei etiam tela rapiantur. Unde enim se exaggerare aestimat dolorem vulneris, inde eis contra semetipsum suggerit arma virtutis.

13. *Ex verbis diabolus per eos qui nobis adhaerent, nos tentat.*---Ex verbis autem male persuadentis conjugis vigilanter debemus aspicere quod antiquus adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhaerent, statum satagit nostrae mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasionem non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhaerentium repit. Hinc enim scriptum est: *A filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende (Eccli. XXXII, 26)*. Hinc per prophetam dicitur: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam (Jer. IX, 4)*. Hinc rursum scriptum est: *Inimici hominis domestici*

ejus (**Matth. X, 36**). Callidus namque adversarius, cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirat; et per eorum verba blandiens loquitur, qui plus caeteris amantur; ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intimae rectitudinis munimina irrumpat. Post damna igitur rerum, post funera pignorum, post vulnera scissurasque membrorum, antiquus hostis linguam movit uxoris.

14. *In serie tentationum Job quae artes inimici.*---Et notandum quo tempore viri mentem studuit virulento sermone corrumpere. Verba enim post vulnera intulit, ut nimirum cum vis doloris ingravesceret, facile persuasionis suggestio perversa praevaleret. [*Vet. VI.*] Sed si ipsum subtiliter tentationis ejus ordinem perpendimus, qua calliditate saeviat invenimus. Movit namque prius damna substantiae, quae et extra naturam profecto essent, et extra corpus. Subtraxit filios, quod jam quidem extra naturam non esset, sed tamen adhuc aliquatenus extra proprium corpus. Ad extremum percussit et corpus. Sed quia vulneribus carnis ad mentis vulnus pervenire non valuit, etiam conjunctae mulieris **79** linguam quaesivit. Quia enim aperto certamine superari se doluit, de ore conjugis jaculum quasi de insidiis intorsit, quae profecto diceret: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.* Ecce tentando omnia abstulit, ecce tentando mulierem reliquit, et sancto viro callide cuncta diripuit; sed valde callidius adjutricem suam mulierem reservavit, quae dicat: *Adhuc permanes in simplicitate tua?* Verba sua Eva repetit. Nam quid est dicere: Simplicitatem desere, nisi: Obedientiam, vetitum comedendo, contemne? Et quid est dicere: *Benedic Deo, et*

morere, nisi: Transcendendo praeceptum, ultra quam es conditus, vive? Sed Adam noster fortis in sterquilinio jacuit, qui in paradiso quondam debilis stetit. Nam illico ad male suadentis verba respondit, dicens:

CAPUT IX [*Rec. VII*].

VERS. 10.---*Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona accipimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

15. *Job externis rebus vacuus, intus Deo plenus. Mala quatenus vocentur flagella.*---Ecce ubique hostis frangitur, ubique superatur, per cuncta tentationum argumenta succubuit, quia et illud suum familiare solatium etiam de muliere amisit. Inter haec igitur sanctum virum intueri libet, foras rebus vacuum, intrinsecus Deo plenum. Paulus cum in seipso divitias sapientiae internae conspiceret, seque ipsum exterius esse corruptibile corpus videret, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor. IV, 7)*. Ecce in beato Job vas fictile scissuras ulcerum exterius sensit; sed hic thesaurus interius integer mansit. Foras enim per vulnera crepuit, sed indeficienter interius nascens thesaurus sapientiae per verba sanctae eruditionis emanavit, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* bona scilicet, dona Dei vel temporalia vel aeterna; mala autem, flagella praesentia appellans, de quibus per prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem,*

et creans mala (Isai. XLV, 7). Neque enim mala, quae nulla sua natura subsistunt, a Domino creantur; sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa et per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint; et per naturam, qua existunt, bona. Unde et venenum mors quidem est homini, sed tamen vita serpenti. Amore enim praesentium ab auctoris nostri dilectione recessimus; et perversa mens dum dilectioni creaturae se subdidit, a creatoris societate disjunxit. Ex his ergo ab auctore ferienda erat, quae errans auctori praeposuerat, ut unde homo culpam non timuit superbus admittere, inde poenam corrigendus inveniret; et tanto citius resipisceret ad illa quae perdidit, quanto doloris plena esse conspiceret quae quaesivit. Unde et bene dicitur: Formans lucem, et creans tenebras, quia cum per flagella exterius doloris tenebrae creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faciens pacem, et creans mala, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum haec quae bene sunt condita, sed non bene concupita, in ea quae nobis mala sunt, flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes exstitimus; dignum ergo est ut ad pacem illius per flagella redeamus; ut cum unaquaeque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti **80** mens ad auctoris pacem humiliter reformetur. Haec itaque flagella beatus Job mala nominat; quia salutis et tranquillitatis bonum, qua perturbatione feriant, pensat.

16. Flagelli poena memoria doni, laetitia metu flagelli temperanda. Sensus pravis, non sexus in vitio.---Sed illud valde in ejus verbis intuendum est, contra persuasionem conjugis quanta considerationis arte se colligat, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non*

sustineamus? [Vet. VII.] Magna quippe consolatio tribulationis est, si cum adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc, quod ex munere sublevat, occurrat. Hinc namque scriptum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum* (**Eccli. XI, 27**). Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elatione per laetitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis, quae eum contigit accepisse, consolatur, ab statu mentis omnimoda desperatione destruitur. Sic ergo utraque jungenda sunt, ut unum semper ex altero fulciatur; quatenus et flagelli poenam memoria temperet doni, et doni laetitiam mordeat suspicio ac formido flagelli. Sanctus igitur vir, ut oppressam mentem inter vulnera mulceat, in flagellorum doloribus blandimenta donorum pensat, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Ubi et bene praemittit, *Locuta es quasi una ex insipientibus mulieribus*. Quia enim sensus pravae mulieris, non autem sexus in vitio est, nequaquam ait: *Locuta es quasi una ex mulieribus*, sed, ex ineptis mulieribus, ut videlicet ostendatur quia quod pravum sapit, accedentis stultitiae, non autem conditae sit naturae. Sequitur:

CAPUT X [Rec. VIII].

IBID.---*In omnibus his non peccavit Job labiis suis.*

17. *Job non peccavit labiis, quia nec injusta dixit, nec justa reticuit.*---Duobus modis labiis delinquimus, cum aut injusta dicimus, aut justa reticemus. Nam si aliquando et tacere culpa non esset, propheta non diceret: *Vae mihi, quia tacui* (**Isai. VI, 5**). Beatus igitur Job in cunctis quae egit, labiis suis minime peccavit, quia nec contra ferientem superba dixit, nec contra suadentem recta reticuit. Nec loquens ergo, nec tacens deliquit, qui et flagellanti patri gratias reddidit, et male suadenti coniugi doctrinae sapientiam ministravit. Quia enim scivit quid deberet Deo, quid proximo, scilicet patientiam conditori, sapientiam coniugi, idcirco et hanc redarguendo docuit, et illum gratias agendo laudavit. Quis autem nostrum, si unum quodlibet vulnus tantae hujus percussione acciperet, non mox ab intimis prostratus jaceret? Ecce stratus foris vulneribus carnis, erectus intrinsecus munimine permanet mentis; et sub semetipso omne jaculum transvolare conspicit, quod in se exterius districta manu saeviens hostis figit, vigilanter deprehendit jacula, modo vulneribus contra se a facie, modo verbis quasi ex latere intorta. Et bellator noster circumvallantium certaminum fervore deprehensus, ubique patientiae suae clypeum opponit; undique venientibus spiculis obviat, et per cuncta virtutum latera circumspectam contra irruentia vulnera mentem rotat.

[*Vet. VIII.*] 18. *Tentatur per amicos.*---Sed antiquus hostis quo valentius vincitur, eo **81** adhuc ad insidias ardentius instigatur. Nam quia uxor increpata reticuit, protinus alios qui increpandi ad contumelias surgerent, excitavit. Sicut enim damna rerum studuit crebrius nuntiando percutere; ita nunc robustum pectus satagit verborum contumeliis saepius feriendo penetrare. Sequitur:

CAPUT XI [*Rec. IX*].

VERS. 11.---*Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim sibi, ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.*

19. *Amicorum Job recta intentio indiscretione fuscatur.*---Qui ex conducto ad afflicti consolationem veniunt, et inter se et erga percussum quantae charitatis fuerint, demonstrantur. Quamvis et per hoc, quod Scriptura eos tanti viri amicos fuisse testatur, quia boni studii et rectae fuerint intentionis ostenditur; sed tamen haec ipsa illorum intentio, eis ad verba prorumpentibus, ante districti iudicis oculos, suborta indiscretione, fuscatur. Sequitur:

CAPUT XII [*Rec. X*].

VERS. 12.---*Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum; et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in coelum.*

20. *Consolaturus afflictum debet moerere. At modum dolori ponat.*---Quia percussi speciem plaga mutaverat, amici plorantes exclamant, vestes scindunt, capita pulvere aspergunt; ut cum mutatum eum, ad quem venerant, cernerent,

ipsam etiam consolatorum speciem spontaneus dolor immutaret. Ordo quippe consolationis est, ut cum volumus afflictum quempiam a moerore suspendere, studeamus prius moerendo ejus luctui concordare. Dolentem namque non potest consolari, qui non concordat ejus dolori, quia eo ipso, quo a moerentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, a quo mentis qualitate separatur. Emolliri itaque prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhaereat, inhaerens trahat. Neque enim ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur; et durum molli non adhaeret nisi prius duritia ejus temperata mollescat, ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, nisi a rigore nostri status inclinemur, quia dum rectitudo stantis a jacentis situ discrepat, eum, cui condescendere negligit, nequaquam levat. Amici igitur beati Job ut afflictum a dolore suspenderent, curaverunt necessario simul dolere; et cum vulneratum illius corpus viderent, studuerunt ipsi vestes scindere; et cum immutatum conspicerent, studuerunt pulvere capita foedare; quatenus afflictus vir tanto facilius eorum verba reciperet, quanto in eis suum aliquid de afflictione cognovisset.

[*Vet. IX.*] 21. Sed inter haec sciendum est quia is qui afflictum consolari desiderat, mensuram necesse est dolori quem suscipit ponat, ne non solum dolentem non mulceat, sed intemperate dolens, afflicti animum ad pondus desperationis premat. Sic enim dolor noster moerentium dolori jungendus est, ut per temperamentum sublevet, non autem per augmentum gravet. Unde fortasse colligendum est **82** quod amici beati Job plusquam necesse fuerat, in consolatione doluerunt, qui dum percussionem cernunt, sed percussi

mentem nesciunt, ita in immensum luctum versi sunt, ac si percussus vir tantae fortitudinis, in plaga corporis, etiam a corde cecidisset. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 13.---*Sederuntque cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem ejus esse vehementem.*

22. *Continuis ne, an intermissis septem diebus ac noctibus, amici cum Job sederint incertum.*---Utrum continuis septem diebus et septem noctibus cum afflicto Job sederint, an certe diebus septem et noctibus totidem instantia ei crebrae visitationis adhaeserint, ignoramus. Saepe enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quamvis non eisdem diebus ad eam continue vacemus. Saepe vero Scriptura sacra sic totum pro parte, sicut pro toto partem ponere consuevit. Pro toto enim partem loquitur, sicut Jacob familiam describens dicit: *Intravit Jacob in Aegyptum cum animabus septuaginta (Gen. XLVI, 27)*. Quae nimirum cum animas memorat, constat quia intrantium et corpora comprehendit. Rursum totum pro parte insinuat, sicut ad monumentum Maria queritur, dicens: *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum (Joan. XX, 2)*. Solum quippe corpus Domini quaesitura venerat, et quasi totum simul Dominum tultum deplorat. An ergo et hoc in loco totum pro parte dicatur incertum est.

23. *Nec sermo sit praeceps, nec post debitum silentium indiscretus.*---Sed tamen hoc, quod diu tacuerunt, et quandoque loquendo reprobati sunt, neglecte praetereundum non est. Sunt namque nonnulli qui et loqui praecipitanter incipiunt, et effrenate coepta effrenatius exsequuntur. Et sunt nonnulli qui tarde quidem loqui inchoant, sed semel inchoantes, habere modum locutionis ignorant. Amici igitur beati Job dolorem videntes, diu tacuerunt; sed tarde inchoantes, indiscrete locuti sunt, quia parcere dolenti noluerunt. Tenuerunt linguam, ne praepropere inciperet; sed incipientem semel nequaquam moderati sunt, ne se ex consolatione usque ad contumelias effrenaret. Et bona quidem intentione ad consolandum venerant; sed hoc, quod pia mens mundum Deo obtulit, locutio praecipitata vitiavit. Scriptum quippe est: *Si recte offeras, non recte autem divides, peccasti* (**Genes. IV, 7, sec. LXX**). Recte namque offertur, cum recta intentione quid agitur. Sed recte non dividitur, si non hoc, quod die agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim recte dividere est quaelibet bona nostra studia sollicite discernendo pensare. Quod nimirum qui agere dissimulat, etiam recte offerens peccat.

[*Vet. X.*] 24. *Providendum ut quod recto studio incipimus, recto fine peragamus.*---Saepe ergo et quod bono studio gerimus, dum discernere caute negligimus, quo judicetur fine nescimus; et nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Quisquis autem amicorum beati Job facta considerat, quam pia ad eum intentione venerint non ignorat. Pensemus enim cuius charitatis fuerit, ad afflictum concorditer convenisse; quanta virtus longanimitatis exstiterit, septem diebus et noctibus cum

afflicto tacuisse; quae humilitas, in terra tot diebus ac noctibus sedisse; **83** quae compassio, pulvere capita conspersisse. Sed tamen inchoantes loqui, unde se aestimaverunt praemium mercedis acquirere, inde eos contigit reatum reprehensionis invenire, quia incautis saepe ad peccati finem vertitur, etiam quod pro solo studio mercedis inchoatur. Ecce praecipiti locutione perdiderunt bonum, quod tanto labore mercati sunt. Et nisi divini gratia offerre eos sacrificium pro suo reatu praecepisset, inde a Domino juste puniri poterant, unde se placere Domino mirabiliter aestimabant. Inde iudici displicent, unde sibi quasi pro defensione iudicis per effrenationem placent. Idcirco vero haec dicimus, ut ad memoriam legentium revocemus, quatenus sollicite quisque consideret ea quae malo voto perpetrantur, quanta Dominus animadversione puniat, si inchoata bono studio, sed negligentiae indiscretionis admista, tanta invectione castigat. Quis non mercedis causam peregissee se crederet, si aut in defensione Dei quidquam contra proximum diceret, aut certe septem diebus ac noctibus pro proximi dolore tacuisset? Et tamen amici beati Job haec agentes, ad culpam laborando pervenerunt, quia consolationis quidem bonum quod agebant, noverant; sed cum quanta agendum esset discretionis libra, nesciebant. Unde necesse est ut non solum intueamur quid agimus, sed etiam cum quanta discretionem peragamus. Primum quidem, ne mala quoquo modo, postmodum vero ne bona incaute faciamus. Ad quae nimirum bona sollicite peragenda propheta nos admonet, dicens: *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter* (**Jerem. XLVIII, 10**). Ad hoc vero ista proficiant, ut ante terribilis iudicis subtile atque incomprehensibile examen non solum mala quae commisimus, sed ipsa etiam, si qua in nobis sunt bene gesta,

timeamus, quia saepe in ejus judicio culpa esse deprehenditur, quod virtus ante judicium putatur; et unde expectatur pia merces operis, inde supplicium justae sequitur ultionis.

[*Vet. XI. Rec. XI.*] 25. ALLEGORICUS SENSUS.---*Christi et Ecclesiae quanta sit conjunctio.*---Haec juxta historiam breviter tractata percurrimus, nunc ad allegoriarum mysterium verba vertamus. Sed quia in exordio hujus operis dum de unitate capitis et corporis tractaremus, sollicita intentione praemisimus quanta in eis sit compago charitatis, quia nimirum et Dominus multa adhuc per corpus, quod nos sumus, patitur, et jam corpus ejus, id est Ecclesia, de suo capite, videlicet Domino, in coelo gloriatur; ita nunc passiones exprimi ejusdem capitis debent, ut ostendatur quam multa etiam in corpore suo sustinet. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de coelo clamaret: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (**Act. IX, 5.**) Si cruciatus nostri ejus poenae non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret: *Suppleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea* (**Col. I, 24**). Et tamen resurrectione jam sui capitis exaltatus dicit: *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus* (**Ephes. II, 6**). Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant; sed poenarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in coelo residebat. Quia ergo in omnibus unitum caput et corpus novimus, sic a percussione capitis incipimus, ut subsequenter tamen ad corporis flagella veniamus. Sed hoc, quod quadam die Satan coram Domino astitisse dicitur, quod unde veniat **84** percontatur, quod beatus Job magnis conditoris praeconiis praefertur, quia jam saepe discussimus,

replicare devitamus. Si enim diu mens rebus discussis involvitur, pervenire ad indiscussa praepeditur. Ibi ergo allegoriae nunc initium ponimus, ubi post verba saepe repetita, adjunctum novi aliquid scimus. Itaque ait:

CAPUT XIV.

Commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra.

26. *Christus pro se frustra, pro nobis non frustra afflictus.*--- Si beatus Job Redemptoris nostri in passione positi speciem tenet, quomodo ad Satan a Domino dicitur: *Commovisti me adversus eum?* Mediator quidem Dei et hominum, homo Christus Jesus, ut culpas nostrae transgressionis exstingueret, venit mortalitatis nostrae flagella tolerare; sed quia unius cum Patre ejusdemque naturae est, quomodo per Satan motum se adversus eum Pater asserit, cum constet quod Patris Filiique concordiam nulla potestatis inaequalitas, nulla voluntatis diversitas interrumpat? Sed tamen isdem, qui Patri aequalis est per divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem. Quae nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumpsisset. Et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionis probra minime veniret. Cum ergo primus homo per Satan a Domino motus est, tunc est Dominus in homine secundo commotus. Satan itaque ad hujus afflictionem, Dominum tunc commovit, quando in paradiso primum hominem a justitiae culmine inobedientiae culpa prostravit. Nisi enim Adam primum per voluntarium vitium in animae mortem traxisset, Adam secundus sine vitio

in carnis mortem voluntariam non veniret. Bene ergo ei etiam de Redemptore nostro dicitur: *Commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra*. Ac si apertius dicatur: Dum iste non sua, sed illius causa moritur, tunc me in hujus afflictionem commovisti, cum illum a me callida persuasione traxisti. De quo et bene additur, *frustra*. Frustra quippe afflictus est, qui et culpa ultione pressus est, et culpa contagio inquinatus non est. Frustra afflictus est, qui incarnatus, propria admissa non habuit, et tamen poenam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Prophetam loquitur, dicens: *Quae non rapui, tunc exsolvebam (Psal. LXVIII, 5)*. Alius namque ad paradysum conditus, divinae potentiae similitudinem superbe rapere voluit, sed tamen culpam hujus superbiae sine culpa Mediator exsolvit. Hinc est quod Patri quidam sapiens dicit: *Cum sis justus, juste omnia disponis, eum quoque qui non debet puniri condemnas (Sap. XII, 15)*.

27. *Qui Deus Christum innocentem poenis affecit.*---Sed pensandum est quomodo justus sit, et omnia juste disponat, si eum, qui non debet puniri condemnat. Mediator etenim noster puniri pro semetipso non debuit, quia nullum culpa contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam non susciperet, nunquam nos a debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens, omnia juste disponit; quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est, pro peccatoribus damnat; ut eo electa omnia ad culmen justitiae surgerent; quo is qui est super omnia damna injustitiae nostrae sustineret. Quod ergo illic damnatus cum non debeat dicitur, hoc hic afflictus frustra memoratur. Qui tamen juxta semetipsum frustra afflictus est, juxta vero nostra acta non frustra . 85 Rubigo quippe vitii purgari non potuit, nisi igne

tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subjiceret sponte tormento; ut debita nostrae iniquitati supplicia eo reos suos juste amitterent, quo hunc a semetipsis liberum injuste tenuissent. Frustra ergo et non frustra afflictus est, qui in se quidem admissa non habuit, sed cruore proprio reatus nostri maculam tersit.

CAPUT XV [*Vet. XII*].

VERS. 4, 5.---*Respondens Satan ait: Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.*

28. *Satan unde sciat Christum, unde de eo dubitet. In charitate ac patientia Christi aestimanda unde fallatur. Satanae loquela tum per se, tum per suos.*--- Malignus spiritus cum Redemptorem nostrum miraculis coruscare conspicit, clamat: *Scimus qui sis, Sanctus Dei (Luc. IV, 34).* Qui haec dicens, cognoscendo Dei Filium pertimescit; sed tamen vim supernae pietatis ignorans, nonnunquam dum passibilem considerat, hominem purum putat. Multos autem sub sanctitatis specie in pastoralis positos loco didicerat, qui a visceribus charitatis alieni valde, pro minimo aliena damna pensabant. Hunc ergo quasi ex aliis colligens, quia subtractis multis, superari non vidit, usque ad ejus carnem, per tactum passionis sic exarsit, ut diceret: *Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo, dabit*

*pro anima sua. Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Ac si aperte dicat: Moveri ex his, quae extra se sunt, negligit; sed tunc veraciter qui sit agnoscitur, si in se ipso quod doleat, experiatur. Haec per se Satan cum fieri appetit, non verbis, sed desideriis dixit. Haec per membra sua et verbis et desideriis intulit. Ipse quippe loquitur, cum juxta prophetae vocem ejus, sequaces dicunt: *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium (Jerem. XI, 19)*. Lignum quippe in panem mittere, est configendo ejus corpori stipitem crucis adhibere; et vitam illius de terra viventium eradere se posse existimant, quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur.*

CAPUT XVI.

VERS. 6.---*Dixit autem Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.*

29. Satanae membra, omnes male viventes. Satanae manus, potestas ejus. Illi se tradens Dominus, eum sibi servire cogit.---Conditorem omnium Satanae manui traditum quis vel disipiens credat? sed tamen edoctus veritate, quis nesciat quod ejusdem Satanae membra sunt omnes, qui ei perverse vivendo junguntur? Membrum quippe ejus Pilatus exstitit, qui, usque ad mortis extrema, venientem in redemptionem nostram Dominum non cognovit. Corpus ejus sacerdotum principes exstiterunt, qui Redemptorem mundi a mundo repellere, usque ad crucem persequendo, conati sunt. Cum ergo se pro

nostra redemptione Dominus membrorum Satanae manibus tradidit, quid aliud quam ejusdem Satanae manum in se saevire permisit; ut unde ipse exterius occumberet, inde nos exterius interiusque liberaret? Si igitur Satanae manus, ejus potestas accipitur, ejus manum juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis usque ad sputa, colaphos, flagella, crucem lanceamque toleravit. Unde et Pilato, ejus videlicet corpori, ad passionem veniens dicit: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper (Joan. XIX, 11)*. Sed tamen hanc potestatem, quam contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris intrinsecus **86** compellebat. Pilatus enim vel Satan, qui ejusdem Pilati caput exstiterat, sub potestate illius, super quem potestatem acceperat, tenebatur; quia et superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens a persecutore tolerabat; ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium ipsa quoque crudelitas deserviret. Pie igitur disponebat intus quod semetipsum pati nequiter permittebat foris. Hinc est enim quod de illo in coena dicitur: *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a coena, et ponit vestimenta sua (Joan. XIII, 3)*. Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia et ipsos a quibus tenebatur tenebat; ut ipse in se ad usum pietatis intorqueret quidquid eorum contra se malitia permissa saeviret. Dicatur ergo ei: *Ecce in manu tua est*; quia ad feriendam carnem saeviens licentiam accepit, sed potestati illius nesciens deservivit.

[Vet. XIII.] 30. *Diabolus animam Christi superare non posse convincitur.*---Animam vero illius servare praecipitur, non

quod hanc tentare prohibetur, sed quod hanc superare non posse convincitur. Neque enim sicut nos, qui puri homines sumus, irruente saepe tentatione concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Hostis namque noster, etsi in excelsum montem eum permissus assumpsit, si daturum se regna mundi perhibuit, si quasi in panem vertendos lapides ostendit (**Matth. IV, 8; Luc. IV, 4**), mentem tamen mediatoris Dei et hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est haec exterius cuncta suscipere, ut ejus tamen mens interius divinitati suae inhaerens inconcussa permaneret. Qui et si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur (**Joan. XI, 33, 38**), ipse divinitus disponebat quantum ipse humanitus turbaretur, immutabiliter omnibus praesidens, et semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendenda humanitate, quam susceperat, etiam turbulentus fecit.

31. *Anima Christi dici possunt electi. Hi a potestate diaboli eximuntur.*---Quia vero cum recte diligimus, nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus; et sicut animam nos eos diligere dicimus, quibus amoris nostri exprimere pondus conamur, potest per ejus animam electorum vita signari. Et cum Satan ad feriendam Redemptoris carnem permittitur, ab anima separatur; quia cum corpus ejus ad passionem accipit, electos ejus a jure suae potestatis amittit; cumque illius caro per crucem moritur, horum mens contra tentamenta solidatur. Dicatur ergo: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Ac si aperte audiat: Licentiam contra corpus ejus

accipe, et ab electis illius, quos apud se ante saecula praesciens possidet, jus pravae dominationis perde.

CAPUT XVII [*Vet. XIV*].

VERS. 7.---*Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem.*

32. *Christus ab exordio mundi in suis percussus.*---Nullus in hanc vitam electorum venit, qui non hujus hostis adversa sustinuit. Membra autem nostri Redemptoris exstiterunt, etiam qui ab ipso mundi exordio, dum pie vivunt, crudelia passi **87** sunt. An non hujus membrum Abel se esse perhibuit, qui ejus mortem, de quo scriptum est, *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (Isai. LIII, 7)*, non solum placens in sacrificio, sed etiam moriens tacendo signavit? Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit, quia a puris hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiae saeviendo pervenit. Bene autem dicitur:

CAPUT XVIII.

VERS. 8.---*Testa saniem radebat.*

33. *Testa, hoc est, carne sua e terra sumpta, saniem peccati rasit.*---Quid enim aliud in manu Domini testa est, nisi caro ex

nostrae substantiae luto sumpta? Etenim testa igne solidatur. Caro autem Domini eo ex passione sua robustior exstitit, quo per infirmitatem moriens, a morte sine infirmitate surrexit. Unde recte etiam per Prophetam dicitur: *Exaruit velut testa virtus mea* (**Psal. XXI, 16**). Sicut testa enim ejus virtus exaruit, qui susceptae carnis infirmitatem passionis suae igne roboravit. Quid vero per saniem, nisi peccatum, debet intelligi? Per carnem quippe et sanguinem solent carnis peccata designari. Unde per Psalmistam dicitur: *Libera me de sanguinibus* (**Psal. L, 16**). Sanies itaque putredo est sanguinis. Quid ergo accipimus saniem, nisi peccata carnis ex longa vetustate pejora? Vulnus itaque in saniem vertitur, cum neglecta culpa usu deterius gravatur. Mediator itaque Dei et hominum homo Christus Jesus (**I Tim. II, 5**) corpus suum manibus persequentium tradens, saniem testa rasisit, quia peccatum carne delevit. *Venit enim, sicut scriptum est, in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum* (**Rom. VIII, 3**). Dumque hosti objicit innocentiam carnis suae, extersit contagia carnis nostrae; et ex qua nos captivos inimicus tenuit, per illam nos liberos expiavit; quia quam nos instrumentum fecimus culpae, haec nobis per Mediatorem versa est in arma justitiae. Testa ergo sanies raditur, cum carne culpa superatur. Bene autem subditur:

CAPUT XIX.

IBID.---*Sedens in sterquilinio.*

34. *In sterquilinio sedit, quia infirma mundi elegit.*---Non in foro, in quo lex perstrepat; non in aedificio, quod se culmine in alta sustollit; sed in sterquilinio residet, quia videlicet Redemptor humani generis ad carnem veniens, attestante Paulo, *Infirma mundi elegit, ut confunderet fortia (I Cor. I, 27)*. An non quasi ruentibus aedificiis in sterquilinio residet, qui relictis Judaeis superbientibus, in ea quam dudum abjecerat gentilitate requiescit? Extra habitaculum reperitur in vulnere, qui in eo quod Judaeam adversantem pertulit, passionis dolorem a gente propria despectus sensit; Joanne attestante, qui ait: *In propria venit, et sui eum non receperunt (Joan. I, 11)*. Sed quomodo sedens in sterquilinio conquiescat, haec eadem de semetipsa Veritas dicat: Ait enim: *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia (Luc. XV, 10)*. Ecce dolens in sterquilinio sedet, qui post perpetratas culpas libenter corda poenitentium possidet. An non quasi quoddam sterquilinium sunt corda poenitentium, qui dum mala sua flendo considerant, quasi ante se stercora, sese abjiciendo coacervant? Percussus ergo Job montem non petiit, sed in sterquilinio resedit, quia ad passionem Redemptor veniens, alta superbiorum corda deseruit, et in afflictorum humilitate requievit. **88** Quod tamen de se et prius quam incarnaretur, indicavit, cum per Prophetam dixit: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum et timentem sermones meos? (Isai. LVI, 2, sec. LXX.)*

35. *Christus in suis, et ab infidelibus, et a fidelibus carnalibus multa patitur.*---Quis vero consideret, is qui tot pia hominibus intulit, quot ab hominibus perversa toleravit? Quis consideret,

quanta nunc usque tolerat, etiam cum de coelo super corda fidelium regnat? Ipse quippe quotidie patitur omne quod a reprobis ejus electi lacerantur. Et quamvis caput hujus corporis, quod videlicet nos sumus, jam sese super omnia liberum exerit, reproborum tamen vulnera adhuc per suum, quod deorsum retinet, corpus sentit. Sed quid ista de infidelibus dicimus, cum in ipsa quoque Ecclesia multos carnalium, pravis moribus contra Redemptoris vitam pugnare videamus? Sunt namque nonnulli qui hunc, quia gladiis non possunt, perversis actibus insequuntur; quia dum sibi in Ecclesia vident deesse quod ambiunt, hostes bonorum fiunt; et non solum pravae semetipsos actioni inserunt, sed etiam justorum rectitudinem inflectere ad perversa moliuntur. Aeterna quippe intueri negligunt, et appetitui temporalium mentis pusillanimitate succumbunt; tantoque ab aeternis altius corruunt, quanto bona temporalia esse quasi sola suspicantur. His justorum simplicitas displicet, et cum occasionem perturbationis inveniunt, suam eos arripere duplicitatem suadent. Unde hoc quoque congruit apte quod subditur:

CAPUT XX.

VERS. 9.---*Dixit autem illi uxor sua: Adhuc permanens in simplicitate tua? Benedic Deo et morere.*

36. *Uxor Job male suadens, figura est carnalium in Ecclesiae sinu positorum.*---Cujus enim speciem male suadens mulier tenuit, nisi quorumlibet carnalium in Ecclesiae sinu positorum, qui quo verbis professae fidei intus sunt, eo bonos

incorrectis suis moribus pejus premunt. Nam minus fortasse nocuissent, si non eos sancta Ecclesia introrsus admittens usque ad fidei cubile reciperet, quos dum per professam fidem recipit, sibi procul dubio pene inevitabiles facit. Hinc est, quod premente turba, una Redemptorem nostrum mulier tetigit; unde et isdem Redemptor noster protinus dicit: *Quis me tetigit?* Cui cum discipuli responderent: *Turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis, nam et ego novi virtutem de me exisse* (Luc. VIII, 44, 45, 46).

[Vet. XX.] 37. *Hi premunt Christum, non tangunt.*---Multi ergo Dominum comprimunt, et una tangit, quia carnales quique in Ecclesia eum premunt, a quo longe sunt; et soli tangunt qui huic veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit, quia multitudo carnalium quo intus admittitur, gravius toleratur. Premit, et non tangit, quia et importuna est per praesentiam, et absens per vitam. Nonnunquam enim pravis nos sermonibus, nonnunquam vero solis perversis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quae tenent; aliquando vero etsi non suadent, praebere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos vel verbis vel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt a quibus tentationum certamina sumimus, quae saltem in corde vincamus.

38. *Prava interdum metu, aliquando audacia suadent.*---Sciendum vero est, quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando vero audacia suadere **89** perversa contendunt; cumque ipsi vel pusillanimitate vel elatione deficiunt, haec justorum cordibus infundere quasi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante Redemptoris mortem

resurrectionemque retinebat; carnali mente Sarviae filius duci suo David adjunctus inhaeserat; sed tamen unus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe magistri mortem audiens dixit: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (**Matth. XVI, 22, 23**); hic vero injurias ducis non ferens, ait: *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini?* (**II Reg. XIX, 21, 22.**) Sed illi mox dicitur: *Redi post me, Satana*; et hic cum germano audivit protinus: *Quid mihi et vobis, filii Sarviae, cur efficimini mihi hodie in Satan?* Male itaque suadentes, angeli apostatae appellatione censentur, qui blandis verbis ad illicita quasi diligentes trahunt. Valde vero deteriores sunt, qui huic culpae non formidine, sed elatione succumbunt: quorum specialiter beati Job uxor figuram tenuit, quae marito suadere superba tentavit, dicens: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.* Simplicitatem in marito redarguit, quod transitura cuncta despiciens, puro corde sola aeterna concupiscit. Ac si dicat: Quid simpliciter aeterna appetis, et sub malis praesentibus aequanimiter ingemiscis? Excedens, aeterna despice, et mala praesentia vel moriens evade. [*Vet. XVI.*] Sed electi quique cum prava intus a carnalibus tolerant, quantae se formam rectitudinis ostendant, discamus ex verbis vulnerati et incolumis, sedentis et erecti, qui ait:

CAPUT XXI.

VERS. 10.---*Locuta es quasi una ex stultis mulieribus. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

39. *Sancti ferientibus opponunt scutum patientiae, male suadentibus jacula intorquent doctrinae.*---Sancti viri tribulationum bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, alios suadentes ferunt, illis opponunt scutum patientiae, istis intorquent jacula doctrinae; atque ad utrumque pugnandi modum mira virtutis arte se erigunt; quatenus et perversa intus sapienter doceant, et foras fortiter adversa contemnant; hos docentes corrigant, illos tolerantes premant. Insurgentes namque hostes patiando despiciunt, infirmantes vero cives compatiendo ad salutem reducunt: illis resistunt, ne et alios subtrahant; istis metuunt, ne vitam rectitudinis funditus perdant.

[*Rec. XII.*] 40. *Id exemplo sancti Pauli comprobatur.*---Videamus castrorum Dei militem contra utraque praeliantem. Ait: *Foris pugnae, intus timores.* Enumerat bella, quae extrinsecus tolerat, dicens: *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus* (II Cor. VII, 5; XI, 26). In hoc autem bello, quae contra adversarium spicula intorqueat, adjungat: *In labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate.* (*Ibidem.*) Sed inter tot certamina deprehensus dicat, quanto vigiliarum munimine etiam castra custodiat. Nam protinus adjungit: *Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ecce in se bella fortiter suscipit, et tuendis se proximis misericorditer impendit. Narrat mala quae patitur, subjungit bona quae impartitur. Pensemus ergo cujus laboris sit, uno eodemque tempore foris adversa tolerare, intus infirma protegere. Foris pugnas patitur, quia **90** verberibus

scinditur, catenis ligatur; intus metum tolerat, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidat. Unde et eisdem scribit, dicens: *Nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus (I Thess. III, 3).* Aliorum quippe casus in propria passione metuebat, ne dum ipsum discipuli afflictum pro fide verberibus agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensae charitatis viscera; despicit quod ipse patitur, et curat ne quid pravae persuasionis discipuli in corde patiantur. In se contemnit vulnera corporis, et in aliis vulnera medetur cordis. Habent quippe hoc iusti proprium, ut in dolore positi tribulationis suae, curam non deserant utilitatis alienae; et cum de se adversa patientes dolent, aliis necessaria docentes praevident, et quasi percussi quidam magni medici aegrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris, et aliis proferunt medicamenta sanitatis. Valde autem minoris laboris est, aut docere cum nihil toleras; aut tolerare, cum nihil doces. Unde sancti viri ad utraque se solerter extendunt; et cum tribulationibus fortasse feriuntur, sic exteriora bella suscipiunt, ut sollicite cogitent, ne proximorum interiora lacerentur. Sic sancti viri fortes in acie assistunt; et illinc jaculis adversantia pectora feriunt, hinc scuto postpositos debiles tuentur, atque ita utrobique velocitate circumspectionis invigilant; quatenus et ante se audaces confodiant, et post se trepidos a vulnere defendant. Quia igitur sancti viri sic sciunt foris adversa tolerare, ut intus etiam noverint perversa corrigere, dicatur recte: *Locuta es quasi una ex stultis mulieribus.* Quia enim electis dicitur: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (Psalm. XXX, 25),* mentes carnalium, quae fluxa Deo intentione deserviunt, non immerito mulieres vocantur.

41. *Ad aeterna bona tendens, non aegre fert mala temporalia.---Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Ac si dicat: Si ad bona aeterna tendimus, quid mirum si temporalia mala sufferamus? Haec autem bona sollicite Paulus inspexerat, quando illata aequanimiter mala tolerabat, dicens: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis (Rom. VIII, 18).*

IBID.---*In omnibus his non peccavit Job labiis suis.*

Nec in Deum, nec in adversarios est contumeliosus.---Sancti viri cum persecutionem foris intusque patiuntur, non solum in Dei injuriis minime excedunt, sed neque contra ipsos adversarios contumeliosa verba jaculantur. Quod dux bonorum recte Petrus admonet, dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus (I Pet. IV, 15). Maledicus enim patitur, qui passionis suae tempore in sui salutem injuria persecutoris effrenatur. Sed quia Redemptoris corpus, sancta nimirum Ecclesia, ita pondus dolorum portat, ut humilitatis modum per verba non transeat, recte de hoc dolente dicitur:

CAPUT XXII [*Vet. XVII*].

IBID. ET VERS. 11.---*In omnibus his non peccavit Job labiis suis; neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo: Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites.*

42. *In amicis Job adumbrati haeretici.*---In praefatione hujus operis diximus, quia amici beati Job, etsi bona ad eum intentione conveniunt, haeticorum tamen idcirco speciem tenent, quia ad culpam indiscrete loquendo dilabuntur. **91** Unde et illis ab eodem beato Job dicitur: *Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.* [Rec. XIII]. Sancta itaque Ecclesia omni hoc tempore peregrinationis suae in afflictione constituta, cum vulnera sustinet, cum membrorum suorum lapsus dolet, insuper alios sub Christi nomine tolerat hostes Christi. Ad augmentum namque doloris ejus, etiam haeretici in contentione conveniunt, eamque quasi quibusdam jaculis, irrationabilibus verbis transfigunt.

43. *Locus unde venerunt superbia.*---Bene autem dicitur: *Venerunt de loco suo.* Haeticorum quippe locus ipsa superbia est; quia nisi prius in corde intumescerent, ad pravae assertionis certamina non venirent. Ita namque malorum locus superbia, sicut est e contra humilitas locus bonorum. De quo per Salomonem dicitur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (**Ephes. X, 4**). Ac si aperte dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo praevalere consideras, humilitatem poenitentiae non relinuas. Qui quia locum nostrum humilitatem poenitentiae dixerit, verbis sequentibus ostendit, dicens: *Quia curatio cessare faciet peccata maxima* (**Ibid.**). Quid est enim aliud humilitas lamenti, nisi medicina peccati? Haeretici igitur de loco suo veniunt, quia contra sanctam Ecclesiam ex superbia moventur.

44. *Amicorum Job nomina actionem signant haereticorum.*--- Quorum perversa quoque actio ex ipsa suorum nominum interpretatione colligitur. Dicuntur enim, Eliphaz, Baldad, Sophar; et, sicut superius diximus, Eliphaz interpretatus dicitur, Dei contemptus. Nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de eo perversa sentirent. Baldad autem interpretatur, vetustas sola. Dum enim vere vinci refugiant, et perverso studio esse victores quaerunt, novae vitae conversationem negligunt; et ex sola vetustate est quod intendunt, Sophar vero speculam dissipans. Hi etenim, qui in sancta Ecclesia siti sunt, Redemptoris sui mysteria fide vera humiliter contemplantur; sed dum haeretici cum falsis allegationibus veniunt, speculam dissipant, quia eorum mentes, quos ad se attrahunt, ab intentione rectae contemplationis inclinant.

[*Vet. XVIII. Rec. XIV.*] 45. *Haereticorum curiositas, loquacitas, hypocrisis locis amicorum Job designata.*---Bene autem loca de quibus veniunt congrua haereticorum actibus describuntur. Dicitur etenim Themanites, Suhites, Naamathites. Thema namque interpretatur Auster; Suhi, loquens; Naama, decor. Austrum autem ventum calidum esse quis nesciat? Haeretici igitur, quia ardentius appetunt sapere, quasi plusquam necesse est, student calere. Desidia quippe torpori frigoris et rursum inquietudo immoderatae curiositatis, intemperato concordat calori. Quia ergo amplius quam debent, calorem sapientiae percipere appetunt, ab Austro venire referuntur. Ab hoc calore immoderatae sapientiae mentes fidelium. Paulus temperare curaverat, cum dicebat: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (Rom. XII, 3).* Hinc est quod David valles

salinarum percutit (**II Reg. VIII, 13**), quia videlicet Redemptor noster suae distractionis examine in his qui de illo prava sentiunt stultitiam immoderati saporis exstinguit. Suhi autem dicitur loquens. Calorem quippe non ut bene vivant, sed **92** ut elate loquantur, habere desiderant. A Thema igitur et Suhi, id est, a calore et loquacitate venire referuntur, quia per hoc quod Scripturarum se studiosos exhibent, solius verbis loquacitatis, non autem visceribus charitatis carent. Naama vero interpretatur decor. Quia enim docti non esse, sed videri appetunt, ex eruditionis verbis speciem bene viventium sumunt; et per calorem loquacitatis in se imaginem ostendunt decoris, ut eo per decorem linguae perversa facile persuadeant, quo foeditatem vitae sensus callide occultant. Sed neque ipsa locorum nomina inordinata sunt narratione distincta. Prius enim Thema, postmodum Suhi, ac deinde Naama ponitur; qua prius illos inordinatus calor accendit, nitor deinde loquacitatis erigit, et tunc demum decoros hominibus hypocrisis ostendit.

CAPUT XXIII.

IBID.---*Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.*---46. *Haeretici contra Ecclesiam concordant. Amici possunt vocari.* Conducunt sibi haeretici, quando prava quaedam contra Ecclesiam concorditer sentiunt; et in quibus a veritate discrepant, sibi in falsitate concordant. Omnes autem qui nos de aeternitate erudiunt, quid aliud faciunt, nisi in peregrinationis nostrae nos afflictione consolantur? Haeretici autem, quia sanctam Ecclesiam sua

docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Nec mirum quod qui adversantium formam exprimunt, amici nominantur, cum ipsi quoque traditori dicitur: *Amice, ad quid venisti* (**Matth. XXVI, 50**)? et dives, qui in inferni igne exurit, ab Abraham filius vocatur (**Luc. XVI, 25**); quia etsi per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est ut a nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate amici nominentur.

CAPUT XXIV.

VERS. 12.---*Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum.*

47. *Non cognoscunt Ecclesiam. Cur.*---Haeretici quique cum sanctae Ecclesiae facta considerant, oculos levant, quia videlicet ipsi in imo positi sunt, et cum ejus opera respiciunt, in alto sunt sita quae cernunt; sed tamen hanc in dolore positam non cognoscunt. Ipsa quippe appetit hic mala recipere, ut possit ad aeternae remunerationis praemium purgata pervenire. Plerumque prospera metuit, et disciplina eruditionis hilaescit. Haeretici igitur, quia pro magno praesentia appetunt, eam in vulneribus positam non cognoscunt. Hoc namque quod in illa cernunt, in suorum cordium cognitione non relegunt. Cum ergo haec et adversitatibus proficit, ipsi suo stupori inhaerent: quia per experimentum ignorant quae vident.

CAPUT XXV [*Vet. XIX*].

IBID.---*Scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum in coelum.*

48. *Multas in partes scinduntur.*---Sicut vestimenta Ecclesiae cunctos fideles accipimus; unde et per prophetam dicitur: *Omnibus his velut ornamento vestieris*; ita haereticorum vestes sunt omnes, qui eis concorditer inhaerentes, illorum erroribus involvuntur. Habent vero haeretici hoc proprium, quod in eo gradu in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt; sed ad deteriora quotidie ruunt, et sentiendo pejora, in multis se partibus scindunt, atque a semetipsis plerumque longius confusionis suae altercatione dividuntur. Quia ergo hos quos suae perfidiae adjungunt, **93** adhuc in multa divisione dilaniant, dicatur recte quod amici qui veniunt vestes rumpant. Ruptis autem vestibus corpus ostenditur, quia saepe scissis sequacibus, malitia eorum cogitationis aperitur; ut discordia dolos patefaciat, quos gravis prius concordiae culpa claudebat.

49. *Terrena de verbis coelestibus sapiunt.*---Pulverem vero in coelum super capita spargunt. Quid per pulverem, nisi terrena intelligentia? quid per caput, nisi hoc, quod principale nostrum est, mens videlicet, designatur? Quid per coelum, nisi praeceptum supernae locutionis exprimitur? Pulverem ergo super caput in coelum spargere, est saeculari intellectu mentem corrumpere, et de verbis coelestibus terrena sentire. Divina autem verba plus discutiunt plerumque, quam capiunt. Super capita igitur pulvorem spargunt, quia in praeceptis Dei

per terrenam intelligentiam ultra suarum mentium vires enituntur.

CAPUT XXVI [*Rec. XV*].

Vers. 13.---Sederuntque cum eo in terra septem diebus et septem noctibus.

50. *Per fictam humilitatem persuadere tentant superba.*---In die quae videmus agnoscimus; in nocte autem, aut caecitate nil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem vero ignorantia designatur. Septenario autem numero summa universitatis exprimitur. Unde et non amplius, quam diebus septem, omne hoc tempus transitorium consummatur. Quid est ergo, quod amici beati Job consedere ei septem diebus et septem noctibus referuntur, nisi quod haeretici, vel in his in quibus verum lumen intelligunt, vel in his in quibus ignorantiae tenebras patiuntur, quasi infirmanti sanctae Ecclesiae se condescendere simulant, eique sub blandimentorum specie, dolos deceptionis parant? Et quamvis vel in his quae intelligunt, vel in his quae intelligere non possunt, elationis typo turgidi, magnos se apud semetipsos existimant, nonnunquam tamen sanctae Ecclesiae specie tenus inclinant; et dum verba molliunt, virus infundunt. In terra ergo consedere, est aliquid de imagine humilitatis ostendere; ut dum humilia exhibent, persuadeant superba quae docent.

[*Vet. XX.*] 51. *Nobiscum in terra sedent cum de incarnatione nobiscum consentiunt.*---Potest vero per terram ipsa etiam

Mediatoris incarnatio designari. Unde et ad Israel dicitur: *Altare de terra facietis mihi* (**Exod. XX, 24**). Altare enim de terra Deo facere, est in incarnationem Mediatoris sperare. Tunc quippe a Deo munus nostrum accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super Dominicae incarnationis fidem, posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicae incarnationis fide solidamus. Sed sunt nonnulli haeretici qui factam Mediatoris incarnationem non denegant, sed aut de divinitate quam est aliter aestimant, aut in ipsa a nobis incarnationis qualitate discordant. Qui ergo veram nobiscum incarnationem Redemptoris perhibent, quasi cum Job in terra pariter sedent. Septem vero diebus et septem noctibus in terra consedere describuntur, quia vel in hoc quod aliquid de plenitudine veritatis intelligunt, vel in hoc quod suae stultitiae tenebris excaecantur, incarnationis mysterium negare non possunt. Cum beato ergo Job in terra sedere, est veram Redemptoris carnem cum sancta Ecclesia credere.

94 52. *Mutis amici, contradicentibus fiunt adversarii.*--- Aliquando vero haeretici contra nos etiam suppliciis saeviunt, aliquando nos solis verbis insequuntur, aliquando quietos lacesunt, aliquando autem, si nos tacentes videant, quiescunt; et mutis amici sunt, loquentibus adversantur. Unde quia beatus Job necdum ad illos aliquid disserens dixerat, recte subjungitur: *Et nemo loquebatur ei verbum*. Tacentes enim adversarios habemus, si verae fidei filios praedicando generare negligimus. Si autem recta loqui incipimus, graves mox contumelias ex eorum responsione sentimus; protinus in adversitatem prosiliunt, et contra nos in vocem doloris erumpunt, quia videlicet metuunt ne corda, quae in infimis

pondus stultitiae aggravat, ad altum vox recta loquentis trahat. Quia ergo, ut diximus, mutos nos adversarii diligunt, loquentes oderunt, recte apud tacentem Job dicitur:

CAPUT XXVII.

IBID. *Nemo loquebatur ei verbum.*

53. *Quandoque silere coguntur haeretici.*---Nonnunquam tamen cum per torporem inertia fidelium corda considerant, erroris semina spargere loquendo non cessant. Cum vero mentes bonorum vident alta sapere, ad patriam reditum quaerere, de aerumna hujus exsilii strenue dolere, circumspectione sollicita linguam frenant, quia vident quod contra corda dolentium incassum loquentes citius obmutescant. Unde et recte cum diceretur: *Nemo loquebatur ei verbum*, mox causa silentii subinfertur, cum dicitur:

CAPUT XXVIII.

IBID.---*Videbant enim dolorem esse vehementem.*

54. *Cum ex amore Dei cor dolet, prava loqui adversarius metuit.*---Cum enim amoris Dei dolor vehemens corda nostra transfigit, passim prava loqui adversarius metuit, quia videt quod intentam mentem lacescens, non solum ad perversitatem trahere non valet, sed per excitatam forsitan et quos tenuerat, perdet.

[*Vet. XXI. Rec. XVI.*] 55. *In script. bene gesta interdum significant male gerenda; ac vice versa.*---Fortasse aliquos movet nos haec ita dixisse, quod quae bene ab amicis gesta sunt, male ab haereticis gerenda significant. Sed sic plerumque res quaelibet per historiam virtus est, per significationem culpa: sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est; in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum citius ostendemus, si unum sacrae Scripturae testimonium ad utraque probanda proferamus. Quis namque audiens, non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, non omni modo detestetur quod David, in solario deambulans, Bersabee Uriae concupiscit uxorem? Quem tamen a praelio revertentem ire ad domum admonet pedes lavare. Qui protinus respondit, dicens: *Arca Domini sub pellibus est, et ego in domo mea resquiescam* (**II Reg. XI, 11**)? Quem David ad mensam propriam suscepit, eique epistolas, per quas mori debeat, tradit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus de quo scriptum est: *In sole posuit tabernaculum suum* (**Psal. XVIII, 6**)? Et quid est Bersabee ad se perducere, nisi legem litterae, carnali populo conjunctam, spiritali sibi intellectu sociare? Bersabee enim puteus septimus dicitur, quia nimirum per cognitionem legis, infusione spiritalis gratiae, perfecta nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias, nisi Judaicum populum signat? Cujus nomen interpretatum dicitur, lux mea Dei. Judaicus **95** autem populus, quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriae David uxorem abstulit, sibique conjunxit: quia videlicet manu fortis, quod David dicitur, in carne Redemptor apparens, dum de se spiritaliter loqui legem innotuit, per hoc, quod juxta litteram tenebatur, hanc a Judaico populo extraneam demonstravit;

sibi que conjunxit, quia se per illam praedicari declaravit. Uriam tamen ad domum ire David admonet pedes lavare, quia incarnatus Dominus veniens Judaico populo praecepit ut ad conscientiam redeat, et sordes operum fletibus tergat; ut spiritaliter mandata legis intelligat, et post tantam duritiam praeceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurat. Sed Urias, qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit quod domum suam intrare non possit. Ac si Judaicus populus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, et redire ad conscientiam per spiritalem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui praecepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem David ad mensam vocat; quia quamvis Judaicus populus ad conscientiam reverti contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritalia praedicat, dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit (Joan. V, 46)*. Legem itaque Judaicus populus tenet, quae ejus divinitatem loquitur, cui isdem populus credere dedignatur. Unde et Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur, quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum defert judicium unde damnetur. Quid ergo per factum istud David scelestius? quid Uria mundius dici potest? Sed rursus, per mysterium, quid David sanctius, quid Uria infidelius invenitur, quando et ille, per vitae culpam, in prophetia signat innocentiam; et iste, per vitae innocentiam, in prophetia exprimit culpam? Non ergo incongrue per ea quae bene ab amicis Job gesta sunt, male ab haereticis gerenda signantur, dum virtus sacri eloquii sic transacta narrat, ut

ventura exprimat; sic in facto rem approbat, ut ei in mysterio contradicat; sic gesta damnat, ut haec mystice gerenda persuadeat.

SENSUS MORALIS.---[*Vet. XXII*]. 56. *Cur diabolus aliquando a tentatione quiescat.*---Igitur quia allegoriae mysteria membratim enodantes explevimus, nunc moralitatis intelligentiam raptim tangentes exsequamur. Ad obscuriora quippe disserenda mens properat; et si apertis diu involvitur, clausa, ut dignum est, pulsare praepeditur. Saepe antiquus hostis postquam menti nostrae tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit; non ut malitiae finem praebet, sed ut corda quae per quietem secura reddiderit, repente rediens facilius inopinatus irrumpat. Hinc est quod ad tentandum beatum virum iterum redit, ejusque cruciatus expetit, quem tamen ei superna pietas retinendo concedit, dicens:

CAPUT XXIX.

VERS. 6.---*Ecce in manu tua est, tantum animam illius serva.*

57. *Quandoque Deus nos deserit ut custodiat. Tentatio fit salva anima, ubi negatur consensus. Delectationis tamen vulnus poenitentia curandum.*---Sic quippe ille nos deserit, ut custodiat; sic custodit, ut tamen permissio tentationis articulo 96 statum nobis nostrae infirmitatis ostendat. Qui mox a facie Domini exiit, atque a planta pedis usque ad verticem acceptum feriendo vulneravit, quia nimirum cum licentiam percipit, a minimis incipiens, atque usque ad majora

perveniens, quasi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit. Sed tamen ad animam feriendo non pervenit, quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quae suscipit, arcani propositi intentio resistit; ut quamvis delectatio mentem mordeat, deliberationem tamen sanctae rectitudinis usque ad consensus mollitiem non inflectat. Debemus tamen per asperitatem poenitentiae ipsa delectationum vulnera tergere, et censura distractionis rigidae, si quid fluxum emanat in cogitatione, mundare. Unde bene mox subditur,

CAPUT XXX [*Rec. XVII*].

VERS. 8.---*Quia testa saniem radebat.*

58. *Quia testa saniem radere est se judicando fragilitatemque suam contemplando peccatum purgare.*---Quid enim per testam, nisi vigor distractionis; quid per saniem, nisi fluxus illicitae cogitationis accipitur? Percussi ergo testa saniem radimus, cum post pollutiones cogitationis illicitae, nosmetipsos aspere dijudicando mundamus. Potest etiam testa fragilitas mortalitatis intelligi. Testa ergo saniem mundare, est mortalitatis cursum fragilitatemque pensare, et putredinem miserae delectationis abstergere. Nam dum quisque considerat, quam citius caro ad pulverem redeat, festine superat hoc, quod se de carne intus turpiter impugnat. Cum ergo ex tentatione prava mentem cogitatio influit, quasi ex vulnere sanies decurrit. Sed citius sanies tergitur, si in consideratione nostra fragilitas quasi in manu testa teneatur.

59. *Cogitationes pravae non sunt spernendae.*---Neque enim parvi pendenda sunt quae, quamvis usque ad effectum non pertrahunt, tamen illicite in mente versantur. Hinc est quod quasi a vulneribus Redemptor noster saniem radere venerat, cum dicebat: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis quod si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo (Matth. V, 27).* Sanies itaque tergitur, cum culpa non solum ab opere, sed etiam a cogitatione resecatur. Hinc est, quod Jerobaal cum a paleis frumenta excuteret, angelum vidit, ad cuius imperium protinus haedum coxit, quem super petram posuit, et jus carnum desuper effudit; quae angelus virga tetigit, eaque ignis exiens de petra consumpsit (**Jud. VI, 11, 12, 19**). Quid est enim frumentum virga caedere, nisi rectitudine iudicii, a vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed haec agentibus angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi haedum praecipit, id est, omnem appetitum nostrae carnis immolari, carnesque super petram poni, et jus carnum desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum, de quo per Paulum dicitur: *Petra autem erat Christus (I Cor. X, 4).* Carnes ergo super petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnum desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas a se etiam carnales cogitationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquida in petram funditur, quando mens et a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quae tamen mox angelus 97 virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnesque consumit, quia afflatus a Redemptore spiritus, tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne

quod in eo est illicitum et operis et cogitationis exurat. Quod ergo illic est jus in petram fundere, hoc est hic saniem testa mundare. Perfecta enim mens solerter invigilat, ut non solum perversa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur tergat. [*Vet. XXIII.*] Sed saepe de ipsa victoria bellum oritur, ut cum immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. Sic ergo mentem necesse est per munditiam erigi, ut tamen sollicite debeat in humilitate substerni. [*Rec. XXVIII.*] Unde et cum de sancto viro diceretur, *Testa saniem radebat*, protinus apte subjungitur,

CAPUT XXXI.

IBID.---*Sedens in sterquilinio.*

60. *Tentationis victor humilitatem servet. Elatio parva agentium, et magna de se sentientium. Elatio iniquorum, ubi alii peccant in quibus ipsi non peccent.*---In sterquilinio quippe sedere, est vilia de se quempiam et abjecta sentire. In sterquilinio nobis sedere, est ad ea quae illicite gessimus mentis oculos poenitendo reducere; ut cum ante nos peccatorum stercora cernimus, omne quod in animo de elatione surgit inclinemus. In sterquilinio sedet, qui infirmitatem suam sollicitus respicit, et sese de bonis, quae per gratiam perceperit, non extollit. An non apud se in sterquilinio Abraham sederat, qui dicebat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (**Genes. XVIII, 27**)? Aperte enim cernimus, in quo se apud se loco posuerat, qui pulverem se ac

cinerem, etiam dum cum Deo loqueretur, aestimabat. Si igitur ita se despicit, qui usque ad honorem divinae colloctionis ascendit, sollicita intentione pensandum est qua poena illi ferendi sunt qui et ad summa non proficiunt, et tamen de minimis extolluntur. Nam sunt nonnulli, qui cum parva agunt, de semetipsis magna sentiunt: in altum mentem sublevant, et praeire se caeteros virtutum meritis putant. Hi nimirum apud se introrsus humilitatis sterquilinum deserunt, et elationis fastigia ascendunt; illum videlicet imitantes, qui primus se apud se extulit, sed elevando prostravit; illum imitantes, qui accepta conditionis dignitate contentus non fuit, dicens: *In coelum conscendam, super astra coeli exaltabo solium meum* (**Isai. XIV, 13**). Unde et ei male conjuncta Babylonia, id est, confusa multitudo peccantium, dicit: *Sedeo regina, et vidua non sum* (**Isai. XLVII, 8, sec. LXX.**) Quisquis ergo introrsus intumescit, in altum se apud semetipsum posuit. Sed eo se gravius in infimis deprimit, quo de se infima veraciter sentire contemnit. Sunt vero nonnulli qui nihil quidem virtutis agere student, sed tamen cum alios peccare conspiciunt, justos se in eorum comparatione suspicantur. Neque enim corda omnium una vel similis culpa transfigit. Hunc namque superbia illaqueat, illum forsitan ira supplantat, hunc autem avaritia cruciat, illum vero luxuria inflamat. Et plerumque contingit ut is quem superbia deprimit, alium respiciat qualiter ira succendat; et quia se ira non citius instigat, meliorem iracundo jam reputat, atque apud semetipsum quasi de justitia extollitur, quia pensare negligit vitium quo gravius tenetur. Plerumque contingit ut is quem avaritia sauciat, alium in luxuriae voragine mersum cernat; et quia se a pollutione carnali alienum respicit, **98** quibus ipse sordibus spiritalis vitii intrinsecus polluitur, non attendit;

dumque in alio pensat malum quod ipse non habet, in se negligit considerare quod habet: sicque fit, ut dum ad aliena dijudicanda mens ducitur, proprii iudicii lumine privetur; et eo durius contra aliena superbiat, quo sua negligentius ignorat.

[*Vet. XXIV.*] 61. *Humilitatem qui non perdat perfectus, intuitu culpaе alienae. Tentatio interdum foris et intus pulsat.*---At contra hi, qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt; et tanto rectius illas dijudicant, quanto verius istas deplorant. Quia igitur electus quisque in infirmitatis suae consideratione se comprimit, dicatur recte, quod vir sanctus in sterquilinio dolens sedet. Qui enim vere se humiliat, continuae considerationis oculo, quibus circumseptus sit delictorum sordibus proficiens pensat. Sciendam vero est quia plerumque in prosperis importuna tentatione mens tangitur; sed tamen aliquando et adversa exterius patimur, et intus tentationis impulsu fatigamur; ut et carnem flagella crucient, et tamen ad mentem carnalis suggestio inundet. Unde et bene post tot beati Job vulnera, adhuc subjuncta sunt etiam male suadentis uxoris verba, quae ait:

CAPUT XXXII.

VERS. 9.---*Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo et morere.*

62. *Uxor Job male suadens, est carnalis cogitatio.*---Uxor quippe male suadens est carnalis cogitatio mentem lacesens. Saepe etenim, ut dictum est, et foris flagellis atterimur, et intus

carnali suggestionem fatigamur. Hinc est enim quod Jeremias deplorat, dicens: *Foris interficit gladius, et domi mors similis est* (**Thren. I, 20**). Foris enim gladius interficit, cum nos exterius feriens vindicta configit. Sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia a tentationis sordibus munda non est. Hinc David ait: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et angelus Domini affligens eos* (**Psal. XXXIV, 5**). Qui enim in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante venti faciem pulvis elevatur. Et cum inter haec divina districtio percutit, quid aliud quam angelus Domini affligit?

63. *Tentationem aliter electi, aliter reprobi excipiunt.*---Sed haec aliter aguntur a reprobis, aliter ab electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant. Istorum vero, tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mens delectabiliter capitur; et si ad tempus quod male suggeritur displicet, sed postmodum per deliberationem libet. Isti vero sic tentationum jacula excipiunt, ut semper resistendo fatigentur; et si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsam tamen citius subreptionem suae delectationis erubescunt, et forti censura redarguunt quidquid intra se exurgere carnale deprehendunt. Unde et bene mox subjungitur:

CAPUT XXXIII. [*Rec. XIX*].

VERS. 10.---*Locuta es quasi una ex stultis mulieribus. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

64. *Contra aspera aut blanda quomodo resistendum.*---Dignum quippe est ut sancta mens spiritali correptione comprimat, quidquid apud se carnale insolenter immurmurat; ne caro aut loquens aspera, ad impatientiam illam pertrahat, aut loquens blanda, ad libidinis fluxa dissolvat. Censura igitur virilis, illicitae cogitationis suggestionem redarguens, dissolutam turpitudinis mollitiem reprimat, dicens: *Locuta es quasi una ex stultis mulieribus.* Et rursum consideratio munerum 99 cogitationis asperae impatientiam refrenet, dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Quisquis autem subigere vitia appetit, et ad aeterna internae retributionis culmina, verae intentionis gressibus tendit, quo magis vallari se vitiorum bello undique conspicit, eo se virtutum armis robustius accingit; et tanto minus jacula metuit, quanto contra haec venientia fortiter pectus munit.

65. *Vitia se sub virtutum specie tegunt.*---Sed plerumque dum contra hoc tentationum bellum fulciri magnis virtutibus nitimur, quaedam se nobis vitia sub specie virtutum tegunt, et quasi blanda ad nos facie veniunt; sed cujus adversitatis sint, discussa sentiuntur. Unde et amici beati Job quasi pro consolatione conveniunt, sed in contumelias erumpunt; quia insidiantia vitia virtutum faciem sumunt, sed hostili invectione nos feriunt. Nam saepe immoderata ira, justitia; et saepe dissoluta remissio, misericordia vult videri. Saepe incautus timor humilitas; saepe effrenata superbia appetit libertas apparere. Ad consolandum ergo amici veniunt, sed ad

increpationis verba dilabuntur; quia nimirum vitia virtutum specie palliata, blanda quidem superficie inchoant, sed aspera nos contrarietate perturbant. Bene autem dicitur:

CAPUT XXXIV.

VERS. 11.---*Condixerant enim sibi, ut pariter venientes visitarent eum.*

66. *Foedus adversum nos ineunt.*---Vitia quippe sibi sub virtutum praetextu condicunt, quia sunt quaedam quae adversum nos inter se quadam convenientia junguntur, sicut superbia et ira, remissio et timor. Vicina namque est ira superbiae, remissio timori. Condicendo ergo veniunt, quae contra nos sibi ex quadam pravitatis cognatione sociantur. [*Vet. XXV.*] Sed si aerumnam nostrae captivitatis agnoscimus, si ex amore aeternae patriae in intimis dolemus, vitia, quae male laetis surrepunt, bene tristibus praevalere non possunt. Unde et bene subditur:

CAPUT XXXV.

VERS. 12.---*Cumque elevassent procul oculos suos, non agnoverunt eum.*

67. *Afflictio fugat vitia.*---Afflictos enim nos vitia minime cognoscunt, quia triste cor mox ut pulsaverint, reprobata resiliunt; et quae nos laetos quasi noverant, quia penetrabant, moerentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur. Sed antiquus hostis, quo in eis fortiter deprehendi se conspicit, eo illa sub virtutum imagine altius abscondit. Unde et subditur:

CAPUT XXXVI.

IBID.---*Et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in coelum, et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus.*

68. *Nisi sub virtutum specie illudent.*---Signatur enim pietas per ploratum, discretio per scissionem vestium, affectus operum per **100** pulverem caput, humilitas per sessionem. Aliquando enim pium quid hostis insidians simulat, ut ad crudelitatis terminum deducat; sicut est, cum plecti per disciplinam culpam prohibet, quatenus quae hic non reprimitur, gehennae igne feriat. Aliquando discretionis imaginem oculis objicit, et ad indiscretionis laqueos perducit; sicut est cum impulsu ejus pro infirmitate nobis plus alimentorum quasi discrete concedimus, sed indiscrete contra nos bella carnis excitamus. Aliquando affectum simulat bonorum operum, sed per hunc inquietudinem irrogat laborum; sicut est cum quis quiescere non valet, et quasi de otio judicari timet. Aliquando imaginem humilitatis ostentat, ut affectum utilitatis subtrahat; sicut est cum quosdam,

plusquam sunt infirmos atque inutiles sibimetipsis asserit, ut dum se nimis indignos considerant, res in quibus prodesse proximis poterant, ministrare pertimescant.

69. *Compunctio contra vitia munit.*---Sed haec vitia quae sub virtutum specie antiquus hostis occultat, valde subtiliter manus compunctionis examinat. Qui enim veraciter intus dolet, quae agenda foras, quae non agenda sint, fortiter praevidet. Si enim nos virtus compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus pravae suggestionis obmutescit. Unde et sequitur:

CAPUT XXXVII.

VERS. 13.---*Et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.*

70. *Qui vitia ad virtutis usum possunt famulari.*---Si enim cor veraciter dolet, linguam contra nos vitia non habent. Nam cum plene vita rectitudinis quaeritur, supervacua suggestio pravitatis obturatur. Saepe autem si forti nos studio contra vitiorum incentiva stringimus, ipsa etiam vitia ad usum virtutis immutamus. Nonnullos namque ira possidet: sed hanc, dum rationi subjiciunt, in sancti zeli ministerium vertunt. Nonnullos superbia erigit; sed dum divinae formidini animum inclinant, hanc ad defensionem justitiae in vocem liberae auctoritatis mutant. Nonnullos fortitudo carnis illecebrat; sed dum exercendis piis operibus corpus subdunt, unde iniquitatis stimulum passi sunt, inde pietatis lucra mercantur. Unde et bene isdem beatus Job post multa certamina hostiam

pro amicis immolat. Quos enim per contentionem diu hostes pertulit, quandoque per sacrificium cives reddit; quia dum vitiosas quasque cogitationes subigendo in virtutes vertimus, tentationum adversa studia per intentionis hostiam, quasi ad amica corda permutamus. Haec nos in tribus voluminibus tripliciter disseruisse sufficiat. In ipso namque operis hujus exordio velut in molem nasciturae arboris, linguae radicem fiximus, ut expositionis ramos postmodum, prout singula expetunt loca, producamus.

LIBER QUARTUS. *In quo Gregorius paucis praefatus Scripturae litteram secum aliquando pugnare, et imprecationes Job sicut Jeremiae ac David, secundum id quod sonant, sine absurditate intelligi non posse, verba Job ab initio capitis tertii, ad versum vigesimum historice, mystice ac moraliter exponit.*

CAPUT PRIMUM. PRAEFATIO.

101 *Scripturae littera aliquando sibi contradicit. Scripturae sensus ab humilibus assiduitate legendi penetratur.---* Qui textum considerat, et sensum sacrae locutionis ignorat, non tam se eruditione instruit, quam ambiguitate confundit, quia

nonnunquam sibi litterae verba contradicunt; sed dum a semetipsis per contrarietatem dissident, lectorem ad intelligentiam veritatis mittunt. Quid enim est quod Salomon ait: *Melius est comedere et bibere* (**Eccle. II, 24**); et non longe post subjicit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (**Eccle. VII, 3**)? Cur luctum convivio praetulit, qui prius esum potumque laudavit? Si enim per electionem bonum est comedere et bibere, procul dubio esse melius debet ad domum gaudii, quam ad domum lamenti properare. Hinc est quod iterum dicit: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua* (**Eccle. XI, 9**). Et paulo post subjicit: *Adolescentia enim et voluptas vana sunt* (**Ibid., 10**). Quid est hoc quod vel prius reprehendenda praecipit, vel post praecepta reprehendit, nisi quod ipsis litterae verbis innuit, ut qui difficultatem exterius patitur, veritatis intelligentiam consideret, quam sequatur? quae nimirum veritatis intelligentia cum per cordis humilitatem quaeritur, legendi assiduitate penetratur. Sicut enim ignotorum hominum facies cernimus, et corda nescimus, sed si familiari eis locutione jungimur, usu colloquii eorum etiam cogitationes indagamus; ita cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud quam facies videtur; sed si huic assiduo usu jungimur, ejus nimirum mentem quasi ex colloctionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex aliis colligimus, facile in ejus verbis agnoscimus, aliud esse quod intimant, aliud quod sonant. Tanto autem quisque notitiae illius extraneus redditur, quanto in sola ejus superficie ligatur.

CAPUT II.

Imprecationes Job intelligi ad litteram sine absurditate nequeunt.---Ecce enim quod beatus Job diei suo maledixisse describitur dicens: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo*, si superficie tenus attenditur, quid his verbis reprehensibilius invenitur? Quis autem nesciat, diem in quo natus est nequaquam tunc stare potuisse? Modus quippe est temporis, ut statum non habeat mansionis. Quia enim per ventura tendit ad esse, semper ex praeteritis festinat non esse. Cur ergo vir tantus malediceret rei, quam nequaquam subsistere non ignoraret? Sed fortasse aliquis dicat, quod ex eo pondus virtutis ejus aspicitur, quia tribulatione commotus, illi rei maledictum **102** irrogat quae constat quod minime subsistat. Sed hoc citius perspecta ratio destruit, quia si subsistebat res cui malediceret, perniciosum maledictum intulit: si autem non subsistebat, otiosum. Quisquis vero ejus spiritu plenus est, qui ait: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die judicii* (**Matth. XII, 36**), ita otiosa admittere, sicut etiam perniciose formidat. Cui adhuc sententiae adjungitur: *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non sit in recordatione, et non illustret lumine: obscurant eum tenebrae et umbra mortis, occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, sit nox illa solitaria, nec laude digna; expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae.* Dies qui elapsus cursu temporis scitur, cur verti in tenebras dicitur? Et cum constaret quia non subsisteret, cur optatur ut eum umbra mortis obscuraret; vel quae caligo occupat, quae implicatio amaritudinis involvit; aut quis noctem tenebrosus turbo possidet, quam nullus status tenet? Aut quomodo optatur fieri solitaria, quae transeundo jam

fuerat nulla? Aut lucem quomodo exspectat, quae et sensu caret, et in proprio statu non permanet? Quibus adhuc verbis subjicit:

CAPUT III.

Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem.

Argumenti propositi confirmatio. Qui liberarentur homines ab originali peccato, ante institutum baptismum.---Nunquid si egressus ex utero statim periisset, retributionis meritum ex hac ipsa perditione conciperet? Nunquid aeterna requie abortivi perfruuntur? Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero (**De cons., dist. 4, c, 5, Quod autem**) apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Nam quia unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, Propheta testatur, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* (**Psal. L, 7**). Et quia is quem salutis unda non diluit, originalis culpae supplicia non amittit, aperte per semetipsam Veritas perhibet, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non habebit vitam aeternam* (**Joan. III, 5**). Quid est ergo quod in vulva se mortuum fuisse desiderat, et potuisse se quiescere ejusdem mortis beneficiis sperat, dum constet quod nequaquam eum requies vitae susciperet, si a

reatu illum originalis culpa**103** nequaquam divinae cognitionis sacramenta liberassent? Qui adhuc cum quibus quiescere potuisset, adjungit dicens: *Cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solitudines*. Quis ignoret quod reges terrae ac consules eo a solitudine longe sunt, quo innumeris obsequentium cuncis constipantur? Vel quam difficile hi ad requiem tendunt, qui tam duris rationum multiplicium nexibus astringuntur? Scriptura attestante, quae ait: *Judicium durissimum in his qui praesunt fiet* (**Sap. VI, 6**). Unde in Evangelio Veritas dicit: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* (**Luc. XII, 48**). Qui adhuc quos in eadem requie socios habuisset, insinuat dicens: *Aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento*. Rarum valde est ut qui aurum possident, ad requiem tendant, dum per semetipsam Veritas dicat: *Difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum coelorum* (**Matth. XIX, 24**). Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, quae alterius vitae gaudia sperant? Quod tamen, ut Redemptor noster valde rarum, et ex solo divino miraculo evenire posse monstraret: *Apud homines, inquit, hoc impossibile est, apud Deum autem possibilia omnia sunt*. Quia igitur verba haec in superficie a ratione discordant, ipsa jam littera indicat, quod in eis sanctus vir juxta litteram nihil dicat.

CAPUT IV [*Vet. III*].

Nec David nec Jeremiae imprecationes ad litteram accipiendae.---Sed si prius in sacro eloquio alia maledicta discutimus, hoc quod beati Job ore prolatum est, subtilius

indagamus. Quid est enim, quod David, qui retribuentibus sibi mala non reddidit, cum Saul et Jonathas bello occumberent, Gelboe montibus maledicit, dicens: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo* (**II Reg. I, 21**)? [*Rec. IV.*] Quid est quod Jeremias, cum praedicationem suam cerneret audientium difficultate praepediri, maledicit dicens: *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus* (**Jerem. XX, 15**)? Quid ergo montes Gelboe, Saul moriente deliquerunt, quatenus in eis nec ros nec pluvia caderet, et ab omni eos viriditatis germine sententiae sermo siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur decursus, per Saul autem unctum et mortuum, mors nostri Mediatoris exprimitur; non immerito per Gelboe montes superba Judaeorum corda signantur, quae dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi, id est uncti, se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiae rore siccantur. De quibus et benedicatur: *Ut agri primitiarum esse non possint*. Superbae quippe Hebraeorum mentes primitivos fructus non ferunt, quia in Redemptoris adventu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fecundata, vix in mundi fine Judaeos, quos invenerit, suscipiet; et extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponet. De quibus nimirum reliquiis Isaias dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiae salvae fient* (**Isaiae X, 22, sec. LXX; Rom. IX, 27**). Possunt tamen idcirco Gelboe montes ore prophetae maledici, ut dum fructus exarescente terra non oritur, possessores terrae sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi maledictionis

sententiam **104** acciperent, qui apud se mortem regis suscipere iniquitate sua exigente meruissent. [*Vet. IV.*] Sed quid est quod a Propheta maledictionis sententiam vir ille suscepit, qui nativitatem illius patri nuntiavit? Hoc nimirum tanto intrinsecus majori mysterio plenum est, quanto extrinsecus humana ratione vacuum. Nam si quid exterius rationabile fortasse sonuisset, nequaquam nos ad studium interioris intellectus accenderet. Eo ergo nobis plenius aliquid intus innuit, quo foris rationabile nihil ostendit. Si enim ex matris suae utero hoc in mundo propheta affligendus prodiit, natalitatis ejus nuntius quid deliquit? Sed quid persona prophetae fluctuantis, nisi per poenae meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? Et quid per patrem illius, nisi iste de quo nascimur mundus exprimitur? Et quis est ille vir qui nativitatem nostram patri annuntiat, nisi antiquus hostis, qui cum nos in cogitationibus fluctuare considerat, malorum mentes, qui ex auctoritate hujus mundi praeeminent, ad persuasionem nostrae deceptionis instigat; cumque nos agere infirma conspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, et quasi natos masculos loquitur, cum corruptores veritatis per mendacium nos exstitisse gratulatur? Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum, quem persuaserit, factum innocentiae corruptorem demonstrat. Nam cum cuilibet peccanti ac superbienti dicitur, Fecisti sicut vir, quid aliud quam natus masculus in mundo perhibetur? Jure itaque vir, qui masculum natum nuntiat, maledicatur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri corruptoris indicatur. His ergo Scripturae sacrae maledictionibus discimus quid apud beatum Job in voce maledictionis inquiramus, ne quem Deus post vulnera et verba remunerat, lector verba ejus redarguere non

intelligens praesumat. Quia igitur utcunque haec quae in praefatione fuerant exquirenda distinximus, verba jam historiae disserentes exsequamur.

CAPUT PRIMUM [*Rec. V*].

CAP. III. VERS. 1-3.---*Post haec aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, dicens: Pereat dies in qua natus sum.*

1. HISTORICUS ET MYSTICUS SENSUS.---*Job ex impatentia maledictum non protulit.*---Non est neglecte disserendum quod dicitur, *Aperuit os suum*. Scriptura enim sacra ex his quae tenuiter praemittit, reverenter expectanda indicat quae subjungit. Sicut enim clausa vascula quid intus habeant ignoramus, aperto vero ore vasculorum quid intrinsecus contineatur agnoscimus; ita sanctorum corda, quae clauso ore occulta sunt, aperto ore deteguntur; et cum cogitationes detegunt, os aperire referuntur, ut intenta mente, quasi apertis vasculis, quid intus contineant festinemus cognoscere, ac nosmetipsos eorum intimo odore recreare. Unde et sublimia praecepta Domino in monte dicturo praemittitur: *Aperiens os suum dixit (Matth. V, 2)*; quamvis illic et hoc accipi debeat, quia tunc os suum in praeceptis aperuit, in quibus dudum aperuerat ora prophetarum. Valde autem solerter intuendum est quod dicitur, *Post haec*, ut nimirum rei virtus quae agitur veraciter ex tempore sentiat. Prius enim vastitas rerum, extinctio pignorum, **105** dolor vulnerum, persuasio conjugis, adventus amicorum describitur, qui scidissee vestes, exclamantesque flevisse,

pulvere capita conspersisse, et diu considentes in terra tacuisse memorantur, ac deinde subjungitur: *Post haec aperuit Job os suum, et maledixit diei suo*; ut ipso videlicet narrationis ordine perpendatur quia nequaquam maledictum per impatientiam protulit, qui ad maledictionis vocem amicis adhuc tacentibus erupit. [*Vet. V.*] Si enim ira motus malediceret, audito damno substantiae, cognita morte filiorum, eum procul dubio ad maledictionem dolor excitaret. Sed quid tunc dixit audivimus. Ait namque: *Dominus dedit, Dominus abstulit (Job. I, 21)*. Rursum, si ira motus malediceret saltem percussus in corpore, vel male suasus a conjuge, maledictum inferre potuisset. Sed quid tunc respondit agnovimus. Ait namque: *Locuta es quasi una ex stultis mulieribus. Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? (Job. II, 10.)* Post haec vero describitur, quia amici veniunt, flent, consident, tacent; moxque subjungitur hoc, quod diei suo maledixisse perhibetur. Nimis itaque incongruum est ut suspicemur eum, nullo instigante, nullo pulsante, ex impatientia ad vocem maledictionis erumpere, quem nimirum novimus inter damna rerum mortemque filiorum, inter vulnera corporis, inter verba male suadentis uxoris, magna creatori praeconia humili mente reddidisse. Patefecit ergo qua mente haec quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiam percussus emanavit. Neque enim postmodum non percussus superbire potuit, quem et in percussione dolor humilem ostendit. Sed cum certo novimus quod maledictum sacra Scriptura prohibet, cur recte aliquando fieri dicimus quod vitari eodem sacro eloquio non ignoramus?

[Rec. VI.] 2. *Maledictum aliud ex iudicio, aliud ex vindicta.*--
-Sciendum vero est quod Scriptura sacra duobus modis
maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud
quod damnat (24, q. 3, c. 1, can. **Cum sancti**). Aliter enim
maledictum profertur iudicio iustitiae, aliter livore vindictae.
Maledictum quippe iudicio iustitiae, ipsi primo homini
peccanti prolatus est, cum audivit: *Maledicta terra in opere
tuo* (**Genes. III, 17**). Maledictum iustitiae iudicio profertur,
cum ad Abraham dicitur: *Maledicam
maledicentibus tibi* (**Genes. XII, 3**). Rursum quia
maledictum non iudicio iustitiae, sed livore vindictae
promitur, voce Pauli apostoli praedicantis admonemur, qui
ait: *Benedicite, et nolite maledicere* (**Rom. XII, 14**). Et
rursum: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (**I Cor. VI,
10**). Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo
prohibetur; quia quod homo agit malitia vindictae, Deus non
facit nisi examine et virtute iustitiae. [Vet. VI.] Cum vero
sancti viri maledictionis sententiam proferunt (24, q. 3, can.
12, Cum sancti), non ad hanc ex voto ultionis, sed ex
iustitiae examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium
aspiciunt, et mala foras exsurgentia, quia maledicto debeant
ferire, cognoscunt; et eo in maledicto non peccant, quo ab
interno iudicio non discordant. Hinc est quod Petrus in
offerentem sibi pecuniam Simonem, sententiam maledictionis
intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (**Act.
VIII, 20**). Qui enim non ait, *est*; sed *sit*, non indicativo, sed
optativo modo se haec dixisse 106 signavit. Hinc Elias
duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit: *Si homo Dei
sum, descendat ignis de coelo, et consumat vos* (**IV Reg. I,
10**). Quorum utrorumque sententia quanta veritatis ratione
convaluit, terminus causae monstravit. Nam et Simon aeterna

perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicatur, usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno et intimo iudice in reum sententia sumpta jaculatur.

3. *Maledictio Job ex rectitudine iudicis.*---Igitur si subtiliter beati Job verba pensamus, non est ejus maledictio ex malitia delinquentis, sed ex rectitudine iudicis; non est ira commoti, sed doctrina tranquilli. Qui enim tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio succubuit, sed doctrinae magisterium impendit. Vidit quippe amicos cum clamore flere, vidit vestes scindere, vidit pulvere capita conspersisse, vidit consideratione suae percussione obmutescere; et vir sanctus inspexit, quia hi qui prospera temporalia requirebant, ex comparatione mentis propriae eum temporali fractum adversitate crediderant. Perspexit quod transitoria afflictione percussum desperate non flerent, nisi ipsi desperatam mentem ab spe incolumitatis internae subtraherent; et dum erumpit foras in vocem doloris, vulneratis intus ostendit virtutem medicaminis, dicens:

Pereat dies in qua natus sum.

[Rec. VII.] 4. *Maledicit diei mutabilitatis, ex intuitu aeternitatis.*---Quid enim debet per diem nativitatis, nisi omne hoc tempus nostrae mortalitatis intelligi? quod quamdiu nos in hac nostrae mutabilitatis corruptione retinet, aeternitatis nobis incommutabilitas non apparet. Qui igitur diem jam aeternitatis videt, aegre diem suae mortalitatis sustinet. Et

notandum quia non ait, Pereat dies in qua conditus: sed, *Pereat dies in qua natus sum*. In die quippe justitiae homo est conditus, sed jam in tempore culpae natus. Adam enim conditus, sed Cain primus natus est. Quid est ergo diei nativitatis maledicere, nisi aperte dicere: Dies mutabilitatis pereat, et lumen aeternitatis erumpat.

[*Vet. VII.*] 5. *Tempus mutabilitatis nostrae aliquando penitus perituum. Dies qui hic ita optatur perire ut male sit, est apostata spiritus.*---Sed quia perire duobus modis dicere solemus (aliter enim perire dicimus, quando aliquid optamus ut non sit; et aliter perire dicimus, quando optamus ut male sit), hoc, quod de hoc die subditur, *Obscuret eum caligo, et involvatur amaritudine*, liquido ostenditur quia dies iste non ita ut non sit, sed ita perire optatur, ut male sit. Involvi enim amaritudine non potest quod omni modo perditum non est penitus. Hoc autem tempus nostrae mutabilitatis non quandoque ita perituum, id est, transituum est, ut male sit; sed ut penitus non sit, angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: *Per viventem in saecula, quia tempus jam non erit* (**Apoc. X, 6**). Nam etsi Propheta dicit, *Erit tempus eorum in aeternum* (**Psal. LXXX, 16**), quia per momenta tempus deficit, nomine temporis eorum defectum vocavit, ostendens quod sine omnimodo defectu deficiunt hi qui a visionis intimae consolatione separantur. Quia **107** ergo nostrae mortalitatis hoc tempus non ita ut male sit, sed ita perit ut non sit; quaerendum est quid sit quod non ita ut non sit, sed ita perire optatur ut male sit. Humana enim anima, seu angelicus spiritus ita immortalis est, ut mori possit; ita mortalis, ut mori non possit. Nam beate vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit. Essentialiter autem vivere, neque per

vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim vivendi deficit, sed omni modo subsistendi interitum nec moriens sentit. Ut ergo breviter dixerim, et immortaliter mortalis est, et mortaliter immortalis. [*Rec. VIII.*] Dum igitur dies ut pereat optatur, et paulo post involvendus amaritudine dicitur; quem credamus, quod vir sanctus diei nomine exprimere voluit, nisi apostatam spiritum, qui in vivendi essentia etiam moriendo subsistit? quem perditio vitae non subtrahit, quia in aeterno dolore positum, servando mors immortalis exstinguit: qui jam a beatitudinis gloria dejectus, adhuc optatur ut pereat, ut videlicet retrusus dignis suppliciis, etiam tentandi licentiam amittat.

[*Vet. VIII, Rec. IX*]. 6. *Qua ratione dies, quave nox sit. Quid ei optetur, dum ut pereat optatur.*---Is nimirum diem se exhibet, quia per prospera illicit; sed in noctis tenebras desinit, quia ad adversa perducit. Diem namque ostendebat, cum diceret, *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii* (**Genes. III, 5**); sed noctem intulit, cum ad mortalitatis tenebras perduxit. Dies itaque est, illata promissio meliorum; sed nox est, exhibita ipsa experientia calamitatum. Antiquus hostis dies est per naturam bene conditus; sed nox est per meritum ad tenebras delapsus. Dies est, cum pollicendo bona, humanis aspectibus lucis se angelum simulat, Paulo attestante qui ait, *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (**II Cor. XI, 14**), sed nox est, cum mentes consentientium erroris tenebris obscurat. Vir ergo sanctus in dolore proprio causam totius humani generis deflens, et nihil speciale omni modo in speciali vulnere cogitans, reducat ad animum originem culpae; et consideratione justitiae, dolorem temperet poenae. Videat

humanum genus unde quo cecidit, et dicat: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo.* Ac si aperte dicat: Pereat spes ab apostata angelo illata, qui diem se simulans, ex promissione divinitatis emicuit; sed noctem se exhibens, lucem nobis nostrae immortalitas obscuravit. Pereat antiquus hostis, qui lucem promissionis ostendit, et peccati tenebras contulit; qui quasi diem se blandiendo innotuit, sed usque ad tenebrosam noctem ex impressa cordis caecitate perduxit. Sequitur:

CAPUT II.

VERS. 4.---*Dies ille vertatur in tenebras.*

7. *Vertitur in tenebras, cum quae promittit prospera, intelliguntur adversa.*---Quasi lucet dies iste mentibus hominum, cum pravitatis ejus persuasio prospera creditur, et qualis sit intrinsecus non videtur. Sed cum iniquitas illius, sicut est, agnoscitur, dies falsae promissionis quasi quibusdam ante iudicii nostri oculos tenebris obscuratur; quia videlicet qualis est ex merito, talis perspicitur in blandimento. In tenebras ergo dies vertitur, quando adversa intelligimus, etiam quae prospera suadendo pollicetur. In tenebras dies vertitur, quando antiquus hostis qualis est saeviens, talis a nobis perspicitur etiam sub blandimentis latens; ne fictis prosperitatibus quasi ex diei lumine illudat, et veris miseriis ad **108** peccati tenebras pertrahat. Sequitur:

CAPUT III [*Vet. IX*].

IBID.---*Non requirat eum Deus desuper, et non illustret lumine.*

8. *Cur humana natura reparata, non angelica.*---Omnipotens Deus sicut ex nihilo bona facere potuit, ita, cum voluit, per incarnationis suae mysterium etiam perdita bona reparavit. Duas vero ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet, et humanam: utramque vero superbia perculit, atque ab statu ingenitae rectitudinis fregit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro. Misertus ergo creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpae ex infirmitate aliquid constat habuisse; et eo altius debuit apostatam angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde recte Psalmista, cum misertum Redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiae expressit, dicens: *Et memoratus est, quia caro sunt* (**Psal. LXXVII, 39**). [*Rec. X.*] Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo et perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimirum angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Quia ergo humanum genus ad lucem poenitentiae Redemptoris adventu reducit, apostata vero angelus ad restorationis lucem nulla spe veniae, nulla conversionis emendatione revocatur; dicatur recte: *Non requirat eum Deus desuper, et non illustret*

lumine. Ac si aperte diceretur: Quia ipse tenebras intulit, toleret sine fine quod fecit; nec unquam lumen pristini status recipiat, quia hoc etiam non suasus amisit. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 5.---*Obscurent eum tenebrae et umbra mortis.*

9. *Diabolum erroris caecitas sic obruit, ut ad poenitentiae lucem non sit resurrecturus.*---Per umbram mortis, oblivio debet intelligi; quia sicut mors interimit vitam, ita oblivio exstinguit memoriam. Quia ergo apostata angelus aeternae oblivioni traditur, umbra mortis obscuratur. Dicatur igitur: *Obscurent eum tenebrae et umbra mortis*; id est, sic eum erroris sui caecitas obruat, ut nequaquam ulterius ad lucem poenitentiae per divini respectus memoriam resurgat. Sequitur:

CAPUT V [*Vet. X*].

IBID.---*Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.*

10. *Quid nunc patiatur, et quid passurus sit post iudicium.*---Antiquus hostis nequitiae suae vinculis astrictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim a lucis intimae ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneae caliginis aeterno

gehennae tormento cruciatur. Dicatur ergo: Is qui serenitatem lucis intimae perdidit, quid est quod ante extremum supplicium tolerat? *Occupet eum caligo*. Subjungatur etiam, quae illum poena subsequens etiam sine termino devastat: *Involvatur amaritudine*. Omne quippe quod involutum est finem suum quasi nusquam indicat; quia sicut non ostendit quo incipit, ita non detegit quo desistit. Involvi ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiae ejus supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita praeparantur. Quae videlicet ejus poena tunc initium accipit, cum districtus ad extremum judicium judex venit. Unde et bene subditur:

109 CAPUT VI [*Rec. XI*].

VERS. 6.---*Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*

11. *Quanta tempestate ad aeterna supplicia raptus.*---Scriptum quippe est: *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. XLIX, 3)*. Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiritum a conspectu districti judicis ad aeterna supplicia, pavenda illa tempestas rapit. Turbine ergo nox ista possidetur, quia superba ejus caecitas districta animadversione percutitur. Sequitur:

CAPUT VII.

IBID.---*Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.*

12. *Quid diei mensis et anni nomine, in verbis Job intelligendum.*---Annum praedicationem supernae gratiae non inconvenienter accipimus; quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum; quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium, illa electorum innumerabilis universitas expletur. Hunc namque annum perfectae multitudinis Isaias praedicat, dicens: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domini (Isai. LXI, 1).* Annus enim placabilis Domini praedicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda praedicatur. Quid vero per dies, nisi singulae quaeque electorum mentes; quid per menses, nisi multiplicatae eorum Ecclesiae, quae unam catholicam faciunt, designatur? Illa ergo nox non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus; quia antiquus hostis superbiae suae tenebris pressus, adventum quidem Redemptoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit (Hebr. II, 16).* [Rec. XII.] Idcirco namque Redemptor noster non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit; ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semetipso apprehendendo repararet. [Vet. XI.] Possunt etiam dies hi

qui in interna luce permanent, angelici spiritus; menses autem, eorum ordines et dignitates intelligi. Singuli enim quique spiritus, quia lucent, dies sunt. Sed quia certis quibusdam dignitatibus distinguuntur, ut alii throni, alii dominationes, alii principatus, alii potestates sint; pro hac ipsa distributione agminum, menses vocantur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur: nec in diebus anni, nec in mensibus numeratur. Sic quippe illum perpetratae superbiae caecitas gravat, ut ultra ad illa claritatis intimae agmina superna non redeat. Nequaquam jam stantibus lucis dignitatibus admiscetur, quia tenebrarum suarum merito semper ad ima deprimitur. Qui quia ab illa patriae coelestis frequentia exsors in perpetuum permanet, recte adhuc subjungitur:

CAPUT VIII.

VERS. 7.---*Sit nox illa solitaria, nec laude digna.*

13. *Diabolus redempto homine et idolis reprobatis fit solitarius et sine laude.*---Nox illa solitaria efficitur, quia distinctione perpetua a frequentia patriae supernae separatur. Quod tamen intelligi et aliter potest, ut videlicet hominem, quem sibi socium ad perditionem fecerat, **110** amittat; et solus cum suo corpore hostis pereat, dum multos quos destruxerat, Redemptoris gratia reformat. Solitaria ergo nox efficitur, cum sublati eis qui electi sunt, solus hostis antiquus aeternis ignibus gehennae mancipatur.

Bene autem dicitur: *Nec laude digna*. Cum enim humanum genus, erroris tenebris pressum, deos lapides crederet, per hoc quod idolis serviebat, quid aliud quam seductoris sui facta laudabat? Unde bene per Paulum dicitur: *Scimus, quia nihil est idolum; sed quae immolant gentes, daemoniis immolant* (**I Cor. VIII, 4**). Qui ergo idolorum venerationi substrati sunt, quid aliud quam noctis tenebras laudaverunt? Sed ecce jam cernimus, quia nox illa non esse laude digna cognoscitur, cum jam a redempto humano genere idolorum veneratio reprobatur; et solitaria nox relinquitur, quia cum damnato apostata spiritu ad tormenta non itur. Sequitur:

CAPUT IX.

VERS. 8.---*Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.*

14. *A Christo ejus malitia jam destruitur; in fine mundi potentia exstinguetur.*---In translatione veteri ita non dicitur; sed, *Maledicat eam, qui maledixit diem, qui capturus est grandem cetum*. Quibus verbis aperte ostenditur quod a sancto viro in fine mundi ventura Antichristi perditio praevидetur. Malignus namque spiritus, qui per meritum nox est, diem se in mundi fine simulat, cum se quasi Deum hominibus ostentat, cum claritatem sibi Divinitatis fallaciter tribuit, et se supra omne quod Deus vel dicitur, vel colitur, extollit. Noctem igitur maledicit, qui maledicit diem; quia ille nunc ejus malitiam destruit, qui illustratione adventus sui tunc etiam potentiam ejus fortitudinis exstinguet. Unde et bene

subjungitur: *Qui capturus est grandem cetum*. Hujus enim ceti fortitudo in aquis capitur, quia antiqui hostis versutia baptismi sacramento superatur.

15. *Electi angeli ejus doli tenebras nobis indicant*.---Sed quod translatione veteri de auctore omnium dicitur, hoc translatione hac, quae ad nos ex Hebraeo est Arabicoque sermone derivata, de electis ejus angelis memoratur (**Consule quae diximus l. XXXV, cap. olim 13, ad vers. 14 c. ult. l. Job.**) De his namque dicitur: *Maledicant ei qui maledicunt diei*. [Rec. XIII.] Diem se quippe iste superbiens spiritus ostentare etiam angelicis potestatibus voluit, cum se super caeteros quasi in potentia divinitatis extollens; tot post se ad interitum legiones traxit. Sed hi nimirum, qui in auctore suo humili corde perstiterunt, cum errori ejus noctem inesse conspicerent, diem claritatis illius de semetipsis humilia sentiendo calcaverunt: qui nunc nobis doli ejus tenebras indicant, et quam sit illius despicienda ficta claritas, demonstrant. Dicatur ergo de tenebrosa nocte, quae humanae infirmitatis oculos claudit: *Maledicant ei, qui maledicunt diei*, id est, illi electi spiritus erroris ejus tenebras damnando denuntient, qui magnitudinem claritatis illius jam ab exordio fictam vident. Bene autem subditur: *Qui parati sunt suscitare Leviathan*. Leviathan quippe intepratus dicitur additamentum eorum. Quorum scilicet, nisi hominum? Recta autem additamentum eorum dicitur, quia postquam primam culpam mala suggestionem intulit, hanc quotidie augere gravioribus persuasionibus non desistit. Vel certe per exprobrationem Leviathan vocatus est, id est, additamentum hominum dictus. Eos namque in paradiso immortales reperit; sed divinitatem immortalibus 111 promittendo, quasi eis

aliquid ultra quam erant se addere spopondit. Sed dum blande non habita se daturum perhibuit, callide et habita subtraxit. Unde et eundem Leviathan ita propheta describit dicens: *Super Leviathan serpentem vectem, super Leviathan serpentem tortuosum* (**Isai. XXVII, 1**). Leviathan quippe iste in eo, quod se addere homini spopondit, tortuosis ad eum sinibus irrepsit; quia dum falso impossibilia promisit, vere et possibilia sustulit. [*Vet. XII.*] Quaerendum vero nobis est cur qui serpentem dixerat, tortuosumque illico subjungens, interposuit vectem, nisi forte quod in serpentis tortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritia rigiditatis. Ut ergo hunc et durum signaret, et mollem; et vectem nominat, et serpentem. Durus quippe est per malitiam, mollis per blandimenta. Vectis ergo dicitur, quia usque ad necem percutit; serpens autem, quia se per insidias molliter infundit.

16. *Diabolum electi angelorum in puteo abyssi clausum premunt.*---Sed hunc Leviathan electi angelorum spiritus nunc in puteo abyssi clausum premunt. Unde scriptum est: *Vidi angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua: et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum* (**Apocal. XX, 1, 2 et seq.**). Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocant, et totum contra nos in suis viribus ralaxant. Unde et illic rursum scriptum est: *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas* (**Ibid., 7**). Ille enim apostata angelus, quia ita conditus fuerat, ut angelorum caeteris legionibus emereret, ita superbiendo succubuit, ut hunc stantium angelorum ditioni substratus sit; quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat,

vel tunc ad probationem nostram eis relaxantibus, totis se contra nos suis viribus solutus exerceat. Quia igitur hi electi spiritus superbum apostatam comprimunt, qui humiles hunc sequi noluerunt, ipsisque administrantibus disponitur, ut ad intentionem aperti certaminis destruendus funditus quandoque revocetur, dicatur recte: *Qui parati sunt suscitare Leviathan*. Quia tamen hostis callidus ad aperta bella necdum suscitatus est, quomodo quorundam mentes nox ista nunc latenter obscuret, insinuet. Sequitur:

CAPUT X [*Vet. XIII, Rec. XIV*].

VERS. 9.---*Obtenebrentur stellae caligine ejus*.

17. *Stellae aliquando sancti, aliquando hypocritae in Scripturis dicuntur. Hypocritarum lux obscuratur aperto errore*.---In Scriptura sacra stellarum stellarum nomine aliquando sanctorum justitia, quae in hujus vitae tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quae faciunt, ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes, stellae non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret: *In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (**Philip. II, 15**). Rursum, si inter eos qui recta agere videntur, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quaerent, nequaquam stellas Joannes ruere a coelestibus videret, dicens: *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum* (**Apoc. XII, 4**). Draconis enim cauda stellarum pars trahitur, quia extrema persuasionem Antichristi quidam qui

videntur lucere rapiuntur. **112** Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitae coelestis inhaerere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Sunt namque nonnulli qui ante humanos oculos velut magnis operibus lucent; sed quia haec ipsa opera a mundo corde non prodeunt, capti in occultis cogitationibus, noctis hujus tenebris obscurantur; qui saepe ea quae mundo corde non faciunt, etiam opera amittunt. Quia ergo nox praevalere permittitur, quando et inter bona opera cordis intentio minime mundatur, dicatur recte: *Obscurentur stellae caligine ejus*; id est, contra eos qui ante humanos oculos quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura praevaleat; et hoc, quod ante humana judicia sumpserant, lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obscurantur, cum eorum vita aperto errore confunditur; ut nimirum tales etiam foris in actione appareant, quales apud semetipsos intus divino parere iudicio non formidant. Sequitur:

CAPUT XI [*Vet. XIV*].

IBID. *Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae.*

18. *Christus cum bonis una est persona, et diabolus una cum reprobis. Qui prava agunt, aut recta non recto corde, mercedem aeternam frustra sperant.*---In Evangelio Veritas dicit: *Ego sum lux mundi* (**Joan. VIII, 12**). Sicut autem isdem Redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum; ipse namque caput est corporis, et nos hujus capitis

corpus; ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum, quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput praeeminet, illi autem dum ad persuasa deserviunt, velut subiectum capiti corpus inhaerent. Quod ergo de hac nocte, id est antiquo hoste dicitur, dignum est ut ad corpus ejus, id est ad iniquos quosque, derivetur. Quia igitur Redemptor humani generis lux est, quid est quod de hac nocte dicitur: *Expectet lucem, et non videat*: nisi quod sunt nonnulli qui fidem, quam operibus destruunt, tenere se sermonibus ostendunt? De quibus per Paulum dicitur: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (**Tit. I, 16**). Hi nimirum aut prava sunt quae faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur. Non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores quaerunt; et tamen quia quasi sanctos laudari se audiunt, esse se veraciter sanctos arbitrantur; et quanto se ex multorum aestimatione irreprehensibiles putant, tanto diem districti iudicii securius expectant. De quibus bene per prophetam dicitur: *Vae desiderantibus diem Domini* (**Amos V, 18**). Quibus beatus Job debitam sententiam profert, praedicentis studio; non optantis voto dicens: *Expectet lucem, et non videat*. Nox quippe illa, videlicet tenebrosus hostis, in membris suis lucem expectat, et non videt, quia vel hi qui fidem sine operibus retinent, cum pro eadem fide in extremo iudicio salvari se posse confidunt, spes eorum frustrabitur, quia hanc vivendo demoliti sunt, quam confitendo tenuerunt, vel hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum a veniente iudice retributionem bonorum operum sperant; quia dum haec in ostentationem faciunt laudis, jam praemium ab humano ore receperunt, Veritate attestante, quae ait: *Amen*

dico vobis, receperunt mercedem 113 suam (Matth. VI, 2, 5).
Ubi et bene subditur: *Nec ortum surgentis aurorae.*

[*Vet. XV.*) 19. *Ecclesiae in iudicio novissimo claritatem non videbunt.*---Aurora quippe Ecclesia dicitur, quae a peccatorum suorum tenebris ad lucem justitiae permutatur. Unde et hanc sponsus in Canticorum cantico miratur, dicens: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens (Cant. VI, 9)?* Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quae pravitatis pristinae tenebras deserit, et sese in novi luminis fulgorem convertit. In illa igitur luce, quae in districti iudicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis aurorae non videt; quia cum districtus iudex ad retributionem venerit, iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in internum cordis lumen surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur, ut divinitatis radiis illustretur; et quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se gratia coruscante sublevatur. Tunc sancta Ecclesia plena aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantiae suae tenebras funditus amittit. In iudicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies; quia etsi jam cum restauratione corporum videre lumen in iudicio inchoat, ejus tamen visum plenius in regno consummat. Ortus itaque aurorae est exordium clarescentis Ecclesiae, quem videre reprobi nequeunt, quia a conspectu districti iudicis malorum suorum pondere ad tenebras pressi pertrahuntur. Unde recte per prophetam dicitur: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei (Isai. XXVI, 10, sec. LXX).* Hinc est quod de hac aurora per Psalmistam dicitur: *Abscondes eos in abdito vultus tui, a conturbatione hominum (Psal. XXX, 21).* Electus enim quisque in iudicio

per internum visum in vultu Divinitatis absconditur, dum reproborum foris caecitas districta animadversione justitiae repulsa turbatur.

20. *Hypocritae justorum opera non intentionem cernentes, lucem eorum non vident.*---Quod etiam ad praesens non inconvenienter accipimus, si simulatorum corda subtilius indagamus. Arrogantes namque et hypocritae bonorum facta exterius aspiciunt, eosque in factis suis laudari ab hominibus agnoscunt, eorumque celebre nomen mirantur, et quod pro bene gestis laudes suscipiant vident; sed quanto studio easdem laudes fugiant, non vident. Aperta eorum opera considerant; sed quod sola spe intima haec operentur, ignorant. Qui enim vera luce justitiae clari sunt, prius a tenebris internae intentionis immutantur, ut obscuritatem intus terrenae appetitionis plene deserant, et corda sua ad supernae lucis desideria perfecte convertant, ne cum aliis apparent lucidi, sibimetipsis sint obscuri. Arrogantes ergo quia bonorum facta considerant, et corda non pensant, imitantur unde laudari foris valeant, non unde intus ad justitiae lumen surgant: et quasi ortum surgentis aurorae videre nesciunt, quia intentionem religiosae mentis considerare contemnunt.

[*Vet. XVI.*] 21. *Judaea Christi venientis et Ecclesiae nascentis lucem non vidit.*---Potest etiam sanctus vir, gratia prophetici spiritus plenus, Judaeae perfidiam Redemptore veniente conspicere, ejusque caecitatis damna per verba haec quasi ex optantis qualitate prophetare, ut dicat: *Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae.* Judaea quippe lucem exspectavit, et non vidit; quia humani generis Redemptorem venturum quidem prophetando sustinuit, sed venientem minime cognovit; et quos ad spem

aperuit **114** mentis oculos, ad praesentiam lucis clausit. Quae et surgentis aurorae ortum non vidit: quia infirma illa sanctae Ecclesiae primordia venerari contempsit; dumque hanc labefactari suorum mortibus credidit, ad quae fortia perveniret, ignoravit. Sed quia de infidelibus loquens, iniqui capitis membra innotuit, ad ipsum rursum iniquorum caput verba convertit, dicens:

CAPUT XII.

VERS. 10.---*Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.*

22. *Paradisus humani generis uterus, cujus ostia serpens aperuit.*---Quod unicuique hominum venter est matris, hoc universo humano generi exstitit habitatio illa summa paradisi. Ex ipsa namque proles humani generis velut ex ventre prodiit, et quasi ad incrementa corporis, sic ad augmenta propaginis foras emanavit. Ibi conceptio nostra coaluit, ubi origo hominum homo primus habitavit. Sed hujus ventris ostia serpens aperuit, quia persuasione callida in corde hominis mandatum coeleste dissolvit. Hujus ventris ostia serpens aperuit, quia munita supernis monitis claustra mentis irrupit. Sanctus igitur vir in poena quam tolerat, ad culpam mentis oculos reducat. Doleat hoc, quod tenebrosa nox, id est, antiqui hostis obscura suggestio humanis mentibus intulit; doleat hoc, quod suggestioni callidae humana mens in sua deceptione consensit, et dicat: *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.* Nec

moveat quod non conclusisse queritur, quem aperuisse paradisi januam detestatur. *Non conclusit* enim dicit, aperuit; et *mala non abstulit*, irrogavit. Quasi enim auferret, si quiesceret; et quasi clauderet, si ab irruptione cessaret. Pensat namque de quo loquitur, et perpendit quod pravo spiritui quasi lucra nobis dedisse fuerat, si damna non intulisset. Sic nos de latronibus loquimur, quia captivis suis donant vitam, si non abstulerint.

23. SENSUS MORALIS.---Libet haec ab inchoatione repetere, atque ex eo quod in usu praesentis vitae recognoscimus, moraliter retractare. [*Vet. XVII.*] Beatus Job considerans, postquam a mentis statu succubuit genus humanum, quanta in rebus prosperis fiducia sublevetur, vel quanta ex adversis perturbatione frangatur, ad illum, quem habere in paradiso potuit, incommutabilitatis statum mente recurrit, et mortalitatis lapsum per prospera et adversa variantem, quam despicabilem cerneret, maledicendo declaravit dicens:

CAPUT XIII [*Rec. XV*].

VERS. 3. *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo.*

24. *Dies est prosperitas, nox tribulatio. Dies peccati delectatio, nox caecitas mentis.*---Quasi dies quaedam est, cum mundi hujus prosperitas arridet. Sed dies iste in noctem desinit, quia saepe temporalis prosperitas ad tribulationis tenebras perducit. Hunc prosperitatis diem propheta

despexerat, cum dicebat: *Diem hominis non concupivi, tu scis* (**Jerem. XVII, 16**). Hanc tribulationis noctem postremo incarnationis suae tempore passurum se Dominus nuntiabat, cum per Psalmistam quasi ex praeterito diceret: *Usque ad noctem increpauerunt me renes mei* (**Psal. XV, 7**). Potest autem per diem, peccati delectatio, per noctem vero caecitas mentis intelligi, per quam se homo patitur in culpae perpetratione prosterni. Optat igitur perire diem, ut omne quod blandiri culpa cernitur, vigore justitiae interveniente destruat. Optat etiam perire noctem, ut quod caecata mens etiam per consensum perpetrat, animadversione poenitentiae exstinguat.

115 25. *Scriptura tribus modis hominem appellat. Homo per voluntarias mentis tenebras a delectatione peccati rapitur.---* Sed quaerendum nobis est cur in die homo natus dicitur, in nocte conceptus? Scriptura sacra tribus modis hominem appellat, scilicet aliquando per naturam, aliquando per culpam, aliquando per infirmitatem. Homo quippe per naturam dicitur, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (**Genes. I, 26**). Homo per culpam, sicut scriptum est: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini* (**Psal. LXXXI, 6**). Ac si aperte dicat: Sicut delinquentes obibitis. Unde et Paulus ait: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (**I Cor. III, 3**)? Ac si dicat: Qui discordes mentes ducitis, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis? Homo per infirmitatem dicitur, sicut scriptum est: *Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine* (**Jerem. XVII, 5**). Ac si aperte diceret, in infirmitate. Homo ergo in die nascitur, sed in nocte

concupitur, quia nequaquam a delectatione peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Ante enim caecus in mente fit, et postmodum se reprobae delectationi substernit. Dicatur ergo: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, Conceptus est homo*: id est, pereat delectatio, quae in culpam hominem rapuit, pereat incauta mentis infirmitas, quae usque ad tenebras pravi consensus excaecavit. Homo enim dum blandimenta delectationis caute non perspicit, etiam in noctem nequissimae perpetrationis ruit. Solerter ergo vigilandum est, ut cum blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trahatur, agnoscat. Unde et apte subditur:

CAPUT XIV.

VERS. 4.---*Dies illa vertatur in tenebras.*

26. *Delectationis initium poenitentiae lamentis castigandum.* --Dies quippe in tenebras vertitur, cum culpa in ipso delectationis exordio, ad quem perditionis finem rapiat, videtur. In tenebras diem vertimus, cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis pravae blandimenta per districta poenitentiae lamenta cruciamus, cum flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccamus. Quia enim fidelis quisque cogitationes in iudicio exquiri subtiliter non ignorat, Paulo attestante, qui ait: *Inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium* (**Rom. II, 15**); semetipsum introrsus discutiens, ante iudicium vehementer examinat, ut districtus iudex eo jam tranquillius

veniat, quo reatum suum, quem discutere appetit, jam pro culpa punitum cernit. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XV [*Vet. XVIII, Rec. XVI*].

IBID.---*Non requirat eum Deus desuper.*

27. *Ut a Deo in judicio non puniatur.*---Requirit Deus quae judicando discutit; non requirit quae ignoscendo in suo jam judicio impunita derelinquit. Hic itaque dies, id est, haec peccati delectatio, a Domino non requiretur, si animadversione spontanea punitur, Paulo attestante, qui ait: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique a Domino judicaremur* (**I Cor. XI, 31**). Deo ergo diem nostrum requirere, est contra mentem nostram subtiliter in judicio omne quod de culpa gratulatur indagare; in qua scilicet requisitione illum tunc severius percutit, quem sibi nunc mollius pepercisse deprehendit. Bene autem sequitur: *Et non illustret lumine*. In judicio namque Dominus apparens, **116** omne quod tunc redarguit, lumine illustrat. Quasi enim sub quadam obscuritate tegitur, quidquid tunc in memoriam judicis non revocatur. Scriptum quippe est: *Omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur* (**Ephes. V, 13**). Quasi quaedam tenebrae peccata poenitentium abscondunt, de quibus per Prophetam dicitur: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (**Psal. XXXI, 1**). Quia ergo omne quod tegitur, velut in tenebris occultatur; in die extremi judicii non illustratur lumine, quod non discutitur ultione. Actus namque nostros, quos tunc juste

punire noluerit, ipsa sibi aliquo modo sciens divina misericordia abscondit. In lumine vero ostenditur, quidquid tunc in conspectu omnium demonstratur. Hic ergo dies vertatur in tenebras, ut videlicet omne quod delinquimus, nos per poenitentiam feriamus. Hunc diem Dominus non requirat, et lumine non illustret; ut scilicet nobis culpam nostram ferientibus, ipse hanc extremi iudicii animadversione non increpet.

28. Poenitens solus locum invenit, quo se Deo iudici abscondat.---Ipse autem iudex venturus est, qui cuncta penetret, cuncta perstringat. Qui quia ubique est, locus quo fugiatur, non est. [*Vet. XIX.*] Sed quia correctionis nostrae fletibus placatur, solus ab illo locum fugae invenit, qui post perpetratam culpam nunc se ei in poenitentia abscondit. Unde et apte adhuc de hoc delectationis die subjungitur:

CAPUT XVI [*Rec. XVII*].

VERS. 5.---*Obscurent eum tenebrae et umbra mortis.*

29. Occulta Dei iudicia, quaedam tenebrae sunt.---Diem profecto tenebrae obscurant, quando delectationem mentis inflicta poenitentiae lamenta transverberant. Possunt etiam per tenebras occulta iudicia designari. In luce namque quod videmus agnoscimus; in tenebris vero aut omnino nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo iudicia quasi quaedam ante oculos nostros tenebrae sunt, quia perscrutari nequaquam possunt. Unde et de Deo scriptum est: *Posuit tenebras latibulum suum (Psal. XVII, 12).* Et quia

absolvi non meremur, agnoscimus: sed praeveniente nos divina gratia, per ejus judicia occulta liberamur. Diem igitur tenebrae obscurant, cum flendum nostrae delectationis gaudium, ab illo justae animadversionis radio inscrutabilia ejus judicia misericorditer occultant. Ubi et apte subjungitur: *Et umbra mortis*.

[*Vet. XX.*] 30. *Umbra mortis tripliciter in Scripturis accipitur.*---In Scriptura enim sacra umbra mortis aliquando oblivio mentis accipitur, aliquando imitatio diaboli, aliquando mors carnis. Umbra enim mortis, oblivio mentis accipitur; quia, ut superius diximus, sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita; ita et oblivio hoc quod intercipit, agit ut non sit in memoria. Unde et recte, quia Joannes Hebraeorum populo eum, cujus obliti fuerant, Deum praedicare veniebat, per Zachariam dicitur: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (**Luc. I, 79**). In umbra enim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione lassescere. Umbra mortis imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim quia mortem intulit, mors vocatur, Joanne attestante, qui ait: *Ut nomen illi mors* (**Apoc. VI, 8**). Per umbram igitur mortis ejus imitatio designatur; quia sicut umbra juxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis 117 ejus exprimuntur. Unde recte Isaias cum gentiles populos in antiqui hostis cerneret imitatione defecisse, eosque ad veri solis ortum resurgere, quae certo futura considerat, quasi ex praeteritis narrat, dicens: *Sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis* (**Isai. IX, 2**). Umbra etiam mortis mors carnis accipitur; quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Unde recte voce martyrum per Prophetam dicitur: *Humiliasti*

nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis (Psal. XLIII, 20). Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicunt mortis operiri.

31. *Christus unica morte duplicem hominum mortem delevit.* --Quid est ergo, quod beatus Job, ad obscurandum diem pravae delectationis postulat umbram mortis; nisi quod ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei et hominum mediatorem requirit, qui solam pro nobis mortem carnis susciperet, et veram mortem delinquentium per umbram suae mortis deleret? Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus carnisque tenebamur; unam ad nos suam mortem detulit, et duas nostras, quas reperit, solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret. Sed unam misericorditer accepit, et juste utramque damnavit. Simplam suam duplae nostrae contulit, et duplam nostram moriens subegit. Unde et non immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem suae simplae mortis, tenebris duplae nostrae mortis adjunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, et a Dei oculis culpam quam fecimus abscondit. Dicatur igitur recte: *Obscurent eum tenebrae et umbra mortis.* Ac si aperte diceretur: ille veniat, qui ut a morte carnis et spiritus debitores eripiat, mortem carnis non debens solvat. [*Vet. XXI.*] Sed quia nullum peccatum Dominus inultum relaxat, aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse judicando, restat ut ad emendationem suam semper mens solerter invigilet. In quo ergo sibi quisque misericorditer subveniri considerat, hoc necesse est ut confitens tergat. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XVII.

IBID.---*Occupet eum caligo.*

32. *Mentis poenitentis salubris caligo.*---Quia enim in caligine oculus confunditur, ipsa per poenitentiam mentis nostrae confusio, caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur: *Est confusio adducens gloriam (Eccli. IV, 25)*. Cum enim ad mentem male gesta poenitendo reducimus, gravi mox moerore confundimur, perstrepat in animo turba cogitationum, moeror conterit, anxietas devastat, in aerumnam mens vertitur, et quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Haec namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat; quibus Paulus dicebat: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis (Rom. VI, 21)*? Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est, blandimentum nequitiae afflictio poenitentiae digno moerore perturbet. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XVIII.

IBID.---*Involvatur amaritudine.*

33. *Salubris moeror de prava delectatione.*---Dies enim amaritudine involvitur, cum ad cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta **118** cruciatus poenitentiae sequuntur. Diem amaritudine involvimus, cum pravae delectationis gaudium, quae supplicia sequantur aspicimus, et asperis hoc fletibus circumdamus. Quia enim hoc quod involvitur, ex latere omnis partis operitur, involvi dies amaritudine optatur, quatenus quae mala incorrectis imminet, ex omni parte quisque conspiciat, et voluptatis suae lasciviam tristitiae lamentis tergat.

34. *Quanto major esse debeat de consensu ad culpam.*---Sed si diem, quam peccati delectationem diximus, tot impeti precibus audivimus, ut videlicet circumdantes fletus expient quidquid delectatus per negligentiam animus delinquit, quanta animadversione poenitentiae hujus diei nox ferienda est, videlicet ipse jam consensus ad culpam? Sicut enim minoris culpa est, cum carnaliter mens in delectatione rapitur, sed tamen delectationi suae per spiritum reluctatur; ita gravioris et plenae est nequitiae, ad peccati illecebram non solum delectatione pertrahi, sed etiam consensu famulari. Tanto igitur arctiori manu poenitentiae, mens a pollutione tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordidius inquinatam. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XIX.

VERS. 6.---*Noctem illam tenebrosus turbo possideat.*

35. *Vis compunctionis.*---Quasi enim quidam turbo tempestatis est concitatus spiritus moeroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit, intelligit; dum pravitatis suae nequitiam subtiliter pensat, moerore mentem obnubilat et quasi concusso serenae laetitiae aere, omnem in se tranquillitatem cordis poenitentiae turbine devastat. Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo contereret, nequaquam Propheta dixisset: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (Psal. XLVII, 8). Tharsis quippe exploratio gaudii dicitur. [Vet. XXII.] Sed cum vehemens poenitentiae spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat, ut nihil ei jam nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit namque ante oculos illinc distictionem justitiae, hinc meritum culpaе: conspicit quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quae per lamenta praesentia ab aeterna eruere poena consuevit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naves conterit, cum vis compunctionis valida mentes nostras huic mundo, quasi mari deditas, salubri terrore confundit. Dicat igitur: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*; id est, perpetrationem culpaе, non blandimenta securae quietis foveant, sed pie desaeviens amaritudo poenitentiae irrumpat.

36. *Quid sit possidere noctem, et a nocte possideri.*---Sciendum vero est, quia cum peccata impunita relinquimus, a nocte possidemur; cum vero haec animadversione poenitentiae plectimus, nimirum nos noctem, quam fecimus, possidemus. Sed tunc peccatum cordis sub juris nostri possessionem reducit, si cum incipit, reprimatur. Unde et divina voce Cain prava cogitanti dicitur: *In foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis*

illius (Genes. IV, 7). In foribus quippe peccatum adest, cum in cogitationibus pulsat. Cujus appetitus subter est, eique homo dominatur, si cordis nequitia inspecta, citius prematur, et priusquam ad duritiam crescat, reluctanti mente subigatur. Ut ergo delictum suum citius animus sentiat, **119** et culpae tyrannidem sub jure suo poenitendo restringat, dicatur recte: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Ac si aperte diceretur: Ne captiva mens culpae serviat, culpam a poenitentia liberam non relinquat. Et quia quod flendo insequimur, nequaquam nobis a venturo iudice hoc objici certe speramus, bene subditur:

CAPUT XX [*Rec. XVIII*].

IBID.---*Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.*

37. *Rogandus Deus ne mala quae gessimus, in iudicio nobis objiciantur.*---Illuminationis nostrae annus tunc perficitur, quando apparente aeterno iudice sanctae Ecclesiae, peregrinationis suae vita completur. Tunc laboris sui remunerationem recipit, cum expleto hoc belli tempore, ad patriam redit. Unde bene per Prophetam dicitur: *Benedices coronae anni benignitatis tuae (Psal. LXIV, 12).* Quasi enim corona anni benedicitur, cum finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur. Dies vero hujus anni sunt singulae quaeque virtutes; menses autem multiplicia facta virtutum. Sed ecce cum per fiduciam mens erigitur, ut speret quod veniente iudice de virtutibus remuneretur, occurrunt ejus

memoriae etiam mala quae gessit; et valde formidat, ne districtus iudex qui venit ut virtutes remuneret, etiam ea quae illicite gesta sunt examinans, subtiliter penset; ne cum annum complet, etiam noctem numeret. Dicat itaque de hac nocte: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus*. Ac si districtum iudicem exoret, dicens: Cum completo sanctae Ecclesiae tempore, extremo te examini manifestas, sic dona quae contulisti remunera, ut mala quae commisimus non requiras. Si enim nox illa in diebus anni computatur, omne quod egimus, ex pravitatis nostrae aestimatione confunditur. Et dies virtutum jam non lucent, si hos in conspectu tuo annum erat nostrae noctis tenebrosa confusio obscuret.

[*Vet. XXIII.*] 38. *Ideo nulla impunita relinquamus*.---Sed si de nocte nostra moveri tunc inquisitionem nolumus, magnopere nunc curandum est, ut nos in ejus discussione vigilemus; ne quaelibet nobis culpa impunita remaneat, ne mens perversa quod fecit, defendere audeat, et defendendo, nequitiae nequitiam adjungat. Unde et bene subditur:

CAPUT XXI [*Rec. XIX*].

VERS. 7.---*Sit nox illa solitaria, nec laude digna*.

39. *Nulla excusando exaggeremus*.---Sunt nonnulli, qui non solum nequaquam deflent quod faciunt, sed etiam laudare et defendere non desistunt. Et nimirum dum defenditur culpa, geminatur. Contra quod recte per quemdam dicitur: *Peccasti, ne adjicias iterum* (**Eccli. XXI, 1**). Peccatum quippe peccato

adjicit, qui male gesta etiam defendit; et noctem solitariam non relinquit, qui culpaе suae tenebris etiam patrocina defensionis adjungit. Hinc est, quod primus homo de erroris sui nocte requisitus, eamdem noctem esse solitariam noluit; quia dum requisitione ad poenitentiam vocaretur, ei adminicula excusationis adjunxit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (**Genes. III, 12**); scilicet excessus sui vitium in auctorem latenter intorquens, ac si diceret: Tu occasionem delinquendi praebuisti, qui mulierem dedisti. Hinc est, quod hujus erroris ramus in humano genere ex illa nunc usque radice **120** protrahitur, ut quod male agitur, adhuc etiam defendatur. Dicat ergo: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna*. Ac si aperte exoret, dicens: Culpa, quam fecimus, sola remaneat, ne dum laudatur et defenditur, in conspectu nos nostri judicis multiplicius astringat. Peccare quidem non debuimus; sed utinam alia non jungentes, vel ea quae fecimus sola deseramus.

40. *Culpam suam veraciter insequitur, qui prosperitatem saeculi calcat*.---Sed inter haec sciendum est, quia ille culpam suam veraciter insequitur, qui jam ad amorem praesentis saeculi nullo appetitu prosperitatis instigatur; qui hujus mundi blandimenta quam sint fraudulenta considerat, favoresque ejus quasi quasdam persecutiones pensat. Unde et bene subditur:

CAPUT XXII [*Rec. XX*].

VERS. 8.---*Maledicant ei, qui maledicunt diei.*

41. *Transactas culpas punit qui seductoris insidias in ipsa suggestione deprehendit.*---Ac si aperte dicat: Illi hujus noctis tenebras vere poenitendo feriant, qui jam lucem prosperitatis saeculi despicientes calcant. Si enim diem laetitiam delectationis accipimus, recte de hac nocte dicitur: *Maledicant ei qui maledicunt diei*; quia nimirum illi veraciter mala transacta per animadversionem poenitentiae corrigunt, qui jam ad bona fallentia nulla delectatione rapiuntur. Nam quos adhuc noxia alia delectant, falsum est quod cernitur, quia perpetrata alia deplorant. Si autem, ut supra dictum est, suggestionem callidam antiqui hostis accipimus, illi maledicere noctem intelligendi sunt, qui diei maledicunt; quia scilicet illi transactas culpas vere puniunt, qui maligni seductoris insidias in ipsa blanda suggestione deprehendunt. Bene autem subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XXIV, Rec. XXI*].

IBID.---*Qui parati sunt suscitare Leviathan.*

42. *Diabolum contra se suscitant, qui ejus tyrannidem despiciunt.*---Omnes enim, qui ea quae mundi sunt mente calcant, et ea quae Dei sunt plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant, quia ejus malitiam instigatione suae conversationis inflammant. Nam qui ejus voluntati subjecti sunt, quasi quieto ab illo jure possidentur, et superbus eorum rex quasi quadam securitate perfruitur, dum eorum cordibus inconcussa potestate dominatur. Sed cum

uniuscujusque spiritus ad conditoris sui desiderium recalescit, cum torporem negligentiae deserit, et frigus insensibilitatis pristinae igne sancti amoris accendit; cum libertatis ingenitae meminit, et teneri ab hoste servus erubescit, quia isdem hostis se considerat despici, quia vias Dei videt apprehendi, dolet contra se captum reniti, et mox zelo accenditur, mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat, atque in omni arte lacerationis instigat, ut tentationum jacula intorquendo confodiat cor, quod dudum quieto jure possidebat. Quasi dormiebat quippe, dum sopitus in pravo corde quiesceret: sed excitatur in provocatione certaminis, cum jus amiserit perversae dominationis. Huic ergo nocti maledicant, qui parati sunt suscitare Leviathan: id est, hi se contra peccatum fortiter judicio distractionis erigant, qui in suis tentationibus excitare antiquum adversarium non formidant. Scriptum namque est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia* **121** *et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* (**Eccli. II, 1**). Quisquis enim accingi in divino servitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui adversarii certamen parat, ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captivitate serviebat? Sed in eo ipso, quod mens contra hostem accingitur, quod alia vitia subigit, aliis reluctatur, aliquando de culpa aliquid, quod tamen non valde noceat, remanere permittitur.

43. *Ob humilitatem Deus sinit ut qui multa et gravia vitia subegit, unum minimum non expugnet.*---Et saepe mens, quae adversa multa et fortia superat, unum in se, et fortasse minimum, quamvis magna intentione invigilet, non expugnat. Quod divina nimirum dispensatione agitur, ne ex omni parte

virtutibus splendens, in elatione sublevetur; ut dum in se parvum quid reprehensibile videt, et tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori victoriam tribuat in his quae subigere fortiter valet. Unde et bene subjungitur:

CAPUT XXIV [*Rec. XXII*].

VERS. 9.---*Obtenebrentur stellae caligine ejus.*

44. *Sic qui stellae sunt, aliqua caligine obscurantur.*---Stellae quippe hujus noctis caligine tenebrantur, quando et hi qui magnis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpaе aliquid renitentes sustinent, ut etiam magna vitae claritate luceant, et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, ut mens proficiens ad virtutem justitiae suae, melius infirmitate roboretur; et inde verius in bonis luceat, unde eam etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Unde et bene cum Israelitico populo, percepta repromissionis terra, partiretur, Ephraim tribui Chananaeus gentilis populus non occisus, sed factus tributarius dicitur, sicut scriptum est: *Habitavit Chananaeus in medio Ephraim tributarius* (**Jos. XVI, 10**). Quid enim Chananaeus, gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et saepe magnis virtutibus terram repromissionis ingredimur, quia spe intima de aeternitate roboramur. [*Vet. XXV.*] Sed dum inter acta sublimia, vitia quaedam parva retinemus, quasi Chananaeum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostrae

utilitatis humiliter retorquemus; ut eo de se mens et in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva quae appetit, non expugnat. Unde bene rursum scriptum est: *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel* (**Jud. III, 1**). Ad hoc namque quaedam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat; et eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo reservatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostrae comprimitur, et in parvis sibi resistantibus discit, quod ex se majora non subigit.

45. *Nemo in hac vita, quantalibet sanctitate fulgeat, Deum sicut est videre valet.*---Hoc tamen quod dicitur: *Obtenebrentur stellae caligine ejus*; intelligi et aliter potest. Nox quippe illa, videlicet consensus ad culpam, quae ad nos primi parentis est excessu propagata, mentis nostrae oculum tanta obscuritate perculit, ut in hujus vitae exsilio, caecitatis suae tenebris pressus, quantalibet vi aeternitatis lumen intenderit, penetrare non possit. Post poenam namque damnati **122** peccatores nascimur, atque ad hanc vitam cum mortis nostrae merito venimus; et cum ad supernae lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostrae obscuritate caligamus. Et quidem multi in hac infirmitate carnis tanta virtute roborati sunt, ut resplendere mundo quasi stellae potuissent. Multi in tenebris vitae praesentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent; sed quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant; nimirum constat quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, aeternum lumen, sicut est, videre nequaquam possunt. Dicat

ergo: *Obtenebrentur stellae caligine ejus*; id est, etiam illi in contemplatione sua, antiquae noctis adhuc tenebras sentiant, de quibus nimirum constat quod humano generi in hujus vitae caligine virtutum suarum jam radios expandant, quia etsi mente jam ad summa exsiliunt, adhuc tamen in infimis primae culpaе pondere gravantur. Unde fit ut et foras exempla lucis velut astra praebeant, sed tamen intus usque ad fixae visionis certitudinem pressi noctis caligine non ascendant. Saepe autem ita mens accenditur, ut quamvis in carne sit posita, in Deum tamen omni subjugata carnali cogitatione rapiatur; nec tamen Deum sicut est conspicit, quia hanc nimirum, sicut dictum est, in carne corruptibili pondus primae damnationis premit. Saepe ita ut est, absorberi desiderat, ut aeternam vitam, si possit fieri, sine interventu corporeae mortis attingat. Unde Paulus, cum ardentem internam lucem quaereret, sed tamen utcunque exterioris mortis damna formidaret, ait: *Quandiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita* (II Cor. V, 4). [*Vet. XXVI.*] Sancti igitur viri videre verum mane appetunt, et, si concedatur, etiam cum corpore illud attingere lucis intimae secretum volunt. Sed quantolibet ardore intentionis exsiliant, adhuc antiqua nox gravat, et corruptibilis hujus carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, iudex justus a contuitu interni sui fulgoris premit. Unde et bene subditur:

CAPUT XXV [*Rec. XXIII*].

IBID.---*Exspectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae.*

46. *Ortus aurorae est internae veritatis claritas.*---
Quantalibet namque intentione adhuc peregrina mens satagat videre lucem sicut est, non valet, quia hanc ei damnationis suae caecitas abscondit. (Ortus vero aurorae est internae veritatis claritas, quae semper nobis debet esse nova. Quam nox procul dubio non videt, quia per culpam caeca nostra infirmitas ad illud lumen, quod supernos jam cives irradiat, in carne adhuc corruptibili posita non ascendit. Intus namque haec aurora surgit, ubi angelorum spiritibus divinitatis claritas nova semper ostenditur; et quasi semper gaudium lucis oritur, quod nunquam finitur.) Ortus vero aurorae est illa nova nativitas resurrectionis, qua sancta Ecclesia etiam carne suscitata oritur ad contemplandum lumen aeternitatis. Si enim ipsa carnis nostrae resurrectio quasi quaedam nativitas non esset, de ea Veritas non dixisset: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae* (**Matth. XIX, 28; Luc. XXII, 69**). Esse ergo hanc ortum vidit, quam regenerationem **123** vocavit. Sed quantalibet virtute electi nunc fulgeant, penetrare nequeunt, quae erit illa novae nativitatis gloria, qua tunc cum carne ad contemplandum aeternitatis lumen ascendunt. Unde et Paulus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se* (**I Cor. II, 9**). Dicat ergo: *Exspectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae*; quia spontaneo vitio tenebrata nostra infirmitas, nisi prius per mortem poenae suae debitum solvat, claritatem lucis internae non penetrat. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XXIV*].

VERS. 10.---*Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.*

47. *Concupiscentiae ostia consensus noster aperuit, unde innumera mala.*---Sicut et superius dictum est, *non conclusit*, dicit aperuit; et *non abstulit*, irrogavit. Haec itaque nox, videlicet culpa, ostia ventris aperuit, quia concepto ad peccatum homini desideria concupiscentiae reseravit. Ostia quippe ventris sunt desideria concupiscentiae, de quibus per prophetam dicitur: *Intra in cubicula tua, claude ostia tua (Isai. XXVI, 20)*. Cubicula quippe ingredimur, cum secreta nostrae mentis intramus. Ostia autem claudimus, cum desideria illicita coercemus. Haec itaque concupiscentiae carnalis ostia, dum consensus noster aperuit, ad innumera nos mala corruptionis pertraxit. Unde jam nunc sub mortalitatis pondere gemimus, quamvis ad hoc arbitrio nostro venerimus; quia et iudicii sic justitia exigit, ut quod sponte fecimus, inviti toleremus. Sequitur:

CAPUT XXVII.

VERS. 11, 12.---*Quare non in vulva mortuus sum; egressus ex utero non statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus?*

48. *Quid intelligendum in verbis Job cum se optat abortivum.* --Absit nos credere quod beatus Job, tanta spiritus scientia praeditus, tanta interni judicis attestazione laudatus, abortivum se optet interiisse. Sed quia, sicut etiam per remunerationem cognoscitur, intus habet testem suae fortitudinis, intus pensanda sunt ejus pondera locutionis.

[*Vet. XXVII. Rec. XXV.*] 49. *Peccatum quatuor modis seu gradibus in corde, ac totidem in opere perficitur.* ---Quatuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestionem, delectationem, consensum, et defensionis audaciam perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim, quae terrere mentem debuit, extollit, et dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit; qui etiam requisitus, confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit; quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est; quia carnalis sensus, ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Assensum vero Adam mulieri praepositus praebuit; quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri noluit culpam, quia videlicet spiritus, quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinae suae audacia nequius obduratur. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur; postmodum vero

etiam ante oculos hominum sine **124** confusione reatus aperitur; dehinc et in consuetudinem ducitur; ad extremum quoque vel falsae spei seductionibus, vel obstinatione miserae desperationis enutritur.

50. *Job deplorat hos quatuor in corde peccandi modos.*--- Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter in opere perpetrantur, beatus Job considerat, et humanum genus in quot peccatorum gradibus sit lapsum, deplorat, dicens: *Quare non in vulva mortuus sum; egressus ex utero non statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Prima enim vulva conceptionis, fuit lingua malae suggestionis. Sed peccator in vulva moreretur, si moriturum se homo in ipsa suggestionem cognosceret. Qui tamen ex utero egressus est; quia postquam in peccato eum suggerens lingua concepit, foras mox etiam delectatio rapuit. Post egressionem vero exceptus est genibus; quia cum ad delectationem carnis prodiit, nimirum culpam per consensionem spiritus, subjectis cunctis sensibus, quasi suppositis genibus consummavit. Sed genibus exceptus, etiam uberibus est lactatus. In consensu enim culpa addictis spiritus sensibus, multa cassae fiducia argumenta subsecuta sunt, quae natam in peccato animam, virulento lacte nutrierunt, et ne aspera mortis supplicia metueret, hanc blandis excusationibus foverunt. [*Vet. XXVIII.*] Unde et primus homo post culpam audacior exstitit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de ligno, et comedi* (**Genes. III, 12**). Qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat; sed tamen requisitus innotuit quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato praesens poena metuitur, et amissa Dei facies non

amatur; timor ex tumore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit.

51. *Deplorat ac deprecatur quatuor modos quibus homines peccant in opere.*---Sed his, sicut dictum est, quatuor modis culpa, ut in corde agitur, etiam in opere perpetratur. Ait enim: *Quare non in vulva mortuus sum?* Vulva quippe peccantis, est hominis culpa latens, quae occulte peccatorem concipit, et reatum suum adhuc in tenebris abscondit. *Egressus ex utero non statim perii?* A vulva de utero exitur, cum peccator quae in occulto commiserit, haec etiam in aperto committere non erubescit. Quasi enim ab occultationis suae vulva processerant, de quibus Propheta dicebat: *Et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt (Isai. III, 9).* *Quare exceptus genibus?* Quia nimirum peccator, cum jam de iniquitate sua non confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis pessimae consuetudinis roboratur. Quasi genibus peccator fovetur ut crescat, dum culpa consuetudinibus firmatur ut vigeat. *Cur lactatus uberibus?* Quia dum prodire culpa in usum coeperit, nimirum se vel falsa spe divinae misericordiae, vel aperta miseria desperationis pascit; ut eo nequaquam ad correptionem redeat, quo vel factorem suum pium sibi inordinate simulat, vel hoc quod fecit, inordinate formidat. Beatus igitur vir humani generis lapsus aspiciat, et quibus praecipitiis mersum sit in foveam iniquitatis intendat, dicens: *Quare non in vulva mortuus sum?* id est, in ipsa occulta perpetratione peccati, cur a carnis vita mortificare me nolui? *Egressus ex utero non statim perii?* id est, postquam ad apertam **125** iniquitatem exii, cur me tunc saltem perditum non cognovi? Perisset quippe in suo iudicio, si se perditum

cognovisset. *Quare exceptus genibus?* id est, etiam post apertam culpam, cur me adhuc in illa etiam consuetudo suscepit, ut valentiolem ad nequitas redderet, et pravis me usibus sustinens foveret? *Cur lactatus uberibus?* id est, postquam in culpa consuetudinem veni, cur me ad atrociolem nequitiam vel falsae spei fiducia, vel lacte miserae desperationis enutrivit? Cum enim culpa in usum venerit, ei jam animus etiam si appetat, debilius resistit; quia quot vicibus pravae frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. [*Vet. XXIX.*] Unde fit ut enervis animus, cum solvi non valet, ad quaedam se solatia falsae consolationis inclinet; quatenus venturum iudicem tantae sibi misericordiae spondeat, ut eos etiam quos arguendos invenerit penitus non occidat. Cui rei hoc deterius accidit, quod ei multorum similium lingua consentit, cum multi etiam male gesta laudibus exaggerant: unde fit ut incessanter crescat culpa, favoribus nutrita. Curari autem vulnus negligitur, quod dignum praemio laudis videtur. Unde bene per Salomonem dicitur: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* (**Prov. I, 10**). Peccatores etenim lactant, cum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata favoribus extollunt. An non lactantur, de quo per Psalmistam dicitur: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae: et qui iniqua gerit benedicitur* (**Psal. IX, 24**)?

52. *Peccati quartus gradus difficilior corrigitur.*---Sciendum quoque est, quod tres illi modi peccantium juxta descensus sui ordinem facilius corriguntur, quartus vero iste difficilior emendatur. Unde et Redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitavit. Adhuc quippe in domo mortuus jacet, qui latet in peccato. Jam

quasi extra portam educitur, cuius iniquitas usque ad inverecundiam publicae perpetrationis aperitur. Sepulturae vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiae etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat, quia plerumque divina gratia, non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, et mole pravae consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. Quantum vero mortuum Redemptor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitatur, quia valde difficile est ut is quem post usum malae consuetudinis etiam adulantium linguae excipiunt, a mentis suae morte revocetur. De quo et benedicatur: *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (**Luc. IX, 60**). Mortui enim mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim aliud est peccare, quam occumbere; et sepelire, quam abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequeuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat autem et Lazarus mortuus, sed tamen non a mortuis sepultus. Fideles quippe mulieres illum obruerant, quae et ejus mortem vivificatori nuntiabant. Unde et protinus ad lucem rediit, quia cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitae cogitationes vivunt. Aliquando autem, sicut et superius **126** dictum est, falsa spes mentem non intercipit, sed hanc deterior desperatio configit, quae dum omnem spem veniae funditus interimit, erroris lacte animam uberius nutrit.

[*Vet. XXX, Rec. XXVI*]. 53. *Job se in primo homine peccasse, et hujus peccati aerumnas deflet.*---Consideret igitur sanctus vir, post primam culpam quanta deterius homo mala commisit; postquam paradisum perdidit, usque ad quanta hujus exsilii praerupta descendit, et dicat: *Quare non in vulva*

mortuus sum? id est, cum serpentis suggestio peccatorem me conciperet, tunc utinam quae me mors sequeretur agnovissem, ne usque ad delectationem suggestio raperet, et morti arctius ligaret. *Egressus ex utero non statim perii?* Ac si dicat: Utinam ad exteriorem delectationem exiens, quod interiore lumine privabar agnovissem; et saltem in ipsa delectatione occumberem, ne per consensum mors acrius puniret. *Cur exceptus genibus?* Ac si dicat: Utinam minime me consensus subjectis pravitati sensibus excepisset, ne ipsa me consensio ad audaciam deterius raperet. *Cur lactatus uberibus?* Ac si dicat: Utinam blandiri mihi saltem post mala perpetrata noluissem, ne tanto me culpae nequius astringerem, quanto me in illa mollius foverem. His itaque reprehensionum suarum vocibus in parente primo se peccasse redarguit. Sed si ad aerumnam hujus exsilii nequaquam homo peccando descenderet, dicat qua perfrui quiete potuisset. Sequitur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 13.---*Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem.*

54. *Prima hominis conditio, a qua peccando cecidit. Quietum silentium hominis innocentis.*---Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad coelestem angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, et mori posset; et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori

posset; atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Ubi igitur post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suae statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent. Dormiens igitur sileret, et somno suo homo requiesceret, dum ad aeternae patriae requiem ductus, quasi secessum quemdam a clamore hoc humanae infirmitatis inveniret. Post peccatum namque quasi clamans vigilat, qui contentionem carnis propriae repugnans portat. Hoc quietis silentium homo conditus habuit, cum contra hostem suum liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia sua sponte succubuit, mox de se, quod contra se perstreperet, invenit, mox in certamine infirmitatis tumultus reperit; et quamvis in pace silentii ab auctore fuerat conditus, hosti tamen sponte substratus, clamores de pugna toleravit. Ipsa enim carnis suggestio, quasi quidam clamor est contra quietem mentis, quam ante transgressionem homo non sensit; quia nimirum quod de infirmitate posset tolerare, non habuit. Postquam vero se sponte hosti subdidit, astrictus culpaе suae vinculis, in quibusdam ei etiam nolens servit, et clamores in mente patitur, cum caro spiritui reluctatur. An non clamores **127** intrinsecus audiebat, qui pravae contra se legis verba tolerabat, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis (Rom. VII, 23)?* Contempletur ergo vir sanctus in quanta cordis pace requiesceret, si serpentis verba suscipere homo nolisset, et dicat: *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem*, id est, intra secretum mentis ad conditoris contemplationem secederem, nisi me extra me tentationum

tumultibus consensus primi culpa prodidisset. Hujus autem quietis gaudiis cum quibus etiam sociis perfrueretur, adjungat, dicens:

CAPUT XXIX [*Vet. XXXI, Rec. XXVII*].

VERS. 14.---*Cum regibus et consulibus terrae.*

55. *Angelici gaudii socius fuisset. Qui angeli sint reges et consules.*---Ex rebus insensibilibus discimus quid de sensibilibus atque intelligibilibus sentiamus. Terra namque aere fecundatur, aer autem ex coeli qualitate disponitur. Sic jumentis homines, hominibus angeli, archangeli vero angelis praesunt. Nam quod jumentis homines praesint, et usu cernimus, et verbis Psalmistae docemur, qui ait: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (Psal. VIII, 8)*. Quia vero angeli hominibus praesint, per prophetam testatur angelus, dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi (Dan. X, 13)*. Quod vero angeli a superiorum angelorum potestatibus dispensentur, Zacharias perhibet propheta, qui ait: *Ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur; et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem (Zach. II, 3)*. Si enim in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summae minimas disponderent, nullo modo hoc, quod homini diceret, angelus ab angelo cognovisset. Quia igitur cunctorum conditor omnia per semetipsum tenet, et tamen ad distinguendum pulchrae universitatis ordinem, alia aliis

dispensantibus regit, non immerito reges, angelorum spiritus accipimus, qui quo auctori omnium familiariter serviunt, eo subjecta potius regunt. Cum regibus ergo dormiret, quia nimirum jam cum angelis homo quiesceret, si persuasoris linguam sequi noluisset. Qui bene etiam consules vocantur, quia spiritali reipublicae consulunt, dum nos sibi ad regnum socios jungunt. Bene consules vocantur, quia dum ipsis nuntiantibus voluntatem conditoris agnoscimus, in eis procul dubio consultum ab hac angustia nostrae tribulationis invenimus.

[*Vet. XXXII.*] 56. *Sancti ante Christum inferno detinebantur, nunc sine mora coelum petunt. Reges et consules sunt sancti praedicatores.*---Sed quia beatus Job sancto aeternitatis spiritu impletur, et fuisse, vel futurum esse aeternitas non habet, cui nimirum, nec praeterita transeunt, nec quae futura sunt, veniunt, quia cuncta per praesens videt, potest futuros praedicatores Ecclesiae in praesentia spiritus contemplari, qui postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a coelestis patriae perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione exeunt, in coelesti sede requiescunt, Paulo attestante, qui ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis* (**II Cor. V, 1**). Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis poenam solveret, eos etiam qui coelestis patriae vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt: **128** non ut poena quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primae culpae

prohiberet. Unde juxta ejusdem Redemptoris nostri testimonium, dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahae requiescere Lazarum contemplatur (**Luc. XVI, 19**). Qui profecto si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde et isdem Redemptor noster pro nostrae culpae debito occumbens, inferna penetrat; ut suos, qui ei inhaeserant, ad coelestia reducat. Sed quo nunc homo redemptus ascendit, illuc profecto si peccare noluisset, etiam sine redemptione pertingeret. Consideret ergo vir sanctus quia si non peccasset, illuc etiam non redemptus ascenderet, ad quod praedicatores sanctos post redemptionem necesse est cum magno labore pervenire. Et cum quibus jam nunc quiesceret, insinuet, dicens: *Cum regibus et consulibus terrae [Vet. XXXIII]*. Reges quippe sunt sancti praedicatores res Ecclesiae, qui et commissos sibi recte disponere, et sua bene regere corpora sciunt; qui dum desideriorum in se motus temperant, super subjectis cogitationibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam terrae consules vocantur. Reges enim sunt, quia sibimetipsis praesident; terrae autem consules, quia extinctis peccatoribus vitae consultum praebent. Reges sunt, quia semetipsos regere sciunt; terrae sunt consules, quia terrenas mentes per exhortationis suae consilium ad coelestia pertrahunt. An terrae consul non erat, qui dicebat: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do (I Cor. VII, 25)*? Et iterum: *Beatior erit, si sic permanserit, secundum meum consilium (Ibid., 40)*. Bene autem subditur:

CAPUT XXX [*Rec. XXVIII.*]

IBID.---*Qui aedificant sibi solitudines.*

57. *Turbam tumultuantem in se gestant. Luxuriae deditus, iracundus, avarus, superbus, curis saecularibus deserviens.--*

-Omnes enim, qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur; dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem pede miserae frequentationis calcant. Alius namque juri se luxuriae subdidit, atque ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit: et cum effectus non tribuitur operis, hoc crebrius agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quaeritur, et concussus enerviter animus, hinc inde et sollicitus et caecatus, occasionem nequissimae expletionis rimatur. Mens itaque haec quasi quemdam populum patitur, quae insolenti cogitationum tumultu vastatur. Alius irae se dominio stravit; et quid in corde, nisi jurgia, etiam quae desunt peragit? Hic saepe praesentes non videt, absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert et recipit, receptis autem durius respondet; et cum qui obviet nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam itaque hic intus sustinet, quem pondus vehemens inflammatae cogitationis premit. Alius juri se avaritiae tradidit, et fastidiens propria, aliena concupiscit: Hic plerumque concupita adipisci non valens, diem quidem in otium, noctem vero in cogitationem versat: torpet ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitatione; consilia multiplicat, et sinum mentis cogitationum inventionibus latius expandit; pervenire ad concupita satagit, atque ad obtinenda haec quosdam secretissimos causarum meatus quaerit. Qui mox ut in causa aliquid subtile invenisse se aestimat, jam se obtinuisse quod

concupierat, **129** exsultat: jam quid etiam adeptae rei adjungat, excogitat, atque ut in meliori statu debeat excoli, pertractat. Quam quia jam quasi possidet, et quasi ad meliorem speciem adducit, mox insidias invidentium considerat, et quid contra se jurgii moveatur, pensat: exquirat quid respondeat, et cum rem nullam teneat, jam in defensione rei quam appetit, vacuus litigator elaborat. Quamvis ergo nihil de concupita re ceperit, habet tamen in corde jam fructum concupiscentiae, laborem rixae. Gravi itaque populo premitur, qui instigantis avaritiae tumultu vastatur. Alius se tyrannidi superbiae subjecit; et cor miserum, dum contra homines erigit, vitio substernit. Honorum sublimium infulas appetit, exaltari successibus exquirat, totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit: jam quasi tribunali praesidet, jam sibi parere obsequia subjectorum videt, jam caeteris eminet, jam aliis mala irrogat, aliis quia irrogaverint recompensat. Jam apud semetipsum stipatus cuneis ad publicum procedit, jam quibus obsequiis fulciatur conspicit; qui tamen haec cogitans solus repit; jam alia conculcat, alia sublevat; jam de conculcatis satisfacit odiis, jam de sublevatis recipit favores. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid iste aliud quam somnium vigilans videt? Quia ergo tot rerum causas quas fingit tolerat, nimirum intrinsecus natas ex desideriis turbas portat. Alius jam illicita refugit, sed tamen bonis mundi carere pertimescit: concessa tenere appetit, videri inter homines minor erubescit, et curat summopere ne inops in domo sit, ne despectus in publico. Exquirat quid sibi sufficiat, quid necessitas subjectorum petat; atque ut sufficienter jura patronatus subditis expleat, patronos quaerit quibus ipse famuletur; sed his dum familiariter jungitur, eorum procul dubio causis implicatur, quibus saepe consentit

in illicitis, et mala quae propter semetipsum non appetit, committit propter alia quae non derelinquit. Nam saepe dum honorem suum in hoc mundo imminui trepidat, ea apud majores personas approbat, quae jam per proprium judicium damnat. Is dum sollicite cogitat, quid patronis debeat, quid subjectis; quid sibi augeat, quid affectibus prosit, quasi tanta frequentia turbarum premitur, quanta curarum importunitate laceratur.

[*Vet. XXXIV.*] 58. *Soli secum sunt qui vitia subegerunt.*---At contra sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur; omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis, manu sanctae considerationis ejiciunt, et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque aeternam patriam appetunt; et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Unde et recte dicitur: *Qui aedificant sibi solitudines.* Solitudines quippe aedificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, **130** et una intentione aeternae patriae in amorem intimae quietis anhelare. An non cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini (Psal. XXVI, 4)?* A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, ad magnam videlicet solitudinem semetipsum, ubi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.

59. *Et vere consules sunt, quia consulere aliis non desistunt.* --Bene autem hi, qui sibi solitudines construunt, etiam consules vocantur, quia sic in se solitudinem mentis aedificant, ut tamen in quo praevalent, aliis per charitatem consulere minime desistant. Hunc ergo, quem modo praetulimus consulem, paulo subtilius perpendamus, quomodo ad praebenda vitae sublimioris exempla, subjectis populorum cuneis, virtutum calculos spargat. Ecce ad insinuandam retributionem boni pro malo, de semetipso fatetur, dicens: *Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* (Ps. VII, 5). Ad dilectionem conditoris excitandam insinuat, dicens: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (Psal. LXXII, 28). Ad formam sanctae humilitatis imprimendam, secreta cordis sui indicat, dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (Psal. CXXX, 1). Ad imitandam zeli rectitudinem exemplo suo nos excitat, dicens: *Nonne qui te oderunt, Deus, oderam eos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (Psal. CXXXVIII, 22). Ad aeternae nobis patriae desiderium succendendum, vitae praesentis longitudinem deplorat, dicens: *Heu mihi! quod incolatus meus prolongatus est* (Psal. CXIX, 5). Largitate nimirum consulatus emicuit, qui exemplo conversationis propriae, tot nobis virtutum calculos spargit.

[Vet. XXXV.] 60. Sed iste consul an sibi etiam solitudinem aedificet, narret. Ait enim: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (Psal. LIV, 8). Fugiens elongat, quia a turba desideriorum temporalium in alta Dei contemplatione se sublevat. Manet vero in solitudine, quia perseverat in remota mentis intentione. De qua bene solitudine Domino Jeremias

ait: *A facie manus tuae solus sedebam, quoniam comminatione replesti me (Jerem. XV, 17).* Facies quippe manus Dei, est illa percussio justi judicii, qua superbientem hominem a paradiso repulit, et in hac caecitate praesentis exsilii exclusit. Comminatio vero ejus, est terror adhuc supplicii sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minae terrificant, quia per experimentum judicii jam nos et poena praesentis exsilii perculit, et si peccare non desistimus, aeternis adhuc suppliciis addicit. Consideret ergo vir sanctus, projectus huc, unde homo ceciderit, atque hunc post ista peccantem, quo adhuc justitia judicantis rapit; et cunctas a se desideriorum temporalium turbas ejiciat, seque in magna mentis **131** solitudine abscondat, dicens: *A facie manus tuae solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Ac si aperte dicat: Dum considero quid jam per judicii experimentum patior, a tumultu desideriorum temporalium trepidus mentis secessum peto, quia et adhuc acrius illa quae minaris, aeterna supplicia formido. Bene ergo de regibus atque consulibus dicitur: *Qui aedificant sibi solitudines.* Quia ii qui et se bene regere, et consulere aliis sciunt, quoniam praesentari interim illi intimae quieti non possunt, hanc apud semetipsos per studium tranquillae mentis imitantur Sequitur:

CAPUT XXXI.

VERS. 15.---*Cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento.*

61. *Principes sunt rectores Ecclesiae, aurum sapientia, argentum verbum Dei.*---Quos alios principes, nisi sanctae Ecclesiae rectores vocat, quos indesinenter in loco praedicatorum praecedentium divina dispensatio subrogat? De quibus eidem Ecclesiae Psalmista ait: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram (Psal. XLIV, 17).* Quid vero aurum, nisi sapientiam appellat? de qua per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (Prov. XXI, 20).* Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocavit. Quae et recte auri appellatione signatur; quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona aeterna mercantur. Si aurum sapientia non esset, nequaquam Laodiceae Ecclesiae ab angelo diceretur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum (Apoc. III, 18).* Aurum quippe emimus, cum accepturi sapientiam, prius obedientiam praebemus. Ad quem videlicet nos contractum bene quidam sapiens excitat, dicens: *Concupisti sapientiam? Serva mandata, et Dominus praebebit illam tibi (Eccli. I, 33).* Quid autem per domos, nisi conscientiae designantur? Unde sanato cuidam dicitur: *Vade in domum tuam (Matth. IX, 6).* Ac si aperte audiat: Post exterius miraculum ad conscientiam revertere, et qualem te intrinsecus Deo debeas exhibere, perpende. Quid etiam per argentum, nisi eloquia divina figurantur? de quibus per Psalmistam dicitur: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (Psal. XI, 7).* Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

[Vet. XXXVI.] 62. *Si Adam non peccasset, soli nascerentur, qui nunc salvandi sunt.*---Vir igitur sanctus spiritu aeternitatis

plenus, quaeque futura sunt colligat; et quos longe post ventura saecula gignerent, laxato mentis sinu comprehendat; et magna admiratione consideret cum quibus electis sine labore in aeternitate quiesceret, si per appetitum superbiae nemo peccasset, et dicat: *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terrae qui aedificant sibi solitudines, aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento.* Quia enim si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennae generaret; sed hi qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur, eosdem electos aspiciat, atque cum eis quomodo quiescere potuisset intendat. Videat sanctos apostolos sic susceptam Ecclesiam regere, ut ei praedicationis verbo non desinant consultum praebere, eosque reges et consules appellet. Videat post hos in eorum loco rectores exsurgere, **132** qui et sapienter vivendo aurum possideant, et aliis recta praedicando, argento sacrae locutionis enitescant, eosque principes repletis conscientiarum domibus auro et argento divites memoret. Sed quia aliquando prophetico spiritui nequaquam sufficit ut ventura praevideat, nisi cordi prophetantis etiam praeterita et antiqua repraesentet, sanctus vir infra supraque oculos aperit, et non solum ventura conspicit, sed etiam transacta ad memoriam reducit. Nam protinus adjungit:

CAPUT XXXII [*Rec. XXIX*].

VERS. 16.---*Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem: vel qui concepti non viderunt lucem.*

63. *Sancti ante redemptionis tempus orti, sunt velut abortivi. Plures fuerunt quam quos memorat Moyses---* Abortivum, quia ante plenum tempus oritur, extinctum protinus occultatur. Quos ergo sanctus vir alios abortivos vocat, cum quibus se quiescere potuisse considerat, nisi electos quosque, qui ab ipso mundi primordio ante redemptionis tempus exorti sunt, et tamen huic mundo semetipsos mortificare curaverunt? Qui conscriptae legis tabulas non habentes, quasi ab utero mortui sunt, quia auctorem suum naturali lege timuerunt; et cum venturum Mediatorem crederent, studuerunt summopere, mortificandis voluptatibus, etiam quae scripto non acceperant praecepta servare. Tempus itaque illud, quod juxta mundi initium mortuos huic saeculo patres nostros protulit, quasi abortivi uterus fuit. Ibi namque Abel, qui occidenti se fratri restitisse non legitur (**Genes. IV, 8, 24**). Ibi Enoch, qui talem se exhibuit, ut ambulaturus cum Domino transferretur (**Genes. V, 22, 24**). Ibi Noe, qui per hoc, quod divino examini placuit, in mundo mundo superstes fuit (**Genes. VII, 23**). Ibi Abraham, qui dum peregrinus est in saeculo, factus est amicus Deo (**Genes. XII, 1**). Ibi Isaac, qui caligantibus carnis oculis, per aetatem quidem praesentia non vidit, sed per virtutem prophetici spiritus in futuris etiam saeculis magna videndi luce radiavit (**Genes. XXVII, 1**). Ibi Jacob, qui iram fratris humiliter fugit, clementer edomuit; qui prole quidem fecundus exstitit, sed tamen spiritus ubertate fecundior, eandem prolem sub prophetiae suae vinculis astrinxit (**Genes. XXXIII, 4**). Bene autem abortivum hoc

absconditum dicitur, quia a mundi primordiis, dum quosdam paucos Moyse scribente cognoscimus, pars nobis maxima humani generis occultatur. Neque enim tot justos solummodo usque ad acceptam legem exstitisse credendum est, quot Moyses brevissima descriptione perstrinxit. Quia ergo a mundi primordio edita multitudo bonorum, ex magna parte notitiae nostrae subtrahitur, abortivum hoc absconditum vocatur. Quod et non substitisse dicitur, quia, enumeratis paucis, eorum frequentia nullo apud nos memoriae scripto retinetur.

[*Vet. XXXVII.*] 64. *Concepti sunt, sed lucem non viderunt, qui post legem ante Christum nati.*---Recte vero additur: *Vel qui concepti non viderunt lucem.* Hi namque, qui post acceptam legem in hoc mundo nati sunt, auctori suo ejusdem legis sunt admonitione concepti. Sed tamen concepti lucem minime viderunt, quia ad adventum incarnationis Dominicae, quamvis hanc fideliter crederent, pervenire nequiverunt. Incarnatus quippe Dominus dicit: *Ego sum lux mundi* (**Joan. VIII, 12**). Atque ipsa Lux ait: *Multi prophetae et justi desideraverunt videre quae videtis, et non viderunt* (**Matth. XIII, 17**). *Concepti igitur non viderunt lucem*, quia ad spem venturi Mediatoris apertis prophetarum vocibus excitati, nequaquam potuerunt cernere ejus incarnationem. **133** In his itaque conceptus interior formam fidei edidit, sed hanc usque ad apertam visionem divinae praesentiae non perduxit, quia prius hos a mundo mors interveniens rapuit, quam manifesta mundum Veritas illustravit.

[*Vet. XXXVIII.*] 65. *Job praeterita cernens et futura, ad aeterna anhelat.*---Vir igitur sanctus spiritu aeternitatis plenus, manu cordis cuncta labentia ad memoriam astringit; et

quia angusta est omnis creatura creatori, per eundem spiritum, qui nihil in se vel juxta se aliud, nisi semper esse habet, hoc quod erit, hoc quod praeteriit, conspicit; ac infra supraque mentis oculum tendit, et venientia velut transacta considerans, ad aeternum esse medullitus inardescit, dicens: *Nunc enim dormiens silerem. Nunc enim praesentis est temporis. Et quid est stantem semper in praesenti quietem quaerere, nisi ad illud, cui nihil venit, nihil praeterit, gaudium aeternitatis anhelare?* Quod nimirum Veritas semper esse suum, ut nobis utcunque infunderet, Moyse mediante insinuat, dicens: *Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos (Exod. III, 14).* Sed ecce, quia labentia conspicit, quia semper praesens gaudium quaerit, quia venturae lucis memorat, quia electorum ejus ordines enumerans pensat: ipsam jam nobis apertius quietem hujus lucis insinuet, et quid apud illam quotidie de pravorum conversatione agitur, verbis manifestioribus demonstret. Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXXIX, Rec. XXX*].

VERS. 17.---*Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore.*

66. *Impii Incarnationis beneficio a gravi labore erepti.*--- Paulo ante jam diximus quia corda peccantium per hoc quod strepitus desideriorum possidet, gravis cogitationum instigantium tumultus premit. Sed in hac luce, quam concepti minime viderunt, a tumultu suo impii cessare perhibentur, quia nimirum Mediatoris adventum, quem patres in lege positi

diu praestolati sunt, ad vitae suae requiem populi gentiles invenerunt, Paulo attestante, qui ait: *Quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est* (**Rom. XI, 7**). In hac itaque luce impii a tumultu cessant, dum perversorum mentes, veritate cognita, laboriosa mundi desideria fugiunt, et tranquillitati intimi amoris acquiescunt. An non ad cessationem vocat Lux ipsa, quae ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam: tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (**Matth. XI, 28, 29, 30**)? Quid enim grave mentis nostrae cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium quod perturbat praecipit? Quid grave subjectis jubet, qui declinari laboriosa mundi hujus itinera admonet? Attestante autem Paulo apostolo, *Christus pro impiis mortuus est* (**Rom. V, 6**). Sed idcirco dignata est pro impiis ipsa Lux occumbere, ne impii in tenebrarum suarum tumultu remanerent. Contempletur ergo vir sanctus quod Lux per incarnationis suae mysterium ex gravi labore impios eripit, dum ab eorum cordibus desideria pravitatis tergit; contempletur quod conversi quique quietem, quam percipere in aeternitate desiderant, hic jam per tranquillitatem mentis degustant, et dicat: *Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore.*

134 67. *Quo plus in amore Dei roboramur, eo magis deficimus a propria virtute. Lux aeterna locus noster.*--- Omnes enim qui in hoc mundo fortes sunt, robore quasi fortes sunt, non robore defessi. Qui vero in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt; et quo robustius

aeterna appetunt, eo a temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat: *Defecit in salutari tuo anima mea* (**Psal. CXVIII, 81**). In salutare enim Dei proficiendo defecerat, quia aeternitatis lucem desiderans, a carnis jam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit: *Concupivit, et defecit anima mea in atria Domini* (**Psal. LXXXIII, 3**). Qui nimirum cum diceret, *Concupivit*, recte subdidit, *Et defecit*: quia valde minor est divinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda aeternitatis atria accenditur, dignum profecto est ut ab hoc temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat ab studio saeculi, quanto surgit ardentior in amorem Dei. Quem scilicet si perfecte arripit, mundum etiam plene derelinquit; et eo funditus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam altius afflatu aeternitatis animatur. An non robore suo fessam se invenerat, quae dicebat: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est* (**Cant. V, 6**)? Quia nimirum mens dum occultae locutionis aspiratione tangitur, a statu suae fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur; et inde se apud semetipsam fessam invenit, unde ultra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit. Hinc propheta, cum visionem Dei se conspexisse diceret, adjungit, *Elangui et aegrotavi per dies plurimos* (**Dan. VIII, 27**), quia cum ad virtutem Dei mens stringitur, a fortitudine propria caro lassatur. [*Vet. XL.*] Hinc Jacob, qui angelum tenuit, uno mox pede claudicavit (**Genes. XXXII, 25**), quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hunc mundum duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur; et necesse est ut alius marceat, quia, mentis virtute crescente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat. Beatus igitur Job alta

fidelium corda respiciat, atque perpendat quem sinum intimae quietis inveniunt, dum a viribus propriis in Deum proficiendo lassantur, et dicat: *Ibi requieverunt fessi robore*. Ac si aperte insinuet, dicens: Illic requies lucis remunerat, quos hic interius recreans proventus fatigat. Nec movere debet quod lucem nominans, nequaquam subdidit: *In hac*, sed *Ibi*. Quam enim continere electos conspicit, quasi locum nostrum hanc esse deprehendit. Unde Psalmista cum incommutabilitatem aeternitatis aspiceret, dicens: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (**Psal. CI, 28**), hunc electorum locum esse denuntiat, subdens: *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi* (**Ibid., 29**). Deus enim, qui sine situ omnia continet, nobis ad se venientibus locus non localis manet. Quem locum dum pertingimus, etiam ipsa in hac vita mentis nostrae tranquillitas, quanta fuerit perturbatio videmus; quia etsi jam justī in pravorum comparatione quieti sunt, in aestimatione tamen quietis intimae omni modo quieti non sunt. Unde et bene subditur:

CAPUT XXXIV.

VERS. 18.---*Et quondam vincti pariter sine molestia.*

68. *Vincula dura quibus hic ligantur etiam justī*.---Justos enim quamvis nullus desideriorum carnalium tumultus possideat, duris tamen vinculis eos in hac vita positos suae molestia corruptionis **135** ligat. Scriptum quippe est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (**Sap. IX, 15**). Eo itaque

ipso quo adhuc mortales sunt, corruptionis suae pondere gravantur, et astricti molestia vincti sunt, quia in illa adhuc libertate vitae incorruptibilis non exsurgunt. Aliud namque de mente, aliud de corpore tolerant, et contra semetipsos quotidie in interno certamine desudant. An non duro molestiae vinculo ligantur, quorum nimirum mens sine labore in ignorantia solvitur, et non nisi cum studio laboris eruditur? Coacta erigitur, libens jacet, ab infimis vix levatur, et tamen elevata protinus labitur. Semetipsam laboriose vincendo, superna conspicit; sed reverberata, lumen, quod se irradiaverat, refugit. An non duro molestiae vinculo ligantur, quos cum accensus spiritus ad sinum pacis intimae pleno desiderio pertrahat, fervente certamine caro perturbat? Quae etsi jam ante faciem velut ex adverso acie erecta non obviat, adhuc tamen a mentis dorso quasi captiva submurmurat: et quamvis timendo, sed tamen turpi strepitu in corde speciem pulchrae quietis foedat. Electi igitur etsi valenter omnia superant, cum securitatem pacis internae desiderant, gravis eis est molestia, adhuc habere quod vincant. Qui his exceptis, ea etiam vincula sustinent, quae gravis exterius necessitas astringit. Esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt: quae scilicet solvi nequeunt, nisi cum in illam immortalitatis gloriam nostra mortalitas permutatur. [*Vet. XLI.*] Replemus etenim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat; extenuamus abstinencia, ne nos repletum premat. Vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat; sed citius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua vegetatione succumbat. Adjumentis hoc vestium tegimus, ne frigus interimat, et quaesita adjumenta projicimus, ne calor exurat. Tot igitur diversitatibus occurrentes quid agimus, nisi corruptibilitati servimus, ut saltem multiplicitas impensi

obsequii corpus sustineat, quod anxietas infirmæ mutabilitatis gravat? Unde bene per Paulum dicitur: *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subiecit in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom. VIII, 20)*. Vanitati quippe creatura non volens subditur, quia homo, qui ingenitæ constantiæ statum volens deseruit, pressus justæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni servit. Sed creatura hæc tunc a servitute corruptionis eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo sublevatur. Hic itaque electi molestia vincti sunt, quia adhuc corruptioni suæ poena deprimuntur. Sed cum corruptibili carne exuimur, quasi ab his, quibus nunc astringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Praesentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo vincti dicimur, quia adhuc incesum **136** nostri desiderii ad Deum liberum non habemus. Unde bene Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo (Phil. I, 23)*. Dissolvi enim non quaereret, nisi se procul dubio vinctum videret. Hæc autem vincula, quia certissime rumpenda in resurrectione conspexerat, jam quasi rupta gaudebat Propheta, cum diceret: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis (Psal. CXV, 7)*.

Epilogus.---Contempletur itaque vir sanctus, quod conversos peccatores lux interna recipiat, et dicat: *Ibi impii cessaverunt a tumultu*. Contempletur, quod sancti viri desiderii exercitatione fatigati, altius in illo intimo sinu requiescant, et dicat: *Et ibi requieverunt fessi robore*. Contempletur, quod

cunctis simul corruptionis suae vinculis absoluti, ad illa libertatis gaudia incorrupta perveniant, et dicat: *Et quondam vincti pariter sine molestia*. Bene autem dicitur, *Quondam vincti*; quia dum illa semper praesens laetitia cernitur, omne quod erit et defluit, quasi praeteritum jam videtur. Dum enim rerum finis attenditur, omne quod praeterit, quasi jam fuisse pensatur. Sed omnes hi quos illuc quies interna suscipiet, hic interim quid egerint, narret. Sequitur:

CAPUT XXXV [*Rec. XXXI*].

IBID.---*Non exaudierunt vocem exactoris.*

69. *Diabolus exactor. Non exauditur, cum tentanti resistitur.* --Quis alius debet nomine exactoris intelligi, nisi importunus ille persuasor, qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, et ab hoc quotidie expetere mortis debitum non desistit? Qui in paradiso homini peccati pecuniam commodavit; sed iniquitate crescente, hanc quotidie cum usuris exigit. De hoc exactore in Evangelio Veritas dicit, *Et iudex tradet te exactori (Luc. XII, 58)*. Hujus igitur exactoris vox est tentatio miserae suggestionis. Audimus autem vocem exactoris, cum ejus tentatione pulsamur; sed non exaudimus, si pulsanti resistimus. Audit enim, qui tentationem sentit; exaudit vero qui tentationi consentit. Dicatur itaque de justis: *Non exaudierunt vocem exactoris*, quoniam suggestionem ejus etsi audiunt, quia tentantur; non exaudiunt, quia consentire contemnunt. [*Vet. XLII.*] Sed quia quod valde mens amat, etiam in sermone saepius replicat, beatus Job, quia

internae pacis frequentiam diligens conspicit, descriptioni ejus iterum servit, dicens:

CAPUT XXXVI.

VERS. 19.---*Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.*

70. *Ut hic merita, ita in coelo erunt praemia diversa.*---Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quod hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (**Joan. XIV, 2**). Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors; quia tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. Unde et non aequae laborantes in vinea (**Matth. XX, 10**), aequae **137** cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multae sunt, et tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt; quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae. Parvum et magnum in hac luce conspexerat, qui ex voce capitis dicebat: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (**Psal. CXXXVIII, 16**). Parvum et magnum conspexerat, cum dicebat: *Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum majoribus* (**Psal. CXIII, 13**).

71. *Quis peccati servus, quis ab eo liber, et quod hic nemo ab eo liber.*---Bene autem subditur: *Et servus liber a domino*

suo. Scriptum quippe est, *Omnis qui peccat, servus est peccati* (**Joan. VIII, 34**); quia nimirum quisquis se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic domino contradicimus, cum iniquitati quae nos ceperat, reluctamur; cum consuetudini violenter resistimus, et desideria perversa calcantes contra hanc jus nobis libertatis ingenitae vindicamus; cum culpam poenitendo percutimus, et maculas sordium fletibus lavamus. Plerumque autem jam mens quidem quod perverse egisse se meminit, deplorat; jam prave acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit; sed tamen dum eorum quae egit reminiscitur, gravi de judicio pavore terretur. Jam se perfecte convertit; sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit, quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem ac formidinem sollicita trepidat, quia justus judex veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quam prava commiserit, meminit; sed an commissa digne defleverit, nescit; ac ne culpae immanitas modum poenitentiae transeat, metuit. Et plerumque culpam jam veritas relaxat, sed mens afflicta adhuc de venia, dum valde sibi est sollicita, trepidat. Servus ergo hic jam fugit dominum, sed liber non est, quia peccatum suum homo jam corrigendo et poenitendo deserit, sed tamen adhuc districtum judicem de ejus retributione pertimescit. Ibi ergo servus a domino liber erit, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam securam mentem culpae suae memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat, sed de ejus indulgentia liber exsultat.

138 72. *An nulla in coelo peccati memoria: qui haec beatitudini non officiat.*---Sed si nulla ibi homo peccati sui

memoria tangitur, ereptum se unde gratulatur? Aut quomodo largitori gratias refert de venia quam accepit, si interveniente oblivione transactae nequitiae, esse se poenae debitorem nescit? Neque enim neglecte praetereundum est quod Psalmista ait: *Misericordias tuas, Domine, in aeternum cantabo* (**Psal. LXXXVIII, 1**). Quomodo enim Dei misericordias in aeternum cantat, si se fuisse miserum ignorat? Et si miseriae transactae non meminit, unde largitati misericordiae laudes reddit? Sed rursum quaerendum est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia memoria sui reatus tangit? Aut quomodo perfectae lucis clarescit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed sciendum est quia sicut saepe nunc tristium laeti reminiscimur, ita tunc transactae nequitiae sine laesione nostrae beatitudinis recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores praeteritos sine dolore reducimus; et quo aegros recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Erit ergo et in illa beatitudine culpa memoria, non quae mentem polluat, sed quae nos arctius laetitiae astringat; ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, et debitorem se medico verius intelligat, et eo magis acceptam salutem diligat, quo de molestia meminit, quid evasit. In illa itaque laetitia sic tunc sine taedio mala nostra conspiciamus, sicut nunc in luce positi, sine ulla cordis caligine animo tenebras videmus; quia etsi obscurum est quod mente cernimus, de iudicio est hoc luminis, non de passione caecitatis. Et in aeternum ergo laudem misericordiae largitori nostro referimus, et nequaquam miseriae conscientia gravamur; quia dum mala nostra sine aliquo mentis malo respicimus, et nunquam erit quod corda laudantium de transactis iniquitatibus polluat, et semper erit quod haec ad

laudem liberatoris accendat. Quia ergo internae lucis requies sic in se magnos sublevat, ut tamen nec parvulos derelinquat, dicatur recte: *Parvus et magnus ibi sunt*. Quia autem sic ibi conversi peccatoris animus culpae suae memoria tangitur, ut tamen nulla ejusdem memoriae confusione deprimatur, congrue subjungitur: *Et servus liber a domino suo*.

LIBER QUINTUS. *Reliquam capitis tertii partem a XX versu, totum caput quartum, et quinti duos priores versus enarrat.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Sancti hic prospera magis formidare, quam adversa.*--- Cum valde occulta sint divina judicia, cur in hac vita nonnunquam bonis male sit, malis bene, tunc occultiora sunt, cum et bonis hic bene est, et malis male. Nam cum bonis male est, malis bene, hoc fortasse deprehenditur, quia et boni, si qua deliquerunt, hic recipiunt, ut ab aeterna plenius damnatione liberentur; et mali bona, quae pro hac vita faciunt, hic inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde et ardenti in inferno diviti dicitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* (**Luc. XVI, 25**). At cum bonis hic bene est, et malis male, incertum valde fit utrum boni idcirco bona accipiant, ut provocati ad aliquid melius

crescant; an justo latentique iudicio hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a praemiis vitae sequentis inanescant; et utrum malos idcirco adversa feriant, ut ab aeternis suppliciis corrigentia defendant; an hic eorum poena incipiat, ut quandoque complenda eos ad ultima gehennae **139** tormenta perducant. Quia ergo inter divina iudicia gravi incertitudinis suae caligine humana mens premitur, sancti viri cum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur. Timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant; timent ne quod divina iustitia latens in eis vulnus aspiciat, et exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. Cum vero taciti cogitant quod nec bona agunt, nisi ut soli Domino placeant, nec in ipsa affluentia suae prosperitatis exsultant, minus quidem de prosperis occulta contra se iudicia metuunt, sed tamen eadem prospera, quia se ab intima intentione praepediunt, aegre ferunt; et moleste praesentis vitae blandimenta tolerant, quia per haec se utcunque tardari in interno desiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor quam despectio occupat, et magis prosperitatis sublimitas quam necessitatis adversitas gravat. Per hanc namque nonnunquam cum homo exterius premitur, ad concupiscenda quae intus sunt, liberior relaxatur. Per illam vero animus, dum multis parere cogitur, a desiderii sui cursu retinetur. Unde fit ut sancti viri magis in hoc mundo prospera quam adversa formident. Sciunt namque quia mens dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora derivatur. Sciunt quia saepe sic hanc clandestina cogitatio decipit, ut quomodo permutetur ignoret. Pensant autem quae sint aeterna bona quae cupiunt, et cognoscunt quam nihil sit omne quod blandum temporaliter arridet; cunctaque hujus

mundi prospera mens eorum eo aegre tolerat, quo supernae felicitatis est amore sauciata, tantoque magis in praesentis dulcedinis aspernatione erigitur, quanto hanc conspicit, quia furtive sibi in aeternae gloriae despectu blanditur. Unde beatus Job cum supernam requiem contemplatus diceret: *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo*, illico adjungit:

CAPUT II [*Rec. II*].

VERS. 20.---*Quare data est misero lux?*

2. *Aeterna contemplantes terrenam prosperitatem refugiunt.* --In Scriptura sacra nonnunquam lucis appellatione prosperitas, noctis autem nomine hujus mundi adversitas designatur. Unde et bene per Psalmistam dicitur: *Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus* (**Psal. CXXXVIII, 12**). Quia enim sancti viri ita prosperitatem saeculi despicientes calcant, sicut et adversitatem ejus calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem mundi sibi et adversa et prospera substernentes dicunt: *Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus*. Ac si apertius dicant: Sicut intentionis nostrae fortitudinem ejus tristia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt. Sed quia haec, ut diximus, bonorum mentem etiam cum non sublevant, perturbant, sancti viri, qui se in hujus exsilii aerumna miseros cognoscunt, clarescere in ejus prosperitate refugiunt. Unde bene nunc dicitur: *Quare data est misero lux?* Lux enim miseris datur, quando ii qui sublimia contemplantes, esse se in hac peregrinatione miseros

agnoscunt, claritatem transitoriae prosperitatis accipiunt. Et cum valde defleant quia tarde ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur. Amor eos aeternorum conterit, et gloria de temporalibus arridet. Qui dum cogitant **140** quae sint quae in infimis tenent, et quae sint quae de sublimibus non vident; quae sint quae in terra fulciunt, quae autem de coelestibus perdiderunt, prosperitatis suae moerore mordentur; quia etsi vident nequaquam se ab ea funditus opprimi, pensant tamen sollicite cogitationem suam in amore Domini et in ejus dispensatione partiri. Unde bene cum dicit: *Quare data est misero lux?* protinus adjungit:

CAPUT III [*Vet. II, Rec. III*].

VERS. 20.---*Et vita his qui in amaritudine animae sunt.*

3. *Hic in amaritudine sunt electi et reprobi; quo discrimine.*--
-In amaritudine quippe animae sunt omnes electi, quia vel punire flendo non desinunt quae deliquerunt, vel gravi se moerore afficiunt, quia longe huc a facie conditoris projecti, adhuc in aeternae patriae gaudiis non sunt. De quorum corde per Salomonem bene dicitur: *Cor, quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio illius non miscebitur extraneus* (**Prov. XIV, 10**). In amaritudine namque sunt et corda reproborum, quia ipsis etiam pravis suis desideriis affliguntur; sed eandem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tolerant, sponte sua excaecati non possunt. At contra cor bonorum amaritudinem suam novit, quia aerumnam exsilii, in qua projectum laceratur, intelligit; et quam sint tranquilla quae

perdidit, quam confusa in quibus cecidit, sentit. Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducit, atque in ejus gaudio extraneus non miscetur; quia is qui nunc ab hoc moerore cordis foras se per desideria ejicit, seclusus tunc ab illa intima ejus solemnitatem remanebit.

4. *Quis mortuus mundo, et cui mundus mortuus.*---Hi itaque qui in amaritudine animae sunt, mori mundo funditus concupiscunt; ut sicut in saeculo ipsi nihil appetunt, ita jam a saeculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit ut jam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus hominem occupationibus astringat: et ipse quidem mundo jam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim adhuc vivus mundus eum conspicit, dum alio intentum in suis actibus rapere contendit. Unde bene Paulus, cum et ipse saeculum perfecte despiceret, et talem se factum videret, quem jam hoc saeculum concupiscere omnino non posset, ruptis hujus vitae vinculis liber dicit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal. VI, 14)*. Mundus quippe ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat. Sed et se ipsum mundo crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Si enim uno in loco sint mortuus et vivens; etsi mortuus vivum non videt, vivus tamen mortuum videt; si vero utrique sint mortui, alter alterum nequaquam videt. Ita qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo vel non volens amatur, etsi ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt. Si vero nec ipse in amore mundum retinet, nec rursum a mundi amore retinetur, vicissim sibi utrique extincti sunt; quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuum mortuus non attendit. Quia igitur Paulus nec

mundi gloriam quaerebat, nec a mundi gloria ipse quaerebatur, et se mundo, et mundum sibi crucifixum esse gloriatur. Quod quia multi appetunt, sed tamen usque ad culmen extinctionis **141** omni modo non assurgunt, recte gementes dicunt: *Quare data est misero lux, et vita his qui in amaritudine animae sunt?* Vita quippe amaricatis datur, cum hujus mundi gloria tristibus gementibusque tribuitur. In qua nimirum vita poena se validissimi timoris afficiunt, quia etsi ipsi mundum non tenent, adhuc tamen tales esse se metuunt, qui a mundo teneantur; quia nisi ei quantulumcunque viverent, hos ad usum suum procul dubio non amaret. Mare enim viva corpora in semetipso retinet; nam mortua extra se protinus expellit. Sequitur:

CAPUT IV [*Rec. IV*].

VERS. 21.---*Qui exspectant mortem, et non venit.*

5. *Mori saeculo appetentes, saepe humanis ministeriis servire coguntur. Non sine suo et aliorum lucro.*---Desiderant quippe mortificare se funditus, atque ab omni vita gloriae temporalis extinguere; sed occultis saepe Dei judiciis vel praeesse in regimine, vel occupari injunctis honoribus compelluntur, atque inter haec mortificationem plenissimam indesinenter exspectant. Sed exspectata mors non venit, quia eorum usus temporali gloriae etiam nolens vivit, quam tamen pro divino timore tolerant. Et intus quidem servant desiderium pietatis, foris autem explent ministerium ordinis; quatenus nec a perfectione per intentionem recedant, nec dispositioni

conditoris per superbiam contradicant. Mira enim divinitatis pietate agitur, cum is qui perfecto corde ad contemplationem tendit, humanis ministeriis occupatur; ut et multis infirmioribus ejus mens perfecta proficiat, et quo se ipse imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat. [*Vet. III.*] Nonnunquam etenim sancti viri unde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde majora lucra, conversis aliis, reportant; quia dum eis vacare ut appetunt non licet, rapere secum alios, quibus admiscentur, libet. Fit ergo mira dispensatione pietatis ut unde se destructiores aestimant, inde locupletiores ad coelestis patriae constructionem surgant.

6. *Desideria pia saepe Deus explere differt, ut crescant.*--- Nonnunquam vero idcirco ad concepta desideria minime perveniunt, ut ipsa interveniente tarditate, ad eadem desideria laxato mentis sinu dilatentur; et quae extenuari fortasse impleta poterant, magna dispositione agitur, ut repulsa crescant. Sic quippe mortificari appetunt, ut jam perfecte, si liceat, conditoris sui faciem contemplantur. Sed eorum desiderium differtur, ut proficiat; et tarditatis suae sinu nutritur, ut crescat. Unde bene sponsa in sponsi sui desiderio anhelans clamat: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni (Cant. III, 1).* Abscondit se sponsus cum quaeritur, ut non inventus ardentius quaeratur; et differtur quaerens sponsa, ne inveniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quaerebat. Unde beatus Job cum diceret: *Expectant mortem, et non venit*, ut hoc ipsum quaerentium desiderium subtilius expleret, illico adjungit:

CAPUT [*Rec. V*].

IBID.---*Quasi effodientes thesaurum.*

7. *Crescunt, ubi finis propinquior.*---Omnes namque qui fodiendo thesaurum quaerunt, cum fodere altius coeperint, ad laborem instantius inardescunt; quia quo se thesauro abscondito jam jamque appropinquare aestimant, eo in effossione enixius laborant. Qui igitur plene **142** mortificationem suam appetunt, quasi effodientes thesaurum quaerunt; quia quanto fiunt viciniore ad finem, tanto se exhibent ardentiores in opere. Laborando ergo non deficiunt, sed magis ad usum laboris crescunt; quia quo jam praemia propinquiora considerant, eo in opere delectabilius exsudent. Unde bene Paulus quibusdam absconditum aeternae patriae thesaurum quaerentibus dicit: *Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes, et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem (Hebr. X, 25).* Laborantem quippe consolari, est pariter in labore persistere, quia sublevatio laboris est visio collaborantis: sicut cum in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris leviatur. Dum itaque Paulus consolantes se in laboribus quaereret, adjunxit dicens: *Tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Ac si diceret: Eo labor crescat, quo ipsa jam praemia laboris appropinquant, velut si aperte dicat: Thesaurum quaeritis? sed eo fodere ardentius debetis, quo jam juxta quaesitum aurum fodiendo pervenistis.

8. *Mortui mundo se intra se a terrenis abscondunt.*---Quamvis hoc quod dicitur: *Exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum*, intelligi et aliter potest. Quia enim perfecte mori mundo non possumus, nisi intra mentis nostrae invisibilia a visibilibus abscondamur, recte ii qui mortificationem suam appetunt, thesaurum effodientibus comparantur. Mundo enim per invisibilem sapientiam morimur, de qua per Salomonem dicitur: *Si quaesieris illam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis eam* (**Prov. II, 4, 5**). Sapientia quippe in rerum superficie non jacet; quia in invisibilibus latet. Et tunc mortificationem nostram sapientiam contingentes apprehendimus, si relictis visibilibus in invisibilibus abscondamur; si sic hanc, cor effodientes, quaerimus, ut omne quod terrenum mens cogitat, a semetipsa, manu sanctae discretionis ejiciat, et thesaurum virtutis, qui se latebat, agnoscat. Facile enim in se thesaurum invenit, si eam quae se male presserat molem a se terrenae cogitationis repellit. Quia autem quaesitam mortem sicut thesaurum dicit, recte subjungit:

CAPUT VI.

VERS. 22.---*Gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.*

9. *Divina contemplatio sepulcrum est in quo mens mundo mortua quiescit.*---Sicut enim sepulcrum locus est quo absconditur corpus, ita divina contemplatio quoddam sepulcrum mentis est, quo absconditur anima. Quasi enim

huic adhuc mundo vivimus, cum mente in eum foras vagamur; sed mortui in sepulcro abscondimur, cum mortificati exterius, in secreto internae contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstreptentium perturbationum, semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde bene per Psalmistam dicitur: *Abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum* (Psal. XXX, 21). Quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus delectatione in interiora rapiuntur; **143** ut mens eorum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quod Paulus per contemplationem mortuos et quasi in sepulcro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. III, 3, 4). Qui ergo mortem quaerit, gaudet dum sepulcrum invenit, quia qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilaescit; ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat.

10. *Mortui olim cum divitiis sepulti.*---Si vero ad hoc quod thesaurus effodi dicitur, etiam sepulcri inventio subinfertur, hoc necesse est ut intentio nostra conspiciat, quod antiqui mortuos cum divitiis obruebant. Qui igitur thesaurum quaerit, gaudet cum sepulcrum invenerit, quia sapientiam perquirentes, cum sacrae Scripturae paginas volvimus, cum exempla praecedentium perscrutamur, quasi ex sepulcro gaudium sumimus, quia mentis divitias apud mortuos invenimus: qui quia huic mundo perfecte exstincti

sunt, in occulto cum divitiis requiescunt. Sepulcro ergo dives efficitur, qui per exempla justorum in contemplationis virtute sublevatur. Sed cum requirens dicat: *Quare data est misero lux?* cur hoc ipsum requirere praesumat, insinuat dicens:

CAPUT VII [*Rec. VI*].

VERS. 23.---*Viro, cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.*

11. *Ignorat recte agens utrum perseveraturus sit.*---Via enim sua viro abscondita est, quia etsi jam in qua sit vitae qualitate considerat, adhuc tamen ad quem finem tendat, ignorat. Etsi jam superna appetit, etsi plenis haec desideriiis quaerit, adhuc tamen si in eisdem desideriiis permaneat, nescit. Peccata quippe deserentes, ad justitiam tendimus; et unde venimus, novimus; sed quo perveniamus, ignoramus. Quid hesterna die fuimus, scimus; sed quid contingat crastina nos esse, nescimus. Via ergo sua viro abscondita est, quia sic pedem ponit operis, ut tamen praevidere nequeat exitum consummationis ejus.

[*Vet. IV.*] 12. *Ignorat utrum quod rectum putat, Deus non damnet. Circumdatur tenebris.*---Est autem et alia viae nostrae absconsio; quia nonnunquam ea ipsa quae recte nos agere credimus, an in districti judicis examine recta sint, ignoramus. Saepe enim, sicut et longe superius diximus, opus nostrum causa damnationis est, et proventus putatur esse virtutis. Saepe unde placari iudex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur; Salomone attestante, qui ait. *Est quae*

videtur homini recta; novissima autem ejus ducunt ad mortem (Prov. XIV, 12). Unde sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt; et cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, haec ipsa in se nonnunquam et quae approbant metuunt. Et tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur ignorant. Unde bene postquam dictum est: *Quare data est misero 144 lux?* adjungitur: *Viro, cujus abscondita est via.* Ac si dicatur: Cur hujus vitae successus accipit, qui sub qua sit aestimatione judicis iter sui operis nescit? Bene autem subditur: *Et circumdedit eum Deus tenebris.* Tenebris namque homo circumdatur; quia quamvis coelesti desiderio ferveat, quid de semetipso sit dispositum intrinsecus, ignorat. Et valde metuit, ne quid sibi in judicio obviet, quod se de se nunc in desiderio boni fervoris latet. Tenebris homo circumdatur, quia ignorantiae suae caligine premitur. An tenebris circumdatus non est, qui plerumque praeteritorum non meminit, futura non invenit, praesentia vix cognoscit? Tenebris se circumdatum quidam sapiens viderat, cum dicebat: *Quae in prospectu sunt, invenimus cum labore; et quae in coelis sunt, quis investigabit (Sap. IX, 16)?* His se tenebris Propheta circumdatum vidit, cum dispositionis intimae penetrare interna non potuit, dicens: *Posuit tenebras latibulum suum (Psal. XVII, 12).* Auctor enim noster, quia nobis in hoc exsilium dejectis, lucem suae visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit.

13. *Hinc sanctis materia flendi.*---Quas nimirum caecitatis nostrae tenebras cum studiose conspiciamus, mentem ad lamenta provocamus. Flet enim caecitatem quam foris patitur, si humiliter meminit quod in interioribus lumine privatur. Cumque tenebras, quibus circumdatur, respicit, splendoris intimi ardenti se desiderio affligit; omnique intentionis adnisu semetipsam concutit, et supernam lucem, quam condita deseruit, repulsa quaerit. Unde fit plerumque, ut in ipsis piis fletibus illa interni gaudii claritas erumpat; et mens, quae in torpore prius caeca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata convalescat. Unde bene sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VII*].

VERS. 24.---*Antequam comedam, suspiro.*

14. *Lacrymas saepe excipit gaudium contemplationis.*---Comedere namque est animae, supernae lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia prius gemitibus tribulationis afficitur, et postmodum contemplationis refectione satiatur. Nisi enim suspiret, non comedit; quia qui se in hoc exilio per desideriorum coelestium lamenta non humiliat, aeternae patriae gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia laetantur. Suspirat autem qui comedit, quia quos amor veritatis afficit, etiam refectio contemplationis pascit. Suspirans Propheta comedebat, cum diceret: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes* (**Psal. XIV, 4**). Luctu enim suo

anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur, et intus quidem doloris sui gemitus tolerat; sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Unde et eandem lacrymarum vim beatus Job adhuc sequitur, subdens:

CAPUT IX.

IBID.---*Et quasi inundantes aquae, sic rugitus meus.*

15. *Quae sanctis lugendi et trepidandi causae.*---Aquae cum inundant, cum impetu veniunt; et crescentibus multipliciter voluminibus, intumescunt. Electi vero dum mentis suae oculis divina judicia opponunt, dum de occulta super se sententia trepidant, dum se ad Deum pervenire posse confidunt, sed tamen ne non perveniant metuunt, dum praeteritorum suorum recolunt, **145** quae deflent, dum quae sibi adhuc futura sunt, quia nesciunt, pertimescunt; quasi quaedam in eis aquarum more volumina colliguntur, quae in moeroris rugitus quasi in subjecta littora defluunt. Vir igitur sanctus vidit, quanta sint in lamentis poenitentiae volumina cogitationum; atque ipsas moeroris undas inundantes aquas vocavit, dicens: *Et quasi inundantes aquae, sic rugitus meus.* [*Vet. V.*] Nonnunquam vero iusti, sicut et paulo superius diximus, in ipsis bonis operibus positi trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant. Quos cum divina subito flagella corripunt, auctoris sui se gratiam offendisse suspicantur, quia vel infirmitatibus praepediti, vel amaritudinibus pressi, ad impendenda proximis pia opera non

assurgunt. Et cor in lamentum vertitur, quia corpus a devotionis suae ministerio retardatur. Cumque se mercedem non augere considerant, etiam transacta opera displicuisse formidant. Unde bene beatus Job cum rugitum suum quasi inundantes aquas diceret, illico adjunxit:

CAPUT X.

VERS. 25.---*Quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar, accidit.*

16. *Judicia Dei quam metuenda.*---Justi igitur deflent et pavent, et magnis se lamentis cruciant, quia deseri formidant; et quamvis de correptione sua gaudeant, eorum tamen trepidam mentem correptio ipsa perturbat; ne malum quod tolerant, non pia percussio disciplinae sit, sed animadversio justa vindictae. Quod bene Psalmista considerans ait: *Quis novit potestatem irae tuae (Psal. LXXXIX, 11)?* Potestas quippe divinae irae nostra non potest mente comprehendi, quia ejus dispensatio obscuris super nos dispositionibus, saepe unde aestimatur deserere, inde nos recipit; et unde nos recipere creditur, inde derelinquit; ut plerumque hoc fiat gratia, quod ira dicitur, et hoc aliquando ira sit, quod gratia putatur. Nonnullos enim flagella corrigunt, nonnullos ad impatientiae vesaniam perducunt; et alios prospera quia demulcent, ab insania mitigant; alios quia elevant, funditus ab omni spe conversionis eradicant. Cunctos autem vitia ad ima pertrahunt: sed tamen quidam eo ab his facilius redeunt, quo se in eis corruisse altius erubescunt. Et semper virtutes ad

superna sublevant; sed nonnunquam quidam dum tumorem de virtute concipiunt, per ipsum tramitem ascensionis cadunt. Quia ergo potestas divinae irae minime cognoscitur, in cunctis necesse est ut sine cessatione timeatur. Sequitur:

CAPUT XI [*Rec. VIII*].

VERS. 26.---*Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.*

17. *Quae cogitando, loquendo, agendo peccare soleant in potestate constituti.*---Quamvis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo peccemus, tunc tamen per tria haec animus effrenatius rapitur, cum mundi hujus prosperitate sublevatur. Nam cum praeire se potestate caeteros conspicit, alta de se elate cogitans sentit. Et cum auctoritati vocis a nullo resistitur, lingua licentius per abrupta diffrenatur. Cumque facere quod libet, licet, juste sibi omne aestimat licere, quod libet. Sed sancti viri cum mundi hujus potestate fulciuntur, tanto sub maiore mentis disciplina se redigunt, quanto sibi per impatientiam potestatis suaderi illicita quasi licentius sciunt. Cor namque a considerata sua gloria reprimunt, linguam ab immoderata **146** locutione restringunt, opus ab inquietudinis vagatione custodiunt. [*Vet. VI.*] Saepe enim qui in potestate sunt, ea quae recte faciunt, quia elate cogitant, amittunt; dumque se ad cuncta utiles aestimant, etiam impensae utilitatis sibi meritum damnant. Ut enim cujuslibet facta digniora sint, necesse est ut ei apud se semper indigna videantur, ne eadem bona actio agentis cor sublevet,

et sublevando plus auctorem de elatione dejiciat, quam ipsos quibus forte impenditur juvet. Hinc est enim quod rex Babyloniae, dum elata mente apud se tacitus volveret, dicens: *Nonne haec est Babylon, quam ego aedificavi* (**Dan. IV, 27**)? in irrationale animal protinus versus est. Quod enim factus fuerat perdidit, quia humiliter noluit dissimulare quod fecit. Et quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum, quem communem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit. Saepe vero qui in potestate sunt, ad subjectorum passim contumelias erumpunt; et hoc quod invigilantes regimini serviunt, per linguae procacitatem perdunt, minori scilicet formidine judicis verba pensantes, quia qui sine causa fratri, fatue dixerit, gehennae se ignibus addicit (**Math. V, 22**). Saepe ii qui in potestate sunt, dum sese a licitis retinere nesciunt, ad illicita opera et inquieta dilabuntur. Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. Qua videlicet constrictione religatum bene se Paulus insinuat, dicens: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (**I Cor. VI, 12**). Atque ut ex ipsa religatione ostenderet in quanta se mentis libertate dilataret, illico adjunxit: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate* (**Ibid., 12**). Cum enim mens concepta desideria sequitur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur. Sed Paulus, cui cuncta licent, sub nullius potestate se redigit, quia semetipsum etiam a licitis restringendo, ea quae delectata premerent, despecta transcendit.

18. *Quomodo Job haec vitavit.*---Beatus igitur Job, ut nos erudiat, qualis in potestate fuit innotescat, dicens: *Nonne dissimulavi?* Potestas namque cum habetur, et cogitanda est ad utilitatem, et dissimulanda propter tumorem; quatenus is

qui ea utitur, et ut prodesse debeat, posse se sciat; et ut extolli non debeat, posse se nesciat. Qualis vero in ore fuerit, adjungat dicens: *Nonne silui?* Qualis erga illicita opera, adhuc subjiciat: *Nonne quievi?* Potest autem silere et quiescere, adhuc subtilius perscrutari. Silere namque est mentem a terrenorum desideriorum voce restringere. Vis enim magni clamoris est tumultus cordis.

19. *Qui praesunt, occupationes temporales, ut Deo vacent, intermittere debent.*---Quiescunt quoque qui bene in potestate sunt, cum terrenarum actionum strepitus pro divino amore intermittendo postponunt; ne dum ima indesinenter occupant, cor funditus a summis cadat. Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quae de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat. Bene autem per Psalmistam dicitur: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus (Psal. XLV, 11)*; quia qui vacare Deo negligit, suo sibi iudicio lumen ejus visionis abscondit. Hinc etiam per Moysen dicitur ut pisces qui pennulas non habent non edantur (**Lev. XI, 12, 13**). Pisces namque qui habent pennulas, saltus dare super aquas solent. **147** Soli ergo in electorum corpore quasi cibus transeunt, qui in eo quod imis deserviunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant, et nulla eos amoris summi quasi liberi aeris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora refugiunt; cum nequaquam foras perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.

[Vet. VII.] 20. *Quomodo affectae circa has occupationes pravae mentes. Quomodo piae.*---Pravae etenim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versare non cessant, etiam cum vacant. In cogitatione enim servant depicta quae amant, et quamvis nihil exterius faciant, apud semetipsas tamen sub pondere inquietae quietis elaborant. Quibus si earumdem rerum administratio praebeatur, semetipsas funditus deserunt, et fugitiva haec temporalia per intentionis cursum continuis cogitationum passibus sequuntur. Piae autem mentes haec et cum desunt non quaerunt, et graviter etiam cum adsunt, ferunt, quia per exteriorum curam a se exire pertimescunt. Quod bene illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est: *Factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis* (**Genes. XXV, 27, sec. LXX**). Vel sicut in alia translatione dicitur, *Habitabat domi*. Quid enim per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur, quia amatores huius saeculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. Jacob vero vir simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur, quia nimirum omnes, qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione atque in conscientiae suae habitatione consistunt. In tabernaculis enim aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, et nequaquam exterius per desideria dissipare, ne dum ad multa foras inhiant, a semetipsis alienatis cogitationibus recedant. Dicat igitur probatus vir, et exercitatus in prosperis: *Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi?* Ut enim supra diximus, sancti viri, cum eis transitoria prosperitas arridet, favorem mundi quasi

nescientes dissimulant, et forti gressu interius hoc unde exterius sublevantur calcant. Silent autem, quia nullis pravae actionis clamoribus perstrepunt. Omnis namque iniquitas habet apud secreta Dei judicia voces suas. Unde scriptum est: *Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est* (**Genes. XVIII, 20**). Quiescunt vero, cum non solum nullo cupiditatum temporalium turbulento appetitu rapiuntur, verum etiam curis praesentis vitae necessariis immoderatus occupari refugiunt.

21. *Justi cur assidue flagella patiantur.*---Sed haec agentes, paterna adhuc flagella sentiunt, ut tanto perfectiores ad haereditatem veniant, quanto eos pie feriens disciplina quotidie etiam de minimis purgat. Justa itaque indesinenter faciunt, sed assidue dura patiuntur, quia saepe ipsa nostra justitia, ad examen divinae justitiae deducta, injustitia est, et sordet in districtione **148** judicis quod in aestimatione fulget operantis. Unde Paulus cum diceret: *Nihil mihi conscius sum*, protinus adjunxit: *Sed non in hoc justificatus sum* (**I Cor. IV, 4**). Qui causam mox cur non sit justificatus insinuans, ait: *Qui autem judicat me, Dominus est*. Ac si diceret: Idcirco in eo quod nihil mihi conscius sum justificatum me abnego, quia ab eo qui me judicat examinari me subtilius scio. [*Vet. VIII.*] Dissimulanda ergo sunt quae exterius favent, reprimenda quae interius perstrepunt, declinanda quae quasi necessaria involvunt; et tamen in his omnibus adhuc districti examinis flagella metuenda, quia et ipsa nostra perfectio culpa non caret, nisi hanc severus iudex in subtili lance examinis misericorditer penset.

[*Rec. IX.*] 22. *Si tot patiantur justi, quae iniquos manent supplicia?*---Bene autem subditur: *Et venit super me*

indignatio. Magna quippe arte doctrinae dicturus verbera praetulit recte facta; ut hinc unusquisque consideret quae peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait: *Tempus est ut iudicium incipiat de domo Dei. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt (I Pet. IV, 17, 18)?* Hinc Paulus, cum multa in Thessalonicensium laudem dixisset, protinus adjunxit: *Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra et fide, in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justii iudicii Dei (II Thess. I, 4).* Ac si diceret: Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quam justii Dei iudicii exempla datis? quia ex vestra poena colligendum est quomodo feriat quibus irascitur, si sic vos affligi patitur, in quibus laetatur; aut quomodo illos percussurus est, quibus justum iudicium exhibet, si etiam vos sic cruciat, quos pie redarguens fovet.

[*Vet. IX, Rec. X.*] 23. *Amicorum Job intentio pia fuit, sed incauta locutio. Quid ipsis agendum erat.*---Prima igitur beati Job locutione terminata, vicissim se amici, qui consolaturi venerant pie ejus increpationi subjiciunt; dumque ad contentionis verba prosiliunt, eam pro qua venerant causam pietatis amittunt. Qui quidem non prava hoc intentione faciunt; sed quamvis affectum percusso exhibeant, percussum tamen nonnisi pro iniquitate crediderunt; dumque intentionem bonam nequaquam locutio cauta subsequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vitium vertitur. Pensandum namque fuerat, cui et quando loquerentur. Justus quippe erat, ad quem venerant, et divinis verberibus cinctus. Ex anteacta ergo ejus vita debuerant ea quae intelligere non valebant illius

verba perpendere; et ex flagellis praesentibus non illum redarguere, sed de sua vita formidare; seque flagellato justo, non quasi ratiocinando erigere, sed flendo sociare; ut nequaquam se eorum scientia per verba ostenderet, sed loqui recte linguam consolantium magister dolor erudiret. Qui etsi qua forsitan diversa sentirent, dignum profecto erat ut haec humiliter dicerent, ne percusso vulnera per immoderata verba cumularent.

24. *Deterioribus saepe displicent dicta vel facta meliorum.*--- Saepe enim, quia intelligi non valent, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum: sed eo ab eis non temere reprehendenda sunt, **149** quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Saepe aliquid a majoribus dispensatorie agitur, quod a minoribus error putatur. Saepe multa a fortibus dicuntur, quae infirmi idcirco dijudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca signavit, quam quia casuram credens Levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit (**II Reg. VI, 7**). [*Vet. X.*] Quid est namque mens justis, nisi arca testamenti? Quae gestata a bobus calcitrantibus inclinatur; quia nonnunquam etiam qui bene praeest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc, quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc, manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans, manum tetendit, sed delinquens vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri quaedam minimis condescendentes dicunt, quaedam

vero summa contemplantes proferunt; dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter haec stulti reprehendunt. Et quid est justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatum arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de incognita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis, erroris lapsum putare? Sed perdit vitam, qui arcam Dei tumide sublevat, quia nequaquam quis sanctorum corrigere recta praesumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde et Levites isdem recte Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur; quia praesumptores quique nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent. Amici igitur Job, dum contra eum quasi in Dei defensionem prosiliunt, divini praecepti regulam superbientes excedunt.

25. Si aliquid in his displicet, non est reticendum, sed magna humilitate promendum.---Cum vero quaedam facta meliorum deterioribus displicent, nequaquam hoc quod mentem movet, reticendum est, sed cum magna humilitate proferendum; quatenus intentio pie sentientis eo vere servet formam rectitudinis, quo per iter graditur humilitatis. Et libere ergo dicenda sunt quae sentimus, et valde humiliter promenda quae dicimus, ne et quae recte intendimus, haec elate proferendo non recta faciamus. Paulus auditoribus suis multa humiliter dixerat; sed de ipsa exhortatione humili placare eos adhuc humiliter satagebat, dicens: *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis (Hebr. XIII, 22).* Ephesiis quoque Mileti valedicens, afflictis ac gementibus, humilitatem suam ad memoriam revocat, dicens: *Vigilate, memoria retinentes*

quoniam per triennium nocte ac die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum (Act. XX, 31). Eisdem rursum per Epistolam dicit: Obsecro vos, fratres, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis (Ephes. IV, 1). Hinc ergo colligat, si quando aliquid recte sentit, quanta 150 humilitate debeat magistro loqui discipulus; si ipse magister gentium in his quae cum auctoritate praedicat, tam submisce discipulos rogat. Hinc unusquisque colligat, eis a quibus bene vivendi exempla percepit, hoc quod bene intelligit, quam humiliter dicat; si Paulus illis humili se voce subdidit, quos ad vitam ipse suscitavit.

26. Humiliter loqui nesciens consolationis regulam ignorat.--
-Eliphaz autem, qui primus amicorum loquitur, quamvis ad consolandum pietate veniat, humilitatem tamen locutionis deserens, regulam consolationis ignorat. Qui dum loquendi custodiam negligit, usque ad afflicti contumelias excedit, dicens: Tigris periit eo quod non haberet praedam. Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonum dissipati sunt (Job. IV, 11). Beatum videlicet Job nomine tigridis, quasi vitio varietatis notans, per leonis rugitum ejusdem viri terrorem, per leaenae vocem loquacitatem conjugis, per dissipatos vero dentes catulorum leonum destructam filiorum edacitatem signans. Unde et bene amicorum sensum, qui in tumida correptione se extulit, sententia divina reprehendit, dicens: Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job (Job. XXXII, 7).

[Vet. XI.] 27. Sententias amicorum Job qua ratione Deus arguat, et Paulus commendat.---Sed quaerendum video cur Paulus illorum sententiis tanta auctoritate utitur, si hae eorum

sententiae Dominica reprehensione cassantur? Eliphaz quippe verba sunt, quae Corinthiis intulit dicens, sicut scriptum est: *Comprehendam sapientes in astutia eorum* (**I Cor. III, 19; Job. V, 13**). Quomodo ergo quasi prava respuimus, quae Paulus ex auctoritate astruit? aut quomodo attestatione Pauli recta putabimus, quae per semetipsum Dominus non recta definivit? Sed utraque haec citius quam non sint diversa cognoscimus, si ejusdem Dominicae sententiae subtilius verba pensemus; quae nimirum cum diceret: *Non estis locuti coram me rectum*, illico adjunxit: *Sicut servus meus Job*. Liquet ergo quia quaedam in eorum dictis recta sunt, sed melioris comparatione superantur. Nam inter alia quae irrationabiliter dicunt, multas ad beatum Job fortes sententias proferunt, sed comparatae dictis fortioribus vim fortitudinis amittunt. Mira autem sunt multa quae dicunt, nisi in sancti viri adversitatem dicerentur. In semetipsis igitur magna sunt, sed quia justum virum transfigere appetunt, ejusdem magnitudinis pondus perdunt; quia et quamlibet forte, frustra jaculum mittitur, ut dura saxa feriantur; eo namque obtusum longius dissilit, quo intortum fortiter venit. Igitur amicorum Job dicta licet in quibusdam valde sint fortia, cum tamen sancti viri fortem vitam feriunt, cunctum sui acuminis mueronem retundunt. Quia ergo et in semetipsis magna sunt, sed contra beatum Job nullo modo assumi debuerunt; et Paulus haec ex virtute pensans, in auctoritate proferat; et judex quia incaute prolata sunt, ex personae qualitate reprehendat.

28. *Illae, ut quaedam habent recta et alia perversa, haereticis congruunt.*---Sed quia eosdem amicos beati Job haereticorum tenere speciem superius diximus, nunc eorum verba quomodo haereticis congruant indagemus. Quedam namque valde

recta sentiunt, sed tamen inter haec ad perversa dilabuntur. Habent **151** quippe hoc haeretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum, si semper recta sentirent, profecto haeretici non fuissent. Sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, et ex malis bona inficiunt, et ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt; sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit; dumque hoc quod dulce est primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque haeretici permiscent recta perversis, ut ostendendo bona, auditores sibi attrahant; et exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant. Aliquando tamen praedicatione sanctae Ecclesiae atque exhortatione correcti, ab hac sensus sui diversitate salvantur. Unde et amici Job reconciliationis suae sacrificium ejusdem sancti viri manibus offerunt, atque ad superni judicis gratiam vel addicti revocantur. Quos bene in Evangelio illa decem leprosum mundatio designat (**Luc. XVII, 15**). In lepra quippe et pars cutis in fulgorem ducitur, et pars in colore sano retinetur. Leprosi itaque haeticos exprimunt, quia dum rectis prava permiscent, colorem sanum maculis aspergunt. Unde et bene ut salventur, clamant, *Jesu praeceptor*. Quia enim in ejus verbis se errasse significant, hunc salvandi humiliter praeceptorem vocant; cumque ad cognitionem praeceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt. Sed quia in amicorum dictis praefationem expositionis paulo longius duximus, ipsa jam eorum verba subtiliter pensemus. Sequitur:

CAPUT XII [*Vet. XII, Rec. XI*].

CAP. IV. VERS. 1, 2.---*Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.*

29. *Haereticorum verba blanda primum, post aspera.*---Jam superius dicta sunt quae his vocabulorum interpretationibus exprimantur. Quia ergo festine ad indiscussa tendimus, prolata replicare devitamus. Hoc itaque est solerter intuendum, quod ii qui haereticorum speciem tenent, loqui molliter inchoant, dicentes: *Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* Exasperare quippe haeretici auditores suos in exordio locutionis suae metuunt, ne vigilanter audiantur, eorumque valde tristitiam declinant, ut negligentiam capiant. Et pene semper blanda sunt quae proponunt; sed aspera quae prosequendo subinferunt. Unde et nunc amici Job a reverentia mansuetae locutionis incipiunt, sed usque ad jacula asperrimae invectionis erumpunt; quia et radices spinarum molles sunt, sed tamen ex ipsa sua mollitie proferunt unde pungunt. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 2.---*Sed conceptum sermonem tenere quis possit?*

30. *Verba prava alii concipiunt et proferunt, alii concepta reprimunt, alii nec concipiunt.*---Tria sunt hominum genera, quae gradatim ductis a se qualitatibus dissident. Sunt namque alii qui et ad loquendum prava concipiunt, a locutione sua

nulla silentii gravitate refrenantur. Et sunt alii qui cum prava concipiunt, magno se silentii vigore restringunt. Et sunt nonnulli qui, virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum, ne in corde quidem perversa concipiant, quae silendo **152** compescant. Eliphaz itaque ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur. Qua in re et illud innotuit, quod se loquendo offensurum novit. Neque enim retinere verba quae non potest vellet, nisi per haec se vulnera inferre praenosceret. Boni enim viri freno consilii retinent praecipitationem verbi, et caute considerant ne relaxantes linguae lasciviam auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* (**Prov. XVII, 14**). Aqua quippe dimittitur, cum linguae fluxus effrenatur. Sed dimissor aquae jurgiorum caput efficitur, quia per linguae incontinentiam, discordiae origo propinatur. Pravi igitur sicut in sensu leves sunt, ita in locutione praecipites, et reticere pertractando negligunt quae loquantur. Sed quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit. Unde nunc Eliphaz ex suo experimento colligit, quod desperate de omnibus sentit, dicens: *Sed conceptum sermonem tenere quis possit?* Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. XII*].

VERS. 3, 4.---*Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti; vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.*

31. *Quantus Job fuerit, cujus laudes nec silere valet qui crimen ingerere conatur.*---Si ipse historiae textus aspicitur, magna est lectoris utilitas, quod ab amicis jurgantibus in beato Job pro laceratione vitiorum, virtutum praeconia proferuntur. Nunquam quippe est tam robustum vitae testimonium, quam cum ille laudanda loquitur, qui ingerere crimen conatur. Pensemus autem cujus celsitudinis iste vir fuerit, qui indoctos docens, lassos roborans, vacillantesque confirmans, inter curas domus, inter multiplicium rerum custodiam, inter affectus pignorum, inter studia tot laborum, erudiendis se caeteris impendit. Et illa quidem occupatus exercuit, sed tamen liber magisterio doctrinae militavit. Temporalia regendo disposuit; aeterna praedicando nuntiavit; vitae rectitudinem et agendo videntibus ostendit, et loquendo audientibus ingessit. [*Vet. XIII.*] Sed sive haeretici, seu perversi quilibet, cum bona justorum referunt, haec in argumentum criminis inflectunt. Inde namque Eliphaz contra beatum Job occasionem objurgationis colligit, unde laudanda narravit. Nam sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 5.---*Nunc autem venit super te plaga, et defecisti; tetigitte, et conturbatus es.*

32. *Perversi bonorum vitam duobus modis impetunt.*---Perversi quique duobus modis bonorum vitam impetunt, quia aut prava eos dicere asserunt, aut recta non servare quae dicunt. Unde et beatus Job inferius ab amicis suis de locutione

reprehenditur; nunc autem recta dixisse, sed haec non servasse laceratur. Ab iniquis ergo modo bonorum locutio, modo actio reprobatur, quatenus aut reprehensa lingua taceat, aut ejusdem linguae suae adjudicata testimonio, in crimine vita succumbat. Et notandum quod prius laudes linguae inferunt, et postmodum de vitae infirmitate conqueruntur. Iniqui etenim, ne publice pravi videantur, loquuntur aliquando bona de justis, quae esse jam cognita et aliis noverunt. Sed sicut praediximus, haec ipsa protinus ad cumulum **153** reatus pertrahunt, et credendum sibi in contrariis, ex eo quod et prospera loquebantur, ostendunt; tantoque mala quasi verius insinuant, quanto et bona quasi devote laudabant. Ad usum ergo intorquent criminis voces favoris, dum justorum vitam inde post gravius vulnerant, unde hanc paulo ante specie tenus defendebant. Saepe autem eorum bona quae prius habita despiciunt, haec postmodum quasi perdita mirantur. Unde et Eliphaz sancti viri virtutes, quia amissas asserit, enumerando subjungit, dicens:

CAPUT XVI [*Rec. XIII*].

VERS. 6.--- *Ubi est timor tuus, fortitudo tua, et patientia tua, et perfectio viarum tuarum?*

33. *Virtutum quatuor gradus.*---Quae nimirum cuncta ei sententiae subrogat, quam praemisit, dicens: *Nunc autem venit super te plaga, et defecisti; tetigit te, et conturbatus es.* Omnia ergo simul interisse asserit, in eo quod beatum Job turbatum flagello reprehendit. Sed intuendum valde est, quia

quamvis inconvenienter increpat, congruenter tamen ordines virtutum narrat. Quatuor quippe gradibus vitam beati Job virtutes enumerando distinxit, dum et timori fortitudinem, et fortitudini patientiam, et patientiae perfectionem junxit. In via etenim Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via saeculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit; et sicut in via saeculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone attestante, qui ait: *In timore Domini fiducia fortitudinis (Prov. XIV, 26)*. Timori quippe Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur, quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori eorundem temporalium veracius per formidinem subdit. Quae in timore Domini constituta, non invenit extra quod metuat, quia dum recto metu conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur. Fortitudo autem nonnisi in adversitate ostenditur, unde et mox post fortitudinem patientia subrogatur. Tanto enim se unusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se convaluit, quem aliena iniquitas sternit. Qui in eo quod ferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suae gladio confossus jacet. Quia vero perfectio de patientia nascitur, statim post patientiam, viarum perfectio subinfertur. [*Vet. XIV.*] Ille enim vere perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens deserit, ipse sibi testis est quod perfecte necdum proficit. Hinc in Evangelio Veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras (Luc. XXI, 19)*. Quid est enim animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur

patientiam tenet, animam possidet; quia inde contra adversa omnia fortis efficitur, unde sibi et semetipsum vincendo dominatur. Et quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit; quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictum parat. Sed quia Eliphaz invehendo corripuit, nunc aliqua velut exhortando subjungit, dicens:

CAPUT XVII [*Rec. XIV*].

VERS. 7.---*Recordare, obsecro, quis unquam innocens perit? aut quando recti deleti sunt?*

154 34. *Saepe innocentes hic perire et deleri, rectos.*--- Sive haeretici, quorum amicos beati Job tenere speciem diximus, sive perversi quilibet, quam inordinate redarguunt, tam reprehensibiliter exhortantur. Ait namque: *Quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* Saepe quippe hic et innocentes pereunt, et recti funditus delentur; sed tamen ad aeternam gloriam pereundo servantur. Si enim nullus innocens periret, Propheta non diceret: *Justus periit, et nemo est qui recogitet (Isai. LVII, 1)*. Si rectos Deus providendo non raperet, nequaquam de justo Sapia dixeret: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus (Sap. IV, 11)*. Si justos animadversio nulla percuteret, Petrus minime praenuntiaret, dicens: *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei (I Pet. IV, 17)*. Illi ergo veraciter recti sunt, qui amore supernae patriae ad cuncta praesentis vitae adversa praeparantur. Nam qui pro aeternis bonis mala hic perpeti metuunt, videlicet recti non sunt. Sed Eliphaz vel deleri rectos, vel innocentes hic

perire non aestimat, quia saepe hi qui non spe coelestis gloriae, sed pro terrena Deo retributione deserviunt, ipsi sibimet fingunt quod quaerunt; et docere praesumentes, cum terrenam securitatem praedicant, cunctis suis laboribus ostendunt quid amant. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Vet. et Rec. XV*].

VERS. 8, 9.---*Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo perisse, et spiritu irae ejus esse consumptos.*

35. *Dolores seminant ac metunt. Cur malos Deus aliquando toleret, aliquando statim feriat.*---Dolores seminare, est fraudulenta dicere; dolores autem metere, est dicendo praevalere. Vel certe dolores seminant, qui perversa agunt; dolores metunt, cum de eadem perversitate puniuntur. Fructus quippe doloris est retributio damnationis. Sed cum protinus subinfertur quia qui dolores seminant et metunt, flante Deo pereunt, et irae ejus spiritu consumuntur, hoc loco doloris messio, non jam poena, sed adhuc perfectio iniquitatis ostenditur, quia ex divinae irae spiritu, ejusdem messiois poena subrogatur. Seminant ergo hic dolores et metunt, quia iniqua sunt quae faciunt, et in ipsa iniquitate prosperantur; sicut de iniquo per Psalmistam dicitur: *Polluuntur viae ejus in omni tempore; auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur* (**Psal. X, 5, sec. Heb.**). De quo paulo post subditur: *Sub lingua ejus labor et dolor* (**Ibid., 7**). Dolores itaque seminat, cum perversa agit; dolores metit,

cum ex eisdem perversitatibus temporaliter excrescit. Quomodo ergo flante Deo pereunt, qui plerumque diu hic subsistere, et justis felicius, permittuntur? Hinc namque de illis iterum per Psalmistam dicitur: *In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (Psal. LXXII, 5). Hinc Jeremias ait: *Quare via impiorum prosperatur* (Jerem. XII, 1). Quia enim, sicut scriptum est, *Dominus patiens redditor est* (Eccli. V, 4), saepe diu tolerat quos in perpetuum damnat; nonnunquam vero concite percutit, qui pusillanimitati innocentium consolando concurrit. Aliquando ergo omnipotens Deus diu praevalere iniquos patitur, ut justorum mundius vita purgetur. Aliquando vero injustos celeriter trucidat, eorumque interitu innocentium corda confirmat. Si enim nunc omnes male agentes percuteret, extremum jam judicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis Deum res humanas curare credidisset? Nonnunquam ergo **155** iniquos ferit, ut ostendat quia inulta mala non deserit. Nonnunquam vero iniquos diu tolerat, ut considerantibus insinuet, ad quod eos judicium reservet.

36. *Iniquos deleri quo sensu falsum, quo verum.*---Haec itaque sententia deletionis iniquorum, si non cum fine praesentis saeculi de cunctis generaliter dicitur, ex magna parte procul dubio veritatis virtute evacuatur. Sed tunc vera erit, cum jam iniquitatis dilatio non erit. Quae hoc fortasse modo intelligi rectius potest, quoniam nec innocens perit, nec rectus deletur; quia etsi carne hic atteritur, in conspectu aeterni judicis vera salute reparatur. Et qui seminant dolores et metunt, flante Deo pereunt; quia quanto hic altius perverse agendo proficiunt, tanto durius subsequenti damnatione

feriuntur. Sed cum eidem sententiae praemittitur, *Recordare*, videlicet patet quia transacta res ad mentem reducitur, non autem futura nuntiatur. Tunc ergo Eliphaz verius diceret, si haec de iniquis generaliter fieri extrema animadversione credidisset.

37. Flare Deus apte dicitur, cum vindictam retribuit. Tunc qui in se tranquillus, pereuntibus videtur turbulentus.---Sed hoc quod flare Deus dicitur, urget ut subtilius discernatur. Nos quippe cum flamus, aerem ab exterioribus introrsus trahimus, et introrsus tractum hunc exterius reddimus. Flare ergo Deus in vindictae retributione dicitur, quia ab exterioribus causis introrsus iudicii consilium concipit, et ab interno consilio extrorsus sententiam emittit. Quasi flante Deo, ab exterioribus aliquid introrsus trahitur, quando foras mala nostra conspicit, et intus iudicium disponit. Et rursum, quasi flante Deo, ab interioribus spiritus extrorsus emittitur, quando ab interno conceptu consilii, exterius iudicium damnationis infertur. Bene itaque dicitur quod qui dolores seminant, flante Deo pereunt; quia unde foris perversa faciunt, inde ab intimis recte feriuntur. Vel certe cum flare Deus dicitur, quia et statim irae ejus spiritus subinfertur, appellatione flatus illius potest ipsa ejus animadversio designari. Nos quippe cum irascimur, flatu furoris inflammamur. Ut ergo vindictam cogitans Dominus demonstretur, flare irascendo dicitur; non quo ipse in natura sua mutabilitatis vicissitudinem recipiat, sed quo post longam patientiam, quando vindictam peccatoris exsequitur, is qui in semetipso tranquillus est, pereuntibus turbulentus videtur. Mens quippe reprobata, quia adversum suis actibus iudicem conspicit, quasi commotus ei ostenditur, quia in conspectu illius suo reatu ipsa turbatur. Sed postquam quasi

clementer admonuit, aperte increpationis verba subjungit, dicens:

CAPUT XIX.

VERS. 10.---*Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonum contriti sunt.*

38. *Dura in Job Eliphaz verba.*---Quid enim rugitum leonis appellat, nisi, ut paulo ante praemisimus, severitatem viri? quid vocem leaenae, nisi loquacitatem conjugis? quid dentes catulorum leonum, nisi edacitatem prolis? Quia enim filii convivantes extincti sunt, dentium expressione signantur. Quae cuncta dum contrita Eliphaz rigidus exsultat, quasi jure damnata denuntiat. Cujus adhuc duritiam increpationis ingeminat, cum subjungit:

CAPUT XX [*Vet. et Rect. XVI*].

VERS. 11.---*Tigris periit, eo quod non haberet praedam, et 156 catuli leonum dissipati sunt.*

39. *Tigris varia ac rapax hypocritas apte significat.*---Quem enim nomine tigridis, nisi beatum Job nota varietatis signat, vel aspersum maculis simulationis? Omnis namque simulator in eo quod videri rectus appetit, mundum se per omnia non ostendit; quia dum virtutes quasdam per hypocrisin assumit, et occulte semetipsum vitiis subjicit, quaedam latentia vitia

repente in faciem erumpunt, et superductae simulationis, quasi visionis corium, ex admistione sua varium ostendunt; ut plerumque sit mirum cur homo, qui tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sed nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum mundus color de simulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Saepe enim dum de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiae foedatur. Saepe dum virtute largitatis speciosus ostenditur, luxuriae maculis inquinatur. Saepe dum castitatis atque largitatis decore vestitur, velut ex zelo justitiae, crudelitatis atrocitate fuscatur. Saepe largitate, castitate, pietate ex pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbiae notatur. Sicque fit ut intermistis vitiis dum mundam in se speciem hypocrita non ostendit, quasi unum colorem tigris habere nequaquam possit. Quae videlicet tigris rapit praedam, quia humani sibi favoris usurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quasi praeda satiatur. Bene autem hypocritarum laus praeda dicitur. Praeda quippe est, cum aliena violenter auferuntur. Omnis autem hypocrita, quia vitam justitiae simulans, justorum sibi laudem arripit, alienum profecto est quod tollit. Eliphaz itaque, quia beatum Job incolumitatis suae tempore laudanda egisse cognovit, percussione subsequente, haec illum tenuisse per hypocrisin credidit, dicens: *Tigris periit, eo quod non haberet praedam*. Ac si aperte dicat: Varietas tuae simulationis extincta est, quia et adulatio laudis ablata est; et jam tua hypocrisis praedam non habet, quia percussa divinitus, humanis favoribus caret.

40. *Myrmicoleon eos adumbrat qui timidi in fortiores, audaces in parvos sunt.*---Translatione autem Septuaginta

interpretum nequaquam tigris dicitur, sed, Myrmicoleon periit, eo quod non haberet praedam. Myrmicoleon quippe parvum valde est animal, formicis adversum, quod se sub pulvere abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit. Myrmicoleon autem Latine dicitur, vel formicarum leo, vel certe expressius formica pariter et leo. Recte autem formica et leo nominatur, quia sive volatilibus, seu quibuslibet aliis minutis animalibus formica est, ipsis autem formicis leo. Has enim quasi leo devorat, sed ab illis quasi formica devoratur. Cum igitur Eliphaz dicit: *Myrmicoleon periit*, quid in beato Job sub myrmicoleontis nomine, nisi pavorem et audaciam reprehendit? Ac si ei aperte dicat: Non injuste percussus es, quia contra erectos timidus, contra subditos audax fuisti. Ac si aperte dicat: Contra astutos te formido pressit, contra simplices temeritas inflavit. Sed praedam jam myrmicoleon non habet, quia timida tua elatio dum verberibus premitur, ab aliena laesione **157** prohibetur. Sed quia amicos beati Job haereticorum tenere speciem diximus, urget necessario, ut haec eadem Eliphaz verba quomodo etiam typice sentienda sint intinemus.

CAPUT XXI [*Rec. XVII*].

VERS. 10.---*Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonum contriti sunt.*

SENSUS ALLEGORICUS.---41. *Eadem re in Scripturis figurantur diversa.*---Quia natura uniuscujusque rei ex diversitate componitur, in sacro eloquio per rem quamlibet licite diversa figurantur. Habet quippe leo virtutem, habet et saevitiam. Virtute ergo Dominum, saevitia diabolum signat. Hinc enim de Domino dicitur: *Vicit leo de tribu Juda, radix David* (**Apoc. V, 5**). Hinc de diabolo scriptum est: *Adversarius vester diabolus, sicut leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* (**I Pet. V, 8**). Leaenae autem nomine aliquando sancta Ecclesia, aliquando Babylonia designatur. Pro eo enim quod contra adversa audax est, leaena Ecclesia dicitur; sicut ejusdem beati Job vocibus approbatur, qui derelictam ab Ecclesia Judaeam indicans, ait: *Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leaena* (**Job. XXVIII, 8**). Aliquando vero leaenae nomine hujus mundi civitas, id est Babylonia, exprimitur, quae contra vitam innocentium immanitate crudelitatis efferatur, quae antiquo hosti, quasi saevissimo leoni sociata, perversae persuasionis ejus semina concipit, et reprobos ex se filios ad similitudinem illius, quasi crudeles catulos gignit. Catuli autem leonum sunt quilibet reprobis, ad iniquam vitam, malignorum spirituum errore generati: qui et simul omnes universam mundi civitatem, quam praediximus, Babyloniam faciunt, et tamen iidem singuli Babyloniae filii, quasi non leaena, sed leaenae catuli vocantur. Sicut enim Sion tota simul Ecclesia dicitur, filii autem Sion sanctorum quique singuli memorantur, ita et filii Babyloniae singuli quique reproborum, et eadem Babylonia simul omnes reprobis vocantur.

[Vet. XVII.] 42. *Sancti tentationes metuunt; haeretici de sua sanctitate securi contemnunt.*---Sed sancti viri quandiu in hac vita sunt, semetipsos sollicita circumspectione custodiunt, ne leo circuiens insidiando subripiat, id est, antiquus hostis sub aliqua imagine virtutis occidat; ne leaenae vox auribus obstrepat, id est, ne Babyloniae gloria sensum ab amore patriae coelestis avertat; ne catulorum leonum dentes mordeant, id est, ne reproborum persuasio in corde conualescat. At contra haeretici jam quasi de sanctitate securi sunt, quia vitae suae meritis cuncta se superasse suspicantur. Unde et nunc dicitur: *Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonum contriti sunt.* Ac si aperte diceretur: Nos ideo nullis flagellis atterimur, quia et virtutem antiqui hostis, et cupiditatem terrenae gloriae, et persuasiones reproborum omnium vitae meritis superando calcamus. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXII.

VERS. 11.---*Tigris periit, eo quod non haberet praedam, et catuli leonum dissipati sunt.*

43. *Satan et leo recte vocatur, et tigris et myrmicoleon. Haeretici quasi de victo Satana gloriantur.*---Hunc vocabulo tigridis repetit quem leonis appellatione signavit. Satan quippe et propter crudelitatem leo dicitur, et propter multiformis astutiae varietatem non incongrue tigris vocatur. Modo enim se sicut est perditus humanis sensibus objicit, modo quasi angelum lucis ostendit. Modo stultorum mentes

blandiendo persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit. Modo suadere **158** vitia aperte nititur, modo in suis suggestionibus sub virtutis specie palliatur. Haec itaque bellua, quae tanta varietate respergitur, jure tigris vocatur, quae apud Septuaginta interpretes, ut praefati sumus, myrmicoleon dicitur. Quod videlicet animal absconsum pulvere, formicas, ut diximus, frumenta gestantes interficit; quia nimirum apostata angelus in terram de coelis projectus, justorum mentes, quae bonorum sibi operum refectionem praeparant, in ipso actionis itinere obsidet; cumque eas per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improvisus necat. Recte autem myrmicoleon, id est, leo et formica dicitur, Formicis enim, ut diximus, leo est, volatilibus formica, quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus praebetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica; quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant. Haeretici igitur, quia de sanctitatis praesumptione superbiunt, quasi exsultantes dicunt: *Myrmicoleon*, vel certe *tigris*, *periiit, eo quod non haberet praedam*. Ac si aperte dicant: Vetustus adversarius in nobis praedam non habet, quia quantum ad nostra studia jam victus jacet. Idcirco autem myrmicoleontis appellatione vel tigridis repetitur, qui jam contrito leonis rugitu fuerat designatus, quia quidquid per gaudium dicitur, saepe replicatur. Voces quippe ingeminat animus cum exsultat. Unde et veraci laetitia Psalmista crebro repetit hoc, quod se exauditum esse cognovit, dicens: *Exaudivit Dominus vocem*

fletus mei; exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam assumpsit (Psal. VI, 9, 10).

[*Vet. XVIII.*] 44. *Sancti de domitis vitiis cum timore gaudent. Hypocritae vel uno superato se perfectos putant.*---Sed sancti viri cum de quibusdam se vitiis ereptos hilarescunt, magno se metu etiam in ipsa exultatione concutiunt; quia etsi jam de cujuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse se tamen adhuc in incerti maris dubiis fluctibus sciunt: et sic spe exsultant, ut pavore trepident; sic pavore trepidant, ut spei fiducia exsultent. Unde per eundem Psalmistam dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore (Psal. II, 11).* At contra, qui de specie sanctitatis intumescunt, cum unum quodlibet vitium superant, mox mentem in superbiam erigunt, et quasi de vitae suae perfectione gloriantur; et pro eo quod fortasse semel a periculo tempestatis erepti sunt, jam quia in mari navigent, obliviscuntur: magnos se in omnibus aestimant, et vicisse se antiquum adversarium funditus putant; infra se cunctos respiciunt, quia se per sapientiam transcendere omnes arbitrantur. Unde subditur:

CAPUT XXIII [*Rec. XVIII*].

VERS. 12.---*Porro ad me dictum est verbum absconditum.*

45. *Haeretici novum et occultam doctrinam affectant, cur.*---Verbum absconditum haeretici audire se simulant, ut auditorum mentibus quamdam praedicationis suae reverentiam obducant. Unde et latenter praedicant, quatenus

eorum praedicatio tanto sancta, quanto et occulta videatur. Communem autem scientiam habere refugiunt, ne caeteris aequales aestimentur; et quaedam nova semper exquirunt, quae dum alii nesciunt, apud imperitorum **159** mentes ipsi de scientiae singularitate gloriantur. Quam, ut diximus, occultam insinuant, quia scilicet ut miram ostendere valeant, hanc se latenter percepisse confirmant. Unde apud Salomonem haereticorum speciem mulier tenens, dicit: *Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (**Prov. IX, 17**). Unde hic quoque subditur: *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii ejus*. Furtive susurrii venas percipiunt, quia socialis scientiae gratiam deserentes, ad hanc nequaquam per ostium ingrediuntur, Domino attestante, qui ait: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (**Joan. X, 1, 2**). Venas itaque divini susurrii furtive suscipit, qui ad percipiendam virtutis ejus notitiam, deserto publicae praedicationis ostio, pravae intelligentiae rimas quaerit. Quia vero fur et latro, qui intrat aliunde, et tenebras diligit, et claritatem luminis perhorrescit, recte subjungitur:

CAPUT XXIV [*Vet. XIX*].

VERS. 13.---*In horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines.*

46. *Ut alta esse ostendant quae docent, ea se vix capere declarant. Modo de sapientiae singularitate extolluntur.*---Saepe haeretici dum altiora dicere conantur, ipsi sibi testes sunt quia quae proferunt, vera non sunt. In nocturna quippe

visione dubie cernitur. Rimas ergo susurrii in pavore nocturnae visionis se percepisse asserunt, quia ut quae docent alta aliis ostendant, vix ea se capere posse denuntiant. Sed hinc colligendum est quomodo audientibus certa esse poterunt, quae ipsi dubie videntur. Miro ergo ordine cum alta loquentes profluunt, in patefactione stultitiae, ipsis suae altitudinis vocibus ligantur. Quantum vero de singularitate sapientiae eleventur, ostenditur cum protinus subdit: *Quando solet sopor occupare homines*. Ac si aperte ab haereticis diceretur: Cum homines inferius dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus, quia ea nobis nota sunt, ad quae videlicet cognoscenda caeterorum hominum corda torpentia non assurgunt. Ac si apertius dicant: In quibus intelligentia nostra se erigit, reliquorum hominum sensus dormit. Nonnunquam vero cum hoc despici ab auditore conspiciunt, semetipsos simulant timere quod dicunt. Unde subditur:

CAPUT XXV.

VERS. 14.---*Pavor tenuit me et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.*

47. *Modo pavidos se simulant.*---Quia enim de doctrinae suae altitudine miri videri appetunt, quasi pertimescunt quae fingunt; et cum minoris laboris sit audire quam dicere, ad ea proferenda audaces sunt, quae scilicet astruunt quia ipsi vix audire potuerunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXVI.

VERS. 15, 16.---*Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae; stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum.*

48. *Modo fingunt in se incomprehensibilia novisse.*--- Ut incomprehensibilia se cognovisse indicent, non stetisse, sed transisse coram se spiritum narrant; et vultum se vidisse incognitum simulant, ut esse se ei cognitos qui ab humana mente cognosci non valet ostendant. Ubi adhuc subditur:

CAPUT XXVII.

VERS. 16.---*Imago coram oculis meis, et vocem quasi aurae lenis audiui.*

49. *Deum intueri spiritaliter nequeunt, neque tamen semper errant. Quaedam vera et sublimia loquuntur.*---Saepe haeretici Deum sibi imaginaliter fingunt quem intueri spiritaliter nequeunt; ejusque **160** vocem quasi aurae lenis audire se perhibent, quia ad secreta illius cognoscenda, quasi esse se caeteris familiariores gaudent. Non enim ea docent quae Deus publice loquitur, sed quae eorum auri quasi latenter aspirantur. Haec igitur diximus, ut quid sub haeticorum specie in Eliphaz sermonibus sentiendum sit intimenius. Sed qui amici beati Job tanti viri amici non essent, nisi manifeste aliquid ex veritate didicissent, quia quamvis in sententiis correctionis errant, in veritatis tamen cognitione non in toto titubant: haec eadem paulo superius verba replicemus, ut

subtilius discernamus quomodo ea quae de perceptione veritatis dicuntur, a recte sentientibus proferri veraciter possint. [*Vet. XX.*] Nonnunquam vero haeretici vera quaedam et sublimia loquuntur, non quod haec divinitus ipsi percipiunt, sed quod ex sanctae Ecclesiae contentione didicerunt; neque haec ad profectum conscientiae, sed ad scientiae ostentationem trahunt. Unde fit plerumque ut alta sciendo dicant, sed vivendo quae dicunt nesciant. Sive igitur ex haeticorum specie, videlicet non vitam scientiae, sed verba tenentium, seu certe ex persona amicorum beati Job, qui de cognitione veritatis potuerunt procul dubio percipiendo experiri, quod studuerunt docendo eloqui, haec eadem quae transcurrimus, subtilius dicta disseramus; ut dum sollicite Eliphaz sermo discutitur, quantae scientiae fuerit, demonstretur; quamvis in eadem scientia humilitatem non tenuit, qui commune bonum sibi specialiter arrogavit. Ait namque:

CAPUT XXVIII [*Rec. XIX*].

VERS. 12.---*Porro ad me dictum est verbum absconditum.*

ALLEGORICUS SENSUS.---50. *Verbum absconditum, Dei Filius, vel Spiritus sancti locutio. Haec a paucis percipitur. Sentiri potest, non exprimi.*---Verbum quippe absconditum, invisibilis Filius vocatur, de quo Joannes ait: *In principio erat Verbum.* Quod ipse quoque absconditum insinuat, dum subjungit: *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Sed hoc verbum absconditum electorum

mentibus dicitur, cum potestas unigeniti Filii credentibus manifestatur. Potest etiam per verbum absconditum, allocutio intimae aspirationis intelligi; de qua Joannes dicit: *Unctio ejus docet vos de omnibus (I Joan. II, 27)*. Quae nimirum aspiratio humanam mentem contingendo sublevat, et temporales cogitationes deprimens, aeternis hanc desideriis inflamat, ut nihil ei jam, nisi quae superna sunt, libeat, et cuncta quae inferius de humana perstrepunt corruptione contemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere. Quae profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest. Unde et Veritatis voce de hac abscondita locutione dicitur: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere (Joan. XIV, 16)*. Sicut enim isdem Paraclitus post Mediatoris ascensum, alius humani generis consolator, in semetipso invisibilis est; ita omnem, quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Saeculares etenim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant. Et quoniam valde in **161** humano genere pauci sunt, qui a desideriorum temporalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatentur, verbum hoc absconditum dicitur, quia illud a quibusdam procul dubio in corde percipitur, quod a maxima hominum parte nescitur. Vel certe haec ipsa afflatio sancti Spiritus absconditum verbum est, quia sentiri potest, sed strepitu locutionis exprimi non potest. Cum igitur divina aspiratio sine strepitu mentem sublevat, verbum absconditum auditur, quia sermo Spiritus in aure cordis silenter sonat. Unde et subditur:

CAPUT XXIX [*Rec. XX*].

IBID.---*Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii ejus.*

51. *Mentem quaerit a visibilibus abstractam. Quam variis modis eam alloquatur.*---Venas susurrii superni auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimae afflata mens et raptim et occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat. Et occultatur ut audiat, et audit ut occultetur; quia et subtracta a visibilibus, invisibilia conspicit, et repleta invisibilibus, visibilia perfecte contemnit. Notandum vero quod non ait: *Quasi furtive suscepit auris mea susurrium ejus*; sed *venas susurrii ejus*. Susurrium quippe occulti verbi, est haec ipsa locutio aspirationis internae. Venae autem susurrii dicuntur causarum origines, quibus haec ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venas susurrii sui aperit, cum nobis Deus latenter insinuat, quibus modis ad nostrae intelligentiae aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit; aliquando praesentia quam nulla sint ostendit, et ad aeterna diligenda desiderium erigit; aliquando prius aeterna indicat, ut post temporalia vilescent. Aliquando nostra nobis mala aperit, et ad hoc nos usque, ut alienis etiam malis doleamus, extendit. Aliquando mala aliena nostris obtutibus objicit, et compunctos mirabiliter a nostra pravitate nos corrigit. Venas itaque divini susurrii furtive audire, est occultos divinae aspirationis modos tenuiter et latenter agnoscere.

52. *Susurrat nobis Deus, quia non se plene manifestum facit. Per creata opera velut per quasdam rimas se admirandum praebet.*---Quamvis adhuc vel susurrium, vel venas susurrii intelligere aliter valemus. Qui enim susurrat, occulte loquitur, et vocem non exprimit, sed imitatur. Nos igitur quousque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem divinae potentiae, sicut in se incommutabilis manet, videmus: quia acies infirmitatis nostrae non sustinet hoc quod de ejus aeternitatis radio super nos intolerabiliter fulget. Cum ergo se nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur, sed susurrat, quia etsi se plene non intimat, quiddam tamen de se humanae menti manifestat. Tunc autem nequaquam jam susurrat, sed loquitur, cum ejus nobis species certa revelatur. Hinc est enim quod in Evangelio Veritas dicit: *Palam de Patre annuntiabo vobis* (**Joan. XVI, 26**). Hinc Joannes ait: *Videbimus eum sicuti est* (**I Joan. III, 2**). Hinc Paulus dicit: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (**I Cor. XIII, 12**). Nunc autem divinum susurrium tot ad nos venas habet, quot creatis operibus ipsa divinitas praesidet. Dum enim quae sunt cuncta creata cernimus, in creatoris admiratione sublevamur. Nam sicut aqua leniter fluens, rimata per venas quaeritur, ut augeatur, tantoque se vastius fundit, quanto venas apertiores invenerit; ita nos dum studiose divinitatis **162** notitiam ex creaturae ejus consideratione colligimus, quasi susurrii illius ad nos venas aperimus; quia per hoc quod factum cernimus, virtutem factoris admiramur; et per ea quae sunt in publico, illud ad nos emanat, quod latet in occulto. Quasi enim per quemdam ad nos sonitum erumpit, dum considerata nobis sua opera ostendit, in quo semetipsum utcunque indicat, dum quam sit incomprehensibilis manifestat. Quia igitur considerare eum

digne non possumus, non ejus vocem, sed vix susurrium audimus. Plene enim quia perpendere neque ipsa quae sunt creata sufficimus, recte dicitur: *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurrii ejus*. Projecti quippe a paradisi gaudiis, et caecitatis poena multati, vix susurrii venas apprehendimus, quia ipse quoque mira ejus opera raptim tenuiterque pensamus. [*Vet. XXI*] Sciendum vero est, quia quanto virtutem illius mens sublevata considerat, tanto ejus rectitudinem repressa formidat. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXX [*Rec. XXI*].

VERS. 13.---*In horrore visionis nocturnae.*

53. *Mens eo amplius de suis factis trepidat, quo altius in Deum elevatur. Hinc Deum magis metuit et diligit.*---Horror nocturnae visionis, est pavor occultae contemplationis. Humana etenim mens quo altius elevata, quae sint aeterna considerat, eo de factis temporalibus gravius tremefacta formidat; quia tanto se ream verius cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse quod super se intermicat conspicit; sicque fit ut illuminata plus metuat, quia magis aspicit a veritatis regula per quanta discordat; eamque gravi formidine suus ipse profectus quatit, quae prius quasi securius nihil videbat. Quamvis quantalibet virtute profecerit, non jam manifestum aliquid de aeternitate comprehendit, sed adhuc sub cujusdam caligine imaginationis conspicit. Unde et haec eadem, nocturna visio dicitur. In nocte quippe, sicut et superius diximus, dubie; in die autem constanter videmus. Quia igitur

ad contemplandum interni solis radium, nubes sese nostrae corruptionis interserit, nec ad infirmos nostrae mentis oculos illud, sicut est, incommutabile lumen erumpit; adhuc Deum quasi in nocturna visione cernimus, cum procul dubio sub incerta contemplatione caligamus. Sed quamvis extremum de illo aliquid mens conceperit, in consideratione tamen ejus magnitudinis inhorrescit, et magis metuit, quia ipsis contemplationis ejus vestigiis se imparem sentit, atque ad se relapsa, eum arctius diligit, cujus miram dulcedinem ferre non valens, vix hanc sub incerta visione gustavit. Sed quia ad hujus sublevationis culmen minime pertingitur, nisi prius desideriorum carnalium importune perstrepens turba reprimatur, recte subjungitur:

CAPUT XXXI [*Rec. XXII*].

IBID.---*Quando solet sopor occupare homines.*

54. *Ad contemplationem non pervenitur nisi sopitis carnalibus desideriis. Somnus tribus modis accipitur.*--- Quisquis ea quae mundi sunt agere appetit, quasi vigilat; quisquis vero internam quietem quaerens, hujus mundi strepitum fugit, velut obdormiscit. Sed prius sciendum est quia in Scriptura sacra figurate positus tribus modis somnus accipitur. Aliquando enim somno mors carnis, aliquando torpor negligentiae, aliquando vero exprimitur, calcatis terrenis desideriis, quies vitae. Somni namque vel dormitionis nomine carnis mors intimatur, sicut Paulus ait: *Nolo vos ignorare fratres de dormientibus.* Et paulo post: *Ita et Deus*

eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo (I Thess. IV, 12). Somno **163** rursum torpor negligentiae designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur: *Hora est jam nos de somno surgere (Rom. XIII, 11).* Et rursum: *Evigilate, justi, et nolite peccare (I Cor. XV, 34).* Somno quoque calcatis carnis desideriis quies vitae figuratur, sicut sponsae voce in canticorum Cantico dicitur: *Ego dormio, et cor meum vigilat (Cant. V, 2);* quia videlicet sancta mens quo se ab strepitu temporalis concupiscentiae comprimit, eo verius interna cognoscit; et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Jacob in itinere dormientem figuratur (**Genes. XXVIII, 11**), qui ad caput lapidem posuit, et obdormivit: a terra scalam coelo inhaerentem, innixum scalae Dominum, ascendentes quoque et descendentes angelos vidit. In itinere quippe dormire, est in hoc praesentis vitae transitu a rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere: quos primis hominibus seductor aperuit, qui dixit: *Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri (Genes. III, 5, 6).* Unde et paulo post subditur: *Tulit de fructu illius, et comedit; deditque viro suo, qui comedit, et aperti sunt oculi amborum.* Culpa quippe oculos concupiscentiae aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos vero ascendentes et descendentes cernere, est cives supernae patriae contemplari, vel quanto amore auctori suo super semetipsos inhaereant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendant.

55. Ad contemplationem non sufficit a mundi actionibus quiescere, nisi et virtutes exerceantur.---Et notandum valde

est quod ille dormiens angelos conspicit, qui in lapide caput ponit; quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intentamente, quae principale est [*Graece*, τὸ ἡγεμονικὸν] hominis, imitationem sui redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhaerere. Qui enim a praesentis vitae actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt, sed videre angelos nequeunt; quia caput in lapide tenere contemnunt. [*Vet. XXII.*] Sunt namque nonnulli qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore, non studio dormiunt; et idcirco interna non conspiciunt, quia caput non in lapide sed in terra posuerunt. Quibus plerumque contingit ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius in se immundae cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judaeae specie per Prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* (**Thren. I, 7**). Praecepto etenim legis ab exteriori opere in sabbato cessatur. Hostes ergo sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt; ut unaquaeque anima quo remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem viri, qui a mundi operibus non torpore, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones hujus saeculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio ad desideria immunda frigescat, ne in ipsis bonis desideriis plus justo inferveat, ne sub **164** discretionis specie sibimet parcendo, a perfectione languescat. Agit haec, et ab hujus mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahit,

ac terrenarum actionum strepitum deserit, et per quietis studium virtutibus intenta, vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his quae exterius implicant studiose subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit: *Nemo potest duobus dominis servire* (**Matth. VI, 24**). Hinc Paulus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (**II Tim. II, 4**). Hinc per Prophetam Dominus admonens dicit: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus* (**Psal. XLV, 11**). Quia igitur nequaquam notitia interna conspicitur, nisi ab externa implicatione cessetur, recte nunc verbi absconditi et divini susurrii tempus exprimitur, cum dicitur: *in horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines*, quia nimirum mens nostra nullo modo ad vim intimae contemplationis rapitur, nisi studiose prius a terrenorum desideriorum tumultu sopiatur. Sed humanus animus quadam suae contemplationis machina sublevatus, quo super se altiora conspicit, eo in semetipso terribilius contremiscit. Unde et apte subditur:

CAPUT XXXII [*Rec. XXIII*].

VERS. 14.---*Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.*

56. *Quo altius Dei rectitudinem contemplamur, eo de nostra magis formidamus.*---Quid per ossa, nisi fortia acta signantur? De quibus et per Prophetam dicitur: *Dominus custodit omnia ossa eorum* (**Psal. XXXIII, 21**). Et saepe ea quae agunt

homines, esse alicujus momenti aestimant, quia distractionis intimae quam sit subtile iudicium ignorant. Sed cum per contemplationem rapti superna conspiciunt, ab ipsa aliquo modo praesumptionis suae securitate liquefiunt; et tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine, quem conspiciunt, pensant. Hinc est etenim quod is qui fortia operando profecerat, per spiritum sublevatus clamabat: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi (Psalm. XXXIV, 10)?* Ac si diceret: Carnes meae verba non habent, quia infirma mea apud te funditus silent; ossa autem mea tuae magnitudinis laudem dicunt, quia ipsa quoque, quae esse in me fortia credidi, tua consideratione contremiscunt. Hinc est quod Manue, viso angelo pertimescens, dicit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum (Jud. XIII, 22).* Quem uxor protinus consolatur, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset (Ibid., 23).* Quid est autem quod ad visionem angeli vir fit timidus, et mulier audax, nisi quod nobis quoties coelestia demonstrantur, spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes praesumit? Inde namque spes ad majora audenda sese erigit, unde turbatur spiritus, quia ea quae superna sunt, prior videt. [*Vet. XXIII.*] Quia igitur cum altiora secretorum coelestium sublevata mens conspicit, cuncta humanarum virium soliditas contremiscit, recte nunc dicitur: *Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.* Ac si aperte diceretur: Subtilitatis intimae arcana percipiens, unde me apud me fortem credidi, ante conspectum iudicis inde titubavi. Distractionem quippe divinae justitiae contemplantes, etiam de ipsis operibus jure pertimescimus, quae nos fortia egisse putabamus. Ducta namque ad internam regulam nostra

rectitudo, si **165** districtum iudicium invenit, multis tortitudinum suarum sinibus in intimam rectitudinem impingit. Unde bene Paulus cum et virtutum ossa habere se cerneret, et tamen sub districto examine haec eadem ejus ossa trepidarent, ait: *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum judico; nihil enim mihi conscius sum (I Cor. IV, 3).* Sed quia auditis venis divini susurrii, haec eadem ejus ossa contremuerunt, illico adjunxit: *Sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Ac si diceret: recta egisse me recolo, et tamen de meritis non praesumo, quia ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo nostrae fortitudinis et ossa turbantur.

57. Contemplationis gratia non est diuturna.---Sed cum mens in contemplatione suspenditur, cum carnis angustias superans, per speculationis vim de libertate aliquid intimae securitatis rimatur, stare diu super semetipsam non potest; quia etsi hanc spiritus ad summa evehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suae pondere deorsum premit. Unde et subditur:

CAPUT XXXIII.

VERS. 15.---*Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae.*

58. Invisibilia quidem cognoscimus, sed raptim.---Nobis praesentibus spiritus transit, quando invisibilia cognoscimus, et tamen haec non solide, sed raptim videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimae diu mens figitur, quia ad semetipsam ipsa immensitate luminis reverberata revocatur.

Cumque internam dulcedinem degustat, amore aestuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suae tenebras fracta relabitur; et magna virtute proficiens, videt quia videre non possit hoc quod ardentem diligit, nec tamen ardentem diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio et inhiantibus aperit, et mox infirmantibus abscondit. Et quia in hac vita quantalibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis suae stimulum sentit: *Corpus quippe, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (**Sap. IX, 15**), recte subditur: *Inhorruerunt pili carnis meae*.

[*Rec. XXIV.*] 59. *Nemo hic ita perfectus, cui non nascatur semper quod resecetur*.---Pili etenim carnis sunt quaelibet superflua humanae corruptionis. Pili carnis sunt vitae veteris cogitationes, quas sic a mente incidimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Bene autem per Moysen dicitur: *Levitae radant omnes pilos carnis suae* (**Num. VIII, 7**). Levita quippe assumptus vocatur. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere, quia is qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animae speciem quasi pilis fruticantibus deformem reddat. Sed quantalibet, ut diximus, quempiam virtus sanctae conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate vitae nascitur quod toleretur. Unde et ipsi Levitarum pili radi praecepti sunt, non evelli. Rasis etenim pilis in carne radices remanent, et crescunt iterum ut recidantur, quia magno quidem studio superfluae cogitationes amputandae sunt, sed tamen amputari funditus

nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat quae semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed tamen haec in nobis tunc subtilius conspiciamus, cum speculationis **166** alta penetramus. Unde recte nunc dicitur: *Cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae.*

[*Vet. XXIV.*] 60. *Haec sollicitius resecat mens contemplationi dedita, sicque Spiritum pene figit, nec tamen diu tenet.*--- Humana etenim mens in contemplationis arce sublevata, tanto semetipsam durius de superfluis cruciat, quanto nimis subtile conspicit esse quod amat; et cum pulchrum intuetur hoc quod super se appetit, districte iudicat quidquid in se infirmum prius tranquille tolerabat. Transeunte ergo spiritu pili pertimescunt, quia ante compunctionis vim cogitationes superfluae fugiunt, ut nihil fluxum, nihil jam remissum libeat, quia afflatam mentem etiam contra semetipsam visitationis intimae severitas inflamat. Cumque hoc, quod in corde illicitum nascitur, continua distractione resecatur, fit plerumque ut vegetata mens paulo latius radio suae speculationis inhaereat, et pene figat spiritum qui transibat. Nec tamen haec ipsa contemplationis mora Divinitatis vim plene aperit, quia ejus immensitas humanas vires auctas sublevatasque transcendit. Unde et bene subditur:

CAPUT XXXIV [*Rec. XXV*].

VERS. 16.---*Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum.*

61. *Homo per peccatum totus carnalis factus, non cogitat sine imaginibus corporum. Qui sine his animam suam, ac deinde Deum percipiat.*---Quidam namque non dicimus, nisi de eo utique, quem exprimere aut nolumus, aut non valemus. Sed qua mente hoc loco dicitur *quidam*, videlicet exponitur, cum protinus subinfertur: *Cujus non agnoscebam vultum*. Humana quippe anima, primorum hominum vitio a paradisi gaudiis expulsa, lucem invisibilium perdidit, et totam se in amorem visibilium fudit; tantoque ab interna speculatione caecata est, quanto foras deformiter sparsa; unde fit ut nulla noverit nisi ea quae corporeis oculis, ut ita dixerim, palpando cognoscit. Homo enim, qui si praeceptum servare voluisset, etiam carne spiritalis futurus erat, peccando factus est etiam mente carnalis ut sola cogitet, quae ad animum per imagines corporum trahit. Corpus quippe est coeli, terrae, aquarum, animalium, cunctarumque rerum visibilium, quas indesinenter intuetur, in quibus dum totam se delectata mens projicit, ab internae intelligentiae subtilitate grossescit; et quia jam erigere ad summa se non valet, in his infirma libenter jacet. Cum vero miris conatibus ab his exsurgere nititur, magnum valde est, si ad cognitionem suam, repressa corporali specie, anima perducatur; ut semetipsam sine corporea imagine cogitet, et cogitando se, viam sibi usque ad considerandam aeternitatis substantiam paret.

[*Vet. XXV.*] 62. *Anima humana quantum a divina substantia distet. Si necdum quid Deus sit, certe quid non sit percipit.*---Hoc autem modo quasi quamdam scalam sibi exhibet semetipsam, per quam ab exterioribus ascendendo in se transeat, et a se in auctorem tendat. Cum enim corporeas imagines deserit, in semetipsam mens veniens, non modicum

ascendit. Sed quamvis incorporea sit anima, quia tamen corpori inhaeret, ex ipsa sui qualitate agnoscitur, quae carnis loco retinetur. Quae dum obliviscitur scita, cognoscit incognita, meminit oblivioni mandata, hilarescit post tristia, addicitur post laeta: ipsa sui diversitate indicat quantum a substantia aeternae incommutabilitatis distat, quae semper, ut est, idem est: ubique praesens, ubique invisibilis, ubique tota, ubique incomprehensibilis per inhiantem mentem sine aspectu **167** cernitur, sine dubio auditur, sine motu suscipitur, sine corpore tangitur, sine loco retinetur. Hanc nimirum substantiam cum animus cogitat assuetus rebus corporalibus, diversarum imaginum phantasmata sustinet. Quae dum ab intentionis suae oculis abigit manu discretionis, postponens ei omnia, jam hanc aliquatenus conspicit. Quam si necdum quid sit apprehendit, agnovit certe quid non sit. Quia ergo ad insueta mens rapitur, cum divinitatis essentiam rimatur, recte nunc dicitur: *Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum.*

63. *Stare solius Dei est.*---Bene autem dictum est *stetit*. Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta est, et per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere. Rationalis vero creatura eo ipso, quo ad imaginem auctoris est condita, ne ad nihilum transeat, figitur; irrationalis autem nequaquam figitur, sed donec visionis suae ministerio universitatis speciem impleat, transeundo tardatur. Nam etsi coelum ac terra post in aeternum permanent ex semetipsis tamen nunc ad nihilum properant, sed pro eorum usu quibus serviunt in melius mutanda perseverant. Stare ergo, solius creatoris est, per quem cuncta non transeuntem transeunt, et in quo aliqua, ne transeant, retinentur. Unde et Redemptor

noster, quia divinitatis ejus status capi ab humana mente non potuit, hunc nobis ad nos veniens, creatus, natus, mortuus, sepultus, resurgens, atque ad coelestia rediens, quasi transeundo monstravit. Quod bene per Evangelium illuminato caeco innuit, cui transiens auditum praebuit, sed stans oculos reparavit (**Matth. IX, 27; XX, 30; Marc. VIII, 22; Luc. XVIII, 35; Joan. IX, 1**). Per humanitatis quippe dispensationem transire habuit; per divinitatis vero potentiam, quia ubique praesens est, stare. Voces igitur caecitatis nostrae Dominus audire transiens dicitur, quia humanae miseriae factus homo miseretur. Stans autem lucem reparat, quia infirmitatis nostrae tenebras ex virtute divinitatis illustrat. Bene ergo, postquam dictum est: *Cum spiritus me praesente transiret*, subditur: *Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum*. Ac si aperte diceretur: Eum quem per transitum sensi, non transire deprehendi. Ipse est ergo qui transit, ipse qui stat. Transit enim, quia teneri cognitus non valet; stat autem, quia in quantum cognoscitur, incommutabilis apparet. Quia ergo raptim is qui semper idem est cernitur, simul Deus est transiens et stans videtur. Vel certe stare ejus est nulla mutatione variari, sicut ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum* (**Exod. III, 14**). Et sicut hunc Jacobus insinuat, dicens: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (**Jac. I, 17**). Quia vero quisquis jam aliquid de contemplatione aeternitatis apprehendit, hanc per coaeternam ejus speciem conspicit, recte subjungitur:

CAPUT XXXV.

IBID.---*Imago coram oculis meis.*

64. *Quidquid de patre percipimus, per filium videmus.*--- Imago quippe Patris, Filius est, sicut de condito homine Moyses insinuat, dicens: *Creavit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum* (**Genes. I, 27**). Et sicut per expressionem Sapientiae de eodem Filio quidam sapiens dicit: *Candor est enim lucis aeternae* (**Sap. VII, 26**). 168 Et sicut Paulus ait: *Qui cum sit splendor gloriae, ac figura substantiae ejus* (**Heb. I, 3**). Cum ergo aeternitas ejus cernitur, prout infirmitatis nostrae possibilitas admittit, imago ejus mentis nostrae oculis antefertur; quia cum vere in Patrem intendimus, hunc quantum accipimus, per suam imaginem, id est, per Filium videmus; et per eam speciem, quae de ipso sine initio nata est, eum aliquo modo cernere, qui nec coepit, nec desinit conamur. Unde et haec eadem Veritas in Evangelio dicit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (**Joan. XIV 6**). Bene autem subditur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXVI*].

IBID.---*Et vocem quasi aurae lenis audiui.*

65. *Spiritus Sancti vox et aura lenis et spiritus vehemens.*--- Quid enim per vocem aurae lenis, nisi cognitio sancti Spiritus designatur, qui de Patre procedens, et de eo quod est Filii accipiens, nostrae tenuiter notitiae infirmitatis infunditur? Qui tamen super apostolos veniens, per exteriorum sonum

tanquam per vehementem spiritum demonstratur, cum dicitur: *Factusque est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis* (**Act. II, 2**). Sanctus enim Spiritus cum se notitiae humanae infirmitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce aerae lenis exprimitur; quia videlicet veniens, et vehemens est et lenis: lenis, quia notitiam suam, quatenus cognosci utcunque valeat, nostris sensibus temperat; vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, adventu tamen suo infirmitatis nostrae caecitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram immaniter concutit.

66. *Aura lenis quia se quantumlibet sanctis hic modicum aperit. In contemplatione quidquid mens perfecte valet conspicere, non est Deus.*---Vox ergo Dei quasi aerae lenis auditur, quia in hac adhuc vita positis contemplatoribus suis, nequaquam se Divinitas sicut est insinuat, sed lippientibus mentis nostrae oculis claritatem suam tenuiter demonstrat. Quod bene ipsa legis acceptione signatur, cum dicitur, quia Moyses ascendit, et Dominus in monte descendit (**Exod. XXIV, 1**). [*Vet. XXVI.*] Mons quippe est ipsa nostra contemplatio, in quam nos ascendimus, ut ad ea quae ultra infirmitatem nostram sunt videnda sublevemur. Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus parum de se aliquid nostris sensibus aperit; si tamen dici in illo vel parum, vel aliquid potest, qui unus semper et idem permanens, intelligi partiliter non potest, et tamen a suis fidelibus participari dicitur, cum in ejus substantia pars nullatenus admittatur. Sed quia hunc exprimere perfecto sermone non possumus, humanitatis nostrae modulo, quasi infantiae imbecillitate praepediti, eum aliquatenus balbutiendo

resonamus. Quia vero et in magna contemplatione sublevati, subtile quid de aeternitatis cognitione pertingimus, sacrae historiae verbis ostenditur, cum de cognitione Dei propheta nobilis Elias edocetur. Cui cum transiturum ante eum se Dominus promitteret, dicens: *Ecce Dominus transit, spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras ante Dominum*; illico adjunxit: *Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio, non in commotione Dominus; et post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus aurae tenuis* (III Reg. XIX, 11, 12). Spiritus quippe ante Dominum evertit montes, et petras **169** conterit; quia pavor, qui ex adventu ejus irrui, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis et igni non inesse Dominus dicitur, esse vero in sibilo aurae tenuis non negatur; quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspiciere praevallet, Deus non est: cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia aeternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis aurae percipimus, cum saporem incircumscriptae veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur: *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et ingressus stetit in ostio speluncae* (Ibid.). Post aurae tenuis sibilum, vultum suum propheta pallio operit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere est, ne altiora mens quaerere audeat, hanc ex consideratione propriae infirmitatis velare; ut nequaquam intelligentiae oculos ultra se praecipitanter aperiat, sed ad hoc quod

apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui haec agens, in speluncae ostio stetisse describitur. Quid namque spelunca nostra est, nisi haec corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione Divinitatis incipimus, quasi jam in speluncae nostrae ostio stamus. Quia enim progredi perfecte non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncae stare, est represso nostrae corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. Unde et nube in tabernaculum descendente Israelitae e longinquo cernentes, in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur (**Exod., XXXIII, 9**) quia ii, qui adventum Divinitatis utcunque conspiciunt, quasi jam ex habitaculo carnis procedunt. Quia igitur humana mens quantalibet se virtute tetenderit, vix de intimis extrema cognoscit, recte nunc dicitur: *Et vocem quasi aerae lenis audivi*. Sed quoniam cum de se saltem parum nobis divina cognitio exhibet, infirmitatis nostrae ignorantiam perfecte docet, qui vocem aerae lenis audivit, dicat quae ex ipsa hac auditione didicerit. Sequitur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XXVII*].

VERS. 17.---*Nunquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?*

67. *Justitia humana divinae comparata, injustitia est. Qui compescendae de Dei flagellis querelae.*---Humana justitia divinae justitiae comparata, injustitia est: quia et lucerna in

tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur. Quid ergo Eliphaz raptus in contemplatione cognovit, nisi quod justificari homo Dei comparatione non possit? Recta namque credimus quae exterius operamur, sed cum minime interna cognoscimus, quasi in solis radio positi caligamus. Cum vero illa utcunque percipimus, ista non utcunque judicamus, quia tanto quisque subtilius de tenebris judicat, quanto ei verius claritas lucis constat. Qui enim lucem videt, scit quid de tenebris aestimet. Nam qui candorem lucis ignorat, et obscura pro lucidis approbat. Bene autem subditur: **170** *Aut factore suo purior erit vir?* Quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Puriores se ergo viri factore suo existimat, si contra flagellum querelam parat; eumque sibi procul dubio postponit, cujus iudicium de sua afflictione redarguit. Ut ergo homo reprehendere non audeat iudicem culpa, hunc humiliter cogitet auctorem naturae, quia qui mire ex nihilo hominem fecit, factum impie non affligit. Quod tunc Eliphaz didicit, cum vocem quasi aerae lenis audivit. In consideratione namque divinae magnitudinis discitur quam humiliter in sua animadversione timeatur. Et qui superna degustat, inferiora aequanimiter tolerat, quia plene intus conspicit, quanti aestimet quod foris agit. Male enim se rectum putat, qui regulam summae rectitudinis ignorat; et saepe lignum rectum creditur, si ad regulam non ducatur; sed cum regulae jungitur, per quantam tortitudinem tumescit invenitur, quia nimirum rectitudo abcidens increpat, quod oculus deceptus approbabat. Eliphaz itaque quia superna conspexit, districtum iudicium de inferioribus exerit; et quamvis beatum Job non recte redarguit, in comparatione tamen creatoris omnium, creaturae modum recte describit dicens:

[CAPUT XXXVIII [*Vet. XXVII, Rec. XXVIII*].

VERS. 18, 19. *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut tineae?*

68. *Natura angelica cur mutabilis, et unde fiat immutabilis. Angelorum lapsus homines admonet de sua infirmitate diffidere. Tinea, concupiscentia.*---Natura angelica etsi contemplationi auctoris inhaerendo, in statu suo immutabiliter permanet; eo ipso tamen quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem, ex alio ad aliud ire est, et in semetipso stabilem non esse. Unaquaeque enim res quasi tot passibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis suae motibus subjacet. Sola autem natura incomprehensibilis a statu suo nescit moveri, quae ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Nam si angelorum substantia a mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab auctore condita, nequaquam in reprobis spiritibus a beatitudinis suae arce cecidisset. Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut et qui permanere nollent, ruerent, et qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto et ex arbitrio starent; et eo majoris apud Deum meriti fierent; quo mutabilitatis suae motum voluntatis statione fixissent. Quia ergo ipsa quoque natura angelica est in semetipsa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem vicit per hoc, quod ei qui semper idem est vinculis amoris illigatur, recte nunc dicitur: *Ecce qui serviunt ei, non sunt*

stabiles. Atque ejusdem protinus documentum mutabilitatis adjungitur, cum de apostatis spiritibus subinfertur: *Et in angelis suis reperit pravitatem*. Ex quorum casu bene infirmitatis humanae considerationem colligit, cum illico subnectit: *Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut tinea?* Luteas quippe domos habitamus, quia in corporibus terrenis subsistimus. Quae bene Paulus considerans **171** ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (II Cor. IV, 7)*. Et rursum: *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam (II Cor. V, 1)*. Terrenum quoque fundamentum est substantia carnis. Quod in se sollicite Psalmista conspexerat, cum dicebat: *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terrae (Psal. CXXXVIII, 15)*. Tinea autem de veste nascitur, et eandem vestem, de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quaedam vero vestis animae caro est; sed haec nimirum vestis habet tineam suam, quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. Quasi enim quadam sua tinea vestis nostra consumitur, cum caro corruptibilis tentationem gignit, et per hanc ad interitum pervenit. Velut tinea homo consumitur, cum de se oritur unde conteratur. Ac si aperte dicat: Si illi spiritus esse ex se incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur; qua temeritate se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa evehit, carnalis infirmitas aggravans praepedit, ut per corruptionis vitium in semetipsis habeant unde ab intima novitate veterascant?

[Vet. XXVIII.] 69. *Angeli doctores sunt, qui quamlibet sancti, non sunt sine culpa. Tinea sine sonitu damnum faciens, iniquos exhibet damna sua non attendentes.*---Possunt quoque per angelos sancti doctores intelligi, sicut per prophetam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (**Mal. VII, 1**). Qui quantalibet virtute fulgeant, esse omnino sine culpa nequeunt, cum iter praesentis vitae gradiuntur, quia eorum nimirum gressus tangitur aut luto illiciti operis, aut pulvere cogitationis. Domos autem luteas habitant, qui de illecebrosa hac vita carnis exsultant. Hanc domum luteam Paulus habitare contempserat, cum dicebat: *Nostra autem conversatio in coelis est* (**Philip. III, 20, 21**). Dicat ergo: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem; quanto magis hi qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut tinea?* Ac si aperte dicat: Si praesentis vitae viam illi sine contagio transire nequeunt, qui aeterna nuntiantes, sese contra temporalia accingunt, quae detrimenta illi sustinent qui esse se in carnalis habitationis voluptatibus gaudent? Qui enim serviunt ei, non sunt stabiles, quia cum mens ad alta nititur, carnis suae cogitatione dissipatur; ita ut saepe animus dum intimis inhiat, dum sola coelestia aspectat, subita carnali delectatione percussus, a semetipso scissus jaceat, et qui se infirmitatis suae molestias superasse gaudebat, repentino vulnere prostratus gemat. Pravitas ergo et in angelis reperitur, dum ipsos quoque qui veritatem nuntiant, nonnunquam subreptio vitae fallacis gravat. Si ergo hi etiam mundi hujus iniquitate feriuntur, quos contra eum sancta intentio erigit quibus ictibus illi penetrantur, quos ante ejus jacula, ipsa infirmitatis suae

delectatio sternit? Qui bene velut tinea consumi describuntur. Tinea quippe damnum facit, et sonitum non facit; ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ab aetate **172** vitam. Sed haec se indesinenter amittere nequaquam conspiciunt, dum toto desiderio curis temporalibus occupantur. Quasi ergo a tinea consumuntur, quia sine sonitu, culpae morsum tolerant, quanta detrimenta vitae et innocentiae patiantur, dum ignorant. Unde et bene subditur:

CAPUT XXXIX.

VERS. 20.---*De mane usque ad vesperam succidentur.*

70. *Reprobi nec in extremo tempore mentem perversam mutant.*---A mane usque ad vesperam peccator succiditur, dum a vitae suae exordio usque ad terminum, iniquitatis perpetratione vulneratur. Omni namque tempore reprobi per augmentum malitiae contra se ictus ingeminant, quibus succisi in profundum ruant. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Psal. LIV, 25)*. Dies quippe dimidiare, est tempus vitae male in voluptatibus ductum ad poenitentiae lamenta dividere, atque hoc ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Paulus admonet dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (Ephes.*

V, 16). Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. Sequitur:

CAPUT XL.

IBID.---*Et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt.*

71. *Scire negligunt quae eos supplicia, quae justos praemia maneant.*---Nullus videlicet eorum qui a mane usque ad vesperam succidentur. Nullus intelligit vel eorum qui pereunt, vel eorum qui perditos pereuntium mores imitantur. Unde alias scriptum est: *Justus perit, et nemo est qui recogitet in corde suo, et viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat (Isai. VI, 57).* Iniqui ergo dum sola temporalia appetunt, et quae bona electis in aeternum maneant scire contemnunt; dum justorum afflictionem conspiciunt, sed quae sit afflictionis retributio non agnoscunt actionis suae pedem in profundum porrigunt, quia a luce intelligentiae sponte sua oculos claudunt. Stultis enim voluptatibus decepti, dum quae vident, temporaliter diligunt, a semetipsis alienati non vident ubi in aeternum ruunt. Potest etiam mane prosperitas, vespere hujus mundi adversitas designari. De mane ergo usque ad vespereum reprobi succiduntur, quia et per prospera lascivientes depereunt, et per adversa impatientes ad insaniam exsurgunt. Quos de mane usque ad vesperam nequaquam culpa succideret, si vel prospera fomentum crederent, vel adversa sectionem sui vulneris aestimarent.

[*Vet. XXIX.*] 72. *Qui prosperis vel adversis bene utantur.*---Sed quia nequaquam sic humani generis multitudo deseritur,

ut cuncta ad interitum tendere permittatur, sunt nonnulli qui praesentis vitae oblectamentum despiciunt, etiam cum adsunt, transitoria esse considerant, atque haec ex amore aeternitatis calcant. Cumque in hoc primo gradu iudicii gressum ponunt, vegetiores ad altiora perveniunt, ut cuncta temporalia non solum quia citius sunt amittenda, despiciant, sed his inhaerere non appetant, etiam si aeterna esse potuissent; et a pulchre conditis amorem subtrahunt, quia in ipsum auctorem pulchritudinis cordis passibus tendunt. Et sunt nonnulli qui bona vitae praesentis diligunt, sed tamen haec nullatenus assequuntur: qui rebus temporalibus totis desideriis inhiant, mundi gloriam quaerunt, sed adipisci nequaquam possunt. Hos, ut ita dixerim, cor ad mundum **173** pertrahit, mundus ad cor repellit. Nam saepe contingit ut ipsis suis adversitatibus fracti ad mentem redeant, et in semetipsis reversi considerent, quam sint inania quae quaerebant, seseque pro tam stulto desiderio protinus ad lamentum vertant; et tanto valentius aeterna desiderant, quanto se stultius laborasse pro temporalibus dolent. Unde bene descriptis reprobis subditur:

CAPUT XLI [*Rec. XXIX*].

Vers. 21.---Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex iis.

73. Quos mundus despicit, Deus eligit.---Quos alios reliquos, nisi hujus mundi despectos accipimus? Quos dum praesens saeculum ad nullius gloriae usum eligit, quasi minimos indignosque derelinquit. Sed mundi reliquos auferre Dominus dicitur, quia despectos hujus saeculi eligere dignatur, Paulo

attestante qui ait: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (I Cor. I, 26, 27)*. Quod bene in libris Regum Aegyptio puero in via lassesciente signatur, quem Amalecita aegrotum in itinere deserit, David vero invenit, cibo reficit, ducem sui itineris facit; Amalecitam persequitur, epulantem reperit, et funditus exstinguit (**I Reg. XXX, 13**). Quid est enim quod Aegyptius Amalecitae puer in itinere lassatur, nisi quod amator praesentis saeculi peccati sui nigredine opertus, saepe ab eodem saeculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo currere nequaquam valeat, sed fractus adversitate torpescat? Sed hunc David invenit, quia Redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit, in suum amorem convertit. Cibo pascit, quia verbi scientia reficit. Ducem itineris eligit, quia suum etiam praedicatorem facit. Et qui Amalecitam sequi non valuit, dux David efficitur, quia is, quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in suas mentes Dominum recipit, sed praedicando hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalecitam convivantem invenit et exstinguit, quia ipsis Christus praedicantibus mundi laetitiam destruit, quos mundus comites habere despexit. Quia igitur plerumque quos mundus relinquit, Dominus eligit, recte nunc dicitur: *Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis*. Sequitur:

CAPUT XLII.

IBID.---*Morientur, et non in sapientia.*

74. *Scripturae mos, ut ubi quid interponit peregrinum, mox ad tractatum argumentum redeat.*---Quid est quod superius reproborum interitum protulit, dicens: *Quia nullus intelligit, in aeternum peribunt;* et de electis Dei illico adjunxit: *Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis;* et hoc protinus, quod eisdem electis non conveniat, subdit dicens: *Morientur, et non in sapientia?* Si enim a reprobis divinitus auferuntur, quo pacto mori non in sapientia dicuntur? Sed nimirum sacrae Scripturae consuetudo est, ut cum aliquid narrat, interposita alterius causae sententia, ad superiora protinus redeat. Nam postquam dixit: *Et quia nullus est qui intelligat, in aeternum peribunt,* electorum mox sortem subintulit, dicens: *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Et rursum sententiae suae oculum in eum, quem praedixerat, interitum reproborum mittens, subito adjunxit: *Morientur, 174 et non in sapientia.* Ac si diceret: Hi quos dixi quia non intelligentes in aeternum peribunt, procul dubio non in sapientia morientur. Sed hunc esse nonnunquam morem sacri eloquii melius ostendemus, si ex eo aliquam hujus rei similitudinem proferamus. Paulus namque apostolus cum dilectum discipulum de instituendis Ecclesiae officiis admoneret, ne quos forte ad sacros ordines inordinate proveheret, dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis, te ipsum castum custodi (I Tim. V, 22).* Qui ad infirmitatem ejus corporis protinus verba convertens ait: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (Ibid., 23).* Statimque subjungit, dicens: *Quorundam hominum peccata*

manifesta sunt praecedentia ad iudicium, quorumdam autem et subsequuntur (Ibid., 24). Quid ergo ad illud pertinet, quod ab infirmo bibi aquam prohibuit, hoc quod de peccatis absconditis quorumdam hominum manifestisque subjunxit, nisi quod interposita de ejus infirmitate sententia, ad hoc in extremo rediit, quod superius dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis?* Ut enim haec eadem peccata quanta sollicitudine perquirenda essent ostenderet, interposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione, protinus intulit quod in aliis patescerent, in aliis laterent, dicens: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt praecedentia ad iudicium, quorumdam autem et subsequuntur.* Sicut ergo per hanc sententiam Paulus non eisdem verbis congruit, quibus eam loquens de Timothei infirmitate subjunxit; sed ad illud rediit, quod superius intermittendo narravit; ita hoc loco Eliphaz cum de electis diceret: *Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis,* illico adjungens: *Morientur, et non in sapientia,* ad illud protinus recurrit, quod superius de reprobis protulit, dicens: *Et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt.*

[Vet. XXX.] 75. *Moriuntur reprobi et electi, hi in sapientia, illi in insipientia.*---Idcirco autem reprobi electos despiciunt, quod ad vitam invisibilem per visibilem mortem tendunt. De quibus bene nunc dicitur: *Morientur, et non in sapientia.* Ac si aperte diceretur: Mortem quidem et sapientiam pariter fugiunt; sed sapientiam penitus deserunt, mortis autem laqueos non evadunt. Et quia quandoque morituri vivere moriendo potuerant, dum mortem quae procul dubio ventura est metuunt, et vitam simul et sapientiam perdunt. At contra justi in sapientia moriuntur, quia mortem quam devitare

funditus nequeunt, cum pro veritate imminet, differre contemnunt; eamque dum aequanimiter ferunt, poenam propaginis vertunt in instrumentum virtutis, ut inde debeat vita recipi, unde per primae culpaе meritum cogitur finire. Sed quia haec Eliphaz contra iniquos veraciter protulit, beatum Job reprehensibilem aestimans, de fastu se sapientiae inflavit. Unde et post praedicamenta tantae rectitudinis, irrisionis verba subjungit, dicens:

CAPUT XLIII [*Rec. XXX*].

CAP. V. VERS. 1.---*Voca ergo si est qui tibi respondeat.*

76. *Vocare Deum quid sit, quid Dei respondere.*--- Omnipotens enim Deus saepe ejus precem **175** in perturbatione deserit, qui praecepta illius in tranquillitate contemnit. Unde scriptum est: *Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. XXVIII, 9).* Vocare autem nostrum, est humili Deum prece deprecari; respondere vero Dei, est effectum precibus praebere. Ait ergo: *Voca, si est qui tibi respondeat.* Ac si aperte dicat: Quantumlibet afflictus clames, Deum respondentem non habes, quia vox in tribulatione non invenit, quem mens in tranquillitate contempsit. Ubi adhuc deridendo subjungit:

CAPUT XLIV.

IBID.---*Et ad aliquem sanctorum convertere.*

77. Ac si despiciens dicat: Sanctos quoque invenire in afflictione adjuutores non vales, quos habere socios in hilaritate noluisti. Qui post irrisionem protinus sententiam subdit, dicens :

CAPUT XLV.

VERS. 2.---*Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.*

78. *Vera dicit Eliphaz, sed non vere in Job. Irae quanta culpa, quot mala.*---Quae nimirum sententia vera esset, si illata contra tanti viri patientiam non fuisset. Sed nos pensemus quod dicitur, quamvis ab auditoris sui virtute relidatur, ut ostendamus quam rectum est quod promitur, si non in beatum Job injuste promeretur, cum scriptum sit, *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas (Sap. XII, 18)*; sciendum nobis magnopere est quia quotiens turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, redire ad similitudinem conditoris conamur. Nam cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodam modo scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat, ac vim intimae similitudinis amittat. [*Vet. XXXI.*] Quanta ergo sit iracundiae culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernae imaginis similitudo vitatur. Per iram sapientia perditur, ut quid quoque ordine agendum sit omnino nesciatur, sicut scriptum est: *Ira in sinu stulti requiescit (Eccl. VII, 10)*; quia nimirum intelligentiae lucem subtrahit, cum mentem

permovendo confundit. Per iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est: *Ira perdit etiam prudentes* (**Prov. XV, 1, sec. LXX**); quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Per iram justitia relinquitur, sicut scriptum est: *Ira viri justitiam Dei non operatur* (**Jac. I, 20**); quia dum perturbata mens judicium suae rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratiae vitae socialis amittitur, sicut scriptum est: *Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae* (**Prov. XXII, 24, 25**). Et idem: *Quis poterit habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum?* (**Prov. XVIII, 14**.) Quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est: *Vir animosus parit rixas. Et vir iracundus effodit peccata* (**Prov. XV, 18**). Iracundus quippe peccata effodit, quia etiam malos, quos incaute ad discordiam provocat, peiores facit. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (**Ephes. IV, 26**); quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suae cognitionis abscondit. Per iram sancti Spiritus splendor excluditur; quo contra, juxta vetustam translationem scriptum est: *Super quem 176 requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et tementem sermones meos* (**Isa. LXVI, 2**)? Cum enim humilem diceret, quietum protinus adjunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur.

79. *Imago irati optimis coloribus expressa.*---Nam irae suae stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suae conscius non est? Unde fit plerumque ut usque ad manus ira prosiliat, et quo ratio longius recedit, audacior exsurgat; seque ipsum retinere animus non valet, quia, factus est potestatis alienae; et eo furor membra foras in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet. Aliquando autem manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse perversus homo facere vel metuit, vel erubescit. Fitque ut voto et voce homicidium peragat, etiam cum a laesione proximi manibus cessat. Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentium indicit; et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, ut iratus quisque colloctionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit aversus dicat. Et nonnunquam haec silentii severitas per disciplinae dispensationem geritur, si tamen sollicite in intimis discretionis forma teneatur. Nonnunquam vero dum accensus animus a consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus a proximi dilectione separatur, et acriores stimuli ad mentem veniunt, causae quoque quae gravius exasperant oriuntur; atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per silentium clausa intra mentem vehementius aestuat et clamosas tacita voces format; verba sibi, quibus exasperetur objicit, et quasi in causae examine posita durius exasperata respondet; quod Salomon breviter insinuat,

dicens: *Praestolatio impiorum furor (Prov. XI, 23)*. Sicque fit ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausae irae flamma consumat. Unde bene ante nos quidam sapiens dixit: *Cogitationes iracundi vipereae sunt generationes, mentem comedunt matrem suam*.

[*Vet. XXXII.*] 80. *Gradus quatuor quibus ad iram sumus affecti.*---Sciendum vero est quo nonnullos ira citius accendit, facilius deserit. Nonnullos vero tarde quidem commovet, sed diutius tenet. Alii namque accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suae sonitus reddunt; citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favillam frigescunt. Alii autem lignis gravioribus durioribusque non dispares, accensionem tarde suscipiunt, sed tamen accensi semel difficilius extinguuntur, et quia se tardius in asperitatem concitant, furoris, sui diutius ignem ¹⁷⁷ servant. Alii autem, quod est nequius, et citius iracundiae flammam accipiunt, et tardius deponunt. Nonnulli vero has et tarde suscipiunt, et citius amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquido lector agnoscit, quia et ad tranquillitatis bonum ultimus plusquam primus appropinquat, et in malo secundum tertius superat. Sed quid prodest quod iracundia quomodo mentem teneat, dicimus, si non etiam qualiter compesci debeat exprimamus?

81. *Irae compescendae duo modi.*---Duobus etenim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est, ut mens sollicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat, quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se praeparet. Quae nimirum venientia tanto fortior excipit, quanto se cautius ex praescientia armavit. Qui enim improvidus ab adversitate

deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur; eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminetia per sollicitudinem praenotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans exspectat; et inde ad victoriam valenter aecingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis suae primordia, cuncta debet adversa meditari; ut semper haec cogitans, semper contra haec thorace patientiae munitus, et quidquid accesserit providus superet, et quidquid non accesserit lucrum putet. Secundus autem servandae mansuetudinis modus est, ut cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis exstinguitur, cum surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo saepe se recolit parcenda peccasse.

[*Vet. XXXIII.*] 82. *Ira alia ex impatientia, alia ex zelo. Prima oculum excaecat, altera ita turbat, ut ad clarius videndum disponat.*---Sed inter haec solerter sciendum est quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, haec ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinae animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernae ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio aeterni rectoris exarsit. De hac per Psalmistam dicitur: *Irascimini, et nolite peccare (Psal. IV, 5)*. Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis

tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare praecipimur, restat ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur. De hac per Salomonem dicitur: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* (**Eccle. VII, 4**). De hac iterum Psalmista ait: *Turbatus est prae ira oculus meus* (**Psal. VI, 8**). Ira quippe per vitium oculum mentis excaecat, ira autem per zelum turbat; quia quo saltem recti aemulatione concutitur, ea quae nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obscurat, **178** ut altiora in commotione non videat, quae pene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta reducit, unde ad tempus, ne videat, reverberatur. Nam ipsa recti aemulatio aeterna post paululum in tranquillitate largius aperit, quae haec interim per commotionem claudit; et unde mens turbatur ne videat, inde proficit ut ad videndum verius clarescat: sicut infirmanti oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur; sed inde eam post paululum veraciter recipit, unde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam vero commotioni contemplatio jungitur, nec praevalet mens perturbata conspiciere, ad quod vix tranquilla valet inhiare, quia nec solis radius cernitur, cum commotae nubes coeli faciem obducunt, nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit, quia quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat.

83. *Cavendum ne ira menti ex zelo commotae dominetur.*--- Sed cum per zelum animus movetur, curandum summopere est ne haec eadem, quae instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina praeceat, sed velut ancilla ad

obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit; et tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiae vitium virtutem putat. Unde necesse est ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat, animositatem reprimat, et motus fervidos sub aequitate disponat; ut eo fiat justior ultor alienus, quo prius exstitit victor suus, quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat, et fervorem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longe a rectitudine aberret. Quia vero, sicut diximus, etiam laudanda boni aemulatio mentis oculum turbat, recte nunc dicitur: *Virum stultum interficit iracundia*. Ac si aperte diceretur: Ira per zelum sapientes turbat, ira vero per vitium stultos trucidat, quia illa sub ratione restringitur, haec vero irrationabiliter devictae menti dominatur. Bene autem subditur.

CAPUT XLVI [*Rec. XXXI*].

IBID.---*Et parvulum occidit invidia.*

84. *Invidus eo cui invidet, se minorem testatur.*---
Invidere enim non possumus, nisi eis quos nobis in aliquo

meliores putamus. Parvulus ergo est qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quod ei minor sit cujus invidia torquetur. Hinc est quod hostis callidus primo homini invidendo subripuit, quia amissa beatitudine, minorem se immortalitati illius agnovit. Hinc est quod Cain ad perpetrandum fratricidium corrui (Genes. IV, 5-7); quia despecto suo sacrificio, praelatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit: et quem meliorem se esse exhorruit, ne utcunque esset, amputavit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit (Genes. XXV, 34; XXVII, 41), quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen esu lenticulae ipse vendiderat, minorem se ei, 179 quem nascendo praeibat, ingemuit. Hinc Joseph fratres sui Ismaelitis transeuntibus vendiderunt (Genes. XXXVII, 27, 28), quia cognito revelationis mysterio, ne se melior fieret, ejus propectibus obviare conati sunt. Hinc Saul David subditum, lanceam intorquendo, persequitur (I Reg. XVIII, 11), quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus itaque est qui invidia occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.

[Vet. XXXIV.] 85. *In invidia serpens antiquus totum virus suum concutit ac vomit. Invidi descriptio.*---Sed inter haec sciendum est quia quamvis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, et imprimendae malitiae pestem vomit. De quo nimirum scriptum est: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (Sap. II, 24). Nam cum devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quam graviter animum vesania instigat.

Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, et membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor; cumque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore caeco terebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil laetum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua poena sauciat, quam felicitas torquet aliena; quantoque extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis lividae profundius suffoditur; ut quo alii ad meliora properant, eo ipse deterius ruat; qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam invidia cum mentem tabefecerit, cuncta quae invenerit bene gesta consumit. Unde bene per Salomonem dicitur: *Vita carnum, sanitas cordis; putredo ossium invidia* (**Prov. XIV, 30**). Quid enim per carnes, nisi infirma quaedam ac tenera; et quid per ossa, nisi fortia acta signantur? Et plerumque contingit ut quidam cum vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur; quidam vero jam quaedam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona, **180** intus invidiae pestilentia tabescant. Bene ergo dicitur: *Vita carnum, sanitas, cordis*, quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et recte subditur: *Putredo ossium invidia*, quia per livoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quaedam etiam robusta deperire.

86. *Invidiae imminutio et mors, inchoatus aut perfectus amor aeternitatis.*---Sed cur haec de invidia dicimus, si non etiam qualiter eruatur intinemus? Difficile namque est ut hoc alteri non invideat, quod adipisci alter exoptat; quia quidquid

temporale percipitur, tanto fit minus singulis, quanto dividitur in multis; et idcirco desiderantis mentem livor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut a quantitate restringit. Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam haereditatem diligat, quam cohaeredum numerus non angustat; quae et omnibus una est, et singulis tota; quae tanto largior ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo livoris est affectus surgens internae dulcedinis et plena mors est ejus, perfectus amor aeternitatis. Nam cum mens ab ejus rei appetitu retrahitur, quae accipientium numero partitur, tanto magis proximum diligit; quanto minus ex propectu illius sua damna pertimescit. Quae si perfecte in amore coelestis patriae rapitur, plene etiam in proximi dilectione sine omni invidia solidatur; quia cum nulla terrena desiderat, nihil est quod ejus erga proximum charitati contradicat. Quae nimirum charitas quid est aliud quam oculus mentis; qui si terreni amoris pulvere tangitur, ab internae lucis mox intuitu laesus reverberatur? Quia autem parvulus est qui terrena diligit, magnus qui aeterna concupiscit, potest etiam sic non inconvenienter intelligi: *Parvulum occidit invidia*, quoniam hujus pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desideriis infirmatur.

Pars Secunda, LIBROS QUINQUE CONTINENS.

LIBER SEXTUS. *Totum caput quintum, a versu tertio orsus, spiritali intellectu, pauca quidem allegorico, pleraque autem morali exponit.*

CAPUT PRIMUM.

181 *Job Christum et Ecclesiam, ejus amicis haereticos praesignari.*---Servata historiae veritate beati Job dicta, amicorumque illius mystica proposui interpretatione discutere; quia cunctis vera scientibus liquet quod redemptorem mundi totis suis allegationibus curat sancta scriptura promittere, eumque per electos omnes, ut per ejus scilicet membra, studuit signare. Unde et idem beatus Job latino eloquio dolens dicitur, ut per ejus et nomen et vulnera, Redemptoris nostri passio designetur, de quo propheta ait: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (Isai. LIII, 4).* Cui tentator, ablatis omnibus, et servos et filios occidit; quia non solum Judaicum populum ex timore servientem, sed ipsos quoque apostolos in suo amore regeneratos, passionis ejus tempore telo perfidiae perculit. Vulnere beati Job corpus atteritur, quia Redemptor noster configi clavis in crucis patibulo non dedignatur. A planta autem pedis usque ad verticem vulnera suscepit, quia sanctam Ecclesiam, quae corpus ejus est, non solum per extrema et ultima, sed usque ad summa membra persecutione saeviens tentator affligit. Unde etiam Paulus dixit: *Compleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea (Coloss. I, 24).* Cui suadere uxor ad maledicendum nititur, quia carnales quique intra sanctam Ecclesiam adjutores callidi tentatoris existunt.

Quae enim eum ad maledicendum provocat, vitam carnalium designat; quia, ut jam supra diximus (*l. III, c. 20. n. 36, 37*), intra sanctam Ecclesiam incorrectis moribus positi, quo per fidem bonis juxta sunt, eo per vitam durius premunt. Quia enim quasi fideles vitari nequeunt, a fidelibus tanto deterius, quanto et interius tolerantur. Amici vero illius, qui quasi ad consolandum veniunt, sed ad verba asperae invectionis excedunt, haereticorum speciem tenent, qui cum contra bonos Deum defendere nituntur, offendunt.

2. Spiritales sensus quos edit Gregorius, prodeunt ex historiae radice. Amicorum Job dicta nequaquam per omnia reprobanda.---Haec itaque superius latius dicta, nunc breviter studui ex mystica designatione succingere, ut lector meus ex ipsa hac replicatione meminerit me in hoc opere spiritali intellectui deservire. Et tamen cum utilitatis usus postulat, subtiliter quoque **182** studeo historiae verba discutere. Cum vero necesse est, simul utrumque complector, ut spiritales fructus allegoria germinet, quos tamen ex radice historiae veritas producit. Amicos vero beati Job, quos haereticorum tenere speciem diximus, in dictis suis nequaquam per omnia reprobamus, quia dum per supernam sententiam contra eos dicitur: *Non estis locuti coram me rectum*, et protinus subditur, *sicut servus meus Job (Job XLII, 7)*, profecto liquet quia non omnino despicitur quod ex melioris comparatione reprobatur. In reprehensionem quippe ejus incaute dilabuntur; sed tamen quia tanti viri amici sunt, ex familiaritate illius mystica multa didicerunt. Unde sicut et superius diximus (**Lib. V, n. 27**), eorum verbis etiam Paulus utitur, et haec in assertionis suae adjutorium assumens, prolata ex veritate testatur. Quae tamen veritas recte reprehendit, quia

quamlibet fortis sententia contra sanctum virum proferri non debuit. Possunt ergo mystice Eliphaz verba pensari, quibus ad beatum Job loquitur, dicens:

CAPUT II.

VERS. 3.---*Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.*

ALLEGORICUS SENSUS. 3. *Judaei sunt stulti, etiam haereticorum maledictioni ob Christi repulsam obnoxii.*--- Stultus quippe Judaeorum populus exstitit, quia ipsam in carne praesentiam aeternae Sapientiae sprexit. Qui quasi firma radice convaluit, quia electorum vitam temporaliter extinguendo superavit. Sed hunc Eliphaz maledicendo despicit, quia nimirum omnes haeretici, quorum tenere speciem amicos beati Job diximus, cum de nomine Christi gloriantur, Judaeorum perfidiam ex auctoritate reprehendunt. De quo stulto protinus subditur:

CAPUT III.

VERS. 4.---*Longe fiant filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit qui eripiat.*

4. *Horum filii omnes perfidi. In Christo, qui est porta, conteruntur.*---Filii hujus stulti sunt omnes qui perfidiae illius praedicatione generantur. Qui scilicet a salute longe sunt, quia

etsi temporalem vitam sine afflictione percipiunt, aeterna gravius ultione feriuntur, sicut de eisdem filiis illius Dominus dicit: *Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae* **183** *duplo quam vos* (**Matth. XXIII, 15**). Sequitur: *Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat*. Quis alius portae nomine, nisi mediator Dei et hominum debet intelligi, qui ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur* (**Joann. X, 9**)? Filii igitur hujus stulti extra portam proficiunt, et in porta conteruntur, quia pravae Judaeorum soboles ante Mediatoris adventum in legis observatione floruerunt; sed in ipsa Redemptoris nostri praesentia a Divinitatis obsequio, perfidiae suae meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat, quia scilicet dum ipsum Redemptorem extinguere persequendo conati sunt, oblata sibi ereptionis remedia absciderunt; de quo bene subditur:

CAPUT IV.

VERS. 5.---*Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus.*

5. *Gentiles messem eorum, id est, sacra eloquia, comedunt, ac divitias rapiunt.*---Hujus enim stulti messis fuerat sacri seges eloquii. Quaedam namque spicarum grana, sunt verba prophetarum, quae stultus habuit, sed non comedit, quia Judaicus populus legem quidem verbo tenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab ejus intellectu jejunavit. Hujus vero

stulti messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quae plebs Judaica sine intellectu laboravit. Hos famelicos fidei Dominus praevidit, cum per evangelistam dixit: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (**Matth. V, 6**). De his famelicis Anna prophetante dicitur: *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* (**I Reg. II, 5**). Sed quia messem perdidit, recte subjungitur qualiter ipse etiam stultus perit, cum dicitur: *Et ipsum rapiet armatus*. Antiquus hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulentae suggestionis jaculis exstinxit, ut unde se inhaerere Deo crederet, inde ejus ordinationi repugnaret. Quod profecto discipulos Veritas praemonet, dicens: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo* (**Joann. XVI, 2**). Sequitur:

CAPUT V [*Vet. et Rec. III*].

IBID.---*Et bibent sitientes divitias ejus.*

6. *Eloquia Dei et messis et divitiae. Quomodo et comedi, et bibi dicuntur.*---Hujus stulti divitias sitientes bibunt, quia fluentis sacrae locutionis, quae Judaicus populus in superbiae ostentatione possederat, conversae gentilium mentes irrigantur. Unde et eisdem per prophetam dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate* (**Isai. LV, 1**). Quia enim argenti vocabulo eloquia

divina signantur, Psalmista testatur, dicens: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (Psal. XI, 7)*. Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur, quia nimirum gentilitas, quae Scripturae sacrae praecepta non acceperat, sacri eloquii inundatione satiatur, quam tanto nunc avidius potat, quanto hanc diu sicca sitiebat. Eadem ergo divina eloquia et messes et divitiae vocantur: messes quia jejunam mentem reficiunt; divitiae, quia magna nos morum venustate componunt. Eadem et comedi dicuntur et bibi, quia nimirum dum quaedam in eis obscura sunt, quae non nisi interpretata intelligimus, haec quasi mandendo glutimus; dum quaedam vero ad intelligendum facilia ita sumimus ut invenimus, ea quasi non mansa bibimus, quia non fracta sorbemus. Haec sub intellectu mystico brevi locutione transcurrimus, ne quid forsitan praeterisse videremur. Sed quia beati **184** Job amici esse non possent, nisi in quibusdam quoque magna morum honestate fulgerent, restat ut in eorum verbis virtutem sensuum moraliter inquiramus, quatenus dum locutionis eorum pondus discutitur, cujus doctrinae fuerint, ostendatur.

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 3.---*Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.*

SENSUS MORALIS. 7. *Terrena sectantes in prosperis videntur firma radice.*---Quasi firma radice stultus in terra figitur, quia totis desideriis in terreno amore solidatur. Unde

et primus Cain civitatem in terra construxisse describitur (**Genes. IV, 17**), ut aperte monstraretur quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate coelestis patriae alienus fuit. Quasi firma radice stultus attollitur, quando hic temporali prosperitate fulcitur; ut omne quod appetit assequatur, adversa nulla sustineat, contra infirmos sine repugnatione praevaleat, bene agentibus ex auctoritate contradicat, ad majora commoda ex peiori semper actione perveniat, ut unde viam vitae deserit, inde ad tempus felicius vivat. Sed cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant; et apud semetipsos peccantium prosperitate turbati, intus in gressibus mentis nutant. Quorum profecto speciem sumpsit Psalmista cum diceret: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (**Psal. LXXII, 2**).

8. *Prudentes eorum gloriam despiciunt. Nec damnare differunt.*---Cum vero eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus quae post gloriam poena sequatur, attendunt; et alta intus cogitatione despiciunt hoc, quod superbi foras fastu vacuae inflationis intumescunt. Bene ergo dicitur: *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Pulchritudini quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare, quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur; quia transit quod extollitur, permanet quod punitur; quia qui honoratur in via, in perventione damnabitur; et quasi per amoena prata ad carcerem pervenit, qui per praesentis vitae prospera ad interitum tendit. Notandum vero, quod cum stulti pulchritudini maledixisse se diceret, protinus addidit, *statim.* Mos namque humanae et infirmae mentis est,

ut cum earum rerum quas respicit qualitate varietur. Saepe enim ejus judicium cum ipsa praesentis rei specie ducitur, et juxta hoc quod aspicit, intentio illius sensusque formatur. Nam plerumque nonnulli, dum quorundam gloriam cernunt, ejusdem gloriae aspectibus delectantur, ac magnum aliquid existimant, seque ut talia mereantur exoptant. Cum vero gloriosos quosque, aut dejectos subito, aut fortasse etiam morientes aspiciunt, quia humana gloria omni modo nihil sit, cum gemitu fatentur, ita ut protinus dicant: Ecce quam nihil est homo. Qui hoc nimirum rectius dicerent, si cum in gloria hominem cernerent, tunc ejus interitum cogitantes, transeuntem potentiam nihil esse sensissent. Tunc quippe est humana elatio pensanda quam nihil sit, cum sese super caeteros successibus extollit. Tunc considerandum est quo cursu felicitas transvolet, cum ante humanos oculos quasi permanens pollet. Nam gloriam morituri nihil esse, in ipsa jam morte pensare infirmi **185** quilibet possunt. Tunc enim ei etiam illi derogant, qui hanc et usque ad mortem sequentes amant. Bene itaque dicitur: *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Ac si aperte diceret: Contra stulti pulchritudinem, moram in maledictione non habui, quia cum hanc cernerem, simul etiam poenam sequentem vidi. Non enim statim maledicerem, si qua me gloriae illius delectatio tenuisset; sed sine tarditate maledixi, quia supplicia mansura conspiciens, ejus potentiam sine dubitatione reprobavi. Sed quia iniqui quique quo plus in hoc mundo proficiunt, plures secum ad interitum trahunt, recte subditur: *Longe fiant filii ejus a salute.* Filii quippe stulti sunt, qui in ambitione hujus saeculi ex ejus imitatione nascuntur; qui profecto a salute tanto longius fiunt, quanto in

perpetratione nequitiae nulla infirmitate feriuntur. De quibus bene additur:

CAPUT VII [*Vet. IV, Rec. V*].

VERS. 4.---*Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat.*

9. *Judicii dies porta regni. Tunc non valet eripi, qui renuit hic corrip.*---Nam sicut urbis aditus porta dicitur; ita est dies judicii porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad coelestis patriae gloriam intratur. Unde et hunc diem cum ad retributionem sanctae Ecclesiae Salomon appropinquare conspiceret, dixit: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae (Prov. XXXI, 23).* Vir quippe est Ecclesiae humani generis Redemptor, qui in portis se nobilem ostendit, qui despectus prius in contumeliis exstitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Qui cum terrae senatoribus residet, quia judicii sententiam cum sanctis ejusdem Ecclesiae praedicatoribus decernet, sicut ipse in Evangelio dicit: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28).* Quod Isaias quoque longe ante praenuntians ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (Isai. III, 14).* De his portis Salomon iterum dicit: *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus (Prov. XXXI, 31).* Tunc quippe sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cum eam ad percipienda coelestia laboris sui retributio attollit. Tunc eam sua opera in portis laudant, quando ejus

membris in ipso regni aditu dicitur: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me* (**Matth. XXV, 35**), et caetera. Filii igitur hujus stulti ante portam elati sunt, sed in porta conterentur, quia amatores hujus saeculi in praesenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu aeterna animadversione feriuntur. Bene autem subditur: *Et non erit qui eripiat*. Illos quippe veritas ab aeterna adversitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi, quia iniqui eum, quem per disciplinam habere negligunt patrem, afflictionis suae tempore per adjutorium non inveniunt ereptorem. Sequitur:

CAPUT VIII.

VERS. 5.---*Cujus messem famelicus comedet.*

10. *Malus recta et intelligens et dicens, messem habet quam alii comedant.*---Habet etiam stultus messem, quando iniquus quisque donum recte intelligentiae accipit: Scripturae sacrae sententiis docetur, bona loquitur, sed tamen nullo modo hoc quod dicit operatur: **186** verba Dei profert, nec tamen diligit; laudando exaggerat, vivendo calcat. Quia ergo stultus iste recta et intelligit et dicit, sed tamen haec operando non amat, messem habendo jejunit. Quam nimirum famelicus comedit, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit; et dum doctoris pravi recta praedicatione reficitur, quid aliud quam stulti fruge satiatur? An non famelicos suos Veritas, ut stulti messem comederent,

admonebat, cum per desideria sancta flagrantibus, de Pharisaeis praeciperet, dicens: *Quae dicunt facite, juxta opera vero eorum nolite facere* (**Matth. XXIII, 3**). Ac si aperte diceret: Verbi messem loquendo excolunt, sed hanc male vivendo minime contingunt. Vestram ergo famem messis ista reficiat, quia vobis hanc per fatuitatis suae fastidium servant. Bene autem subditur:

CAPUT IX.

IBID.---*Et ipsum rapiet armatus.*

11. *Diabolus saepe scientiam permittit, ut corrumpat vitam.*--
-Antiquus namque hostis quasi inermis vincitur, cum mala aperte suggerens humanae menti, bona omnia simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bona alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Nam saepe quosdam in intellectu non tentat, eisque in sacri eloquii meditatione non obviat; sed tamen eorum vitam in operatione supplantat, qui dum de scientiae virtute laudantur, nequaquam suorum operum damna respiciunt; cumque in favoris delectationem animus ducitur, vitae suae vulneribus non medetur. Hunc ergo armatus hostis rapuit, quem fraude tectus in alia deserens, ex alia parte superavit. Sequitur:

CAPUT X.

IBID.---*Et bibent sitientes divitias ejus.*

12. *Saepe hebes hoc in divinae legis eruditione studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit.* -

--Saepe stultus habet interni liquoris fontem, sed non bibit, quia ingenium quidem intelligentiae accipit, sed tamen veritatis sententias cognoscere legendo contemnit; scit quia intelligere studendo praevaleat, sed ab omni doctrinae studio fastidiosus cessat. Divitiae quoque mentis, sunt verba sacrae locutionis; sed has divitias stultus oculis aspicit, et in ornamenti sui usum minime assumit, quia verba legis audiens, magna quidem esse considerat, sed ad comprehendenda haec nullo studio amoris elaborat. At contra alius sitim habet, ingenium non habet; amor ad meditandum pertrahit, sensus hebetudo contradicit; et saepe hoc in divinae legis eruditione quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit. Hujus ergo stulti divitias sitientes bibunt, dum praecepta Dei, quae ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur. In his nimirum tenebras hebetudinis illustrat oculus amoris; nam hoc tardioribus sitis aperit, quod velocioribus fastidium claudit. Qui et idcirco ad intelligentiae alta perveniunt, quia agere quae intellexerunt, vel minima nulla contemnunt; et dum sensum manibus adjuvant, sese ultra altitudinem ingeniosorum levant. Unde bene per Salomonem dicitur: *Stellio manibus nititur, et moratur in aedibus regis (Prov. XXX, 28)*. Plerumque enim aves, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus resident; et stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regni aedificium tenet, quia nimirum saepe ingeniosi quique dum per negligentiam torpent, in pravis **187** actibus remanent, et

simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda aeterni regni moenia virtus operationis levat. Stellio ergo dum manibus nititur, in regis aedibus moratur, quia illo simplex per intentionem recti operis pervenit, quo ingeniosus minime ascendit. Sed his auditis, quaestio nostro cordi suboritur, cur vel negligenti intelligentiae donum tribuitur, vel studiosus quisque sensus sui tarditate praepeditur? Ad quam citius respondetur, dum protinus subditur:

CAPUT XI.

VERS. 6.---*Nihil in terra sine causa.*

13. *Cur ingenium studio tardum, negligenti acre tribuatur.*--- Idcirco enim saepe et desidiosus ingenium accipit, ut de negligentia justius puniatur, quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit. Et idcirco nonnunquam studiosus tarditate intelligentiae premitur, ut eo majora praemia retributionis inveniat; quo magis in studio inventionis elaborat. Nihil ergo est in terra sine causa, quando et studioso tarditas ad praemium proficit, et desidioso velocitas ad supplicium crescit. [*Vet. V.*] Ad intelligenda autem quae recta sunt, aliquando laboris studio, aliquando vero dolore percussionis erudimur. Unde cum dictum sit, *Nihil in terra sine causa*; apte protinus additur:

CAPUT XII [*Rec. VI*].

IBID.---*Et de humo non egredietur dolor.*

14. *Per occulta merita mentium, aperta prodeunt flagella poenarum.*---Dolor namque quasi de humo egreditur, cum homo ad Dei imaginem conditus de rebus insensibilibus flagellatur. Sed quia per occulta mentium merita, aperta prodeunt flagella poenarum, et de humo dolor non egreditur, quoniam sensus nostri malitia exigit ut a rebus insensibilibus feriat. Ecce enim cernimus quod ad correptionem nostram expectatus imber arente terra suspenditur, et caliginosus aer inardescente sole siccatur; mare procellis tumescentibus saevit, et alios ad transmeandum susceptos intercipit, aliis desideratum iter erecta in cumulum unda contradicit; terra non solum germina fecunditatis imminuit, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc, quod quidam sapiens de Domino testatur, dicens: *Et pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos* (**Sap. V, 21**). Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat, quando in poena delinquentium et elementorum adversitas militat. Sed tamen de humo dolor non egreditur, quia res quaelibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostrae actionis excitatur. De humo dolor non egreditur, quia nequaquam poena de ea nascitur creatura, quae percutit, sed de ea procul dubio, quae peccando vim percussione extorsit. Sed curandum magnopere est ut cum in rebus exterioribus pondere doloris afficimur, spe ad superna tendamus; quatenus eo mens ad alta perveniat, quo nos exterior poena castigat. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XIII [*Rec. VII*].

VERS. 7.---*Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum.*

15. *Quantum caro flagellis afficitur, mens ad altiora sublevatur.*---Ad laborem quippe nascitur homo quia nimirum is qui accepta est praeditus ratione, considerat quod valde sibi sit impossibile, ut haec peregrinationis suae tempora sine gemitu evadat. Unde bene Paulus cum tribulationes suas discipulis enumeraret, adjunxit: *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (**I Thess. III, 3**). Sed in eo quod caro flagellis afficitur, **188** mens ad appetenda altiora sublevatur; Paulo rursus attestante, qui ait: *Et licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem* (**II Cor. IV, 16**). Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum, quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat.

16. *Carnalium gravis labor, spiritalium nullus.*---Potest quoque appellatione hominis carnalium vita signari. Unde et Paulus ait: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* (**I Cor. III, 3**.) Quibus paulo post subiecit, dicens: *Nonne homines estis?* (**Ibid., 4**.) In hac itaque vita homo ad laborem nascitur, quia carnalis quisque cum transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit. Gravis quippe labor est, hanc ipsam praesentis vitae gloriam quaerere, quaesitam quandoque percipere, et perceptam cum circumspectione custodire. Gravis labor est, hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendet, noverit diu stare non posse. Sancti autem viri quia transeuntia non amant, non solum nulla temporalium desideriorum pondera tolerant; sed et si qua adversa

consurgunt, in ipsis suis pressuris et languoribus non laborant. Quid enim flagellis durius? et tamen de flagellatis apostolis scriptum est: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (**Act. V, 41**). Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus et poena verberum labor non est? Homo ergo ad laborem nascitur, quia ille hujus mundi veraciter mala sentit, qui ejus bona inhianter appetit. Nam cujus mens ad alta suspenditur, sub ipsa est quidquid exterius contra ipsam movetur. [*Vet. VI.*] Bene itaque subditur, *Et avis ad volatum*. Quia tanto animus a laboris afflictione se subtrahit, quanto per spem ad summa sustollit. An non quasi avis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot adversa sustinens dicebat: *Nostra conversatio in coelis est* (**Philip. XXXI, 20**)? Et rursum: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, aeternam in coelis* (**II Cor. V, 1**). Velut avis ergo ima transcenderat, quem adhuc corpore in terra demorantem, jam in sublimibus spei penna sublevabat. Sed quia nullus suis viribus valet sese in alta sustollere, ut cum visibilibus affligitur, in invisibilia sublevetur, recte mox subditur:

CAPUT XIV.

VERS. 8---*Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum.*

17. *Hoc Dei donum est.*---Ac si aperte diceret: illum rogo, per quem haec tribui scio. Si enim hoc per se habere se crederet, deprecari Deum non indigeret. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 9.---*Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.*

18. *Mira Dei opera humanis oculis usu viluerunt.*---Quis omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat, quod cuncta ex nihilo creavit, quod ipsa mundi fabrica mira potentiae virtute disposita est, et super aera coelum suspenditur, et super abyssum terra libratur; quod ex rebus invisibilibus omnis haec universitas ac visibilibus existit, quod hominem fecit, ut ita dixerim, in brevi colligens mundum alterum, sed rationalem; quod hunc ex anima et carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum et lutum? Ex his **189** itaque aliud novimus, aliud et sumus; sed tamen mirari negligimus, quia ea quae incomprehensibili indagatione mira sunt, humanis oculis usu viluerunt. Unde fit ut si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exsiliant, et quotidie homo qui non erat nascitur, et nemo miratur, cum procul dubio omnibus constet quia plus sit creari quod non erat, quam reparari quod erat. Quia arida Aaron virga floruit, cuncti mirati sunt; quotidie ex arente terra arbor producitur, virtusque pulveris in lignum vertitur, et nemo miratur. Quia quinque sunt panibus quinque millia homines satiati, crevisse escas in dentibus cuncti mirati sunt; quotidie sparsa grana

seminum, plenitudine multiplicantur spicarum, et nemo miratur. Aquam semel in vinum permutatam videntes cuncti mirati sunt; quotidie humor terrae in radicem vitis attractus, per botrum in vinum vertitur, et nemo miratur. Mira sunt itaque omnia quae mirari homines negligunt, quia ad considerandum, ut praediximus, usu torpescunt. [Rec. VIII.] Bene autem cum diceret: *Qui facit magna*, adjunxit statim: *Et inscrutabilia*. Minus enim fuerat magna facere, si tamen ea quae facta sunt, perscrutari potuissent. Recte autem subditur: *Et mirabilia absque numero*, quia minoris esset magnitudinis, si quae inscrutabilia condidit, pauca fuisset.

19. *Miracula Dei per studium consideranda, non discutienda per intellectum. Fides ubi titubat, qui firmanda. Unde resurrectio fiat credibilis.*---Sed inter haec sciendum est quia divina miracula et semper debent considerari per studium, et nunquam discuti per intellectum. Saepe namque humanus sensus dum quarundam rerum rationem quaerens non invenit, in dubitationis se voraginem mergit. Unde fit ut nonnulli homines mortuorum corpora in pulverem redacta considerent; dumque resurrectionis vim ex ratione colligere non possunt, haec ad statum pristinum redire posse desperent. Mira igitur, ex fide credenda sunt, perscrutanda per rationem non sunt; quia si haec nostris oculis ratio expanderet, mira non essent. Sed cum in his fortasse animus titubat, necesse est ut ea quae per usum novit, nec tamen per rationem colligit, ad memoriam reducat; quatenus rei similis argumento fidem roboret, quam labefactari sua sagacitate deprehendit. Considerato quippe humanae carnis pulvere, quorundam mens concussa desperat, quando pulvis ad carnem redeat, et redivivum corpus per membrorum lineamenta componat; quando illa terrae ariditas

per viventia membra viridescat, ac se per eorum species formasque distinguat. Hoc nimirum comprehendi per rationem non potest, sed tamen credi facile per exemplum potest. Quis enim ab uno grano seminis, immensam surgere arborem crederet, nisi certum hoc per experimentum teneret? In tanta namque unius grani parvitate et pene nulla sui dissimilitudine, ubi latet ligni duritia, et ligno tenerior vel durior medulla, asperitas corticis, viriditas radicis, sapor fructuum, suavitas odorum, colorum diversitas, mollities foliorum? Et tamen quia hoc per experimentum novimus, ex uno grano seminis prodire omnia non dubitamus. Quid ergo est difficile, ut **190** pulvis in membra redeat, dum conditoris potentiam quotidie cernimus, qui et ex grano ligna mirabiliter, et adhuc mirabilius fructus ex lignis creat? Dicat ergo: *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero*, quia divinorum operum magnitudo nec ex qualitate valet discuti, nec ex quantitate numerari. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XVI [*Vet. VII*].

VERS. 10, 11.---*Qui dat pluviam super faciem terrae, et irrigat aquis universa. Qui ponit humiles in sublimi, et maerentes erigit sospitate.*

SENSUS MYSTICUS.---20.*Aquis gratiae Deus universa irrigat. Universitatis nomine homo signatur.*---Quia amicos beati Job eruditos ejus societate credimus, necesse est ut haec Eliphaz verba mystice disseramus. Omnipotens enim Deus terrae pluviam tribuit, cum arentia corda gentilium,

supernae gratia praedicationis infundit. Et aquis universa irrigat, quia sterilitatem perditum hominis repletionem Spiritus ad fructificationem format, sicut per semetipsam Veritas dicit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum* (**Joan. IV, 13**). Universitatis autem nomine homo signatur, quia in ipso vera species, et magna communio universitatis ostenditur. Omne namque quod est, aut est, et non vivit; aut est, et vivit, sed nequaquam sentit; aut est, et vivit, et sentit, sed non intelligit, nec discernit; aut est, aut vivit, et sentit, et intelligit, discernit. Sunt namque lapides, nec tamen vivunt. Sunt arbusta, vivunt quidem, nec tamen sentiunt. Herbarum namque atque arborum vita viriditas vocatur, sicut per Paulum de seminibus dicitur: *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* (**I Cor. XV, 36**). Sunt bruta animalia, vivunt et sentiunt, nec tamen intelligunt. Sunt angeli, et vivunt, et sentiunt, et intelligendo discernunt. Homo itaque, quia habet commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum angelis, recte nomine universitatis exprimitur, in quo juxta aliquid ipsa universitas tenetur. Unde et discipulis Veritas dicit: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (**Marc. XVI, 15**). Omnem videlicet creaturam solum intelligi hominem voluit, cui commune aliquid cum omnibus creavit.

21. *Universa Deus irrigat, cum ex omni hominum genere ad suam cognitionem vocat.*---Quamvis hoc loco universa intelligi et aliter possunt. Sancti enim Spiritus gratia cum sibi divites subjicit, pauperes non repellit, cum fortes humiliat, venire ad se debiles non recusat; cum nobiles colligit, simul et ignobiles apprehendit; cum sapientes suscipit, imperitorum

stultitiam non contemnit. Universa ergo Deus aquis irrigat, qui dono sancti Spiritus ex omni genere hominum ad suam cognitionem vocat.

[Rec. IX.] 22. *Universa Deus irrigat, quia vim sui sermonis in singulis juxta morum diversitatem format.*---Possunt autem universorum nomine ipsae morum dissimilitudines designari. Alius namque elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine aestuat, alius avaritia anhelat, alius remissione se dejicit, alius ira fervescit. Sed per doctrinam sacri eloquii, dum superbo humilitas tribuitur, timido confidentia praebetur, luxuriosus per castitatis studium ab immunditia tergitur, avarus per continentiam ab ambitionis aestu temperatur, remissus zeli rectitudine erigitur, **191** iracundus a praecipitationis suae excitatione refrenatur, universa Deus aquis irrigat; quia vim sui sermonis in singulis juxta morum diversitatem format, ut hoc in ejus eloquio quisque inveniat, per quod virtutis necessariae germen ferat. Unde per quemdam sapientem de mannae dulcedine dicitur: *Paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, atque omnis saporis suavitatem* (**Sap. XXVI, 20**). Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis in se suavitatem habuit, quod videlicet in ore spiritualium, juxta voluntatem edentium, saporem dedit, quia divinus sermo et omnibus congruens, et a semetipso non discrepans, qualitati audientium condescendit; quem dum electus quisque utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem vertit. Et quia laborem boni operis gloria sequitur retributionis, post aquarum rigationem recte

subjungitur: *Qui ponit humiles in sublimi, et moerentes erigit sospitate.*

[*Vet. VIII, Rec. X.*] 23. *Servos Dei nunc despectos et afflictos gloria et gaudium excipient.*---In sublimi humiles ponuntur, quia hi qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt, sicut hoc quod paulo ante jam diximus, eisdem humilibus Veritas pollicetur, dicens: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28).* Tunc moerentes Dominus sospitate erigit, quia hi qui, ejus desideriiis accensi, prospera fugiunt, adversa patiuntur, cruciatus persequentium tolerant, seque ipsi per lamenta castigant, tanto sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, quanto nunc cunctis mundi gaudiis devote moriuntur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: *Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio ejus non miscebitur extraneus (Prov. XIV, 10).* Humana etenim mens amaritudinem animae suae scit, cum, aeternae patriae desideriiis accensa, peregrinationis suae poenam flendo cognoscit; sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc a moerore compunctionis alienus est, tunc particeps ad laetitiam consolationis non est. Hinc est quod in Evangelio Veritas dicit: *Amen amen dico vobis, quid plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. XVI, 20).* Et rursum: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis (Ibid., 22).* Sospitate ergo Dominus moerentes erigere dicitur, quia pro se

afflictos temporaliter vera salute consolatur. Quod tamen de electis Dei etiam in hac vita nil obstat intelligi.

24. *Humiles jam ex hac vita in sublimi sunt positi.* ---In sublimi quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, altae mentis judicio cuncta temporalia transeunt; cumque se indignos in omnibus aestimant, rectae cogitationis examine hujus mundi gloriam transcendentem calcant. Videamus humilem Paulum. Ecce discipulis dicit: *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Christum (II Cor. IV, 5).* Videamus hunc humilem in sublimi jam positum. Ait: *An nescitis quia angelos judicabimus (I Cor. VI, 3)?* Et rursum: *Conresuscitavit et consedere nos fecit in coelestibus (Ephes. II, 6).* Fortasse hunc exterius tunc catena religabat, mente tamen positus in sublimibus fuerat, qui jam per spei suae certitudinem in coelestibus sedebat. Sancti itaque viri foris despecti sunt, et velut indigni omnia tolerant; **192** sed dignos se supernis sedibus confidentes, aeternitatis gloriam cum certitudine expectant; cumque laborant foris adversitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis; et inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quae et transi e corporaliter etiam semetipsos cernunt; minas non metuunt, quia et tormenta patiundo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Justus quasi leo confidens absque terrore erit (Prov. XXVIII, 1).* Hinc ab eo iterum scriptum est: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit (Prov. XII, 21).* Quia enim recti quique in alto intentionis suae vertice siti sunt, dum mortem moriendo non sentiunt, miro modo eos reproborum jacula et feriunt, et non

contingunt. In sublimi ergo humiles sunt positi, quia unde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia securiores fiunt.

[*Vet. IX, Rec. XI.*] *Mens ad ea quae supra ipsam sunt inhiare cessans, sub semetipsam indesinenter ruit.*---Quo contra recte sub Babylonis specie per prophetam menti reprobae dicitur: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra; non est solium filiae Chaldaeorum* (**Isai. XLVII, 1**). Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed infecunda. Et quia Babylon confusio interpretatur, recte infecunda mens Babylonis filia vocatur, quae in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectae vitae componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suae cumulum appellatur quod fuit. Cui apte per increpationem dicitur divina voce: *Descende*. In alto quippe humanus animus stat, quando supernis retributionibus inhiat; sed ab hoc statu descendit, cum turpiter victus sese defluentibus mundi desideriis subjicit. Cui bene mox additur: *Sede in pulvere*. Descendens enim in pulvere residet, quia coelestia deserens, terrenis cogitationibus aspersus in infirmis vilescit. Ubi adhuc ingeminando subjungitur: *Sede in terra*. Ac si aperte exprobrans dicat: Quia coelesti conversatione noluisti te erigere, sub temetipso prostratus in terrenis actibus humiliare. Unde et necessario protinus additur: *Non est solium filiae Chaldaeorum*. Chaldaei namque feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, qui voluntates proprias sequentes, nec suis parcere mortibus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria, quae non solum contra praecepta conditoris, sed saepe etiam contra percussionum verbera, duram atque

insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solium non habet, quia mens, quae ad amorem mundi ex pravis desideriis nascitur, atque eisdem desideriis obduratur, in eo quod se terrenis concupiscentiis subjicit, sedem iudicii amittit; nullique apud se solio praesidet, quia examine discretionis caret, et quasi a iudicii sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim, quod mens, quae intus consilii sedem perdiderit, foras se per desideria innumerabiliter spargit. Et quia agere intellecta dissimulat, caecatur recte, ut etiam nesciat quod agat; et saepe justo iudicio in sua ipsa voluntate relinquitur, et sub ea quae anxie appetit laboriosa mundi ministeria relaxatur. [*Vet. X.*] Unde apte illic subditur: *Quia ultra non vocaberis mollis et tenera; tolle molam, et mole farinam (Ibid., 2).* Constat nimirum quod tenerae suae filiae parentes parcunt, nec duris atque servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, **193** quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat; ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis obduretur. Sed Chaldaeorum filia mollis et tenera non vocatur; quia mens pravis desideriis dedita, in eo quod anxie appetit hujus saeculi labore relinquitur, ut foras mundo velut ancilla serviat, quae intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde et molam tollere, ac farinam molere jubetur. Mola in gyrum ducitur, et farina profertur. Unaquaeque autem mundi hujus actio mola est, quae dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit; atque ex se velut farinas projicit, quia seducto corde, semper minutissimas cogitationes gignit. [*Vet. XI.*] Nonnunquam vero qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione denudatur, unde illic protinus subinfertur: *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum,*

revela crura, transi flumina (Ibid., 2). In administratione quippe operis turpitudine denudatur, dum vilis mens abjectaque in actionis ostentatione cognoscitur, quae quiescens prius magna putabatur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur ostendit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones huius saeculi, quae quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit; dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit. Haec paucis per excessum diximus, ut mens a solio sanctae intentionis excussa quo jaceat monstraremus, quia si ad ea quae super ipsam sunt inhiare cessaverit, sub semetipsam etiam indesinenter ruit. In alto autem figitur, si amorem temporalium deserens, ad spem incommutabilis aeternitatis ligatur.

26. *Laetitia servorum Dei vera; laetitia iniquorum ex insania, non ex sospitate.*---Bene ergo dicitur: *Qui ponit humiles in sublimi.* Atque apte subjungitur: *Et moerentes erigit sospitate.* Saepe in hoc mundo etiam laeti quilibet erecti sunt, dum de ipsa gloria suae prosperitatis intumescunt. Sed moerentes Dominus sospitate erigit, quia afflictos suos ad gloriam verae laetitiae soliditate sustollit. Sospitate quippe, non insania erecti sunt, qui in bonis actibus positi, spe in Deum firma gratulantur. Nonnulli enim, sicut diximus, et iniquitates perpetrant, et gaudere non cessant; de quibus per Salomonem dicitur: *Qui laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (Prov. II, 14).* Et rursum: *Sunt impii, qui ita securi sunt, ac si justorum facta habeant (Eccle. VIII, 14).* Hi nimirum non sospitate eriguntur, sed insania, qui superbiunt cum affligi debuerant; et inde miseri in

exultatione defluunt, unde a bonis flentur. Phreneticorum videlicet sensibus similes, insaniam qua praevalent, virtutem putant; qui ex morbo esse nesciunt hoc, quod amplius sanis possunt; et quasi crevisse se viribus aestimant, dum ad vitae terminum per augmenta languoris appropinquant. Qui quia rationis sensum non habent, flentur, et rident; et tanto in magna exultatione se dilatant, quanto et insensibiles malum quod patiuntur ignorant. Sospitate ergo Dominus moerentes erigit, quia electorum mens non de praesentis vitae insaniam, sed de certitudine aeternae salutis hilaescit. Unde apte mox de hac ipsa pravorum destructione subjungitur:

CAPUT XVII.

194 VERS. 12.---*Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod coeperant.*

27. Malorum saepe cassae sunt cogitationes, nec minus rea conscientia.---Reproborum mentes perversis cogitationibus semper invigilant, sed plerumque eis superna dispensatio obviat; et quamvis pravitatem consilii nec fracti adversitatibus corrigant, ne tamen contra bonos praevaleant, eorum vires refrenat. Quos contra miro iudicio agitur, ut effectu quidem pravi operis careant, et tamen justae sententiae iudicis reos conscientiae addicat. Quod ergo mala cogitant, quid ipsi faciant ostendunt; quod vero mala implere nequeunt, hi contra quos cogitaverant, defenduntur. Unde et adhuc bene subditur:

CAPUT XVIII [*Rec. XII*].

VERS. 13.---*Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat.*

28. *Dei consiliis renitentes, ipsis famulantur inviti. Ostenditur exemplis fratrum Joseph, Saulis, Jonae, Judaeorum.*---Saepe enim nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur; et quo ad votum suum vim supernae dispensationis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt; sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur, quia saepe et hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt, cum resistunt. Quod melius ostendimus, si pauca gestarum rerum ad medium exempla proferamus.

[*Vet. XII.*] 29. Joseph somnium viderat, quod suo manipulo fratrum ejus se manipuli prosternebant (**Genes. XXXVII, 7**); somnium viderat, quod sol et luna se cum reliquis stellis adorabant. Quae quia pure fratribus retulit, eorum corda protinus futurae dominationis invidia pavorque percussit. Cumque ad se hunc venire conspicerent, malitia saeviente dixerunt: *Ecce somniator ille venit, venite occidamus eum, et videamus quid illi proderunt somnia sua* (**Ibid., 20**). Cumque se ejus dominio subjici metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eumque Ismaelitis transeuntibus vendunt: qui in Aegyptum ductus, servituti subditus, luxuriae accusatione

damnatus, castitatis merito adjutus, prophetiae judicio erectus, omni Aegypto praelatus est; per supernam vero sapientiam providus frumenta conguessit, et futuro periculo necessitatis obviavit. Cumque in orbem fames irruit, de alimentorum praeparatione sollicitus Jacob filios suos in Aegyptum misit: qui frumentorum dispensationi praepositum Joseph nescientes inveniunt, atque ut mererentur alimenta percipere, eorum dispensatorem compulsi sunt pronis in terram cervicibus adorare. Pensemus ergo gestae rei ordinem, pensemus quomodo sapientes in ipsa sua astutia vis divina comprehendat. Ideo ab eis venditus fuerat Joseph, ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Astute namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur; sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Inde quippe coacti sunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti sunt astute commutare. Sic divinum consilium dum devitatur, impletur; sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres, **195** ne Joseph super eos excresceret; sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est ut eveniret. Humana ergo sapientia in se ipsa comprehensa est, quae voluntati Dei, unde per intentionem restitit, inde ejus impletioni militavit.

[*Vet. XIII.*] 30. Sic Saul dum David subjectum quotidiano succrescere virtutum successu conspiceret, suam ei in conjugium filiam spopondit, atque in ejus dotem centum dari ab eo Philistinorum praepudia petiit, ut cum provocatus miles ultra se excrescere quaereret, inimicorum gladiis traditus vitam finiret, sicut scriptum est: *Non habet rex necesse sponsalia, nisi tantum centum praepudia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis* (**I Reg. XVIII, 25**). Porro Saul

cogitabat tradere David in manus Philistinorum; sed David dispositionis intimae favore roboratus, centum se dare perhibuit, et ducenta praepudia reportavit. Cujus nimirum operis Saul argumento superatus, superna providentia in sapientiae suae est consilio comprehensus; quia unde succrescentis militis vitam se extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit.

31. Sed quia nonnunquam astute aliquid sapere etiam electi moliuntur, libet ad medium alium sapientem deducere, et quomodo in internis consiliis astutia mortalium comprehendatur, demonstrare. Prudenter quippe Jonas sapere voluit, cum ad praedicandam Ninivitarum poenitentiam missus, quia electis gentibus Judaeam deseri timuit, praedicationis officium implere recusavit (**Jonae I, 2, 3, seq.**). Navim petiit, fugere Tharsis elegit; sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, ut videlicet cognoscatur cujus culpa mare turbetur. Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto sorbente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contemnit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, et quia auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Jubente Deo ministrare homo prophetiam noluit, aspirante Deo bellua prophetam vomit. Comprehendit erge Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc in usum suae voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit.

32. Perscrutemur adhuc Hebraeorum sapientiam, ut videamus quid providendo prohibuit, quid prohibendo provocavit. Certe cum ad Redemptoris nostri miracula credentium turba conflueret, cum sacerdotes populi, invidiae facibus accensi,

mundum post eum ire proclamarent dicentes: *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit (Joan. XII, 19)*; ut ab illo vim tantae concursuonis absciderent, finire ejus potentiam morte conati sunt, dicentes: *Expedit ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat (Joan. XI, 50)*. Sed Redemptoris mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiae, valuit, non ad separationem. Unde et per legem turturi vel columbae, in figura nostri sacrificii, secari guttur praecipitur, et non penitus abscidi, ut et post mortem corpori caput inhaereat (*Levit. I, 15*); quia videlicet *mediator Dei et hominum (I Tim. II, 5)*, id est, caput omnium nostrum, **196** et verae mundationis hostia, unde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhaesit. Post sectionem ergo caput turturis suo corpori inhaeret, quia Christum ab Ecclesia nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt, intulerunt mortem, ut ab eo absciderent fidelium devotionem; sed inde fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se aestimant ejus miracula persequendo abscidere, haec nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc ad pietatis suae obsequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarsit.

33. *Deus alia concedit propitius, alia permittit iratus.*---Justus namque et misericors mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus; atque ea quae permittit, sic tolerat, ut haec in sui consilii usum vertat. [*Vet. XIV.*] Unde miro modo fit ut et quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam quae ejus consilio

repugnant. Hinc enim per Psalmistam dicitur: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (**Psal. CX, 2**). Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam saepe inde perficitur, unde repellere putabatur. Hinc rursum dicitur: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo et in terra* (**Psal. CXXXIV, 6**). Hinc Salomon ait: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (**Prov. XXI, 30**). Restat ergo ut in cunctis quae agimus vim supernae voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitae debet nostra actio devote famulari, et quasi ducem sui itineris persequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilii nequaquam potest; sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrenat; ejusque sibi pondera levigat, qui hanc subjecto cordis humero volens portat. Sed quia persecutorum superius memoriam fecimus, qualiter etiam ea quae subjuncta sunt, eorum caecitati congruant, ostendamus. Sequitur:

CAPUT XIX [*Rec. XIII*].

VERS. 14.---*Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.*

34. *Christi persecutores in die tenebras passi sunt. Et quasi caeci palparunt in meridie.*---Per diem tenebras incurrerunt, quia in ipsa veritatis praesentia perfidiae errore caecati sunt. Clare quippe per diem cernitur, per noctem vero nostra acies obscuratur. Persecutores igitur Redemptoris nostri dum

divinae virtutis miracula cernerent, et tamen de ejus divinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce perdidierunt. Hinc est quod eos ipsa Lux admonet dicens: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant* (**Joan. XII, 35**). Hinc est quod de Judaea dicitur: *Occidit ei sol, cum adhuc esset dies* (**Jerem. XV, 9**). Hinc est quod vocem poenitentium in se propheta iterum sumpsit, dicens: *Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui* (**Isai. LIX, 10**). Hinc iterum dicit: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox* (**Isai. XXI, 11**). De nocte etenim custos venit, quia humani generis protector et manifestus in **197** carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiae suae tenebris Judaea minime agnovit. Ubi bene ex voce custodis additur, *Venit mane et nox*, quia per ejus praesentiam et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta caecitas remansit. [*Vet. XV.*] Bene autem dicitur: *Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*. Hoc quippe palpando exquirimus, quod oculis non videmus. Judaei autem aperta ejus miracula viderant, et adhuc cum quasi palpantes quaerebant, cum dicerent: *Quo usque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam* (**Joan. X, 24**). Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, et tamen in cordis sui tenebras offendentes, adhuc requirendo palpabant. Quorum nimirum caecitas ad crudelitatem, crudelitas etiam usque ad aperta opera persecutionis exarsit. Sed Redemptor humani generis persecutorum suorum manibus diu teneri non potuit. Unde et protinus subditur:

CAPUT XX.

VERS. 15.---*Porro salvum faciet egenum de gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.*

35. *Christus Judaeorum linguas et gentilium gladium resurgendo superavit.*---Ipse quippe iste pauper est, de quo per Paulum dicitur: *Propter nos egenus factus est, cum dives esset.* Et quia Judaei Dominum accusando tradiderunt, quem traditum gentiles occiderunt (**II Cor. VIII, 9**), potest per oris gladium accusantium Hebraeorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum muchaera acuta* (**Psal. LVI, 5**); quia Evangelio etiam teste clamaverunt: *Crucifige, crucifige* (**Luc. XXIII, 21**). Per violenti vero manum, ipsa crucifigens gentilitas exprimi potest, quae in Redemptoris morte Hebraeorum voces opere implevit. Deus itaque hunc pauperem et de violenti manu, et de oris gladio salvum fecit; quia videlicet Redemptor noster et vires gentilium, et linguas Judaeorum moriendo ex humanitate pertulit, sed ex divinitatis suae potentia resurgendo superavit. Qua videlicet resurrectione quid aliud agitur, nisi ut ad spem vitae subsequenter infirmitas nostra roboretur? Unde et bene mox subditur:

CAPUT XXI.

VERS. 16.---*Et erit egeno spes.*

36. *Suorum spem solidavit.*---Erepto quippe paupere, egenus ad spem reducitur, quia humilis fidelium populus, Redemptore moriente, pavore concutitur, sed resurgente solidatur. Ipsos namque primos hujus populi pauperes, electos videlicet praedicatores, visa ejus mors perculit, sed resurrectio ostensa reparavit. Salvato ergo paupere, spem egenus recipit, quia resurgente in carne Domino, fidelis quisque ad aeternae vitae fiduciam convalescit. Sed ecce jam in manifesta ostensione Veritas venit, jam carnis mortem pertulit, eamque resurgendo destruxit, jam resurrectionem gloria ascensionis honoravit; et tamen Hebraeorum lingua adhuc cum contumeliis lacescere non desinit, quos nimirum aequanimiter tolerat, ut alios tolerando convertat, atque alios minime conversos quandoque districtius feriat. Tunc enim lingua infidelium ab effrenatione suae loquacitatis obmutescet, cum venire eum justum judicem viderit, quem nunc injuste judicavit. Unde et bene subditur:

CAPUT XXII.

IBID.---*Iniquitas autem contrahet os suum.*

37. *Judaei a contumeliis in Christum cessabunt.*---Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis Redemptorem lingua infidelium contumeliis lacescere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahet, cum hoc quod non vult per **198** studium, per supplicium claudet. Quod tamen bene accipi etiam de conversis persecutoribus potest. Salvato enim paupere, dum egenus ad spem redit, contracto ore

iniquitas obmutescit, quia resurrectionis ejus clarescente miraculo, dum copiosa multitudo infidelium credit, a Redemptoris sui injuriis contumeliisque cessavit. Os enim suum, quod Deum deridendo aperuit, jam formidando contraxit.

[*Vet. XVI.*] SENSUS MORALIS.---38. *Invidorum tenebrae et anxia malitia.*---Libet haec moraliter, postposita Judaeorum significatione, transcurrere, atque a pravis generaliter quomodo agantur indagare. Iniquorum quippe hominum mentes cum quaedam a proximis bene gesta conspiciunt, in extenso livoris sui equuleo torquentur, et gravem malitiae suae poenam sustinent, cum bona in aliis tabescentes vident. Recte itaque dicitur: *Per diem incurrent tenebras*, quia mens eorum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur; quia saepe in proximis dum bona aperta considerant, si qua mala lateant investigant, et sollicitis inquisitionibus laborant, si quid forte quod accusare possint inveniant. Sana quidem membra conspiciunt: sed clausis cordis oculis vulnus palpantes quaerunt. Unde et bene subditur: *Et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*. Dies boni operis in proximo exterius lucet; sed quasi in nocte palpant, quia livoris sui intus tenebras tolerant. Pervenire ad aliqua, quae reprehendant, satagunt, detractionis aditum quaerunt; sed quia hunc invenire non valent, caeci exterius circumeunt. Quod bene exprimitur, cum Lot, protegentibus angelis, in domo ejus ostium Sodomitae non invenerunt, sicut scriptum est: *Vim faciebant Lot vehementissime, et jam proximum erat ut frangerent fores, et miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, et eos qui erant foris, percusserunt caecitate a minimo usque ad*

maximum, ita ut ostium invenire non possent (Gen. XIX, 9, 10 seq.). Quid est quod malis adversantibus, intra domum Lot reducitur et munitur, nisi quod justus quisque dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur, et imperterritus manet? Sodomitae autem viri in domo Lot invenire ostium nequeunt, quia corruptores mentium contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim caecitate quasi domum circumeunt, qui invidentes facta dictaque perscrutantur. Sed quia eis de vita justis undique ac laudabilis actio obviat, errantes nihil aliud quam parietem palpant. Bene ergo dicitur: *Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*, quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, caecati malitia, malum quod non vident ad accusationem quaerunt.

39. *Ad culpam nos trahit delectatio aut terror; neutrum valet in humilem.*---Ubi et recte subjungitur: *Porro salvum faciet de gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.* Pauper quippe est, quisquis apud semetipsum elatus non est. Unde et per Evangelium Veritas dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum (Matth. V, 3).* Duobus autem modis ad culpam unusquisque pertrahitur. Aut enim delectatione ducitur, aut terrore superatur. Gladius namque oris est iniquitas persuasionis, manus autem violenti est adversitas potestatis. Sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quo nulla hujus mundi prospera appetit, **199** eo audenter etiam adversa contemnit, recte dicitur: *Salvum faciet de gladio oris eorum et de manu violenti pauperem.* Ac si aperte diceretur: Sic in se Deus mentes humilium solidat, ut eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum

frangant. Spes quippe in aeternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala exterius quae tolerat sentit. Unde et subditur: *Et erit egeno spes*. Ad cuius spei videlicet fructum eum pauper pervenerit, omnis elatus obmutescit. Unde et adhuc subditur: *Iniquitas autem contrahet os suum*. Nunc enim malus bonis derogat, et recta quae agere negligit. haec in aliis obtrectando lacerare non cessat. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cum justis quanta suppetat gloria retributionis agnoscit. Tunc enim ei loqui contra bonos non vacat, quia malorum suorum digna retributione linguam tormenta ligant. Unde bene, Anna prophetante, dicitur: *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent (I Reg. II, 9)*. Sed ut electus quisque aeterna supplicia evadat, et ad perennem gloriam pauper ascendat, debet hic assiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio valeat purgatus inveniri. Ipso namque infirmitatis nostrae pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subvenientia flagella relevemur. Unde et subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XVII*].

VERS. 17.---*Beatus homo qui corripitur a Domino*.

40. *Assiduis flagellis hic atteri electus debet*.---Prima virtus est, ne perpetrari debeant, vitare peccata; secunda autem, saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec commissas agnoscimus. Et peccatorum mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damnum suae caecitatis intelligit. Unde fit

plerumque divini muneris largitate, ut culpam poena subsequatur, et flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas caecabat. Torpens quippe animus percussione tangitur, ut excitetur; quatenus qui statum suae rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo jacet. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis origo fit luminis. Unde et per Paulum dicitur: *Omne quod arguitur, a lumine manifestatur* (**Ephes. V, 13**), argumentum enim salutis est vis doloris. Hinc est enim quod Salomon ait: *Curatio cessare faciet peccata maxima* (**Eccle. X, 4**). Hinc iterum dicit: *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (**Hebr. XII, 6**). Hinc voce angelica Dominus ad Joannem loquitur, dicens: *Ego quos amo, redarguo et castigo* (**Apoc. III, 19**). Hinc Paulus ait: *Omnis autem disciplina in praesenti quidem non videtur esse gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiae* (**Hebr. XII, 11**). Quamvis ergo convenire simul nequeant dolor et beatitudo, recte tamen nunc dicitur, *Beatus homo qui corripitur a Domino*; quia per hoc, quod peccator dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem, quae sine interventu est doloris, eruditur. Sequitur:

CAPUT XXIV [*Rec. XIV*].

IBID.---*Increpationem ergo Domini ne reprobas.*

41. *Correptio Dei alia punit, alia probat.*---Quisquis pro culpa percutitur, sed in querela suae percussione elevatur,

inreparationem Domini reprobatur, quia hanc injuste se perpeti accusat. Qui autem non pro purgatione criminis, sed pro **200** fortitudinis probatione feriuntur, cum causas suae percussione inquirunt, nequaquam increpationem Domini reprobare dicendi sunt, quia in semetipsis satagunt invenire quod nesciunt. Unde et beatus Job ad libertatis verba inter percussione verbera erumpens, tanto de se rectius judicia ferientis interrogat, quanto in semetipso verius causas passionis ignorat. Eliphaz itaque, quia hunc percussum non probationis examine, sed purgationis aestimavit, dum libere inter flagella loqueretur, reprobasse Dei increpationem credidit. Quem apte etiam haereticorum tenere speciem diximus, qui omne quod a sancta Ecclesia recte agitur, apud iudicium suum semper ad vitium fortitudinis inflectunt. Quia vero bona intentione ad loquendum ducitur, sed non curat discernere cui loquatur, adhuc supernae dispensationis moderamina praedicando subjungit, dicens:

CAPUT XXV [*Vet. XVIII*].

VERS. 18.---*Quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt.*

42. *Duobus modis Deus ad salutem vulnerat. Menti ad Deum redeunti, ad tentationem vertitur, quidquid prius in saeculo blandum.*---Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, et mentis durtiam suo pavore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interius

vivant. Unde per Moysen quoque loquitur, dicens: *Ego occidam, et vivere faciam: percutiam, et ego sanabo* (**Deut. XXXII, 39**). Occidit enim ut vivificet, percutit ut sanet; quia idcirco foras verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si flagella exterius cessare videantur, intus vulnera infligit, quia mentis nostrae duritiam suo desiderio percutit. Sed percutiendo sanat, quia terroris sui jaculo transfixos ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suae aerumnas non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quamlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit. Unde et sponsa in Canticis canticorum dicit: *Vulnerata charitate ego sum* (**Cant. II, 5, sec. LXX**). Male enim sana anima, atque in hujus exsilii stratum caeca securitate prostrata, nec videbat Dominum, nec videre requirebat; percussa autem charitatis ejus spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, et miro modo vivificatur ex vulnere, quae prius mortua jacebat in salute; aestuat, anhelat, et jam videre desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducitur, quae ad securitatem quietis intimae, amoris sui perturbatione revocatur. Sed cum sauciata mens anhelare in Deum coeperit, cum cuncta mundi hujus blandimenta despiciens, ad supernam patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur, quidquid amicum prius in saeculo blandumque putabatur. Nam qui peccantem amare consueverant, recte viventem crudeliter impugnant. Et erectus in Deum animus, carnis suae bella tolerat, in qua prius vitiis serviens, delectabiliter jacebat; voluptates priscae ad

memoriam redeunt, et contradicentem mentem gravi certamine affligunt. Sed quia dum **201** transitorio labore atterimur, a perpetuo dolore liberamur, apte subjungitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XV*].

VERS. 19.---*In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.*

43. *Transitorio labore eruimur a perpetuo dolore.*---Quid enim senario numero, quem septimus sequitur, nisi praesentis vitae operatio decursusque signatur? Sexto quippe die omnia perficiens, hominem condidit, et septimo Deus die requievit. Qui scilicet septimus vesperam non habet, quia subsequentem requiem nullus jam terminus claudit. Perfectis ergo omnibus requies sequitur; quia post bona vitae praesentis opera, retributio aeternae quietis invenitur. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, ne nos in septima malum tangat, quia per paternae pietatis eruditionem praesentis vitae labore nos atterit, sed in adventu judicis a verbere abscondit; ut tanto tunc ad salutem certiores exhibeat, quanto nunc nos flagella durius secant. Qui apte mox et mala vitae praesentis, et adjutoria supernae protectionis enumerans subdit:

CAPUT XXVII.

VERS. 20.---*In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii.*

44. *Deus dum verbi sui pabulo mentes reficit, contra tentationes fortes reddit.*---Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis, ita fames mentis est silentium divinae locutionis. Unde recte per prophetam dicitur: *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed famem audiendi verbum Dei (Amos VIII, 11).* Et quia humanam mentem cum divina allocutio deserit, contra eam tentatio carnis invalescit, apte subjungitur: *Et in bello de manu gladii.* Bellum quippe patimur, cum carnis nostrae tentationibus impugnamur; de quo nimirum bello per Psalmistam dicitur: *Obumbra caput meum in die belli (Psal. CXXXIX, 3).* Quia igitur reprobi dum fame verbi Dei deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur; electos suos Dominus et in fame a morte eripit, et in bello a gladio abscondit, quia eorum mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sed sunt nonnulli qui etsi ex divino eloquio ab interna se fame reficiunt, si jam contra tentationes corporis continentiae virtute fulciuntur, adhuc tamen percuti humanis detractionibus metuunt, et saepe dum linguarum jacula formidant, peccati se laqueo strangulant. Unde et apte subditur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XIX*].

VERS. 21.---*A flagello linguae absconderis.*

45. *Contra flagellum linguae, contra poenas corporales armare se oportet.*---Flagellum linguae est exprobratio illatae contumeliae. Flagello linguae bonos feriunt, qui eorum opera irridendo persequuntur. Saepe enim lingua a bono opere, dum vituperat, revocat; et quasi flagellum se exerit, quia dorsum timidae mentis caedit. Hoc flagellum linguae, electae menti insidiari Propheta conspexerat, cum supernum adiutorium pollicens dicebat: *Ipse liberabit de laqueo venantium, et a verbo aspero (Psal. XC, 3)*. Venantes enim nihil aliud quam carnem quaerunt. Sed a venantium laqueo, atque ab aspero verbo eripimur, quando et insidias carnalium, et irrisiōum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorum verba sunt, quae bonis nostris itineribus adversantur. Sed asperitatem verbi evadere, est irrisiōes detrahentium dissimulando calcare. Sancta ergo **202** anima a flagello linguae absconditur, quia dum in hoc mundo honorem laudis non quaerit, nec contumelias detractiōis sentit. Sed sunt nonnulli qui jam derogantium verba despiciunt, jam irrisiōes pro nihilo attendunt, adhuc tamen poenas corporis cruciatusque pertimescunt. Antiquus namque adversarius ut a recta intentione nos retrahat, multiformiter impugnat; et tentationem nostram modo verbi fame, modo carnis certamine, modo flagello sermonis, modo calamitate persecutionis aggreditur. Sed quia perfectus quisque cum in seipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit, apte subiungitur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Et non timebis calamitatem, cum venerit.*

46. *Contra multiformem adversarium pugnantes multiplicius nos parare debemus.*---Sancti enim viri quia contra multiformem adversarium se pugnare considerant, semetipsos in certamine multipliciter parant. Habent enim contra famem divini verbi pabulum, contra belli gladium, continentiae scutum; contra flagellum linguae, protectionem patientiae; contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adiutorium. Unde miro modo agitur, ut quo eos hostis callidus numerosius tentat, eo circumspecti Dei milites virtutibus ditiores fiant. Et quia electi quique dum praesentis vitae certamina fortiter tolerant, in terrore sibi venturi iudicii securitatem parant, recte subjungitur:

CAPUT XXX [*Vet. XX, Rec. XVI*].

VERS. 22.---*In vastitate et fame ridebis.*

47. *Reprobi interius exteriusque torquebuntur.*---Tunc quippe reprobi vastitatem famemque passuri sunt, cum damnati in extremo iudicio ab aeterni panis visione separantur. Scriptum namque est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. XXVI, 10, sec. LXX)*. Et per semetipsum Dominus dicit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi (Joan. VI, 51)*. Simul ergo eos vastitas famesque cruciat, qui non solum foras tormenta sentiunt, sed intus etiam inediae peste moriuntur. Vastat gehenna, quia concremat, fames interficit, quia suam illis faciem Redemptor abscondit. Bene namque retributionem interius exteriusque recipiunt, quia et cogitando

miseri et operando deliquerunt. Unde bene per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis (Psal. XX, 10)*. Quod enim ab igne devoratur, ab exteriori parte accenditur, clibanus vero interius inflammatur. In tempore ergo vultus Domini iniusti omnes et ut clibanus ponuntur, et ab igne devorantur; quia, apparente iudice, cum a visione illius eorum multitudo repellitur, et intus per desiderium ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

48. *Justi tunc ridebunt, nec ulla in damnatos misericordia movebuntur.*---Potest etiam flagellum linguae, sententia ultimae animadversionis intelligi, qua districtus iudex reprobis dicit: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41)*. Justus ergo a flagello linguae atque a calamitate veniente absconditur, quia in tanta districtione sententiae blanda tunc iudicis voce refovetur cum dicitur: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me (Ibid., 35, 36)*. Quibus praemittitur: *Venite, benedicti 203 Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (Ibid., 34)*. In vastitate ergo et fame justus ridebit; quia cum iniquos omnes extrema ultio percutit, ipse de gloria dignae retributionis hilaescit. Nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur; quia divinae justitiae per speciem inhaerens, inconcusso districtionis intimae vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernae rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Unde bene etiam per Psalmistam

dicitur: *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum (Psal. LI, 8)*. Iniquos enim justi nunc vident et metuunt, tunc visuri sunt et ridebunt. Quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem; quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Aeterno itaque supplicio deditis non esse miserendum, in ipsa qua beati sunt justitia judicantis legunt, qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptae felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt quod implere nequaquam possunt. Sed quisquis ad vitae praecepta se dirigit, priusquam praemia aeterna percipiat, hic jam initia secuturae in perpetuum securitatis degustat; ut antiquum hostem non metuat, ut interveniente mortis articulo violentos ejus impetus nullatenus perhorrescat. [*Vet. XXI.*] Justis namque initium retributionis est ipsa plerumque in obitu securitas mentis. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXXI.

VERS. 22.---*Et bestiam terrae non formidabis.*

49. *Saepe in obitu percipiunt securitatem mentis.*---Callidus quippe adversarius bestia terrae dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violentia crudelitatis efferatur. Quos enim viventes blandiens decipit, morientes saeviens rapit. Quo contra de electorum Ecclesia per prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Mala bestia non transibit per eam (Isai. XXXV, 9)*. Illi igitur terrae bestiam

morientes timent, qui conditoris sui potentiam viventes non timent. Sancti etenim viri quia divinae se formidini medullitus subdunt, omne de adventu adversarii pondus timoris abjiciunt. Hinc est enim quod Psalmista Dominum exorat, dicens: *Ne quando rapiat ut leo animam meam* (**Psal. VII, 3**). Hinc rursus ait: *Exaudi, Deus, orationem meam cum tribulor, a timore inimici eripe animam meam* (**Psal. LXIII, 1, 2**). Viventes quippe perfecte timent judicem, ne morientes metuant accusatorem. Bene ergo dicitur: *Et bestiam terrae non formidabis*. Ac si aperte diceretur: Quia a blandiente hoste modo non vinceris, hunc saevientem postmodum non timebis. Sed cum bene vivitur, valde cavendum est ne mens, despectis caeteris, de gloria singularitatis elevetur. Unde apte ad memoriam bonum sociale reducitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT XXXII.

VERS. 23.---*Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.*

50. *Pie viventibus cavenda singularitas*.---Quasi distinctae in mundo regiones sunt Ecclesiae gentium, quae in una fide positae, morum linguarumque diversitate dividuntur. Quid ergo regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? quibus primi instructoris voce dicitur: *Vos autem tanquam lapides vivi supraedificamini* (**I Petr. II, 5**). De quibus sanctae Ecclesiae per prophetam Dominus pollicetur dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos* (**Isai. LIV, 11**). Qui igitur recte vivit, pacto se

lapidibus **204** regionum jungit, quia in eo quod mundi desideria superat, vitam suam procul dubio ad sanctorum praecedentium imitationem ligat. Sed cum a mundi actione disjungitur, malignorum spirituum impugnationes crescunt: quae tamen quo magis in moerore quemquam atterunt, eo conditori humiliter subdunt. Unde et subjungitur:

CAPUT XXXIII.

IBID.---*Et bestiae terrae pacificae erunt tibi.*

51. *Acriores hostis insidiae, ad gratiae adiutorium postulandum nos compellunt.*---Notandum prius est quod non ait pacatae, sed pacificae, videlicet, non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt. Hostes quippe callidi dum insidiantur, affligunt; sed afflicta mens tanto magis ad aeternam patriam reditum diligit, quanto in hoc aerumnoso exsilio laboriosius vivit; et verius se gratiae sui adiutoris humiliat, cum contra se insidias hostium acriores pensat. Terrae ergo bestiae pacificae electis fiunt, quia maligni spiritus, cum bonorum corda adversantes deprimunt, haec nolentes ad amorem Domini impellunt. Inde ergo cum Deo pax robustior oritur, unde nobis ab adversariis durior pugna generatur.

[*Vet. XXII.*] 52. *Motus carnis tentando rugiunt, sed usque ad morsum non perveniunt. Imo nobis pacem cum Deo procurant.*---Possunt etiam per terrae bestias motus carnis intelligi, qui dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacesunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cum cor sub divina lege deprimitur, etiam carnis incentiva

detumescunt; ut etsi tentando submurmurant, nequaquam tamen usque ad effectum operum, quasi ad aperti morsus rabiem exsurgant. Quis enim in hac adhuc corruptibili carne subsistens, has terrae bestias plene edomat, cum ille ad tertium coelum raptus egregius praedicator dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis* (**Rom. VII, 23**)? Sed alius est has bestias in campo operis saevientes aspicere, aliud intra cordis caveam frementes tenere. Redactae namque intra claustra continentiae, etsi adhuc tentando rugiunt, usque ad morsum tamen, ut diximus, actionis illicitae non excedunt. Pacificae itaque sunt terrae bestiae, quia motus carnis etsi per desideria palpitant, aperta nos tamen contradictione operis non impugnant. Quamvis per hoc ipsum quod pacificae dicuntur, etiam id quod de malignis spiritibus diximus, non inconvenienter accipitur. Motus etenim carnis pacem nobis cum Deo faciunt, cum tentando contradicunt. Nam justis mens in eo quod ad superna dirigitur, ex corruptibili corpore gravi bello fatigatur. Quae si quando a desideriis coelestibus, hujus mundi quamlibet minima delectatione tardatur, ipso bello suae tentationis impellitur, ut illud toto corde diligat, quod contradictio nulla perturbat. Unde fit, ut quietem intimam ad memoriam revocet, et carnis suae illecebras fugiens, ad illam pleno amore suspiret. Considerare enim ex tentatione unusquisque compellitur, unde quo cecidit, qui postquam pacem Dei deseruit, rixam sibi contra se exurgere ex semetipso sentit, et tunc verius videt de secura Dei dilectione quid perdidit, qui ad se dilapsus, suam in se contumeliam invenit. Pacem ergo nobis terrae bestiae faciunt, quia motus carnis, dum nos tentando lacesunt, ad amorem quietis intimae impellunt. Bene autem subditur:

CAPUT XXXIV [*Vet. XXIII.*]

VERS. 24.---*Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.*

205 53. *In Scripturis pax plena et pax inchoata.*---In Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atque aliter inchoata. Inchoatam quippe pacem Veritas discipulis dederat, cum dicebat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (Joan. XIV, 27)*, et plenam Simeon desideraverat, cum exoraret dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (Luc. II, 29)*. Pax enim nostra ex desiderio conditoris inchoatur, ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra nec ignorantia caecatur, nec carnis suae impugnatione concutitur. Sed quia ejus exordia tangimus, cum vel mentem Deo, vel carnem menti subjugamus, tabernaculum justi habere pacem dicitur, quia videlicet ejus corpus, quod mente inhabitat, a perversis desideriorum motibus sub justitiae dispositione refrenatur. Sed quid prodest per continentiam carnem restringere, si mens se per compassionem nesciat in proximi amore dilatare? Nulla namque est castitas carnis quam non commendat suavitas mentis. Unde post pacem tabernaculi apte subjungitur:

CAPUT XXXV.

IBID.---*Et visitans speciem tuam, non peccabis.*

54. *Se quisque in altero cogitet et amet. Paulus omnibus omnia factus condescendendo, non cadendo.*--- Species quippe hominis est alter homo. Recte enim species nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quid ipsi sumus. Corporali enim visitatione ad proximum gressum accessimus; spiritali vero, non gressu, sed affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat, quisquis ad eum, quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit; ut in altero sua considerans, ex se ipso colligat, qualiter infirmanti alteri condescendat. Speciem suam visitat, qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat. Hinc namque per Moysen Veritas cum gesta describeret, gerenda signabat, dicens: *Protulit terra herbam virentem et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam (Genes. I, 12).* Lignum quippe secundum speciem suam semen producit, cum mens nostra ex se considerationem in alterum colligit, et recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens dicit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris (Tob. IV, 16).* Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Quae vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis (Matth. VII, 12).* Ac si aperte diceret: Speciem vestram in altero visitate, atque ex vobismetipsis cognoscite, quid vos oporteat aliis exhibere. Hinc Paulus ait: *Factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer; et his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrificerem; et his qui sine lege sunt quasi sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. (I Cor. IX, 20 et 21).* Et paulo post: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos (Ibid., 23).* Neque enim egregius praedicator, ut quasi Judaeus fieret, ad perfidiam erupit; neque

ut quasi sub lege esset, ad carnale sacrificium rediit; neque ut omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem commutavit; sed condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo; ut videlicet singulos in se suscipiens, et se in singulos transfigurans, compatiendo colligeret, si ita **206** ipse, ut illi, esset quid impendi sibi ab aliis recte voluisset; et tanto verius unicuique erranti concurreret, quanto salutis ejus modum ex propria consideratione didicisset. Bene ergo dicitur: *Et visitans speciem tuam non peccabis*, quia tunc peccatum plene vincitur, cum ex sua similitudine unusquisque perpendit, quomodo in proximi dilectione dilatetur. Cum vero a vitiis caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisque doceat vitam quam moribus servat. [*Vet. XXIV.*] Ille namque uberes fructus praedicationis colligit, qui semina bonae operationis praemittit. Unde post pacem tabernaculi, et speciei nostrae visitationem, recte subjungitur:

CAPUT XXXVI.

VERS. 25.---*Et scies quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua sicut herba terrae.*

55. *Semen justi multiplex.*---Post pacem quippe tabernaculi, post speciei nostrae visitationem, semen justi multiplex surgit, quia nimirum post membrorum macerationem, ac morum magnitudinem, tanto ei fecundius praedicationis verbum tribuitur, quanto hoc in ejus pectore perfecti operis exaratione praevenitur. Ille namque bene loquendi facundiam accipit, qui

sinum cordis per recte vivendi studia extendit. Nec loquentem conscientia praepedit, cum vita linguam antecedit. Hinc est quod Aegypti, servitio publico, Joseph dispensante, subjecti (**Genes. XLVII, 20 seq.**); cum juri regis semetipsos tradentes humiliant, frumenta etiam ad semen reportant. Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cum et sacro eloquio pascimur, et tamen ad quaedam, quae in hoc mundo appetimus in nostris voluptatibus vagamur. Sed servi facti, et ad semen frumenta percipimus, quia dum plene Deo subdimur, etiam verbo praedicationis replemur. Et quoniam magna proles fidelium sequitur, cum sancta praedicatio praerogatur, post multiplicitatem seminis recte subjungitur: *Et progenies tua sicut herba terrae*. Justi progenies herbae terrae comparatur, quia qui de ejus imitatione nascitur, dum arentem vitae praesentis gloriam deserit, spe in aeterna viridescit. Vel certe justi progenies sicut herba oritur, quia dum vivendo monstrat quod praedicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exsurgit. Sed quisquis jam terrena desideria despicit, quisquis se per activae vitae opera extendit, nequaquam ei sufficit magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem valeat interna penetrare. Unde et apte protinus subinfertur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XVII*].

VERS. 26.---*Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.*

56. *Qui carnem domuit, contemplationi vacare debet. Et qui praedicationi operam dat.*---Quid enim sepulcri nomine, nisi contemplativa vita signatur, quae nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum a terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vita mortui etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Colos. III, 3).* [*Vet. XXV.*] Activa quoque vita sepulcrum est, quia a pravis nos operibus mortuos tegit; sed contemplativa perfectius sepelit, quia cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias **207** carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctae operationis exerceat; et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimae contemplationis studia extendat. Neque enim perfectus praedicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est enim quod Abraham conjugem mortuam in sepulcro duplici sepelit (**Genes. XXIII, 19**); quia nimirum perfectus quisque praedicator extinctam a praesentis vitae desideriis animam suam, sub bonae operationis tegmine et contemplationis abscondit, ut a carnali concupiscentia sub activa contemplativaque vita quasi insensibilis lateat, quae prius mundi desideria sentiens, mortaliter vivebat. Hinc est quod humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, et ad orationis studium in monte pernoctat, ut perfectis videlicet praedicatoribus innuat quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantur sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.

Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed praedicando ad proximi utilitatem reditur. Unde apud Moysen, dum in sacrificio vacca mactatur (**Num. XIX, 3**), offerri cum hyssopo lignoque cedrino bis tinctus coccus praecipitur. Vaccam quippe mactamus, cum carnem a lascivia suae voluptatis extinguimus. Quam cum hyssopo lignoque cedrino ac cocco offerimus; quia cum maceratione carnis, sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit. Et per Petrum dicitur: *Fide mundans corda eorum* (**Act. XV, 9**). Lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem coelestium terminus non consumit. Unde et per Petrum dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem* (**I Pet. I, 3**). Coccus rubeo colore flammescit, quia quem implet charitas incendit. Unde et in Evangelio Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram* (**Luc. XII, 49**). Sed bis tinctus coccus offerri praecipitur, ut videlicet ante interni iudicis oculos charitas nostra Dei et proximi dilectione coloretur; quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi utilitatemque postponat; nec sic pro amore proximi occupata inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris exstinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, ut non solum ad operationis se latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat.

[*Vet. XXVI.*] 57. *Vita activa aliis, aliis contemplativa magis congruit. Alterutra cuique pro ingenio colenda.*---Sed inter haec magnopere sciendum est, quia valde inter se diversae

sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosae mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis **208** dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Saepe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; et saepe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suae quietis extincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt; et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis (Matth. V, 29).* Duae quippe vitae, activa videlicet et contemplativa, cum conservantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplativa est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa et spiritalia nequaquam possunt, et tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidia foveam, intellectus pravi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita ultra vires assumpta, cogit a veritate cadere, quos in statu suae rectitudinis humiliter poterat sola activa custodire. Quibus recte hoc quod praefati sumus, Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Ac si aperte diceret: Cum

ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius activam tene. Cumque in hoc, quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis; ut si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum coelorum per solam activam valeas saltem luscus intrare. Hinc rursum dicit: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit eti ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (**Matth. XVIII, 6**). Quid per mare, nisi praesens saeculum; quid per molam asinariam, nisi actio terrena signatur? Quae dum colla mentis per stulta desideria stringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, et ad contemplationis studia, humilitate postposita, ultra intelligentiae vires surgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque a gremio unitatis dividunt. Qui ergo unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat, alligata collo mola asinaria, in mare projici, quia nimirum perversae menti expeditius esse potuisset, ut occupata mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Rursum, nisi quibusdam mentibus contemplativa vita potius quam activa congrueret, nequaquam per Psalmistam Dominus diceret: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (**Psal. XLV, 11**).

[*Vet. XXVII.*] 58. *Quid valeant timor et amor ad contemplationem.*---Sed inter haec sciendum est quia saepe et pigras mentes amor ad opus excitat, et inquietas in contemplatione timor refrenat. Anchora enim cordis est pondus timoris; et plerumque fluctu cogitationum quatitur, sed per disciplinae suae vincula retinetur; neque hoc

tempestas suae inquietudinis ad naufragium pertrahit, quia in divini amoris littore perfecta charitas astringit. Unde necesse est **209** ut quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum prius subtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mentis est vis amoris, quae hanc dum a mundo extrahit, in alta sustollit. Prius ergo discutiat, si summa inquirens diligit, si diligens timet, si novit incognita aut amando comprehendere, aut non comprehensa timendo venerari. In contemplatione etenim mentem si amor non excitat, teporis sui torpor obscurat; si timor non aggravat, sensus hanc per inania ad nebulam erroris levat; et cum clausa ei secretorum janua tardius aperitur, ab ea longius ipsa sua praesumptione repellitur; quia irrumpere appetit hoc, quod non inveniens quaerit; cumque superba mens errorem pro veritate percipit, quo quasi intus gressum porrigit, foras tendit. Hinc est enim quod legem daturus Dominus, in igne fumoque descendit (**Exod. XIX, 18**); quia et humiles per claritatem suae ostensionis illuminat, et superborum oculos per caliginem erroris obscurat. Prius igitur mens ab appetitu gloriae temporalis, atque ab omni carnalis concupiscentiae delectatione tergendenda est, et tunc ad aciem contemplationis erigenda. Unde et cum lex accipitur, populus a monte prohibetur, ut videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non praesumant. Unde et recte dicitur: *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur* (**Ibid., 12, 13**). Bestia enim montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur.

59. *Quae ad eam assequendam perfectio necessaria.*---Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, ut sollicite sciant si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata a proximis aequanimiter portant, si objectis bonis temporalibus nequaquam mens laetitia solvitur, si subtractis non nimio moerore sauciatur; ac deinde perpendant si cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritalia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt; si incircumscriptum lumen videre cupientes, cunctas circumscriptionis suae imagines deprimunt; et in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt. [*Vet. XXVIII.*] Unde recte nunc dicitur: *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Vir quippe perfectus sepulcrum in abundantia ingreditur, quia prius activae vitae opera congregat, et postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum, huic mundo funditus occultat. Unde et apte subditur: *Sicut infertur acervus tritici in tempore suo (Ibid.).*

60. *Actio contemplationem debet antecedere.*---Actionis namque tempus primum est, contemplationis extremum. Unde necesse est ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condant (**Luc. VIII, 35**). Hinc est enim quod is quem legio daemonum Domino jubente dereliquit, ad Salvatoris sui pedes residet, verba doctrinae percipit, et de regione sua simul discedere cum salutis auctore concupiscit; sed tamen ei ipsa quae salutem contulit Veritas dicit: *Revertere primum in domum 210 tuam, et narra quanta tibi fecerit Dominus.* Cum enim quamlibet parum de divina cognitione percipimus,

redire ad humana jam nolumus, et proximorum necessitatibus onerari recusamus; quietem contemplationis quaerimus, nihilque aliud, nisi hoc quod sine labore reficit, amamus. Sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, narrare quae nobiscum acta sunt praecipit, ut videlicet prius mens exsudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem.

[*Rec. XVIII.*] 61. *Contemplationis et actionis figurae Rachel et Lia, Maria et Martha. Vitae activae magna merita, contemplativae potiora.*---Hinc est quod Jacob pro Rachel servit, et Liam accipit, eique dicitur *Non est consuetudinis in terra nostra ut minores ante tradamus ad nuptias quam majores* (**Genes. XXIX, 27**). Rachel namque, visum principium; Lia autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem, nisi contemplativa; quid per Liam, nisi activa vita designatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quaeritur; in operatione autem sub gravi necessitatum fasce laboratur. Unde et Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fecunda, quia nimirum mens cum contemplandi otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat; cum vero ad laborem se praedicationis dirigit, minus videt, sed amplius parit. Post Liae ergo complexus ad Rachelem Jacob pervenit, quia perfectus quisque ante activae vitae ad fecunditatem jungitur, et post contemplativae ad requiem copulatur. Quia enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito major est quam activa, sacri Evangelii verbis ostenditur, in quo duae mulieres diversa egisse referuntur. Maria quippe Redemptoris nostri verba audiens, ad pedes illius residebat; Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Cumque contra Mariae otium Martha quereretur, audivit: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris*

erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea (Luc. X, 41, 42). Quid enim per Mariam, quae verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita signatur? Sed Marthae cura non reprehenditur, Mariae vero etiam laudatur, quia magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Unde nec auferri unquam Mariae pars dicitur, quia activae vitae opera cum corpore transeunt, contemplativae autem gaudia melius ex fine convalescunt. Quod bene ac breviter Ezechiel propheta exprimit, cum volantia animalia contemplatus ait: *Et similitudo manus hominis subtus pennas eorum erat (Ezech. X, 21).* Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire sanctorum, quibus ad summa transvolant, et terrena deserentes, sese in coelestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona quae praevalent etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suae opera virtute contemplationis vincunt.

[*Vet. XXIX.*] 62. *Sepulcri nomine requies aeterna potest intelligi.*---Potest etiam per sepulcrum non solum in hac vita nostra contemplatio, sed requies aeternae et intimae retributionis intelligi; in qua tanto verius quiescitur, quanto in nobis corruptionis vita perfectius necatur. In abundantia ergo sepulcrum 211 ingreditur, qui post congesta vitae praesentis opera, mutabilitati suae plene mortuus, in secreto veri luminis occultatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Abscondes eos in abdito vultus tui, a conturbatione hominum (Psal. XXX, 21).* Quod bene etiam comparatio adjuncta commendat, cum

subditur: *Sicut infertur acervus tritici in tempore suo*. Frumentum quippe in segete sole tangitur, quia in hac vita, humana anima respectu superni luminis illustratur; pluvias accipit, quia veritatis eloquio pinguescit; ventis concutitur, quia tentationibus exercetur; et secum crescentes paleas portat, quia nequiores contra se quotidie vitam peccantium tolerat; atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, ut a palearum connexione solvatur; quia mens nostra coelesti disciplinae supposita, dum correctionis flagella percipit, a societate carnalium mundior recedit; et relictis paleis ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernae mansionis aeterna gaudia sublevatur. Bene ergo dicitur: *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo*; quia dum post afflictionem iusti praemia patriae coelestis inveniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur; et in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo a percussione requiescunt. Electis quippe tempus alienum est vita praesens, unde et quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit: *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum* (**Joan. VII, 6**). Et rursum: *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum* (**Luc. XXII, 53**). Sepulcrum ergo in tempore suo sicut frumenti acervus ingreditur, quia ille aeternam requiem **212** percipit, qui prius hic, ut ab exurendis paleis liber sit, disciplinae pressuras sentit. Eliphaz vero, quia et in locutionis suae serie tabernaculum, lapides, bestias, semen, herbas, sepulcrumque nominavit, quod non haec juxta litteram dixerit, ipse innuit, qui post cuncta illico subjungit.

CAPUT XXXVIII.

VERS. 27.---*Ecce hoc, ut investigavimus, ita est.*

63. *Verba Eliphaz spiritaliter intelligenda sunt.*---Liquet profecto quod in his verbis nihil ab eo juxta superficiem dicitur, quia nimirum ante faciem non jacet quod investigatur. Qui ergo haec investigasse se indicat, quia in verbis exterioribus interiora quaesierit demonstrat. Sed post cuncta ad stultitiam jactantiae pervenit, quia protinus subdit:

CAPUT XXXIX.

IBID.---*Quod auditum, mente pertracta.*

64. *Gravis ejus imperitia est velle docere meliorem.*---Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est velle docere meliorem. Unde et ea quae ab amicis recte prolata sunt, ab interno arbitro non recta judicantur. In eo namque vim suae rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt; quia et medicamina vires perdunt, cum sanis membris apponuntur. In omni ergo quod dicitur, necesse est ut causa, tempus et persona pensetur; si verba sententiae veritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si et veritatem sententiae, et congruentiam temporis personae qualitas non impugnat. Ille enim laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem quem feriat conspicit. Male namque arcus validi cornua subigit, qui sagittam fortiter dirigens civem ferit.

LIBER SEPTIMUS. *Totum caput sextum, tribus postremis versibus exceptis, partim allegorice, partim moraliter explicat.*

CAPUT PRIMUM.

211 1. *Job flagellis et conviciis probatus. Si qua loquitur quae impatientiam sonant, haec non humano pensanda iudicio, sed divino.*---Quorumdam mentes plus flagella, quam convicia cruciant; quorumdam vero plus convicia quam flagella castigant. Nam saepe contra nos quibuslibet poenis durius tormenta verborum saeviunt; cumque nos ad defensionem erigunt, in impatientiam sternunt. Unde beato Job ne deesse tentatio ulla potuisset, non solum hunc flagella desuper feriunt sed graviora plagis amicorum colloquia affligunt; ut sancti viri anima hinc inde pulsata, ad motum iracundiae et elationis erumperet, et quidquid mundum vixerat, per contumaciam superbae locutionis inquinaret. Sed tactus plagis gratias retulit; laceratus verbis recta respondit; et percussus innotescit, quam pro minimo salutem carnis habuerit. Loquens quoque indicat, quam sapiens tacebat. Sed quaedam ejus verbis admista sunt, quae apud humana iudicia patientiae limitem transire videantur: quae nos vere intelligimus, si superni sententiam iudicis in eorum examinatione pensamus. Ipse quippe beatum Job et prius contra adversarium praetulit,

dicens: *Vidisti servum meum Job, quod non ei similis est super terram; vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo (Job. I, 8)?* Ipse post probationem amicos ejus redarguit, dicens: **212** *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job (Job. XLII, 7).* Restat ergo ut cum mens in beati Job sermonibus fluctuat, eorum pondus ex ejusdem historiae initio ac fine perpendat. Ab aeterno enim iudice nec casurus laudari potuit, nec lapsus praeferri. Si igitur in ambiguitatis tempestate deprehensi, prima hujus historiae et postrema conspiciamus, navis cordis considerationis suae funibus, quasi a prora et puppi, restringitur, ne in erroris saxa perducatur. Nullis ergo ignorantiae nostrae procellis obruimur, si tranquillum supernae sententiae littus tenemus. Ecce enim dicit quod quaestione non modica lectoris animum moveat. Sed quis hoc non rectum dicere audeat, quod in Dei auribus rectum sonat?

CAPUT II [*Rec. II*].

CAP. VI. VERS. 2, 3.---*Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris haec gravior appareret.*

SENSUS TYPICUS. 2. *Christus libra est in qua et quod meremur, et quod pro nobis passus est, pensantur. Poenae nostrae gravitatem nobis notam fecit.*---Quis alius staterae nomine, nisi Dei et hominum mediator exprimitur? qui ad pensandum vitae nostrae meritum venit, ac secum justitiam simul et misericordiam detulit; sed misericordiae lance

praeponderans, culpas nostras parcendo levigavit. In manu etenim Patris, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, **213** et illinc peccata suspendit. Sed gravis ponderis calamitatem moriendo innotuit, et apud misericordiam leve esse peccatum relaxando monstravit. Qui hoc primum gratiae contulit, quia poenam nostram nobis cognoscibilem fecit. Homo namque ad contemplandum auctorem conditus, sed exigentibus meritis ab internis gaudiis dejectus, in aerumnam corruptionis ruens, caecitatem exsilii sustinens, culpaе suae supplicia et tolerabat, et nesciebat; ita ut exsilium patriam crederet, et sic sub corruptionis pondere quasi in salutis libertate gauderet. Sed is, quem intus homo reliquerat, assumpta carne, foris apparuit Deus; cumque se exterius praebeuit, expulsum foras hominem ad interiora revocavit, ut jam damna sua videat, jam poenam suae caecitatis ingemiscat. Calamitas ergo hominis in statera gravis apparuit, quia malum quod pertulit nonnisi in praesentia Redemptoris agnovit; lucem quippe nesciens, damnationis suae tenebras voluptuose tolerabat. Sed postquam vidit quod diligeret, intellexit etiam quod doleret; et grave sensit quod pertulit, quia dulce innotuit quod amisit. Vir igitur sanctus colloquentis amici sententiis a claustris silentii excussus, et prophetici spiritus affluentia repletus, dicat sua, dicat humani generis voce: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris haec gravior appareret.* Ac si aperte diceret: Damnationis nostrae malum leve creditur, quia necdum cognita Redemptoris aequitate pensatur. Sed utinam veniat, et aerumnam tanti exsilii misericordiae suae lance suspendat, et quid post exsilium requiramus edoceat. Si enim innotescit quid amisimus, grave esse insinuat quod toleramus.

[*Vet. II.*] Bene autem haec eadem peregrinationis nostrae calamitas maris arenae comparatur. Arena etenim maris, undarum aestu exterius pellitur, quia et delinquens homo, quoniam tentationum fluctus mobiliter pertulit, extra se ab intimis exivit. Magni autem arena maris est ponderis; sed calamitas hominis arena maris gravior dicitur, quia dura fuisse poena ostenditur, dum per misericordem iudicem culpa levigatur. Et quia quisquis gratiam Redemptoris agnoscit, quisquis reditum ad patriam diligit, eruditus sub pondere peregrinationis gemit, post staterae desiderium recte subjungitur:

CAPUT III.

VERS. 2.---*Unde et verba mea dolore sunt plena.*

3. *Gemere hic non cessat qui se exsulem novit.*---Qui peregrinationem pro patria diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Iusti autem verba dolore plena sunt, quia quo usque praesentia tolerat, ad aliud loquendo suspirat; omne quod peccans pertulit, conspicit; atque ut ad statum beatitudinis redeat, sollicite iudicia quibus affligitur pensat. Unde subditur:

CAPUT IV.

VERS. 4.---*Quia sagittae Domini in me sunt.*

4. *Sagittis praedicatio vel poena signatur.*--- Sagittarum quippe nomine aliquando praedicationis verba, aliquando animadversionis sententiae designantur. Praedicationis namque eloquia sagittis exprimuntur, quia in eo quod vitia feriunt, **214** male viventium corda transfigunt. De his sagittis venienti Redemptori dicitur: *Sagittae tuae acutae, potentissime; populi sub te cadent in corde (Psal. XLIV, 6).* De quo Isaias dicit: *Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, et in Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam, in Graeciam (Isai. LXVI, 19).* Rursum sagittis, animadversionis percussio designatur, sicut Joas regi per Eliseum dicitur: *Jace sagittam.* Quo jacente ait: *Percuties Syriam, donec consumas eam (IV Reg. XIII, 17).* Vir igitur sanctus quia peregrinationis suae aerumnam respicit, quia sub percussionibus Dominicae animadversionis ingemiscit, dicat: *Unde et verba mea dolore sunt plena, quia sagittae Domini in me sunt [Rec. III.]* Ac si aperte diceret: Ego in exilii damnatione non gaudeo, sed sub iudicio positus doleo, quia vim percussionis agnosco. Plerique autem sunt quos tormenta cruciant, sed non emendant. Quo contra apte subjungitur:

CAPUT V [*Vet. III*].

IBID.---*Quarum indignatio ebibit spiritum meum.*

5. *Justi poenis quas sustinent emendantur.*---Quid enim est spiritus hominis, nisi spiritus elationis? Sagittae autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum supernae

animadversionis sententiae afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittae Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt. Epotatus namque David spiritus fuerat, cum dicebat: *In deficiendo in me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas* (Psal. CXLI, 4). Et rursum: *Negavi consolari animam meam, memor fui Dei, et delectatus sum, exercitatus sum, et defecit paulisper spiritus meus* (Psal. LXXVI, 4). Sagittarum ergo indignatio iusti spiritum ebibit, quia supernae sententiae electos, quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant; ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat. Pensant namque unde, quo lapsi sunt, pensant a quanta beatitudine ad quae corruptionis suae tormenta ceciderunt; et non solum gemunt in his quae sustinent, sed insuper metuunt hoc quod districtus iudex delinquentibus de gehennae ignibus minatur. Unde recte subjungitur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et terrores Domini militant contra me.*

6. *Deum praesentes poenas dolent, pavent futuras.*--- Justorum mens non solum perpendit quod tolerat, sed etiam pavet quod restat; videt qualia in hac vita patitur; metuit ne post hanc graviora patiatur. Luget quia in hujus caecitatis exsilio a paradisi gaudiis cecidit; timet ne et cum exsiliu relinquetur, mors aeterna subsequatur. Jam ergo sententiam

tolerat in poena; sed minas adhuc venturi judicis formidat ex culpa. Hinc Psalmista ait: *In me pertransierunt irae tuae, et terrores tui conturbaverunt me* (**Psal. LXXXVII, 17**). Interni quippe judicis postquam irae pertranseunt, etiam terrores conturbant, quia jam aliud damnatione patimur, et adhuc aliud de aeterna ultione formidamus. Vir igitur sanctus, perpendens mala quae tolerat, dicat: *Sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum*. Sed, graviora in perpetuum metuens, adjungat: *Et terrores militari contra me*. Ac si aperte diceret: Percussus quidem de praesentibus doleo; **215** sed hoc in dolore fit gravius, quia et in poena positus, adhuc supplicia aeterna pertimesco. Sed quia jam staterae interventum desiderat, jam mala in quibus humanum genus cecidit pensat, quamvis in gentili natione positus, munere tamen prophetici spiritus plenus; quo ardore Redemptoris adventum vel gentilitas, vel Judaea sitiatur, verbis sequentibus demonstrat, dicens:

CAPUT VII [*Rec. IV*].

VERS. 5.---*Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit?*

7. *Gentilitatis et Judaeae in Redemptoris adventum desideria*.---Quid namque per onagrum, id est, agrestem asinum, nisi gentilis populus designatur? quem sicut natura extra stabula disciplinae edidit, ita vagus in voluptatum suarum campo permansit. Quid per bovem nisi plebs Judaica figuratur, quae, jugo dominationis supernae supposita, ad

spem proselytos colligens, per corda quae valuit vomerem legis traxit. Sed beati Job vita attestante cognoscimus, ut exspectasse Redemptoris adventum multos etiam ex gentibus credamus. Et nascente Domino, Simeone in spiritu in templum veniente, didicimus quanto desiderio ex plebe Israelitica sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. Unde et per eundem Redemptorem discipulis dicitur: *Multi, dico vobis, justi et prophetae desideraverunt videre quae videtis, et non viderunt* (**Luc. X, 24**). [*Vet. IV.*] Herba ergo onagri, et fenum bovis est haec ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas et Judaea satiatur. Quia enim per prophetam dicitur: *Omnis caro fenum* (**Isa. XL, 6**), universitatis conditor, ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Tunc ergo herbam onager invenit, cum gentilis populus gratiam divinae incarnationis accepit. Tunc bos vacuum praesepe non habuit, cum plebi Judaicae ejus carnem exspectanti lex exhibuit, quem diu exspectanti prophetavit. Unde et natus Dominus in praesepe ponitur, ut videlicet signaretur quia sancta animalia, quae jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus feno satiantur. Praesepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium praebuit, dicens: *Qui comedit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (**Joan. VI, 57**). Sed quia diu et electorum gentilium vota dilata sunt, et ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam exspectando gemuerunt, beatus Job, bene prophetiae mysteria enarrans, ex utraque natione causas afflictionis insinuat, dicens: *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit?* Ac si aperte dicat: Idcirco gentilitas gemit, quia eam

necdum Redemptoris sui gratia reficit; atque ideo Judaea mugitus dilatat, quia, legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante praesepe jejunit. Quae nimirum lex, quia ante Mediatoris adventum nequaquam spiritaliter, sed carnaliter tenebatur, recte subjungitur:

CAPUT VIII [*Rec. V*].

VERS. 6.---*Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?*

8. *Lex carnaliter intellecta insulsa, a Christo sale condita.*--- In lege sal litterae est virtus intelligentiae occultae. Quisquis ergo, obsequiis carnalibus intentus, hanc intelligere spiritaliter noluit, quid aliud quam insulsum cibum comedit? Sed hoc in **216** cibo sal cognita Veritas misit, cum latere in lege saporem occultae intelligentiae docuit dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit (Joan. V, 46).* Et rursum: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos (Marc. V, 49).* Sed quia ante Mediatoris adventum Judaea legem carnaliter tenuit, praeceptis ejus dura jubentibus gentilitas subdi recusavit. Insulsum ergo cibum comedere noluit, quia prius quam Spiritus condimentum perciperet servare vim litterae expavit. Quis namque gentilium hoc quod illic praecipitur ferret, filiorum carnem pro obsequio religionis incidere, verborum culpas morte resecare? Unde et bene adhuc subditur:

CAPUT IX.

IBID.---*Aut gustare aliquis potest quod gustatum affert mortem?*

9. *Lex carnaliter degustata, prius erat mortifera.*---Lex namque carnaliter degustata mortem detulit, quia commissa delinquentium dura animadversione distrinxit; mortem detulit, quia et per praeceptum culpam innotuit, et hanc per gratiam non delevit, Paulo attestante, qui ait: *Nihil ad perfectum perduxit lex (Heb. VII, 19).* Et rursum: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum.* Et paulo post: *Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem (Rom. VII, 12, 13).* Ad Christum vero conversa gentilitas, quia hunc sonare per verba legis intelligit, angustata desideriiis suis, eum quem vehementer diligit inter praecepta carnalia spiritaliter requirit. [*Vet. V, Rec. VI.*] Unde et ex voce mox Ecclesiae per prophetiae spiritum subditur:

CAPUT X.

VERS. 7.---*Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc, prae angustia, cibi mei sunt.*

10. *Verba Job spiritali intellectu esse gravida. Gentes legis cibum quaesiturae, et Judaei gentium societatem non dedignaturae praedicuntur.*---Valde namque in errorem labitur qui beati Job verba ad solam prolata historiam suspicatur. Vir enim sanctus, et tot conditoris sui praeconiis

fultus, quid magnum, vel potius quid verum diceret, si insulsum cibum comedi non posse dixisset? Aut quis ejus esui mortifera alimenta obtulerat, ut subjungat: *Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?* Quae si de amicorum colloquiis dicta sentimus, ab intellectu hoc sententia subjuncta compescimur, qua ait: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc, prae angustia, cibi mei sunt.* Absit enim ne vir sanctus, in status sui incolumitate constitutus, amicorum suorum aliquando dicta despexerit, qui, sicut ipso attestante post didicimus, et servis humilis fuit. Verba ergo ejus a mysteriis non vacant, quae, sicut ex fine historiae discimus, et internus arbiter laudat. Quae nequaquam etiam cum tanta veneratione usque ad mundi extrema decurrerent, si intellectu mystico gravida non fuissent.

11. Beatus igitur Job, quia membrum sanctae est Ecclesiae, ejus etiam loquatur ex voce, dicens: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia, cibi mei sunt,* quia nimirum amoris sui aestibus anxia cibum Scripturae veteris conversa gentilitas esurit, quem dudum superba despexit. Quae tamen et Judaeae vocibus congruunt, si paulo consideratius disserantur. Ipsa quippe ex eruditione legis, ex unius Dei cognitione sal habuit, et cunctas gentes tanquam animalia bruta despexit. Sed quia societatem gentilium ad semetipsam recipere praeceptis legis erudita contempserat, **217** quid aliud quam insulsum cibum sumere fastidiebat? Divina quippe sententia, proposita morte, vetuerat ne plebs Israelitica foedus cum alienigenis jungeret, et vitam sanctae religionis inquinaret (**Exod. XXIII, 32**). Unde et subditur: *Aut gustare aliquis potest quod gustatum affert mortem?* Sed quia ad Redemptoris fidem haec eadem Judaea

ex electorum parte conversa est, lucem quam cognoverat praedicare per sanctos apostolos suae prolis infidelibus satagebat. Ejus autem praedicationis obsequium Hebraeorum superbia repulit. Unde mox ad collectionem gentium exhortationis suae verba declinavit, sicut et per eosdem apostolos dicitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46).* Unde hoc quoque loco apte subjungitur: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia, cibi mei sunt.* Judaea quippe, vitam gentilium dedignata, eam dudum quasi tangere noluit, cujus societatem recipere sprexit; sed ad Redemptoris gratiam veniens, ab Israelitis infidelibus repulsa, dum per sanctos apostolos ad collectionem se gentium dilatat, quasi hoc in cibum esuriens accipit, quod indignum prius fastidiosa despexit. Praedicationis enim suae angustias pertulit, quae apud Hebraeos despici quod loquebatur vidit. Sed prae angustia cibos quos dudum contempserat comedit, quae, repulsa Judaeorum duritia, gentiles suscipere populos quos despexerat concupiscit. Quia igitur haec figuraliter diximus, restat nunc ut moraliter inquiramus.

SENSUS MORALIS.---12. Vir sanctus, Redemptoris adventum sub staterae appellatione desiderans, dum se per eloquium aperit, nos ad vivendi studium erudit; dum sua narrat, quaedam nostra indicat; dum de se quae recognoscamus insinuat, nos ad spem trepidos infirmosque confirmat. Jam quippe per fidem Mediatoris vivimus, et tamen adhuc pro expurgatione vitiorum dura animadversionis intimae flagella sustinemus. Unde et post staterae desiderium subdit:

CAPUT XI.

VERS. 4.---*Quia sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.*

13. *Boni flagellis ac iudicii terrore configuntur. Praestat tamen agi amore.*---Sed ecce, ut superius dictum est, et divinae correptionis percussione configimur, et tamen adhuc illud gravius est quod de terrore venturi iudicis ex aeterna animadversione formidamus. Unde protinus subinfertur: *Et terrores Domini militant contra me.* Debet tamen a metu et dolore animus excuti, et ad sola aeternae patriae desideria extendi. Tunc enim nobilitatem nostrae regenerationis ostendimus, si eum ut patrem diligimus, quem nunc servili mente ut dominum formidamus. Unde et per Paulum dicitur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* (**Rom. VIII, 15**). Pondus itaque formidinis mens electi postponat, in virtute se amoris exerceat, renovationis suae dignitatem desideret, ad conditoris sui speciem anhelet; quem quo usque conspicere non valet, aeternitatem ejus necesse est, id est, intimum cibum suum esuriens, expectet. Unde et apte subditur:

CAPUT XII [*Vet. VI*].

VERS. 5.---*Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit?*

14. *Onager fidelem plebem, bos ordinem ecclesiasticum designat. Utrisque hic gemendi causa de dilata Dei visione.--*

-Qui alii onagri appellatione signati sunt, nisi hi qui, in campo fidei constituti, nullius officii loris **218** ligantur? Vel quos bovis significatio exprimit, nisi hos quos intra sanctam Ecclesiam ad praedicationis officium suscepti ordinis jugum premit? Herba vero onagri et pabulum bovis est interna refectio populi fidelis. Alii namque more bovis intra Ecclesiam suscepti officii loris tenentur; alii more onagri sacri ordinis stabula nesciunt, et in campo propriae voluntatis degunt. Sed cum quis ex vita saeculari internae visionis desiderio aestuat, cum refectionis intimae pabulum concupiscit, cum jejunum se in peregrinationis hujus caecitate considerans, quibus valet fletibus reficit, quasi herbam non inveniens onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerat, in labore praedicationis exsudat, et per aeternam jam contemplationem refici appetit; sed quia Redemptoris sui speciem necdum conspicit, quasi bos ad praesepe vacuum ligatus gemit. Quia enim, longe ab interna sapientia positi, aeternae haereditatis viriditatem non cernimus, velut bruta animalia, a desiderata herba jejunamus. De qua nimirum herba Redemptoris voce dicitur: *Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet (Joan. X, 9)*. Sed plerumque, quod esse amantibus gravius solet, sanctis bonorum studiis malorum vita contradicit; et cum mens ad coeleste desiderium rapitur, bene coepta intentio, interrumpentibus stultorum verbis ac moribus, reverberatur; ita ut quae jam per contemplationis

adnisum ad summa evolaverat, ad expugnandam pravorum stultitiam sese in infimis contra certamina accingat. Unde et subditur:

CAPUT XIII.

VERS. 6.---*Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum? Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?*

15. *Electis quam gravia sint verba moresque carnalium.*--- Verba quippe moresque carnalium quasi cibum se nostris mentibus ingerunt, ut in delectationis ventre rapiantur. Sed electus quisque insulsum non comedit, quia pravorum dicta factaque dijudicans, ab ore cordis repellit. Paulus ad esum mentium inferri insulsa prohibuit, cum discipulis dixit: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus (Coloss. IV, 6).* Et Psalmistae quoque verba reproborum in cordis ore insulsa sapuerant, cum dicebat: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ita ut lex tua, Domine (Psal. CXVIII, 84).* Saepe autem verba carnalium dum se importune nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt; et quamvis haec et ratio respuat, et lingua reprehendat, cum labore tamen intus vincitur quod foris cum auctoritate judicatur. Unde necesse est ut nec ad aures veniat quod mens a cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri, cum aeternitatis desideriiis anhelant, in tantam altitudinem vitae se sublevant, ut audire jam quae mundi sunt grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde

namque insolens atque intolerabile aestimant quidquid illud non sonat quod intus amant.

[*Vet. VII.*] 26. *Non omnium est ad cruciatus corporis pro Deo subeundos accingi.*---Sed saepe mens jam per desiderium ad sublimia rapitur, jam funditus a stulta terrenorum hominum locutione separatur, nec tamen adhuc pro amore veritatis ad perferendos praesentis vitae cruciatus accingitur; jam superna appetit, jam in infimis stulta contemnit, sed necdum se ad perferendae adversitatis tolerantiam dirigit. Unde et subditur: *Aut potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?*

CAPUT XIV.

17. *Proximorum infirma tolerando, ad cruciatus subeundos roboramur.*---Durum quippe est appetere quod cruciat, **219** sequi quod vitam fugat. Sed plerumque mens justi ad tantum se virtutis culmen extendit, ut et apud se in internae rationis arce praesideat, et quorundam foris stultitiam tolerando convertat. Quos enim ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus, quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Cum vero alienae infirmitati compatimur, valentius a nostra roboramur; ut amore futurorum mens ad praesentia adversa se praeparet, et cruciatus corporis quos timebat expectet. Auctis namque desideriis coelestibus angustatur; cumque aeternae patriae quanta sit dulcedo considerat, pro ea praesentis vitae

amaritudines ardentem amat. Unde post insulsi cibi fastidium, post impossibilem mortis gustum, recte subjungitur:

CAPUT XV [*Rec. VII*].

VERS. 7.---*Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc, prae angustia, cibi mei sunt.*

18. *Prae amore coelestis patriae exsilii poenas amamus.*--- Mens enim iusti proficiens, quae prius, dum sola propria curaret, ferre aliena fastidiebat, quae minus alienis compatiens, convalescere contra adversa non poterat, cum ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad adversa superanda convalescit; ita ut pro amore veritatis praesentis vitae cruciatus tanto post fortius appetat, quanto prius infirma fugiebat. Inclinatione namque sua erigitur, attractione tenditur, compassione roboratur; cumque in amorem proximi se dilatat, quasi ex meditatione colligit quanta fortitudine in auctorem surgat. Charitas namque, quae nos ad vim compassionis humiliat, altius in culmine contemplationis levat; et multiplicata jam maioribus desideriis aestuat, jam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis, anhelat. Quod ergo prius tangere nolebat, hoc post prae angustia comedit, qui desideria sua vix capiens, et ipsas quas dudum timuerat, jam prae amore coelestis patriae poenas amat. Si enim mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum fit, dulce aestimat, omne quod affligit requiem putat; transire et per mortem appetit, ut obtinere vitam plenius possit; funditus in infimis exstingui

desiderat, quo verius summa conscendat. Sed haec de cujuslibet justis animo, haec de beati Job mente mentior, nisi ipse subjungat:

CAPUT XVI.

VERS. 8-10.---*Quis det ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Dominus; et qui coepit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me, et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat?*

19. *Exemplum Job suum percussorem benedicientis. Conterit nos Deus, conterit et diabolus, diversis exitibus.*---Sed fortasse haec per contumaciam expetit, fortasse in eo quod se perfecte exstingui desiderat, injustitiam ferientis accusat. Absit hoc. Nam qua mente id expetat, verbis sequentibus demonstrat, dicens: *Nec contradicam sermonibus sancti.* Nequaquam ergo de injustitia percutientis murmurat, qui percussorem suum et inter verbera sanctum vocat. Sciendum vero est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem adversarii a virtute deficimus; per contritionem vero Domini fracti, a vitiis in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta prospexerat, cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos (Psal. II, 9).* In virga nos ferrea Dominus regit et conterit, quia **220** dispensationis suae forti rectitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Unde et haec eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut et per Paulum

dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (**II Cor. IV, 7**). Qui simul contritionem et regimen exprimens, ait: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (**Ibid., 16**). [*Vet. VIII.*] Sanctus igitur vir, qui appropinquare Deo etiam per flagella desiderat, per spiritum humilitatis dicat:

CAPUT XVII.

VERS. 9.---*Qui coepit, ipse me conterat.*

20. *Effferentem se de virtutibus Deus misericorditer corripit.* --Plerumque enim vitiorum contritionem in nobis agere Dominus inchoat; sed cum mens ex ipso exordio provectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, saevienti contra se adversario aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonae inchoationis invenerit, confringit; tantoque se vehementius in ejus confractione exhibet, quanto et gravius, quia vel ad modicum fuerat provectus, dolet. Unde et teste Evangelio, voce Veritatis, ad neglectam domum conscientiae spiritus immundus qui solus exiit cum spiritibus septem redit (**Matth. XII, 45**). Ne ergo post divinae correptionis exordia antiquus hostis subripiat, atque ad virtutum confractionem trahat, sanctus vir congrue exorat, dicens: *Qui coepit, ipse me conterat.* Ac si aperte didicat: Hoc, quod in me exorsus est perficere feriendo non desinat, ne desertum me adversario ad contritionem tradat. Unde et apte subditur:

CAPUT XVIII.

IBID.---*Solvat manum suam, et succidat me.*

21. *Quam timendum ne ad ferienda nostra vitia ligatam manum teneat.*---Saepe namque fiducia longae prosperitatis inflati, in quodam statu elationis erigimur. Cumque nos extolli conditor conspicit, sed amorem suum erga nos per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet. An non affectus sui manum ligaverat cum peccanti populo dicebat: *Jam non irascar tibi (Isai. LIV, 9);* et: *Zelus meus recessit a te (Ezech. XVI, 42)?* *Solvat* ergo *manum* dicitur, exerceat affectum. Recte autem subjungitur: *Et succidat me.* Cum enim securos nos ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus a status sui vertice mentis nostrae elatio succisa cadit, ut de semetipsa nihil audeat, sed, infirmitatis suae ictu prostrata, manum levantis quaerat. Hinc est quod sancti viri cum de occulta erga se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt, tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus et dolor erudiat, ne in hac peregrinationis via, hoste ex insidiis erumpente, sua eadem deterius securitas sternat. Hinc Psalmista ait: *Proba me, Domine, et tenta me (Psal. XXV, 2).* Hinc iterum dicit: *Ego ad flagella paratus sum (Psal. XXXVII, 18).* Quia enim sancti mentis suae correptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut, aperto

vulnere, virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 10.---*Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.*

22. *Sancti timent prospera, cupiunt flagella.*---Electi qui cum perpetrasse se illicita noverunt, sed perscrutantes inveniunt quia nulla pro illicitis adversa perpassi sunt, vi immensae formidinis **221** tabescunt, pavore aestuant, sinistris agitati suspicionibus laborant, ne in aeternum se gratia deseruerit, quos in praesenti vita mali sui retributio nulla custodit; timent ne ultio quae suspenditur gravior in fine servetur; feriri paterna correptione desiderant, et dolorem vulneris medicamina salutis putant. Recte ergo nunc dicitur: *Haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Ac si aperte diceretur: Qui ideo hic quibusdam parcat, ut eos in perpetuum feriat; ideo hic me feriat, ut non parcendo, in perpetuum parcat. Ex afflictione enim me consolor, quia corruptionis humanae putredinem sciens, ad spem salutis ex vulnere certus reddor. Quod quia non tumentis sed humili mente edidit, subjungendo, ut praediximus, patefacit, dicens:

CAPUT XX.

IBID.---*Nec contradicam sermonibus sancti.*

23. *Deus saepe tacitus loquitur operibus.*---Plerumque ad nos verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus operationum. In eo enim nobis loquitur quod erga nos tacitus operatur. Beatus igitur Job sermonibus Dei contradiceret, si de ejus percussionibus murmuraret. Sed quid de percussore suo sentiat, indicat, qui (sicut jam diximus) quem ferientem tolerat, sanctum vocat. Sequitur:

CAPUT XXI [*Vet. IX, Rec. VIII*].

VERS. 11.---*Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam; aut quis finis meus, ut patienter agam?*

24. *Quae justorum fortitudo, quae reproborum.*---Sciendum quod alia justorum, atque alia est fortitudo reproborum. Justorum quippe fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere, hujus mundi aspera pro aeternis praemiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Reproborum vero fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitae detrimento pervenire, malitiae augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare. Hinc est quod per Psalmistam dicitur ad

electos: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino (Psal. XXX, 25)*. Hinc per prophetam reprobis dicitur: *Vae qui potentes estis ad potandum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem (Isai. V, 22)*. Hinc per Salomonem dicitur quod sancti quique sine ulla debilitate desiderii internam requiem contemplantur: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel (Cant. III, 7)*. Hinc Psalmista contra reprobos in passione positi voce Redemptoris insinuans, ait: *Ecce occupaverunt animam meam, irruerunt in me fortes (Psal. LVIII, 4)*. Quam bene utramque fortitudinem Isaias complexus est, dicens: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem (Isai. XL, 31)*. Quia enim nequaquam sument, sed *mutabunt* dixit, profecto patenter innotuit aliam esse quae ponitur, et aliam quae inchoatur.

25. *In quibus fortis est reprobus, segnis est justus.*---An non etiam reprobi fortes sunt, qui ad praesentis vitae concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audenter objiciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus sui libidine **222** nulla victi contrarietate resiliunt, percussionibus durescunt, et mala mundi tolerant pro mundo, ejusque, ut ita dixerim, gaudia quaerentes perdunt, nec tamen haec perdendo fatigantur? Unde bene ex humani generis voce per Jeremiam dicitur: *Inebriavit me absinthio (Thren. III, 15)*. Ebrius quippe quod patitur nescit. Absinthio ergo est ebrius, qui, prae amore praesentis saeculi a sensu rationis alienus, dum quidquid pro mundo sustinet, leve deputat, laboris amaritudinem quam tolerat ignorat, quia nimirum delectabiliter ad cuncta ducitur, in quibus poenaliter fatigatur. At contra vir justus ad mundi pericula pro mundo toleranda

esse debilis studet, finem suum conspicit, vita praesens quam sit transitoria attendit, et pro ea exterius labores perpeti renuit, cujus intrinsecus delectationem vicit. Beatus igitur Job, praesentis vitae adversitatibus pressus, dicat ex sua, dicat ex omnium voce justorum: *Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?* Ac si aperte insinuet, dicens: Mala mundi pro mundo tolerare nequeo, quia jam in ejus desiderio fortis non sum. Dum enim praesentis vitae finem conspicio, cur pondus ejus patior, cujus appetitum calco? Et quia injusti quique, ut diximus, tanto fortius labores illius perferunt, quanto avidius ejus delectatione pascuntur, recte mox eandem reproborum fortitudinem subdit, dicens:

CAPUT XXII [*Vet. X, Rec. IX*].

VERS. 12.---*Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est.*

26. *Ad percussionem Dei alii sunt lapides sine sono, alii aes sonans sine sensu. Job non per insaniam, sed per salutis statum fortis.*---Quid hoc loco aere ac lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur, qui saepe et supernos ictus accipiunt, et tamen nulla disciplinae percussione mollescent? Quo contra electis per prophetam, pollicente Domino, dicitur: *Tollam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum (Ezech. XI, 19)*. Paulus quoque ait: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum*

tinniens (**I Cor. XIII, 1**). Scimus autem quoniam percussi lapides clarum sonum reddere nequeunt; aes vero cum percutitur, canorus valde sonitus ex ejus percussione formatur. Quod quia, ut lapides, vita caret, sensum in sonitu non habet. Et sunt nonnulli qui, lapidibus similes, ita ad pietatis praecepta duruerunt, ut cum eos percussio supernae animadversionis examinat, nequaquam sonitum humilis confessionis reddant. Quidam vero a metallo aeris in nullo discrepantes, cum flagella supernae percussione accipiunt, piaie confessionis sonitum emittunt; sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. Illi ergo, more lapidum percussi, nec voces habent; isti autem in nullo aeris imitationem fugiunt, qui, in percussione positi, bona quae non sentiunt loquuntur. Illi venerationi ferientis et verba denegant; isti, pollicentes quod non impleant, sine vita clamant. Vir igitur sanctus, reproborum duritiam inter verbera fugiens, dicat: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est*. Ac si aperte fateatur, dicens: Reproborum similitudinem sub disciplinae verbere fugio, quia nec more **223** lapidum ita obdurui, ut sub percussione stimulo a ministerio confessionis obmutescam; nec rursus quasi aes vocem confessionis resono, et sensum vocis ignoro. Sed quia ad percussione reprobis debiliter fortes sunt, electi autem valenter infirmi, beatus Job dum fortem se per insaniam non esse asserit, fortem se per statum salutis innotescit. [*Vet. XI*. Unde ergo hanc eandem fortitudinem percepit, insinuet, ne si sibi vires quas habet arroget, potenter ad mortem currat. Plerumque enim virtus habita deterius quam si deesset interficit; quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit; cumque eam quasi roborando vivificat, elevando necat; ad

interitum videlicet pertrahit quam per spem propriam ab internae fortitudinis fiducia evellit. Sed quia beatus Job et virtute pollet, et in semetipso fiduciam non habet, atque, ut ita dixerim, vires infirmus habet, apte subjungit, dicens:

CAPUT XXIII.

VERS. 13.---*Ecce non est auxilium mihi in me.*

27. *Quia vires suas non sibi, sed Deo ascribit.*---Patet jam ad cuius spem percussi animus recurrat, cum in se sibi esse auxilium denegat. Sed quia infirmum se in semetipso insinuat, ad majoris adhuc fortitudinis meritum, quomodo etiam a proximis destituatur adjungat,---IBID.:---*Necessarii quoque mei recesserunt a me.* Sed ecce despectus exterius, intus solio iudicii praesidet. Nam cum derelictum se asserit, protinus ad sententiam erumpit, dicens:

CAPUT XXIV [*Rec. X*].

VERS. 14.---*Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.*

28. *Amor Dei et amor proximi quid sibi invicem praestent.*---Quis hoc loco amici nomine nisi quilibet proximus designatur, qui eo nobis fideliter jungitur, quo, percepto nunc a nobis bono opere, ad obtinendam post aeternam patriam veraciter auxiliatur? Quia autem duo sunt praecepta charitatis, Dei

videlicet amor et proximi, per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit; et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus, *Diliges proximum tuum* (**Deut. VI, 5; X, 12**), praemisit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum* (**Matth. XXII, 37, 39**): ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei ex proximi amore coalescit, testatur Joannes, dicens: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere* (**I Joan. IV, 20**)? Quae tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur.

29. *Proximi dilectio in ejus aerumnis probatur. Amicum in adversis despicientis quanta iniquitas.*---Saepe vero omnipotens Deus ut quantum quisque a charitate ejus ac proximi longe sit, vel in ea quantum profecerit innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit. Et cum quosdam temporaliter deserit, in quorumdam cordibus quod malum latet ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insequuntur, qui felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. Unde bene quidam sapiens dicit: *Non agnoscitur in bonis amicus, et non* 224 *absconditur in malis inimicus* (**Eccli. XII, 8**). Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat, quia et ille saepe

prosperitatis nostrae reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur. Vir igitur justus in flagellis positus dicat: *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit*, quia nimirum qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quod hunc in prosperis non amavit. Et cum omnipotens Deus ideo quosdam percutiat, ut et percussos erudiat, et non percussis occasionem boni operis praebeat, quisquis percussum despicit, occasionem a se virtutis repellit; et tanto se nequius contra auctorem erigit, quanto hunc nec pium in salute propria, nec justum in alieno vulnere agnoscit. Intuendum vero est quod beatus Job sic sua loquitur, ut totius quoque electi populi per eum vita signetur. Quia enim ejusdem populi membrum est, cum quae ipse patitur narrat, ea etiam quae sustinet ille denuntiat, dicens:

CAPUT XXV.

VERS. 15.---*Fratres mei praeterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.*

30. *Reprobi cur a justis dicantur et fratres, et praetereuntes. Torrenti recte comparantur. Vita brevi et fugitiva transeunt ad aeterna tormenta.*---Reproborum mens quia sola praesentia diligit plerumque nunc tanto aliena existit a verbere, quanto post extranea remanet ab haereditate; et superba justos despicit, quos paterna misericorditer severitas affligit. Saepe vero reprobi eandem fidem qua vivimus retinent, eadem fidei sacramenta percipiunt, ejusdem religionis unitate continentur; sed tamen compassionis viscera

nesciunt, charitatis vim, qua in Deum flagramus et proximum, non agnoscunt. Recte ergo et fratres et praetereuntes vocantur, quia ex uno matris nobiscum gremio per fidem prodeunt, sed in uno charitatis studio erga Deum et proximum non figuntur. Unde apte etiam torrenti qui raptim transit in convallibus comparantur. Torrens namque ex montanis ad ima defluit, et collectus hiemalibus pluviis, aestivis solibus arescit. Qui enim terrena diligentes spem supernae patriae deserunt, quasi ex montibus valles petunt; quos tamen hiems praesentis vitae multiplicat, sed aestas venturi iudicii exsiccat, quia cum sol supernae distractionis incanduerit, reproborum laetitiam in ariditatem vertit. Bene ergo dicitur: *Raptim transit in convallibus*. Torrentem quippe ad convalles raptim transire est pravorum mentes ad ima desideria sine ullo obstaculo ac difficultate descendere. [*Vet. XII.*] Omnis enim ascensus in labore est, descensus in voluptate, quia per adnissum gressus ad superiora tenditur, per remissionem vero ad inferiora declinatur. Ad montis enim verticem saxum subvehere magni laboris est, idemque a summis ad ima dimittere labor non est. Sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad summa pervenit. Longo studio seges seritur, sole atque imbre diutino nutritur, sed tamen una et subita scintilla consumitur. Paulisper aedificia ad alta proficiunt, sed repentinis casibus terram petunt. Robusta arbor in aera per tarda incrementa se erigit; sed quidquid diu ad alta protulit, semel et simul cadit. Quia igitur ascensus in labore est, descensus in voluptate, recte nunc dicitur: *Fratres mei praeterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus*. Quod tamen sentiri et aliter potest.

225 31. Si enim convalles ima poenarum loca intelligimus, iniusti quique sicut torrens raptim ad convalles transeunt, quia in hac vita, quam totis desideriis appetunt, diu stare nequaquam possunt. Nam quot dies aetatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt. Augeri sibi optant tempora, sed quia concessa subsistere nequeunt, quot augmenta vivendi percipiunt, de vivendi spatio totidem perdunt. Momenta ergo temporum quo sequuntur fugiunt, quo accipiunt amittunt. Raptim itaque ad convalles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria pertrahunt, sed ad inferni claustra repente deducuntur. Quia enim hoc etiam tempus, quod qualibet longaevitate extensum est, si fine clauditur, longum non est; ex fine miseri colligunt breve fuisse quod amittendo tenuerunt. Unde bene et per Salomonem dicitur: *Si multis annis vixerit homo, et in his omnibus laetatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita* (**Eccle. XI, 8**). Stulta etenim mens cum malum repente invenerit, quod nequaquam praeterit, aeternitatem ejus tolerando intelligit, quia quod praeterire potuit vanum fuit. Sciendum vero est quod plerique agere recta desiderant, sed sunt nonnulla quae infirmis eorum mentibus ex praesenti vita contradicant; cumque adversa in infirmis perpeti metuunt, in superni iudicii rectitudinem offendunt. Unde recte subjungitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XI*].

VERS. 16.---*Qui timent pruina, irruit super eos nix.*

32. *Qui temporalium damnorum metu justitiam deserunt, incident in aeterna mala.*---Pruina quippe inferius gelascit, nix autem de superioribus ruit. Et saepe nonnulli dum temporalia adversa pertimescunt districtioni se aeternae animadversionis objiciunt. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor (Psal. XIII, 5).* Iste namque veritatem jam libere defendere appetit, sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanae pertimescit; cumque in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram coelitus sustinet. Ille, peccatorum suorum conscius, ea quae possidet indigentibus jam largiri desiderat, sed tamen ne datis rebus egeat ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus praeparat, ab alimentis misericordiae animam necat; et cum pati in terra inopiam metuit, aeternam sibi abundantiam supernae refectionis abscindit. Recte ergo dicitur: *Qui timent pruina, irruit super eos nix*, quia qui conculcanda ab infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur; et cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt. Sed haec agentes, mundi gloriam temporaliter obtinent. Quid autem tempore vocationis suae facturi sunt cum cuncta simul pavidi deserunt quae hic cum gravi timore servaverunt? Unde et apte subditur:

CAPUT XXVII.

VERS. 17.---*Tempore quo fuerint dissipati peribunt.*

33. *Quantus eorum pavor, iudicio appropinquante.*---Quos enim praesentis vitae sollicitudo ordinat, amissio dissipat; et tunc etiam exterius pereunt, qui intus dudum aeterna negligendo perierunt. **226** De quibus recte additur: *Et ut incaluerint, solventur de loco suo.* [*Vet. XIII.*] Iniquus enim quisque cum incaluerit, de loco suo solvitur, quia iudicio intimae districtiois appropinquans, cum jam per cognitionem poenae fervere coeperit, ab ea, cui dudum inhaeserat, carnis suae delectatione separatur. Hinc est enim quod per prophetam contra reprobos dicitur: *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui* (**Isai. XXVIII, 19**), quia videlicet aeterna non intelligunt, nisi cum pro temporalibus jam sine emendatione puniuntur. Tunc mens aestuat, et infructuosae poenitentiae se ignibus inflamat, duci ad supplicium timet, praesentem vitam ex desiderio retinet; sed de loco suo solvitur, quia oblectamenta carnis deserens, ejus duritia per supplicium liquatur. Sed quia iniqui omnes quid abstractionis suae tempore patientur audivimus, adhuc aliqua quibus in libertatis suae spatio implicantur audiamus. Sequitur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XIV, Rec. XII*].

VERS. 18.---*Involutae sunt semitae gressuum eorum.*

34. *Nihil prodest recta proponere, nisi propositi simus tenaces.*---Omne quod involvitur in semetipsum replicatur. Et sunt nonnulli qui seducentibus vitiis obviare quasi tota intentione deliberant, sed irruente tentationis articulo, in

deliberationis proposito non perdurant. Alius namque, pravo ausu superbiae inflatus, cum magna esse praemia humilitatis considerat, adversum semetipsum se erigit, et quasi tumorem turgidi fastus deponit, exhibere se quibuslibet contumeliis humilem promittit; sed cum repente hunc unius injuria verbi pulsaverit, ad consuetam protinus elationem redit, sicque ad tumorem ducitur, ut nequaquam quia humilitatis bonum concupierat recordetur. Alius avaritia aestuans, augendis facultatibus anhelat. Is cum praeterire omnia velociter conspicit, vagantem per concupiscentias mentem figit, decernit jam nihil appetere, et adepta tantummodo sub magni moderaminis freno possidere; sed cum repente fuerint oculis oblata quae placeant, in ambitione protinus mens anhelat, semetipsam non capit, adipiscendi haec occasionem quaerit, et oblita continentiae quam secum pepigerat, cogitationum se stimulis per desideria acquisitionis inquietat. Alius luxuriae tabe polluitur, et longa jam consuetudine captus tenetur; quanta autem castitatis sit munditia conspicit, et a carne vinci turpe deprehendit. Restringere ergo voluptatum fluxa deliberat, et resultare consuetudini quasi totis se viribus parat. Sed vel objecta oculis specie, vel ad memoriam reducta, cum subita tentatione concutitur, protinus a pristina praeparatione dissipatur; et qui contra hanc clypeum deliberationis erexerat, delectationis iaculo confossus jacet; sicque eum luxuria enervem superat, ac si nulla contra eam intentionis arma praeparasset. Alius irae flammis accenditur, et usque ad inferendas proximis contumelias effrenatur. Cum vero nulla furoris animum occasio pulsatur, quanta sit mansuetudinis virtus, quanta patientiae altitudo considerat, seque etiam contra contumelias patientem parat; sed cum parva quamlibet

commotionis occasio nascitur, **227** repente ad voces et contumelias medullitus inflammatur; ita ut non solum ad memoriam patientia promissa non redeat, sed et semetipsam mens et ea quae loquitur convicia non agnoscat. Cumque furori plene satisfecerit, quasi post exercitium in tranquillitatem redit; et tunc se ad silentii claustra recolligit, cum linguae non patientia, sed procacitatis suae satisfactio frenum posuit. Vix igitur sero post convicia illata se cohibet, quia et a cursu saepe spumantes equos non praesidentis dextera, sed campi terminus coercet. Bene ergo de reprobis dicitur: *Involutae sunt semitae gressuum eorum*, quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur; et quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed a malis nunquam recedunt. Esse quippe humiles, sed tamen sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis volunt; cumque adipisci virtutes quaerunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam et belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in urbibus de bello concupiscunt.

[*Vet. XV.*] 35. *Dum aliqui vitia quaedam domant, alia negligunt, etiam subactis mox succumbunt.*---Quamvis hoc, quod eorum semitae involutae memorantur, adhuc intelligi et aliter possit. Saepe namque nonnulli contra quaedam se vitia vehementer accingunt, sed quaedam subigere negligunt; cumque se contra ista non erigunt, et illa contra se reparant quae subegerunt. Alius namque jam carnem a luxuria edomuit, sed tamen adhuc mentem ab avaritia non refrenavit; cumque se in mundo pro exercenda avaritia retinet, cumque a terrenis actibus non recedit, erumpente occasionis

articulo, etiam in luxuriam labitur, quam jam subegisse videbatur. Alius avaritiae aestum vicit, sed nequaquam vim luxuriae subdidit; cumque explendae luxuriae pretium praeparat, iugo quoque avaritiae, quam dudum edomuit, cordis cervicem subdit. Alius rebellantem jam impatientiam stravit, sed inanem gloriam necdum vicit, et cum se per hanc mundi honoribus inserit, confixus causarum stimulis ad impatientiam captus redit; cumque inanis gloria ad defensionem sui animum erigit, et illam victus tolerat, quam superavit. Alius inanem gloriam subdidit, sed tamen impatientiam necdum stravit; et cum multa resistantibus per impatientiam minatur, erubescens non implere quod loquitur, sub inanis gloriae jugum revocatur; et hoc victus per aliud tolerat, quod plene se vicisse gaudebat. Sic ergo ope vicaria fugitivum suum vitia retinent, et quasi jam amissum sub dominii sui jure recipiunt, atque ad vindictam sibi vicissim tradunt. Perversis itaque involutae sunt gressuum semitae, quia etsi devicta una nequitia pedem levant, regnante tamen altera, hunc in ea etiam quam devicerant implicant.

36. Peccans se implicat, dum culpa una occasio est alterius ac plurium consequentium. Quasi homo in bestiam desinit, dum sub obtentu rationis contra rationem peccat.--- Aliquando vero involutis gressuum semitis et nulla culpa devincitur, et alia per aliam perpetratur. Nam saepe furto negationis fallacia jungitur, et saepe culpa fallaciae perjurii reatu cumulatur. Saepe quodlibet vitium impudenti praesumptione committitur, et saepe (quod omni culpa fit gravius) etiam de commisso vitio superbitur. **228** Nam quamvis de virtute nasci elatio soleat, nonnunquam tamen stulta mens de perpetrata se nequitia exaltat. Sed cum

culpa culpae adjungitur, quid aliud quam involutis semitis atque innodatis vinculis pravorum gressus ligantur? Unde bene contra perversam mentem sub Judaeae specie per Isaiam dicitur: *Erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent daemonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum* (**Isai. XXXIV, 13**). Quid namque per dracones nisi malitia, quid vero struthionum nomine nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet, quia et hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat, et struthio pascitur, quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentaurorum nomine, nisi et lubrici figurantur et elati? Graeco quippe eloquio ὄνος asinus dicitur, et appellatione asini luxuria designatur, propheta attestante, qui ait: *Ut carnes asinorum, carnes eorum* (**Ezech. XXIII, 20**). Tauri autem vocabulo cervix superbiae demonstratur, sicut voce Dominica de Judaeis superbientibus per Psalmistam dicitur: *Tauri pinques obsederunt me* (**Psal. XXI, 13**). Onocentauri ergo sunt qui, subjecti luxuriae vitiis, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt. Qui, carnis suae voluptatibus servientes, expulsa longe verecundia, non solum se amittere rectitudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere confusionis gaudent. Onocentauris autem daemonia occurrunt, quia maligni spiritus valde eis ad votum deserviunt quos de his gaudere conspiciunt quae flere debuerunt. Ubi apte subjungitur: *Et pilosus clamabit alter ad alterum* Qui namque alii pilosi appellatione figurantur, nisi hi quos Graeci *Panas*, Latini *incubos* vocant? quorum nimirum forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate

terminatur. Pilosi ergo nomine cujuslibet peccati asperitas designatur, quod et si quando quasi ab obtentu rationis incipit, semper tamen ad irrationabiles motus tendit; et quasi homo in bestiam desinit, dum culpa, per rationis imaginem inchoans, usque ad irrationabilem effectum trahit. Nam saepe edendi delectatio servit gulae, et servire se simulat indigentiae naturae; cumque ventrem in ingluviem extendit, membra in luxuriam erigit. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia ad aliam perpetrandam provocat, et quasi quadam cogitationis voce, commissam jam culpam, culpam adhuc quae committatur invitat. Saepe namque, ut diximus, gula dicit: Si abundanti alimento corpus non reficis, in nullo utili labore subsistis. Cumque mentem per desideria carnis accenderit, mox quoque luxuria verba propriae suggestionis facit, dicens: Si misceri Deus homines corporaliter nolle, membra ipsa coeundi apta usibus non fecisset. Cumque haec quasi ex ratione suggerit, mentem ad libidinum effrenationem trahit. Quae saepe deprehensa, patrocinium mox fallaciae et negationis inquit; reamque se esse non aestimat, si mentiendo vitam defendat. Pilosus ergo alter ad alterum clamat, quando sub aliqua ratiocinandi specie **229** perversam mentem culpa subsequens ex occasione culpa praecedentis illaqueat. Cumque hanc peccata dura atque aspera deprimunt, quasi convocati in ea concorditer pilosi dominantur; sicque fit ut semper se gressuum semitae deterius involvant, dum mentem reprobam culpa per culpam ligat.

[*Vet. XVI, Rec. XIII.*] 37. *Peccandi consuetudo aliquando praeceditur mentis caecitate, et hanc aliquando praecedit.*--- Sed inter haec sciendum est quod aliquando prius oculus intellectus obtunditur, et postmodum captus animus per

exteriora desideria vagatur, ut caeca mens quo ducitur nesciat, et carnis suae illecebris sese libenter subdat. Aliquando vero prius desideria carnis ebulliunt, et post longum usum illiciti operis oculum cordis claudunt. Nam saepe mens recta cernit, nec tamen audenter contra perversa se erigit; et renitens vincitur, dum, hoc ipsum quod agit dijudicans, carnis suae delectatione superatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, et post per carnis hujus desideria mundi laboribus animus subjugatur, testatur Samson ab Allophylis captus, qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est, quia nimirum maligni spiritus, postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt. Rursum, quia saepe et recta operatio exterius perditur, et tamen adhuc rationis lumen in corde retinetur, propheta Jeremias insinuat, qui dum Sedechiaie captivitatem narrat, ordinem captivitatis internae denuntiat, dicens: *Et occidit rex Babylonis filios Sedechiaie in Reblatha in oculis ejus, et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis, oculos quoque Sedechiaie eruit* (**Jerem. XXXIX, 6**). Rex Babylonis est antiquus hostis, possessor intimae confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia saepe sic bona opera interficit, ut haec se amittere ipse qui captus est dolens cernat. Nam gemit plerumque animus; et tamen, carnis suae delectationibus victus, bona quae genuit amans perdit, ea quae patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed dum videns nequitiae perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex, extinctis prius filiis, Sedechiaie oculos eruit, quia malignus spiritus, subductis prius bonis operibus, post et intelligentiae lumen tollit. Quod recte

Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, multa haec, interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis clauditur, qui pravo usu ex iniquitatis suae multitudine gravatur. [*Vet. XVII.*] Quomodo autem culpa prodeat, vel quibuslibet ex occasionibus erumpat, reproborum tamen semitae semper involutae sunt, ut pravis concupiscentiis dediti, aut bona nulla appetant, aut appetentes infirmo desiderio, ad haec nequaquam mentis liberos gressus tendant. Recta enim aut non incipiunt, aut, in ipso fracti itinere, ad haec minime pertingunt. Unde fit plerumque ut ad morem suum lassati redeant, seseque ab intentione animi in carnis voluptatibus sternant, sola quae transeunt cogitent, nulla quae **230** secum permaneant curent. Unde apte subditur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Ambulabunt in vacuum, et peribunt.*

38. *Transitoriis bonis inhiantium vacuus labor.*--- In vacuum quippe ambulant qui nil secum de fructu sui laboris portant. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus aestuat, alius promerendis laudibus anhelat; sed quia cuncta haec hic quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, qui secum ante judicem nihil tulit. Quo contra bene per legem dicitur: *Non apparebis in conspectu Domini vacuus* (**Exod. XXIII, 15**). Qui enim promerendae vitae mercedem bene agendo non providit, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: *Venientes autem venient in*

exsultatione, portantes manipulos suos (Psal. CXXV, 6). Ad examen quippe iudicii portantes manipulos veniunt qui in semetipsis recta opera quibus vitam mereantur ostendunt. Hinc de unoquoque electo Psalmista iterum dicit: Qui non accepit in vanum animam suam (Psal. XXIII, 4). In vanum namque animam suam accipit, qui, sola praesentia cogitans, quae se sequantur in perpetuum non attendit. In vanum animam suam accipit qui, ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit. Sed animam suam iusti in vanum non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur, quatenus et transeunte opere, operis causa non transeat, quae vitae praemia post vitam parat. Sed haec curare reprobi negligunt, quia profecto, ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, invenientes perdunt. Melius vero a pravorum imitatione compescimur, si eorum damna ex fine pensamus. Unde bene etiam cum exhortatione subjungitur:

CAPUT XXX [*Rec. XIV*].

VERS. 19. *Considerate semitas Themam, itinera Saba, et exspectate paulisper.*

39. *Aliqui honestatis nomine in saeculi retibus illaqueantur. In his sunt qui curam rei familiaris gerunt, aut qui propinquos inordinate diligunt.*---Themam quippe Auster, Saba autem rete interpretatur. Quid hic per Austrum, qui afflata teporibus membra dissolvit, nisi fluxa vivendi remissio, quid per rete nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta

mente ea quae aeterna sunt appetunt, ne gressu libero ad Deum prodeant, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant; cumque se fluxis conversationis suae actibus implicant, quasi remansuros in retis maculis pedes ponunt. Ut enim paulo superius quosdam ad devictas jam culpas retrahi per aperta quaedam et non devicta vitia diximus, ita nonnulli ad ea quae reliquerant redeunt per quaedam quae vel honestatis nomine, vel laudis honore, palliantur. Nam sunt plerique qui jam aliena non appetunt, atque ab hujus mundi jurgiis inchoato quietis amore dividuntur, erudiri sacris eloquiis sitiunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt; nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deserunt, cui saepe dum licite serviunt, etiam illicitis hujus mundi jurgiis implicantur; cumque terrenas res studiose tueri desiderant, cordis requiem deserunt, quam quaerebant; et cum substantia fugiens continua provisione protegatur, conceptus in animo divinae **231** scientiae sermo dissipatur, quia, juxta Veritatis sententiam (**Matth. XXIII, Marc. IV, Luc. VIII**), abortum semen spinae opprimunt, cum verbum Dei a memoria importunae terrenarum rerum sollicitudines expellunt. Dissolutis itaque gressibus in rete ambulant, qui dum mundum perfecte non deserunt, semetipsos gradiendo obligant, ne gradientur.

40. Et sunt plerique qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quae possederant in mundo derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam praesentis vitae gloriam requirunt, ab hujus mundi se actionibus separant, et pene quidquid prosperitatis arriserit calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognitionis obligati, dum amoris propinquitatis indiscrete deserviunt, ad ea saepe per effectum

cognitionum redeunt, quae jam et cum proprio despectu subegerunt. Cumque plus quam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius, a cordis parente dividuntur. Nam saepe quosdam videmus, quantum ad proprium studium spectat, jam praesentis vitae desideria non habere, mundum et opere et professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum praetoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimae quietis relinquere, et mundi studia in se jam dudum destructa reparare. Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos a praesenti saeculo inchoata jam vitae perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenae cognitionis ligat?

41. *Propinquos Dei causa aebemus despicere, odisse, nescire.*---Qui enim districto studio, et non dissolutis gressibus aeternae sponsionis praemium sequuntur, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta, quibus se sentiunt praepediri, postponunt; et cum pro Deo necesse est ut quibus valent cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim quod quidam cum diceret: *Permitte mihi prius ire et sepelire patrem meum* (**Matth. VIII, 21**), Veritatis ore protinus audivit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, annuntia regnum Dei* (**Ibid., 22**). Qua in re notandum est quia electus discipulus dum a parentis sepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum et exteris debet. [*Vet. XVIII.*] Hinc rursum Veritas dicit: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (**Luc. XIV,**

26). Quo in loco videlicet, dum propinquorum odio animae quoque nostrae odium subinfertur, patenter ostenditur quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere praecipimur, ut hos ad aeterna rapientes, eorumque carnalem gratiam cum praepedit postponentes, discamus temperata eos discretionis arte et convenienter diligere, et salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare. Hinc rursum per Moysen dicitur: *Qui dixerit patri suo et matri suae, Nescio vos, et fratribus suis, Ignoro illos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum, et servaverunt iudicia tua* (Deut. XXXIII, 9). Ille enim scire Deum familiarius appetit, qui prae amore pietatis nescire desiderat quos carnaliter scivit. **232** Gravi etenim damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi, quatenus eosdem quos propter Deum utiliter negligit tanto solidius diligit, quanto in eis affectum solubilem copulae carnalis ignorat.

42. *Propinquis plus caeteris prodesse debemus, modo hinc noster ad Deum progressus nil retardetur. Qui debemus erga eos benigne affici, nec tamen ab itinere quod ad Deum ducit declinare.*---Debemus quidem et temporaliter his quibus vicinius jungimur plus caeteris prodesse, quia et flamma admotis rebus incendium porrigit, sed hoc ipsum prius ubi nascitur incendit. Debemus copulam terrenae cognationis agnoscere; sed tamen hanc, cum cursum mentis praepedit, ignorare, quatenus fidelis animus in divino studio accensus, nec ea quae sibi sunt in infimis conjuncta despiciat, et, haec apud semetipsum recte ordinans, summorum amore

transcendat. Solerti ergo cura providendum est ne carnis gratia subrepat, atque a recto itinere cordis gressum deflectat, ne vim superni amoris impediatur, et surgentem mentem superimposito pondere deorsum premat. Sic etenim quisque propinquorum debet necessitatibus compati, ut tamen per compassionem non sinat vim suae intentionis impediri, ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen a spiritali proposito non avertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritalium ipsam in se dilectionem vincunt, quatenus sic eam discretionis moderamine temperent, ut per hanc in parvo saltem ac minimo a recto itinere non declinent. Quos bene nobis per significationem vaccae innuunt, quae, sub arca Domini ad montana tendentes, affectu simul et rigido sensu gradiuntur, sicut scriptum est: *Tollentes duas vaccas quae lactabant vitulos, junxerunt ad plastrum, vitulosque earum clausurunt domi, et posuerunt arcam Dei super plastrum (I Reg. VI, 10)*. Et paulo post: *Ibant in directum vaccae per viam quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram (Ibid., 12)*. Ecce enim, reclusis domi vitulis, vaccae quae sub arca Domini ad plastrum religantur, gemunt et pergunt, dant ab intimis mugitus, et tamen ab itinere non demutant gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic sic necesse est ut incedere debeant qui, sacrae legis jugo suppositi, jam per internam scientiam Domini arcam portant, quatenus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent a coepto rectitudinis itinere non declinent. Bethsames quippe domus solis dicitur. Arca ergo Domini superposita Bethsames pergere est cum superna scientia ad aeternae lucis

habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsames tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorum declinamus. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne haec eadem mens aut si affectu non tangitur, dura sit; aut plus tacta, si inflectitur, remissa.

[*Vet. XIX.*] 43. *Propinquorum gratia tenere debet, reflectere non debet.*---Intueri libet beatum Job, in quo divini timoris jugum colla cordis attriverat, sub quanto discretionis moderamine divinae sententiae arcam portat. **233** Amissis namque vitulis mugit, quia, audita morte filiorum, in terram tonso capite corruit (**Job. I, 20**); sed recto tamen itinere mugiens graditur, quia os ejus in gemitu ad Dei laudes aperitur, cum protinus dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (**Ibid., 21**). Sed indiscretæ mentes hanc vivendi regulam nesciunt, et quo vias Dei dissolute appetunt, eo ad mundi itinera stulte replicantur.

44. *Teporis damna in aliis visa pius movere solent.*---Recte igitur sanctus vir post Theman semitas, Saba itinera memorat, quia quos Auster reprobi teporis solverit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem pravorum facta describens considerare haec admonet, quia perversa agendo diligimus, sed haec visa in aliis dijudicamus; et quae in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actione cognoscimus; sicque fit ut ad semetipsam mens redeat, et agere quod reprehendit erubescat. Quasi enim a speculo foeda facies displicet, cum mens a vita simili in se ipsa quod aversetur videt. Ait ergo: *Considerate semitas Theman, itinera Saba, et expectate paulisper.* Ac si aperte diceret:

Damna alieni teporis attendite, et tunc spem de aeternis firmitus sumetis, si recto cordis oculo quod in aliis displiceat videtis.

[*Vet. XX.*] 45. *Vitae hujus brevitatem quam utiliter attendatur.*--
-Bene autem dicitur: *Exspectate paulisper*. Saepe etenim dum praesentis vitae brevitatem quasi diu perseverantia diligitur, ab aeterna spe animus frangitur, et delectatus praesentibus, desperationis suae caligine reverberatur. Cumque longum putat quod ad vivendum sibi spatium restat, repente vitam deserens, aeterna invenit, quae vitare jam nequeat. Hinc est enim quod per quemdam sapientem dicitur: *Vae his qui perdididerunt sustententiam* (**Eccli. II, 16**). Sustententiam videlicet perdunt qui, dum diu se immorari visibilibus aestimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in praesentibus figitur, vita terminatur; et repente ad supplicia improvisa perveniunt, quae, decepti suis praesumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc Veritas dicit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* (**Matth. XXV, 13**). Hinc rursum scriptum est: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet* (**I Thess. V, 2**). Quia enim ad rapiendam animam propinquans minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto a nobis non valet ventura praesciri. Unde et sancti viri, quia brevitatem vitae indesinenter ascipiunt, quasi quotidie morientes vivunt; et tanto se solidius mansuris praeparant, quanto et nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista, veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pusillum adhuc, et non erit peccator* (**Psal. XXXVI, 10**). Hinc iterum dicit: *Homo sicut fenum dies ejus* (**Psal. CII, 15**).

Hinc Isaias ait: *Omnis caro fenum, et gloria ejus sicut flos feni* (Isai. XL, 6). Hinc mentes praesumentium Jacobus corripit dicens: *Quae est vita vestra? Vapor est ad modicum parens* (Jac. IV, 15). Recte ergo dicitur: *Exspectate paulisper*, quia et immensum est quod sine termino sequitur, et parum est quidquid finitur. Longum quippe nobis **234** videri non debet quod cursu sui temporis tendit ut non sit; quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua quae differunt impellunt; atque unde teneri cernitur, inde agitur ne teneatur. Bene autem beatus Job, postquam brevitatem praesentis vitae despiciens intulit, contra iniquos protinus in voce omnium electorum surgit, adjungens:

CAPUT XXXI.

VERS. 20.---*Confusi sunt, quia speravi.*

46. *Reprobos pudore afficit bonorum constantia.*---Cum bonis mala reprobi ingerunt, si hos a spe intima labefactari conspiciunt, effectum deceptionis hilaescunt. Lucrum namque maximum, erroris sui propagationem deputant, quia habere se ad perditionem socios exsultant. Cum vero bonorum spes interius figitur, et nequaquam malis exterioribus ad ima reclinatur, pravorum mentem confusio occupat, quia dum pervenire ad afflictorum intima nequeunt, incassum se existere crudeles erubescunt. Sanctus igitur vir dicat ex voce sua, dicat ex universalis Ecclesiae afflictarum gementisque constantia, quae inter adversa reproborum supernae retributionis gaudium sine ullo mentis defectu desiderat, atque

ad vitam moriendo perdurat: *Confusi sunt, quia speravi*. Ac si aperte dicat: Quia duris persecutionibus reprobis vim mei rigoris non emolliunt, erubescunt procul dubio laborem suae crudelitatis perdunt. Unde et mox venturae retributionis bona quasi jam praesentia conspiciunt, et qui reatus in iudicio reprobos maneat attendit, subdens:

CAPUT XXXII.

IBID.---*Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.*

47. *Reproborum trepidatio in iudicio.*---Usque ad sanctam quippe Ecclesiam in diem iudicii reprobis veniunt, quia usque ad ejus tunc conspiciendam gloriam perducuntur, ut ad maiora reatus sui supplicia repulsi videant quod perdidierunt. Tunc vero iniquos pudor cooperit, cum eos in conspectu iudicis testis conscientia addicit. Tunc iudex exterius cernitur, sed accusator interius toleratur. Tunc omnis ante oculos culpa reducitur, et mens super gehennae incendia suo gravius igne cruciatur. De quibus recte per Prophetam dicitur: *Domine, exaltet manus tua, ut non videant, videant et confundantur* (Isai. XXVI, 11.) Intellectum quippe reproborum nunc merita obscurant, sed tunc cognitio reatus illuminat, ut et modo sequenda non videant, et tunc ea postquam amiserint cernant. Nunc quippe aeterna intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnunt; sed tunc ea intelligentes procul dubio desiderantesque conspiciunt, cum desiderata assequi nequaquam possunt.

[Vet. XXI.] 48. *Amici Job ex ejus in Deum fiducia pudore suffusi.*---Quae etiam beati Job verba amicis ejus specialiter congruunt, qui duris objurgationibus sancti viri animum labefactare conabantur. Ait enim: *Confusi sunt, quia speravi.* Ac si aperte diceret: Dum me stultis increpationibus ad desperationem flectere nequeunt, ipsi temeritatis suae insania confunduntur. *Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.* Ac si dicat: Videntes corporis vulnera, sed mentis constantiam nescientes, dum me de injustitia increpare ausi sunt, usque ad me necdum venerunt; sed dura me invectione **235** pulsantes, dum stare animum inter adversa deprehendunt, quasi ad me venientes erubescunt. Eo enim ad me veniunt quo me in intimis cognoscunt; ibique eos pudor cooperit, ubi me stantem fortiter exterior jactura non tangit. Sunt vero nonnulli qui timere Deum nesciunt, nisi cum vel in se experta, vel in aliis cognita adversitate terrentur, quos prospera per audaciam elevat, contraria per infirmitatem turbant. Ex quorum scilicet numero amicos suos esse beatus Job redarguit, cum protinus subdit, dicens:

CAPUT XXXIII.

VERS. 21.---*Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis.*

49. *Deus etiam in prosperis metuendus.*---Ac si aperte dicat: Ego tunc Deum timui, cum, fultus prosperis, flagellorum detrimenta non sensi. Vos autem qui ex amore Deum non

metuistis, ex sola eum verberis percussione formidatis.
Sequitur:

CAPUT XXXIV.

VERS. 22, 23.---*Nunquid dixi: Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi? vel: Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?*

50. *Ecclesia ab iis qui prava de fide asserunt, quae de moribus vera docent, audire non vult. Maligni spiritus absque carnis infirmitate sunt conditi.*---Si ad personam sanctae Ecclesiae haec verba referuntur, quia amicos beati Job haereticorum tenere speciem diximus, recte se asserit eorum substantia non indigere. Haereticorum quippe substantia carnalis sapientia non inconvenienter accipitur, qua dum perverse fulciuntur, quasi in verbis se divites ostendunt; quam eo sancta Ecclesia non quaerit, quo hanc spiritali intellectu transcendit. Saepe vero haeretici, cum perversa de fide asserunt, nonnulla contra antiquum hostem subtilia de carnis tentationibus loquuntur. Nam nonnunquam eo in se quasi sana membra operationis ostendunt, quo in fide vulnerati serpentis morsu in capite tenentur. Sed sancta Ecclesia audire ab his subtilia de tentationibus non vult, qui dum vera quaedam de conversatione asserunt, ad falsa perfidia perducunt. Unde recte nunc dicitur: *Nunquid dixi: Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi? vel: Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?* Manum quippe hostis Satanae fortitudinem vocat, et manum robustorum vires malignorum

spirituum appellat. Quos idcirco robustos memorat, quia dum absque carnis infirmitate sunt conditi, pravis eorum adnibus imbecillitas adjuncta non obviat. Hoc vero quod subditur:

CAPUT XXXV.

VERS. 24.---*Docete me, et ego tacebo; et si quid forte ignoravi, instruite me.*

51. Sub cujus distinctionis libramine pendeat, incertum videtur; utrum ad hoc subjunctum sit, quod intulerat: *Nunquid dixi?* an certe disjuncta a superioribus sententia promitur qua per increpationem dicatur: *Docete me, et ego tacebo; et si quid forte ignoravi, instruite me.* Quod tamen utrique distinctioni convenit, quia ab intellectus sani tramite per neutram recedit. Sed quia haec in transcurso per allegoriam diximus, restat ut moraliter historiae verba perscrutemur

[*Vet. XXII, Rec. XV.*]---SENSUS MORALIS. 52. *Pauperis, oppressi, ac stulti propter Deum qualis sit animus.*---Beatus Job rerum damna pertulerat, malignorum spirituum percussionebus traditus dolores vulnerum sentiebat; sed, sapientem Dei stultitiam diligens, stultam mundi sapientiam mentis despectu calcaverat. Igitur contra mundi divites **236** pauper, contra potentes oppressus, contra sapientes stultus dicitur. Tria respondit, quia nec pauper eorum substantiam, nec oppressus adjutorium contra robustos, nec stultus doctrinam sapientiae carnalis quaerit. Sanctus etenim vir, quia mente super semetipsum rapitur, et pauper inopia non angustatur, et oppressus nihil patitur, et

voluntarie stultus carnalem sapientiam non miratur. Hinc est enim quod oppressus alius pauper dicit: *Aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus (II Cor. IV, 8)*. Hinc est quod sapientiam sanctae stultitiae insinuans, ait: *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes (I Cor. I, 27)*. Et: *Si quis videtur inter vos sapiens in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens (I Cor, III, 18)*. Hinc et gloriam oppressionis, et divitias desideratae paupertatis aperiens, dicit: *Quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (II Cor. I, 19)*.

53. *Sanctorum exterius oppressorum sublimitas. Et in arguendis potestatibus libertas.*---Libet inter haec oculos mentis attollere, et electos Dei exterius oppressos quantae intrinsecus arcis praesideant videre. Cuncta quippe quae foris eminent, occultis eorum obtutibus per despectum jacent. Nam, super se interius rapti, in alto animum figunt; et quaeque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia atque a se aliena conspiciunt; atque, ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quae tolerant ignorant. In horum profecto oculis quidquid temporaliter eminet altum non est. Nam, velut in magni vertice montis siti, praesentis vitae plana despiciunt, seque ipsos per spiritalem celsitudinem transcendent, subjecta sibimet intus vident, quaeque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt; sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hinc est enim quod, a deserto Moyses veniens, Aegypti regem

ex auctoritate aggreditur, dicens: *Haec dicit Dominus Deus Hebraeorum: Usquequo non vis subjici mihi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi (Exod. X, 3).* Cui dum plagis pressus Pharao diceret: *Ite, sacrificate Deo vestro in terra ista (Exod. VIII, 25),* aucta protinus auctoritate respondit: *Non potest ita fieri; abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro (Ibid., 26)?* Hinc est quod peccantem regem Nathan aggreditur, cui prius similitudinem perpetratae praevaricationis objiciens, eumque reum per proprii iudicii vocem tenens, protinus adjunxit, dicens: *Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem (II Reg. XII, 7).* Hinc est quod vir Dei, ad destruendam idololatriam Samariam missus, Jeroboam rege super altare thura jaciente, non regem veritus, non formidine mortis pressus, contra altare intrepidus auctoritatem liberae vocis exercuit, dicens: *Altare, altare, haec dicit Dominus Deus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum (III Reg. XIII).* Hinc est quod Achab superbus, idolorum servitio subactus, cum increpare Eliam praesumeret, dicens: *Tu es ille vir, qui conturbas Israel (III Reg. XVIII, 17)?* Elias protinus superbi regis stultitiam, objurgationis liberae auctoritate percussit, dicens: *Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis 237 mandata Domini, et secuti estis Baalim.* Hinc est quod Elisaeus, veram magistri celsitudinem sequens, Joram filium Achab ad se cum Josaphat rege venientem ex reatu perfidiae confudit, dicens: *Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tuae (IV Reg. IV, 13).* Et: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judae erubescerem, nec attendissem quidem te, nec respexissem (Ibid., 14).* Hinc est quod isdem vir Naaman ad

se cum equis et curribus venientem ante ostium domus fixit, et talentorum copia ac vestium fulto non occurrit; non januam domus aperuit, sed ut lavari septies in Jordane debuisset per nuntium jussit (**IV Reg. V, 9, 10**). Unde et isdem Naaman iratus recedebat dicens: *Putabam quod egrederetur ad me (Ibid., 11)*. Hinc est quod Petrus, cum eum sacerdotes ac principes etiam per flagella saevientes in nomine Jesu loqui prohiberent, cum magna protinus auctoritate respondit, dicens: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui (Act. IV, 19)*. Hinc est quod Paulus cum residentem contra veritatem sacerdotum principem cerneret, eumque minister illius alapa percussisset, non maledictum perturbatus intulit, sed repletus Spiritu libera voce prophetavit, dicens: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicans me secundum legem, et contra legem jubes me percuti (Ibid., 5)*? Hinc est quod Stephanus contra vim persequentium auctoritatem vocis exerere nec moriturus expavit, dicens: *Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri et vos (Act. VII, 51)*.

[*Vet. XXIII.*] 54. *Haec sanctorum libertas ex zelo veritatis existit, non ex vitio elationis.*---Sed quia sancti viri ad verba tantae altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exsiliunt, ipsi patenter indicant, qui factis dictisque aliis et quanta humilitate polleant, et erga eos quos redarguunt quanta charitate ferveant manifestant. Superbia quippe odium generat, humilitas amorem. Verba itaque quae amor exasperat profecto ex fonte humilitatis manant. Quomodo ergo Stephanus proferre increpationem per elationem potuit, qui

pro eisdem quos increpaverat, ad deteriora crescentibus, seque lapidantibus, flexis genibus oravit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum (Ibid., 59)*? Quomodo Paulus contra gentis suae sacerdotem ac principem asperitatis verba superbiens intulit, qui humilitate se etiam discipulorum servitio substernit, dicens: *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Christum (II Cor. IV, 5)*? Quomodo Petrus per elationem principibus restitit, quorum errori compatiens reatum velut excusat, dicens: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus autem, qui praenuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic (Act. III, 17)*. Quos ad vitam misericorditer trahit, dicens: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra (Ibid., 19)*. Quomodo Elisaeus videre Naaman ex elatione noluit, qui non solum se conspici, sed teneri etiam a muliere permisit? de qua scriptum est: *Cumque venisset ad virum Dei in 238 montem, apprehendit pedes ejus; et accessit Giezi, ut amoveret eam, et ait homo Dei: Dimitte eam, anima enim ejus in amaritudine est (IV Reg. IV, 27)*. Quomodo Elias superbo regi increpationis verba per tumorem intulit, qui ante ejus currum humiliter cucurrit, sicut scriptum est: *Accinctisque lumbis, currebat ante Achab (III Reg. XVIII, 46)*? Quomodo vir Dei Jeroboam praesentiam ex elatione despexit, qui arentem dexteram ejus saluti pristinae protinus ex pietate reparavit? sicut scriptum est: *Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum; et exaruit manus ejus (III Reg. XIII, 4)*. Et paulo post: *Oravit vir Dei faciem Domini; et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius*

fuera (**Ibid.**, 6). Quia enim superbia gignere virtutes nescit, quanta ex humilitate prodit vox increpationis ostenditur, quam signa comitantur. Quomodo Nathan contra David regem per verba increpationis tumuit, qui cum increpanda culpa deesset, in terram se in conspectu ejus pronus stravit, sicut scriptum est: *Nuntiaverunt regi dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset ante conspectum regis, adoravit eum pronus in terra* (**III Reg. I, 23**)? Quomodo Moyses regi Aegyptio libere resistens eum despiciere potuit, qui, Deo familiariter colloquens, sequentem se Jethro cognatum suum humilis adoravit (**Exod. XVIII, 7**)? Cujus etiam consilio tantam obedientiam praebuit, ut post secreta Dei colloquia magnum lucrum duceret quod foris ab ore hominis audiret.

[*Vet. XXIV.*] 55. *Qui alios arguunt, seipsos non palpent.*---Ex aliis ergo sanctorum factis discimus quid de aliis pensare debeamus. Sancti enim viri, nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi; sed cum rectitudo eos ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriae in humilitate custodit. Culpas quippe delinquentium etsi ex alto increpantes feriunt, semetipsos tamen apud se subtilius judicantes, quasi in abjectis ponunt; et quo prava in aliis insequuntur, eo ad reprimendos se atrociores redeunt; rursusque quo sibimet meliora agentibus nequaquam parcent, eo vigilantius aliena facta reprehendunt. Quid enim de humana potentia mirari exterius poterunt, qui semetipsos quoque despiciunt, etiam cum intimae pene jam arcem sublimitatis apprehendunt. Idcirco igitur bene foris dijudicant altitudinem terrenae celsitudinis, quia intus oculum non gravat pondus tumoris. Unde et beatus Job, cum in amicis dura loquentibus terrenam prudentiam, vires, substantiamque despiceret,

dicens: *Nunquid dixi: Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi? vel: Liberate me de manu hostis; et de manu robustorum eruite me? Docete me, et ego tacebo; et si quid forte ignoravi, instruite me;* quid de semetipso sentiat, paulo inferius manifestat, dicens: *Super pupillum irruitis* (**Vers. 27**). Luce itaque clarius patet quantae se infirmitatis conspiciat, quem pupillum vocat. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XVI*].

VERS. 25.---*Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere?*

56. *Mundus esse debet qui alios vult corrigere.*---Mundus ipse esse a vitiis debet qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, ut desideriis **239** infimis non succumbat; quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videat, quanto haec ipse per scientiam et vitam verius declinat, quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus quem pulvis gravat, et superjectas sordes tergere non valent manus quae lutum tenent. Quod, juxta antiquae translationis seriem, bene ad David erga exteriora bella laborantem per significationem divina vox innuit, cum dicit: *Non tu aedificabis mihi templum, quia vir sanguinum es* (**II Reg. VII; XVI, 8; I Par. XXII, 8**). Dei autem templum aedificat, qui corrigendis atque instituendis proximorum mentibus vacat. Templum quippe Dei nos sumus, qui ad veram vitam ex ejus inhabitatione construimur, Paulo attestante, qui ait: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (**I Cor. III, 17**).

Sed vir sanguinum templum Deo aedificare prohibetur, quia qui adhuc actis carnalibus incumbat necesse est ut instruere spiritaliter proximorum mentes erubescat. Bene ergo dicitur: *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere?* Ac si aperte diceretur: Qua temeritate audita reprehenditis, qui, percussionis meae causas ignorantes, adhuc reprehensibilia profertis. Sequitur:

CAPUT XVII [*Rec. XVII*].

VERS. 26.---*Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.*

57. *Locutionum duo genera hominibus noxia.*---Duo sunt genera locutionum importuna valde et noxia generi humano, unum quod curat etiam perversa laudare, aliud quod studet semper etiam recta corripere. Illud deorsum cum fluvio ducitur, hoc vero contra fluentia veritatis obserare et alveum conatur. Illud metus premit, hoc elatio erigit. Illud gratiam ex favoribus captat, hoc ira ut ex certamine ostendatur exagitat. Illud in promptu subjacet, hoc semper e diverso tumet. Ex hujus ergo qualitate beatus Job amicos suos fuisse redarguit, cum dicit: *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis.* Sed unde usque ad injustae increpationis audaciam pervenitur, protinus innotuit, cum subjunxit: *Et in ventum verba profertis.* In ventum enim verba proferre est otiosa dicere. Nam saepe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultae increpationis effrenatur. Quibusdam enim ruinae suae gradibus desidiosa

mens in foveam lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus, ut prius loqui aliena libeat, et postmodum detractationibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixae, accenduntur faces odiorum, pax tota exstinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam caput est jurgiorum* (**Prov. XVII, 14**). Aquam quippe dimittere est linguam in fluxum eloqui relaxare. Quo contra et in bonam partem asserit, dicens: *Aqua profunda, verba ex ore viri* (**Prov. XVIII, 4**). Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde e diverso scriptum est: *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat* (**Prov. XXVI, 10**).

[*Vet. XXV.*] 58. *Multiloquii mala. Otiosum verbum.* ---Quia autem multiloquio quisque serviens rectitudinem justitiae tenere non possit, testatur Propheta, quia ait: *Vir linguosus non dirigetur super terram* (**Psal. CXXXIX, 12**). Hinc Salomon iterum ait: *In multiloquio 240 peccatum non deerit* (**Prov. X, 19**). Hinc Isaias dicit: *Cultus justitiae silentium* (**Isai. XXXII, 17**), videlicet indicans quia mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (**Jac. I, 26**). Hinc rursum ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (**Ibid., 19**). Hinc iterum adjungit: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero* (**Jac. III, 8**). Hinc per semetipsam nos Veritas admonet, dicens: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem*

in die judicii (Matth. XII, 36). Otiosum quippe verbum est quod aut ratione justae necessitatis, aut intentione piaе utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est quae poena illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiae verba peccatur.

59. *Sine silentii censura mens tota patet hosti.* ---Sciendum quoque est quod ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquae more, et circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimae considerationis amittit. Totam se igitur insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla se munitione custodiae circumcludit. Unde scriptum est: *Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum (Prov. XXV, 28).* Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tanto ille sine labore superat, quanto et haec eadem quae vincitur contra semetipsam per multiloquium pugnat.

60. *Silentii immoderati incommoda.*---Sed inter haec sciendum est quia cum pavore nimio a locutione restringimur, interdum plus quam necesse est intra claustra silentii coarctamur; et dum linguae vitia incaute fugimus, occulte deterioribus implicamur. Nam saepe dum ab eloquio immoderate compescimur, grave multiloquium in corde toleramus, ut eo plus cogitationes in mente ferveant, quo illas

violenta custodia indiscreti silentii angustat; et plerumque tanto latius diffiunt, quanto se esse securiores aestimant, quia foris a reprehensoribus non videntur. Unde mens nonnunquam in superbiam tollitur, eosque quos loquentes audit quasi infirmos conspicit. Cumque os corporis claudit, quantum se vitiis superbiendo aperiat non agnoscit. Linguam etenim premit, cogitationem erigit; et cum se per negligentiam minime considerat, tanto apud se cunctos liberius, quanto et secretius accusat. [*Vet. XXVI.*] Plerumque autem nimis taciti cum nonnulla injusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea quae sustinent non loquuntur. Nam si illatas molestias lingua tranquille diceret, a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant, quia cum putredo, quae intrinsecus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. Plerumque nimis taciti dum quorundam mala respiciunt, et tamen in silentio **241** linguam premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt. Eo enim mortis auctores fiunt, quo virus quod poterant ejicere loquendo noluerunt. Unde et immoderatum silentium si in culpa non esset, propheta non diceret: *Vae mihi quia tacui (Isai. VI, 5).*

61. *Lingua per disciplinam retineatur, et ex necessitate laxetur.*---Quid ergo inter haec, nisi studiose lingua sub magni moderaminis libratione frenanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat? Hinc namque per quemdam dicitur: *Sapiens tacebit usque ad tempus (Eccli. XX, 7)*, ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quae congruunt, in usum se utilitatis impendat. Hinc Salomon ait: *Tempus tacendi, et*

tempus loquendi (Eccle. III, 7). Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi **242** lingua debet, per verba se inutiliter solvat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans brevi postulatione complexus est dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis* (Psal. CXLIX, 3). Ostium namque aperitur et clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, aperte docuit quod et per disciplinam retineri lingua debeat, et ex necessitate laxari, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiatur, et rursum congruo taciturnitas claudat. Quod quia vel amici beati Job, vel omnes haeretici, quorum hi speciem tenent, servare nesciunt, in ventum verba proferre perhibentur, quia nimirum dicta quae discretionis pondus non solidat aura levitatis portat.

LIBER OCTAVUS. *Postremam capitis sexti partem, a 27 versu, et cum septimo totum octavum, enarrat. In hac porro enarratione a versu 11 capitis octavi ad finem usque, de hypocrisis vitio copiose edisserit.*

CAPUT PRIMUM.

241 1. *Job humilitas et amor in persecutores. Quo Ecclesiae charitas erga haereticos adumbratur.*---Praecedenti jam libello tractavimus, quod beatus Job vim nobis humilitatis suae innotescit, dicens:

CAP. VI, VERS. 27.---*Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum.*

Quantae namque infirmitatis se perpendat insinuat, quem pupillum vocat; quia vero ab amore recedere etiam laesa charitas nescit, et subverti velle se queritur, et tamen amicum se esse testatur. Cujus verba, ut saepe jam diximus, sic eidem specialiter congruunt, ut tamen per haec ex prophetico spiritu etiam sententia fidelis populi, ex voce Ecclesiae universalis, exprimatur, qui haereticorum contrarietatem tolerans, et infirmum se per humilitatem conspicit, et tamen a servandae dilectionis magnitudine non recedit. Sanctae quippe Ecclesiae populus, quia mortui patris est filius, pupillus non incongrue dicitur; cujus resurgentis vitam jam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur. Super pupillum vero haeretici irruunt, cum humilitatem fidelis populi importunis falsisque allegationibus affligunt. Et tamen amicus est quem nituntur evertere, quia fidelis Dei populus ipsos quoque quos persequentes tolerat amando non desinit ad veritatem vocare. Sed inter haec sciendum est quia sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec laesi unquam a veritate conticescunt. Unde subditur:

CAPUT II.

VERS. 28.---*Verumtamen quod coepistis explete; praebete aurem et videte an mentiar.*

2. *Charitati verae contra adversarios adesse debent patientia et benignitas.*---Quia enim adversa perpeti non timet, dicat: *Verumtamen quod coepistis, explete.* Quia vero ipsis suis persecutoribus veritatis praedicamenta non subtrahit, adjungat: *Praebete aurem, et videte an mentiar.* Ac si aperte diceret: Nec ante illatas molestias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adjutoria abscondo, quia et malis pressus exerceor, et ipsis meis persecutoribus **242** benigne impensus cresco. Mens quippe sanctorum in hoc tentationum praelio et munita patientiae clypeo, et gladiis amoris accincta, ad perferenda mala sumit fortitudinem, et ad rependenda bona exerit benignitatem, quatenus et odiorum tela potenter excipiat, et amoris jacula valenter reddat. Nequaquam quippe ad bella armatus pergit qui aut clypeum sumens, gladiis non utitur, aut utens gladiis clypeo non munitur. Unde et miles Dei, adversitatis bello deprehensus, et scutum patientiae debet anteferre, ne pereat; et ad praedicandum promptus amoris inferre jacula, ut vincat. Cujus armaturae summam Paulus breviter insinuat, dicens: *Charitas patiens est, benigna est (I Cor. XIII, 4).* Cum vero unum ex utroque defuerit, charitas non est, si, videlicet, malos aut absque benignitate tolerans, non amat, aut rursum, sese sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Ut ergo a nobis charitas vera teneatur, necesse est quatenus et benignitati patientia, et rursum patientiae benignitas suffragetur, ut magnum quoddam in

corde nostro aedificium construens, et benignitatis arcem patientia solidet, et patientiae fundata aedificia benignitas exornet. Beatus igitur Job promptus ad patientiam dicat: *Verumtamen quod coepistis, explete*; benignitate praeditus adjungat: *Praebete aurem, et videte an mentiar*.

3. *Ecclesia errantes studet rationibus revocare*.---Quia vero sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta, recta quae errantibus dicit, non quasi ex auctoritate praecipit, sed ex ratione persuadet, bene nunc dicitur: *Videte, an mentiar*. Ac si aperte dicat: Ea quae assero nequaquam mihi ex auctoritate credite, sed an vera sint ex ratione pensate. Quae et si quando dicit quod ratione comprehendere non valet, ne de occultis humana ratio quaeri debeat, rationabiliter suadet. Sed saepe haeretici, dum occasionem ratiocinationis accipiunt, ad jurgia contentione effrenantur. Unde et apte mox subditur:

CAPUT III.

VERS. 29.---**243** *Respondete, quaeso, absque contentione*.

4. *Haeretici rixas, non rationes exquirunt*.---Neque enim haeretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Cumque foris ostendi sapientes appetunt, intus per stultitiam elationis suae vinculis ligantur. Unde fit ut contentionum certamina exquirant, et de Deo, qui pax nostra est, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixae inventores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: *Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem*

non habemus, neque Ecclesia Dei (I Cor. XI, 16). Recte autem subditur:

CAPUT IV.

IBID.---*Et loquentes id quod justum est, judicate.*

5. *Nil inconsulte loquendum.*---Is namque qui loquitur, dum de verbis suis auditoris sententiam exspectat, quasi ejus judicio supponitur a quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, quatenus inter cor et linguam aequus quidam discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta verba cor offerat, quae, utiliter suscipiens, ad auditorum judicium lingua perducatur. Beatus igitur Job sua contra amicos agens, sed contra haereticos nostra denuntians, praecipitationem loquentium reprehendat, atque ad eorum mentem verba colligat, dicens: *Loquentes id quod justum est, judicate.* Ac si aperte diceret: Si in eo quod ad nos egressum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus justitiae libram tenete, ut tanto foris quod dicitur ex veritatis pondere placeat, quanto hoc interius trutina discretionis pensat. Et quia hi erga aliena dicta rectum judicium exerunt, qui judicare prius propria sciunt, postquam dixit, *Loquentes id quod justum est, judicate,* apte mox subdit:

CAPUT V.

VERS. 30.---*Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.*

6. *Dictorum suorum censor rectius judicat de alienis. Prius falsa refellenda, quam vera doceantur.*--- Ac si aperte diceret: Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensatis, et cum rectum coeperit esse quod dicitis, justum cognoscetis quod auditis. Nequaquam quippe mea vobis lingua stultitiam resonat, si a vestra conscientia non procedat. Sic sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, et tunc praedicamenta veritatis aperire, quia cum recta se tenere aestimant, recta quae audiunt contumaciter impugnant. Ante ergo necesse est ut errorem suum haeretici sentiant, ne auditae veritati contradicant, quia et camporum sentes si arator vomeris scissione non eruit, terra accepta semina in segetem non producit; et cum putredinem medicus vulneris apertione non ejicit, nequaquam in loco putredinis sana caro coalescit. Prius ergo perversa destruens, dicat: *Loquentes id quod justum est judicate*; post autem recta insinuans, adjungat: *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* [Vet. III.] Solent autem haeretici alia aperte dicere, alia in occultis tenere. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces vero occulta tractatio designatur.

7. *Ecclesia non alia aperte profert, alia celat, haeticorum more.*--- Sanctae ergo Ecclesiae nec in lingua iniquitas, nec stultitia in faucibus resonat, quia ea quae per publicam locutionem praedicat, etiam per intimam fidem servat; nec in aperto aliud docet, atque in occultis aliud retinet, sed et quod sentit **244** loquendo ejicit, et quod loquitur vivendo custodit; ac de sapientiae supernae convivio quidquid per linguam

praedicationis emanat, hoc per fauces tacitae expectationis degustat. Sed beatus Job unum scilicet membrum universalis Ecclesiae, sua insinuans, atque electorum omnium corda manifestans, omne quod sentit aperiat, ut mentis ejus rectitudinem attestatio locutionis innotescat. Sequitur:

CAPUT VI [*Vet. IV, Rec. III*].

CAP. VII, VERS. 1.---*Militia est vita hominis super terram.*

8. *Vita nostra, et militia et tentatio eodem sensu. Ipsa sibi tentatio est.*---Hoc in loco translatione veteri nequaquam militia vita hominis, sed tentatio vocatur. Sed si utriusque verbi sensus aspicitur, diversum quidem est quod exterius resonat, sed unum eundemque concorditer intellectum format. Quid enim nisi pugna contra malignos spiritus, nomine tentationis exprimitur? Et quid appellatione militiae, nisi contra hostes exercitium designatur? Tentatio itaque ipsa militia est, quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum procinctu procul dubio exsudat. Notandum vero, quod haec eadem vita hominis non tentationem habere dicitur, sed ipsa tentatio esse perhibetur. Sponte quippe a statu conditionis lapsa, et corruptionis suae putredini subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam facta quod tolerat. Quia enim statum mentis inclinata deseruit, quid in se nisi motum varietatis invenit? Unde nunc etsi ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricae impulsu protinus ad semetipsam cadit. Vult in contemplatione stare, sed non valet. Cogitationis gressum figere nititur, sed

infirmittatis suae lapsibus enervatur. Quae nimirum mutabilitatis suae onera quia volens expetiit, nolens portat. Quietus homo possidere carnem potuit, si bene ab auctore conditus, possideri voluisset. Cumque se erigere contra conditorem studuit, in semetipso protinus carnis contumeliam invenit. Sed quia cum culpa simul ab origine etiam poena propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur, et quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum labore superamus. Ipsa ergo hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur unde perimatur. Quae etsi semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat.

9. *Quot modis tentemur; qui tentationi uni succedat altera.*--- Sic itaque humana vita tentatio est, ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus, modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suae interruptione fuscetur. Alius namque a luxuria carnem jam refrenat, sed tamen adhuc luxuriae phantasmata tolerat, quia quae volens fecit, horum invitus meminit, et poenam sustinet, quod voluptatem putavit. Quia vero ad devictam culpam retrahi metuit, ventrem mirae abstinentiae vigore restringit, vultusque ex abstinentia pallescit; cumque in facie pallor aspicitur, reverenda ab hominibus vita laudatur; moxque inanis gloria ad abstinentis animum cum verbis favoris venit, quam concussa mens dum subjicere non valet, eum per quem venerat tergere a facie pallorem quaerit; sicque fit ut, infirmitatis nexibus ligata, aut pallorem abstinentiae fugiens, iterum per alimenta subdi luxuriae **245** metuat, aut, impulsus luxuriae per abstinentiam superans, pallorem suum inani gloriae militare pertimescat.

Alius, lapsum superbiae superans, toto jam desiderio statum humilitatis apprehendit; cumque superbientes quosdam usque ad oppressionem innocentium erumpere conspicit, zeli excitatione succensus, postponere aliquatenus cogitur quod decrevit, vim rectitudinis exerit, pravisque non mansuetudine, sed auctoritate contradicit. Unde plerumque fit ut aut humilitatis studio zelum rectitudinis deserat, aut rursum zelo rectitudinis turbet humilitatis studium quod tenebat. Cumque servari simul et zeli auctoritas, et propositionis humilitas vix possit, sibimetipsi homo ex perturbatione incognitus redditur, ita ut vehementer ambigat, ne apud seductum animum aut superbia se auctoritatem zeli insinuet, aut torpor pavidus humilitatem fingat. Alius, quanta sit fallaciae culpa considerans, munire se arce veritatis decernit, ut ex ore jam falsus sermo non prodeat, seseque funditus a mendacii transgressione disjungat. Sed fit plerumque ut cum verum dicitur, vita proximi gravetur; cumque ingerere alteri laesionem metuit, ad hoc quod dudum presserat fallaciae vitium, quasi ex studio pietatis redit; sicque fit ut etsi malitia mentem non teneat, in ea tamen veritatis radium umbra mendacii obscuret. Unde et saepe quia percontatus quisque conticescere non valet, aut, falsum dicens, suam mentem trucidat, aut, vera loquens, proximi vitam gravat. Alius, amore conditoris sui excitatus, a terrenis cogitationibus mentem curat assidua oratione suspendere, atque hanc in secreta quietis intimae securitate collocare; sed in ipso suae orationis ascensu, dum clevari ab infimis nititur, infimorum phantasmate reverberatur; atque ad intuendam lucem mentis oculus tenditur, sed ex corporeo usu, surgentibus rerum terrenarum imaginibus, obscuratur. Unde fit plerumque ut intendentis animus, ipsa sua infirmitate fatigatus, aut,

orationem deserens, desidia torpeat, aut, si diu in oratione permanserit, ante oculos ejus obortarum imaginum caligo densescat.

[*Vet. V.*] 10. *Ex occasione virtutum deterius aliquando ruimus.*---Bene ergo dicitur: *Tentatio est vita hominis super terram*, quando ibi quoque reatum descensionis invenit, ubi se provectum comprehendere ascensionis putavit; et inde mens confunditur, unde surgere a confusione nitebatur, ut per hoc ad semetipsam diverberata redeat, per quod semetipsam jam collecta et coadunata transibat. Iste, ab eruditione divinae legis alienus, ignorantia sua deprimitur, ne quid obtinendae salutis operetur. Ille divinae legis scientia praeditus, dum sibi prae caeteris gaudet intellectum suppetere, quia privato gaudio exultat, percepti intellectus in se munera dissipat; et inde in judicio caeteris deterior exhibetur, unde clarior caeteris ad tempus ostenditur. Hunc quia virtutum dona non sublevant, etiam viam simplicem rectitudinis declinat; et velut extraneum se a coelesti munere deputans, quasi eo securius prava agit, quo superni doni sublimia munera non percepit. Illum prophetiae spiritus replet, ad praescientiam sublevat, eique ventura quaeque jam praesentia ostendit. Sed dum saepe et **246** in multis super semetipsum tollitur, ut futura veraciter contempletur, mens, in sui confidentiam deducta, eum qui haberi semper non potest semper sibi adesse prophetiae spiritum aestimat; cumque omne quod senserit prophetiam putat, quia sibi hanc et cum non habet tribuit, et in quantum habere potuit amittit. Sicque fit ut inde post aliorum merita tristis redeat, unde aestimatione omnium laetus praeibat. *Tentatio est ergo vita hominis super terram*, quae aut aliena a virtutibus ad coeleste praemium surgere non valet,

aut ditata donis spiritalibus aliquando deterius ex occasione virtutum ruit.

[*Vet. VI.*] 11. *Vita nostra militia, quia ut haec, crescendo decrescit ac finitur.*---Quia autem paulo superius hoc esse tentationem quod militiam diximus, sciendum summopere est quod quiddam nobis appellatione militiae amplius quam nomine tentationis innuitur. Hoc namque nostro intellectui expressione militiae augetur, quod nimirum per militiam ad finem quotidie tenditur; cumque per ordinem militiae locus crescit, tota simul hominum militia deficit. *Militia ergo est vita hominis super terram*, quia et, sicut superius diximus (**Lib. VII, n. 31**), unusquisque dum quotidie ad vitae terminum per temporum augmenta tendit, augendo vitam, vivere desinit. Dies quippe exspectat ut veniant; sed cum ad augmentum vitae veniunt, jam ab augmento vitae subtrahuntur, quia et itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit. Vita ergo nostra militia est, quae quo ad augmentum ducitur, eo ut non sit finitur. Bene igitur dicitur: *Militia est vita hominis super terram*, quia dum per spatia temporum crescere appetit, ab eodem spatio, quod perdendo colligit, crescendo pertransit. Unde apte quoque ipse militiae cursus exprimitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT VII.

IBID.---*Et sicut dies mercenarii dies ejus.*

12. *Electus, mercenarii instar, dies suos cito evolvi optat. In alieno laborat. Curat ne ullus dies vacuus labatur ab opere.*-

--Dies suos mercenarius evolvi citius exoptat, ut ad laboris sui praemium sine tarditate perveniat. Dies itaque hominis vera et aeterna sapientis recte mercenarii diebus comparantur, quia praesentem vitam, viam non patriam, militiam non palmam deputat; et eo se abesse longius a praemio conspicit, quo tardius ad finem venit. Considerandum quoque est quod mercenarius in alienis laboribus exsudat, sed tamen sibi praemium proprium praeparat. Voce autem Redemptoris nostri dicitur: *Regnum meum non est de hoc mundo* (**Joan. XVIII, 36**). Omnes ergo qui, spe coelestium praediti, exercitio vitae praesentis atterimur, in alieno laboramus. Nam saepe et reprobis servire cogimur, mundo quae mundi sunt reddere coarctamur; et alieno quidem labore fatigamur, sed tamen praemia nostra percipimus; et per hoc pervenimus ad propria, quod pure ministramus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis* (**Luc. XVI, 12**)? [*Vet. VII.*] Sciendum quoque est quod mercenarius sollicite curat inspicere ne unquam dies vacuus labatur ab opere, et expectatus finis temporis ne inanis veniat ad remunerationem. In laboris namque studio conspicit quid percipere in tempore remunerationis possit. Nam cum opus crescit, praemii fiducia proficit; cum vero opus torpuerit, spes a remuneratione **247** lassescit. Unde et electus quisque vitam suam quasi mercenarii dies pensans, tanto fidentius spe tendit ad praemium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum; qui sit decursus praesentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne a labore vacua transeant vitae momenta formidat; adversis gaudet, passione reficitur, moerore refovetur, quia subsequenter vitae praemiis tanto se remunerari largius conspicit, quanto pro amore illius

quotidianis se mortibus verius impendit. Hinc namque est quod cives supernae patriae conditori ejus Psalmistae vocibus dicunt: *Propter te morte afficimur tota die* (**Psal. XLIII, 22**). Hinc Paulus ait: *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres* (**I Cor. XVI, 31**). Hinc iterum dicit: *Ob quam causam haec patior, sed non confundor; scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem* (**II Tim. I, 12**). Sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis suae pignora intra spei cubiculum clausa tenent. Sed gravis nunc sentitur aestus in opere, ut quandoque refrigerium percipiatur ex quiete. Unde et apte mox subditur:

CAPUT VIII [*Rec. IV.*].

VERS. 2, 3.---*Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.*

13. *Requiem aeternam desiderat. Servus est, non liber, quoad corruptioni subjacet.*---Umbram quippe servo desiderare est post tentationis aestum, sudoremque operis, aeterni refrigerii requiem quaerere. Hanc namque umbram servus ille desideraverat qui dicebat: *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam, et parebo ante faciem Dei* (**Psal. XLI, 3**)? Et rursum: *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est* (**Psal. CXIX, 5**). Qui quasi a labore acri aestum fugiens, atque ad obtinendam requiem refrigerii tegmen quaerens, iterum dicit: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad*

domum Dei (Psal. XLI, 5). Hanc umbram comprehendere Paulus anhelabat, desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (**Philip. I, 23**). Ad hanc umbram ex desiderii jam perfectione pervenerant qui dicebant: *Nos qui portavimus pondus diei et aestus (Matth. XX, 12)*. Bene autem qui desiderare umbram dicitur, servus vocatur, quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominantis corruptionis jugo, quasi sub aestus anxietate retinetur. Qui nimirum cum corruptione exutus fuerit, tunc sibimetipsi liber et tranquillus innotescit. Unde et recte etiam per Paulum dicitur: *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. VIII, 21)*. Electos enim nunc poena corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat; et quantum ad praesentis necessitatis pondera nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur, tantum vero ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit. Creatura ergo, servitute corruptionis exuta, et dignitate libertatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur, quia, unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est transisse ac subegisse declaratur. Sed qui adhuc umbram desiderat servus est, quia quousque aestum tentationum tolerat, jugum miserae conditionis portat. Ubi apte subditur: *Et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui*.

248 [Rec. V.] 14. *Electorum labor intuitu mercedis levatur.*--
-Mercenarius etenim cum facienda opera conspicit, mentem protinus ex longinquitate et pondere laboris addicit; cum vero lassescentem animum ad considerandum operis praemium revocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat, et quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex

remuneratione. Sic sic electi quique cum mundi hujus adversa patiuntur, cum honestatis contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia quibus exercentur pensant, sed cum mentis oculos ad aeternae patriae considerationem tendunt, ex comparatione praemii, quam sit leve quod patiuntur inveniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. Hinc est quod Paulus semper se ipso robustior contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius praestolatur. Grave namque quod sustinet aestimat, sed leve hoc per praemii considerationem pensat. Ipse quippe quam sit grave quod patitur indicat (**II Cor. XI, 23**), qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur; qui a Judaeis quinquies quadragenas una minus accepit, qui ter virgis caesus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte et die in profundo maris fuit; qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit; qui in labore et aerumna, in jejuniis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate laboravit; qui foris pugnas, intus timores sustinuit; qui ultra vires gravatum se asserit, dicens: *Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere* (**II Cor. I, 8**). Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denuntiat, dicens: *Non sunt condignae passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (**Rom. VIII, 18**). Finem itaque operis quasi mercenarius praestolatur qui, dum propectum remunerationis considerat, vile existimat quod pene deficiens laborat. Apte autem subditur: *Si et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.*

15. *Electis sunt menses vacui, et noctes laboriosae, patientibus inopiam et adversa, ac praemium necdum tenentibus.*---Electi quippe conditori rerum serviunt, et saepe rerum inopia coangustantur; per amorem Deo inhaerent, et tamen vitae praesentis subsidiis egent. Qui igitur per actiones suas praesentia non quaerunt, a mundi compendiis menses vacuos ducunt. Noctes quoque laboriosas tolerant, quia adversitatum tenebras non solum usque ad inopiam, sed saepe usque ad corporis cruciatum portant. Despectum namque egestatemque perpeti laboriosum bonis mentibus non est; sed cum usque ad afflictionem carnis adversitas vertitur, labor procul dubio ex dolore sentitur. [*Vet. VIII*] Potest etiam non inconvenienter intelligi quod sanctus quisque menses vacuos sicut mercenarius ducit, quia laborem jam sustinet, sed praemium necdum tenet; hoc tolerat, illud exspectat. Noctes vero laboriosas enumerat, quia adversitates sibi praesentis temporis sese in virtutibus exercendo coacervat. Nam si proficere in mente non appetit, minus fortasse aspera quae mundi sunt sentit.

16. *Ecclesia in membris infirmis menses vacuos, in fortibus noctes laboriosas habet. Labor pro saeculo inanis ex fine dignoscitur.*---Quae tamen sententia si ad vocem sanctae **249** Ecclesiae ducitur, intellectus ejus paulo subtilius indagatur. Ipsa quippe vacuos menses habet, quae in infirmis suis membris terrenas actiones absque vitae praemio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas enumerat, quae in membris fortibus multiplices tribulationes portat. In hac etenim vita quaedam laboriosa sunt, quaedam vacua, quaedam vero vacua simul et laboriosa. Amore quippe conditoris praesentis vitae tribulationibus exerceri laboriosum quidem

est, sed vacuum non est. Amore autem saeculi voluptatibus solvi vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore vero ejusdem saeculi adversa aliqua perpeti et vacuum simul est et laboriosum, quia et ex adversitate mens afficitur, et remunerationis praemio non repletur. In his itaque sancta Ecclesia qui in ea jam positi adhuc voluptatibus defluunt, et proinde fructu boni operis non ditantur, menses vacuos ducit, quia vitae tempora sine retributionis munere expendit. In his vero qui, aeternis desideriis dediti mundi hujus adversa patiuntur, laboriosas noctes enumerat, quia tribulationum tenebras quasi in caligine vitae praesentis portat. In his autem qui et transeuntem mundum diligunt, et tamen ejus contrarietate fatigantur, simul menses vacuos et noctes laboriosas tolerat, quia eorum vitam et retributio subsequens nulla remunerat, et praesens tribulatio angustat. Recte autem nequaquam dies, sed in eis menses vacuos habere se perhibet. Mensium quippe nomine dierum collectio et summa signatur. Per diem ergo unaquaeque actio exprimitur, per menses autem actionum finis innuitur. Et saepe cum in hoc mundo aliquid agimus, intenta spei alacritate suspensi, hoc ipsum quod agimus vacuum non putamus; sed postquam ad actionum terminum pervenimus, non obtinentes quae appetimus, laborasse nos in vacuum dolemus. Non solum igitur dies, sed et menses vacuos ducimus, cum nos in terrenis actionibus sine fructu laborasse, non ex actionum principio, sed fine pensamus. Cum enim labores nostros adversitas sequitur, quasi vitae nostrae vacui menses arguuntur, quia ex completionem actionum agnoscitur quam frustra in actionibus sudabatur.

17. *De inani hoc labore Ecclesia ingemiscit.*---Sed quia in sacro eloquio nonnunquam nox pro ignorantia ponitur, Paulo attestante, qui venturam vitam scientibus discipulis dicit: *Omnes vos filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum (I Thess. V, 5)*; quibus praemisit: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat (Ibid., 4)*; potest hoc in loco ex eorum persona vox sanctae Ecclesiae accipi, qui post ignorantiae suae caliginem ad amorem rectitudinis redeunt, et, veritatis radiis illustrati, fletibus diluunt quod erraverunt. Illuminatus etenim quisque respicit quam turpe fuerit quod praesentis vitae amore laboravit. [*Vet. IX.*]. In eis ergo sancta Ecclesia, in quibus ad vitam revertitur laborem suum aestuanti servo et desideranti finem mercenario comparat, dicens: *Sicut servus desiderat umbram et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui: sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* In comparatione etenim duo sunt quae praemisit; in expressione etiam fatigationis duo protinus subdidit. Ad aestuantem quippe menses vacuos reddidit, quia quo magis aeternum **250** refrigerium quaeritur, eo magis conspicitur quam vacue pro vita ista laboratur. Ad praestolantem vero laboriosas noctes subintulit, quia quo magis ex termino operis praemium quod assequamur inspicimus, eo magis ingemiscimus diu nos nescisse quod quaerimus. Unde et ipsa poenitentis cura vigilanter exprimitur, ut laboriosas noctes enumerasse diceretur, quia quanto verius ad Deum revertimur, tanto subtilius labores, quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo pensamus. Nam quo unicuique plus dulce fit quod de aeternis desiderat, eo ei magis grave ostenditur quod pro praesentium amore tolerabat. Si vero ad solam historiam sequentia verba

pensantur, per haec procul dubio animus dolentis exprimitur qualiter per diversos motus desiderii, moestitia impellente, variatur. Nam subditur.

CAPUT IX.

VERS. 4.---*Si dormiero, dicam: Quando surgam? et rursum exspectabo vesperam.*

18. *Dolens praesentia despicit, exspectat futura.*---In nocte quippe dies quaeritur, in die vespera desideratur, quia nimirum dolor non permittit placere quae adsunt; cumque mentem per experimentum praesentium afficit, semper hanc quasi consolante desiderio ad alia per expectationem tendit. Sed quia et afflicta mens per appetitum ducitur, et tamen dolor ejus etiam seductus desideriiis non finitur, recte subjungitur,---IBID.:---*Replebor doloribus usque ad tenebras.* Causa autem ejusdem doloris exprimitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT X [*Rec. VI*].

VERS. 5.---*Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris, cutis mea aruit, et contracta est.*

19. *Hominis lapsi instabilitas.*---Sed haec subtilius congruentiusque disserimus, si ad praemissae expositionis ordinem redeamus. Somno namque torpor otii, surrectione

autem exercitatio actionis exprimitur. Vesperae quoque nomine, quia somno congruit, rursus otii desiderium figuratur. Sancta vero Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit, flere mutabilitatis suae damna non desinit. Ad hoc namque homo conditus fuerat, ut, stante mente, in arcem se contemplationis erigeret, et nulla hunc corruptio a conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quod ab ingenita standi soliditate voluntatis pedem ad culpam movit, a dilectione conditoris in semetipsum protinus cecidit. Amorem vero Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit, quia, lubricae mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem proruens, etiam a semetipso dissensit. Qui nunc, quia conditionis suae soliditate non figitur, alternantis semper desiderii motu variatur, ut et quietus actionem desideret, et occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens stare cum potuit noluit, stare jam non valet etiam cum volet. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suae fortitudinem perdidit, et quolibet posita, semper aegra alium locum quaerit. Varietatem ergo humanae mentis exprimens, dicat: *Si dormiero, dicam: Quando surgam? et rursus exspectabo vesperam.* Ac si aperte diceret: Nihil perceptum menti sufficit, quia ipsum qui vere sufficere potuit amisit. In somno namque surrectionem desidero, in surrectione vesperam exspecto, quia et quietus exercitium actionis appeto, et exercitatus otium quietis quaero.

251 [*Vet. X.*] 20. *Justo etiam quaerendum a peccato surgere. Ne extollatur, adversis muniri cupit.* ---Quod tamen intelligi et aliter potest. Dormire namque est in peccatis jacere. Si enim somni appellatio culpa non esset, nequaquam Paulus discipulis diceret: *Evigilate, justi, et nolite peccare* (**I Cor.**

XV, 34). Unde et auditorem suum admonet, dicens: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. V, 14).* Et rursum: *Hora est jam nos de somno surgere (Rom. XIII, 11).* Unde et Salomon peccantem increpat, dicens: *Usquequo, piger, dormis (Prov. VI, 9)?* Electus igitur quisque cum peccati somno premitur, ad justitiae vigilias exsurgere conatur. Sed saepe cum surrexerit, ipsa se extolli magnitudine virtutum sentit. Unde et tentari se praesentis vitae adversitatibus post virtutes desiderat, ne pejus ex confidentia virtutum cadat. Si enim servari se melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista diceret: *Proba me, Domine, et tenta me (Psal. XXV, 2).* Bene ergo nunc dicitur: *Si dormiero, dicam: Quando surgam? et rursum exspectabo vesperam,* quia et in peccati somno lumen justitiae quaeritur; et cum virtutum prospera mentem elevant, adiutrix adversitas desideratur, ut profecto animus, cum virtutum suarum gaudio plus quam debet attollitur, per contrarietatem praesentis vitae edito moerore solidetur. Unde et nequaquam *Formidabo vesperam* dicitur, sed *Exspectabo*. Exspectamus etenim prospera, formidamus adversa. Vir igitur justus vesperam exspectat, quia cum exerceri hunc tribulatione necesse est, ipsa ei fit adversitas prospera.

21. *Tentationi peccati nunquam hic non est obnoxius. Tentationes non timet, sed contra eas se parat.*---Potest, vesperae nomine, etiam peccati tentatio designari, quae saepe tanto acrius mentem lacessit, quanto et eandem mentem spiritus ad superna altius evehit. Nequaquam enim sic in hac vita per exercitationem justitiae peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneat, quia etsi jam a

cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quae repellitur, cogitationis nostrae foribus assidens, ut sibi aperiatur pulsatur. Quod Moyses quoque spiritaliter innuit, cum facta corporaliter temporum momenta narravit, dicens: *Facta est lux*; atque paulo post subjiciens: *Factum est vespere* (**Genes. I, 3, 5**). Creator quippe omnium, humanae culpae praescius, tunc expressit in tempore quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum ducitur, quia nimirum lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non exstinguitur, nequaquam nox, sed vespera facta perhibetur, quia nimirum saepe tentatio in corde rectorum lumen justitiae abscondit, sed non interimit; quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non exstinguit. Electi ergo post somnum surrectionem appetunt, post surrectionem vesperam praestolantur, quia et de peccato ad justitiae lumen evigilant, et in ipso justitiae lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant. Quas nimirum non timent, sed expectant, quia utilitati suae rectitudinis etiam tentamenta proficere non ignorant.

22. *Nullus hic salute integra potitur.*---Quantalibet autem contra corruptionem suam virtute contenderint, habere integram salutem **252** nequeunt, quousque dies praesentis vitae finiatur. Unde et subditur: *Et replebor doloribus usque ad tenebras*. Modo namque adversa irruunt: modo ipsa quoque prospera, callida hilaritate blandiuntur. Modo surgentia vitia bellum carnis excitant, modo devicta animum ad elationem vocant. Bonorum igitur vita usque ad tenebras doloribus repletur, quia quousque tempus corruptionis agitur, interna externaque afflictione concutitur,

et salutis securitatem non invenit, nisi cum diem funditus tentationis relinquit. Unde bene et haec eadem dolorum causa protinus subinfertur, cum dicitur: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris. [Vet. XI.]* Ut enim paulo superius diximus, soliditatem ingenitam voluntarie homo deseruit, et sese in corruptionis voraginem mersit; unde nunc vel per immunda opera labitur, vel per cogitationes illicitas foedatur. Ut enim ita dixerim, culpae suae poenaliter subdita, ipsa jam natura nostra facta est extra naturam; et remissa usque ad perversa opera ducitur, restricta autem perversorum operum importuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitae carnem putredo afficit, per levitatem vero cogitationis improbae quasi ante oculos pulvis surgit. Consentiendo vitiis putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulveris foedamur. Ait ergo: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris.* Ac si aperte diceret: Carnalem vitam, quam patior, aut tabes lubricae operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miserae cogitationis premit.

23. *Ecclesiae caro in lubricis membris putrescit, in quaerentibus terram sordescit.*---Quod tamen si ex voce Ecclesiae universalis accipimus, aliquando hanc procul dubio carnis putredine, aliquando autem gravari sordibus pulveris invenimus. Multi quippe in ea sunt qui, dum amoris carnis inserviunt, fetore luxuriae computrescunt. Et sunt nonnulli qui a voluptate quidem carnis abstinent, sed tamen tota mente in terrenis actibus jacent. Dicat ergo sancta Ecclesia unius membri sui vocibus, dicat quid de utroque genere hominum tolerat: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris.* Ac si aperte insinuet, dicens: Sunt plerique qui mihi per fidem

membra sunt, sed tamen sana vel munda per actionem non sunt, quia aut, victi desideriis turpibus, ad corruptionis putredinem defluunt, aut, terrenis actibus dediti, pulvere consperguntur. In illis enim quos lubricos tolero carnem videlicet putrescentem gemo, in istis autem quos terram quaerentes patior quid aliud quam foedatam pulvere porto?

24. *Ecclesiae cutis qui solis exterioribus curis inserviunt: unde arescat.*---Unde et apte simul de utrisque subjungitur: *Cutis mea aruit, et contracta est.* In sanctae quippe Ecclesiae corpore hi qui solis exterioribus curis inserviunt, congrue cutis vocantur. Quae nimirum cutis arescendo attrahitur, quia mentes carnalium, dum praesentia diligunt, et quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internae spei pinguedinem negligunt, ut attrahantur arefiunt, quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam **253** aestus haec pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat cum, siccitatem mentis metuens, dicebat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (Psal. LXII, 6). Adeps quippe pinguedinis animam replet, cum hanc contra praesentium desideriorum aestum supernae spei infusio refovet. Cutis ergo arescens attrahitur cum cor rebus exterioribus deditum, atque ex desperatione siccatum, in auctoris sui amorem non tenditur, sed in semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur.

25. *Amore praesentium non tenetur, qui vitae hujus brevitatem recogitat.*---Pensandum vero est quod carnales mentes idcirco praesentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus

ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent. Sancta autem Ecclesia in electis suis quotidie quantus sit rebus exterioribus cursus conspicit, et idcirco in intimis pedem sollicitae intentionis figit. Unde et apte subditur:

CAPUT XI [*Rec. VII*].

VERS. 6.---*Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur.*

26. *Tempus carnis telae apte comparatur.*---Congrua valde similitudine tempus carnis telae comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit; sed quo ad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit, quia, sicut et superius diximus (**Lib. VII, n. 30**), cum tempora percepta praetereunt, ventura breviantur, et de universo vitae spatio eo fiunt pauciora quae veniunt, quo multa sunt quae transierunt. Tela quippe infra supraque ligata, duobus lignis innectitur, ut texatur; sed quo inferius texta involvitur, eo superius texenda deplicatur; et unde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat. Sic nimirum vitae nostrae tempora et transacta quasi inferius involvimus, et ventura a superiori deplicamus, quia quo plus fiunt praeterita, minus esse incipiunt futura. Sed quia nec tela ad expressionem nostri temporis sufficit, nam ejus quoque festinationem vitae nostrae velocitas transit, recte nunc dicitur: *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* Tela quippe tarditatem proventus habet, vita autem praesens moram defectus non habet. In illa namque cum laborantis

manus figitur, adventus terminus elongatur; in ista vero, quia tempus semper desinens indesinenter consumimus, ad finem nostri itineris etiam quiescendo pervenimus, et per cursum nostri transitus etiam dormientes imus. Electi igitur, quia praesentis vitae momenta decurrere sub festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tantae mobilitatis itinere cordis intentionem figunt. Unde et apte protinus subditur:

IBID.---*Et consumpti sunt absque ulla spe.*

27. *Electi mortem cogitant etiam sani, reprobi nequidem cum imminet.*---Reproborum mens erga dies vitae praesentis tanto amore constringitur, ut sic semper hic appetant vivere, quatenus, si valeant, vivendi cursum desiderent nunquam finire. Cogitare quippe ventura despiciunt, spem totam in rebus transeuntibus ponunt, habere nulla nisi quae praetereunt concupiscunt. Cumque nimis transeuntia cogitant, et mansura nullatenus sperant, sic caecitate **254** insensibili cordis oculus clauditur, ut aeternae luci nullatenus intendatur. Unde fit ut saepe jam corpus molestia quatiat, et vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat, nec tamen curare quae mundi sunt desinant. Jamque eos ultor ad iudicium pertrahit; et tamen ipsi, ordinatione sollicita rebus transeuntibus occupati, nihil aliud cogitant nisi in hoc mundo adhuc qualiter vivant. Relinquendo omnia quasi possidendo disponunt, quia spes vivendi non frangitur, etiam cum vita terminatur. Jam ad iudicium trahuntur per sententiam, et tamen adhuc habendis rebus inhaerent per curam. Dura etenim mente abesse mors longe creditur, etiam cum sentitur. Sicque a carne anima solvitur, ut erga praesentia immoderato amore se retinens, dum ad aeternum supplicium ducitur, hoc ipsum quoque nesciat quo ducitur; et deserens quae amare cum termino

noluit, repente sine termino invenit quae nunquam praevidit. At contra rectorum mens ad aeternitatis intentionem tenditur, etiam cum praesens eam feliciter vita comitatur. Magna carnis salute utitur, nec tamen ejus fiducia animus retardatur. Nullum adhuc mortis articulum erumpit, et quasi praesentem hanc quotidie conspicit. Quia enim vita indesinenter labitur, spes ei vivendi funditus amputatur. Bene ergo de diebus praetereuntibus dicitur: *Consumpti sunt absque ulla spe*. Ac si aperte diceretur: Mentis fiduciam in praesenti vita non posui, quia omne quod praeterit calcando desperavi. Unde et mox apte subditur:

CAPUT XIII [*Rec. VIII*].

VERS. 7.---*Memento quia ventus est vita mea.*

28. *Vita praesens, aeterna non attendentibus cara, attendentibus vilis. Vitae brevis consideratio, grata Deo est oblatio.*---Hi etenim vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitae sequentis aeternitas non attendunt; cumque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant, quia qui majora nesciunt, judicare de minimis nequaquam possunt. Ordo quippe judicii exigit ut quod examinare nitimur transcendamus. Si enim praeesse rebus omnibus animus non valet, nequaquam de his certa a quibus vincitur videt. Idcirco itaque mens reproba praesentis vitae curcum aestimare non sufficit, quia admirationi illius ex amore succumbit. Sancti autem viri, quo ad aeterna cor elevant, quam breve sit quod

fine clauditur pensant; et eo eorum sensibus vilescit quod praeterit, quo intellectu radiante interlucet quod acceptum nunquam recedit; cumque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam jam pro magno desiderant quidquid finis angustat. Sed sublevata mens extra temporum terminos ducitur, etiam cum carne in tempore tenetur; et tanto altius finienda despicit, quanto verius infinita cognoscit. Sed haec ipsa humanae brevitatis consideratio auctori nostro magnae virtutis oblatio est. Unde recte nunc cum deprecatione immolatio ejusdem virtutis offertur, cum dicitur: *Memento quia ventus est vita mea*. Ac si aperte diceretur: Transeuntem velociter benignus respice, quia et tanto a te videri misericordius debeo, quanto ipse a consideratione brevitatis meae oculos non avertit. Sed quia dum tempus **255** vitae praesentis absciditur, ad operationem promerendae veniae ulterius non reditur, recte subjungitur:

CAPUT XIV.

IBID.---*Nec revertetur oculus meus ut videat bona.*

29. *Post mortem non est locus promerendae veniae.*--- Ad videnda bona extincti oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. Hinc est quod dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posset agnoverat; nam nequaquam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens: *Rogo te, pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in*

*locum hunc tormentorum (Luc. XVI, 27). Solet namque moestum animum spes vel falsa refovere. Sed ut poenam suam reprobi gravius sentiant, et spem de venia amittunt. Unde, flammis ultricibus traditus, non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit, quia nunquam se ignium carere tormentis, adjuncto desperationis supplicio, agnovit. Hinc Salomon ait: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas (Eccle. IX, 10).* Nequaquam ergo ad videnda bona oculus revertetur, quia retributionem suam mens inveniens, ad operationis usum nullatenus revocatur. Quia igitur fugit omne quod cernitur, et mansura sunt quae sequuntur, bene beatus Job uno versu utraque complexus est, dicens: *Memento quia ventus est vita mea, nec revertetur oculus meus ut videat bona.* Cursum quippe praesentium contemplatus ait: *Memento quia ventus est vita mea.* Aeternitatem vero sequentium considerans adjunxit: *Nec revertetur oculus meus ut videat bona.* Ubi apte quoque universi humani generis a redemptionis munere destituti vocem protinus sumit, dicens:*

CAPUT XV [*Vet. XIII*].

VERS. 8.---*Nec aspiciet me visus hominis.*

30. *Tunc Christi gratia non liberat, quem nunc non reformat.* --Visus quippe hominis est misericordia Redemptoris, quae insensibilitatis nostrae duritiam, cum respicit, emollit. Unde,

teste quoque Evangelio, dicitur: *Respexit Dominus Petrum, et recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus; egressus foras, flevit amare* (**Luc. XXII, 61**). Exutam vero carne animam nequaquam jam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (**II Cor. VI, 2**). Hinc Psalmista ait: *Quoniam in saeculum misericordia ejus* (**Psal. CXVII, 1**). Quia nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post praesens saeculum justitia addicit. Hinc Salomon ait: *Quia lignum in quocunque loco ceciderit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit* (**Eccle. XI, 3**), quia cum humani casus tempore, sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in aeternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa aeternis suppliciis, ultra ad remedium ereptionis ascendat. Vir igitur sanctus, humani generis damna considerans, quod a praesenti saeculo sine Redemptoris cognitione subtrahitur, atque in aeternis ignibus irreparabiliter sepelitur, et ejus vocem in se suscipiens, dicat: *Nec aspiciet me visus hominis*, quia **256** nimirum Redemptoris gratia, quem nunc non intuetur ut corrigat, tunc non respicit ut ab interitu abscondat. In judicium quippe Dominus veniens, peccatorem videt ut feriat, sed non videt ut ad largiendam salutis gratiam recognoscat; culpas examinat, et vitam pereuntium ignorat. Unde sanctus vir, cum se post praesentem vitam, respectu hominis videri non posse fateretur, apte mox subdidit:

CAPUT XVI [*Rec. IX*].

IBID.---*Oculi tui in me, et non subsistam.*

31. *Christus in iudicio reprobos ad feriendum videbit, quos hic ad misericordiam impendendam non vidit.*---Ac si aperte diceret: Districtus ad iudicium veniens, et ad salvandum non vides, et ad feriendum vides, quia quem in praesenti vita dispensationis tuae miseratione non respicis, respiciendo, postmodum per justitiam exstinguis. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit et vivit, blasphemat et proficit, quia scilicet misericors creator, quem exspectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est: *Dissimulans peccata hominum propter poenitentiam (Sap. XI, 24)*. Sed tunc peccator cum respicitur non subsistit, quia cum districtus iudex merita subtiliter inquirat, reus ad tormenta non sufficit.

32. *Iusti se perituros sciunt, si remota pietate a Deo judicentur.*---Quamvis hoc etiam justorum voci congruit, quorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt metuunt, dum caute considerant qui ante quantum iudicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, et pensant quanto reatu constricti sunt propriae infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, et contra haec exaggerant bona conditoris. Considerant prava quam districte iudicet, bona opera quam subtiliter penset, et perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque quod juste videmur vivere culpa est, si vitam nostram cum iudicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est: *Astra non sunt munda in conspectu ejus (Job. XXV, 5)*, quia apud eum districte iudicati, ipsi quoque

maculas iniquationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Bene ergo dicitur: *Oculi tui in me, et non subsistam*. Ac si aperte iusti voce diceretur: Si subtili examinatione discutior, perferendo iudicio non assurgo, quia ad poenam vita non sufficit, si hanc immanitas justae retributionis premit. Bene autem ejusdem humani generis et culpa breviter, et poena subrogatur, cum protinus dicitur:

CAPUT XVII [*Vet. XIV, Rec. X*].

VERS. 9.---*Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet.*

33. *Damnatis non est reditus ad veniam, aut ad ea quae amabant*.---Nubes quippe ad altiora suspenditur; sed densata vento impellitur ut currat, calore autem solis dissipatur ut evanescat. Sic sic nimirum corda sunt hominum, quae per acceptae rationis ingenium ad alta emicant, impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum suorum motibus huc illucque pertrahuntur; sed, districto respectu superni iudicis, quasi solis calore liquefiunt, et, semel locis poenalibus tradita, ad operationis usum ultra non redeunt. Vir igitur sanctus elationem, cursum defectumque humani generis exprimens dicat: *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet*. Ac si aperte loqueretur, dicens: In altum currendo **257** deficit, qui superbiendo ad interitum tendit; quem si semel culpa ad poenam pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XVIII.

VERS. 10.---*Nec revertetur ultra in domum suam.*

34. *Domus mentis est id quod amando habitat. Desperantium corda nubibus similia. Extra se funduntur.*---Sicut domus est corporis habitaculum corporale, ita unicuique menti hoc domus fit quod ex desiderio inhabitare consuevit. Ad domum igitur suam ultra non revertitur, quia semel quisque, aeternis suppliciis traditus, ad hoc jam ubi amore inhaeserat nullatenus revocatur. Potest etiam inferni nomine peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur: *In inferno autem quis confitebitur tibi (Psalm. VI, 6)?* Unde rursum scriptum est: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit (Prov. XVIII, 3).* Quisquis autem impietati succumbit, vitam profecto justitiae moriendo derelinquit. Qui vero etiam post peccatum mole desperationis obruitur, quid aliud quam post mortem in inferni suppliciis sepelitur? Bene ergo dicitur: *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet,* quia plerumque cum perpetratione nequitiae etiam desperatio sociatur, et via jam reversionis absciditur. Recte autem corda desperantium nubibus comparantur, quia et caligine erroris obscura sunt, et peccatorum multiplicitate condensa; sed consumpta pertranseunt, quia claritate extremi iudicii irradiata dissipantur. Solet etiam domus inhabitatio cordis intelligi. Unde sanato cuidam dicitur: *Vade in domum tuam (Marc. V, 19),* quia nimirum dignum est ut peccator post veniam ad mentem suam redeat, ne iterum quo juste feriatu admittat.

Sed qui ad infernum descenderit, ad domum suam ulterius non ascendet, quia eum quem desperatio obruit, a cordis sui habitaculo foras mittit, et redire introrsus non valet, quia, fusus exterius, ad deteriora quotidie compulsus cadit. Ad contemplandum quippe Creatorem homo conditus fuerat, ut ejus semper speciem quaereret, atque in solemnitatem illius amoris habitaret. Sed extra se per inobedientiam missus, mentis suae locum perdidit, quia, tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione veri luminis elongavit. Unde apte adhuc subditur:

CAPUT XIX [*Vet. XV*].

IBID.---*Neque cognoscet eum amplius locus ejus.*

35. *Locus hominis Deus, per inobedientiam desertus. Non cogniturus est in judicio, qui eum hic spreverint.* ---Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor exstitit, qui hunc ut in semetipso consisteret creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum, seductoris verba audiens, a conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum quem amiserat hominem locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret: *Filii servorum tuorum habitabunt ibi* (**Psal. CI, 29**). Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique qui etiam post perceptum Redemptoris auxilium ad desperationis tenebras devolvuntur; et tanto

nequius pereunt, quanto et oblata remedia misericordiae contemnunt. Recte ergo de damnato homine dicitur: *Neque cognoscet eum amplius* **258** *locus ejus*, quia a conditore suo tanto tunc districtius in iudicio non cognoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona revocatur. Unde et notandum summopere est quod non ait: *Neque cognoscet amplius locum suum*, sed ait: *Neque cognoscet eum amplius locus ejus*. Dum enim cognitio non homini, sed loco tribuitur, patenter ipse conditor loci nomine designatur, qui, districtus ad examen ultimum veniens, in iniquitate durantibus dicet: *Nescio vos unde sitis* (**Luc. XIII, 25**). Sed electi quique quo districte reprobos repelli considerant, eo semetipsos quotidie a perpetratae nequitiae sordibus sollicitius purgant. Cumque perituros alios frigescere a vitae amore conspiciunt, studiose se ad poenitentiae lamenta succendunt. Unde et apte subditur:

CAPUT XX.

VERS. 11.---*Quapropter et ego non parcam ori meo.*

36. *Iram iudicis in confessione praeveniunt electi.* ---Ori etenim suo parcat, qui confiteri malum quod fecit erubescit. In laborem quippe os mittere est hoc ad confessionem perpetratae iniquitatis occupare. Sed justus ori suo non parcat, quia iram iudicis districti praeveniens, verbis contra se propriae confessionis saevit. Hinc Psalmista ait: *Praeveniamus faciem ejus in confessione* (**Psal. XCIV, 2**). Hinc per Salomonem dicitur: *Qui abscondit scelera sua,*

non dirigitur; qui autem confessus fuerit et dereliquerit ea, misericordiam consequetur (Prov. XXVIII, 13). Hinc rursum scriptum est: Justus in principio accusator est sui (Prov. XVIII, 17). Sed nequaquam ad confessionem os panditur, nisi cum consideratione districti iudicii per pavorem spiritus angustatur. Unde et apte mox subditur:

CAPUT XXI [*Rec. XI*].

IBID.---Loquar in tribulatione spiritus mei.

37. Peccatorum confessionem comitari debet poenitentiae luctus.---Tribulatio quippe spiritus linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est quia saepe et reprobi peccata confitentur, sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas, quas vocibus confessionis aperiunt, districtae animadversionis fletibus insequuntur. Unde bene beatus Job postquam se ori suo non parcere spondit, tribulationem mox spiritus subdidit. Ac si aperte fateretur, dicens: Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers a moeroris stimulo per alia spiritus vagetur: sed culpas loquens, vulnus aperio; culpas vero ad correctionem cogitans, salutem vulneris ex medicamine moeroris quaero. Qui enim mala quidem quae perpetravit insinuat, sed flere quae insinuaverit recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulnere non apponit. Confessionis igitur vocem solus necesse est ut moeror excutiat, ne vulnus proditum, sed neglectum, quo licentius jam per humanam notitiam tangitur, deterius

putrescat. Quo contra Psalmista plagam cordis non solum detexerat, sed detectae etiam medicamentum moeroris adhibebat, dicens: *Iniquitatem meam ego pronuntio, et cogitabo pro peccato meo (Psal. XXXVII, 19)*. Pronuntiando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quam medicamentum vulneri apponit? [*Vet. XVI.*] Sed afflictæ menti, et sua sollicite damna cogitanti, rixa pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cum se ad lamenta poenitentiae instigat, occulta se increpatione dilaniat. **259** Unde et apte mox subditur:

CAPUT XXII.

IBID.---*Confabulabor cum amaritudine animae meae.*

38. *Compuncta mens multa in se detegit deflenda. Recolitur quot Dei donis quam fuerit ingrata.*---Pavore namque divini iudicii afflictæ, dum quaedam male gesta plangimus, ipsa vi nostræ amaritudinis ad discutiendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam quæ amplius defleamus, invenimus. Nam sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit; et afflictæ mens certius invenit malum quod fecerat et nesciebat, eique rixa sua verius aperit, quantum a veritatis pace deviavit, quia reatum suum, cuius secunda non meminit, hunc in se commota deprehendit. Succrescens quippe amaritudo poenitentiae, verecundanti cordi importune ingerit illicita quæ commisit, districtum contra hæc iudicem ostendit, suppliciorum minas incutit, pavore animum ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis

turbat; quae ei conditor bona contulit, quae ipse bonis illius mala respondit enumerat, quod mire ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantia in conditione ditatus est, quod conditoris gratia vocatus, quod sequi ipse et vocatus noluit, quod vocantis misericordia nec surdum hunc renitentemque despexit, quod illuminatus donis, quod sua sponte pravis actibus etiam post dona caecatus est, quod a caecitatis suae erroribus paternae sollicitudinis flagellis expiatus, quod a flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiae medicamento reductus est; quod quibusdam culpis, etsi non gravibus subditus, peccare tamen et inter flagella non desinit; quod peccatorem suum superna gratia nec contempta dereliquit. Cum igitur afflictam mentem modo per replicationem donorum Dei, modo per impropria actionis suae tanta severitate increpat, habet in corde justorum amaritudo animae linguam suam, quae tanto eis subtilius loquitur, quanto et interiorius auditur. Unde et nequaquam dicitur: *Fabulabor in amaritudine animae meae*, sed, *Confabulabor cum amaritudine animae meae*, quia vis doloris, quae peccata singula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format, in quibus semetipsum correctus inveniatur, et ad sui jam custodiam sollicitior exsurgat. Dicat itaque vir justus ex voce sua, et sanctae Ecclesiae typum tenens, dicat ex nostra: *Confabulabor cum amaritudine animae meae*. Ac si apertius insinuet, dicens: Intus contra me cum cordis mei dolore colloquor, et foris me a verberibus iudicis abscondo. Sed mens poenitentiae doloribus pressa in semetipsa constringitur, atque a cunctis delectationibus carnis forti cogitatione separatur, ad summa proficere appetit, et tamen adhuc de

corruptione corporis contradictionem sentit. Unde et apte mox subditur:

CAPUT XXIII.

VERS. 12.---*Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?*

39. *Carcere constringuntur homo, diabolus, carnales; cum quod volunt implere non valent.*---Carcere homo circumdatur, quia plerumque et virtutum proVectibus ad alta exsurgere nititur, et tamen carnis suae corruptione praepeditur. Qua bene exui Psalmista deprecatur, dicens: *Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo (Psal. CXLI, 8)*. Quid vero appellatione maris, nisi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa; **260** quid autem ceti nomine, nisi antiquus hostis exprimitur? Qui dum mentes saecularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubrica cogitatione natat. Sed cetus carcere stringitur, quia malignus spiritus, in inferioribus dejectus, ne ad coelestia evolare praevaleat, poenae suae pondere coarctatur, Petro attestante, qui ait: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reservari (II Petr. II, 4)*. Cetus carcere astringitur, quia tentare bonos quantum desiderat prohibetur. Carcere quoque mare circumdatur, quia carnalium mentium tumida insanaque desideria ad peragenda mala quae appetunt impossibilitatis suae angustia gravantur. Saepe enim dominari melioribus

concupiscunt; sed tamen eis, divino iudicio cuncta mirabiliter disponente, substrati sunt. Nocere bonis elati desiderant, et tamen subjecti ab eis solatia sperant. Pro explendis voluptatibus carnis longaevitatem vitae praesentis cupiunt, sed tamen ab ea sub celeritate rapiuntur. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Statuit aquas quasi in utre* (**Psal. LXXVII, 13**). Aquae quippe in utre sunt cum lubrica eorum desideria, quia operis effectum non inveniunt, sub carnali corde deprimuntur. Cetus ergo ac mare circumdatione premitur carceris, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, in quorum se mentibus colligit, atque in eis undas tumentium cogitationum volvit, ut implere mala quae appetunt nequeant, superna eos districtio angustat.

[*Vet. XVII, Rec. XII.*] 40. *Idem se pati queruntur iusti. Non prae tumore, sed amore veritatis.*---Sancti autem viri, quo mundiori corde coelestium arcana considerant, auctis ad haec quotidie ardoribus anhelant. Ibi jam plene satiari desiderant, unde adhuc parum aliquid ore contemplationis degustant. Perfecte cupiunt carnis stimulum subdere, nihil in cogitatione illicitum de ejus jam corruptione tolerare; sed quia scriptum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (**Sap. IX, 15**), intentione jam quidem ultra semetipsos eminent, sed tamen, adhuc infirmitatis suae incertis motibus subditi, corruptionis se carcere clausos dolent. Ait ergo: *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Ac si aperte diceret: Mare vel cetus, iniqui videlicet, eorumque auctor malignus spiritus, quia effrenari ad solam perpetrandae iniquitatis licentiam appetunt, recte poenae suae carcere constringuntur. Ego autem, qui jam aeternitatis tuae

libertatem desidero, cur adhuc meae carcere corruptionis premor? Quod tamen nec a justis superbe requiritur, quia, amore veritatis accensi, infirmitatis suae angustias transgredi perfecte concupiscunt; nec ab auctore justorum injuste disponitur, quia electorum suorum vota differens cruciat, crucians purgat, ut ad percipiendum quod desiderant quandoque melius ex dilatione convalescant. Electi autem quousque ab intima quiete differuntur, ad cor suum redeunt; ibique, a carnis suae tumultibus absconsi, quasi amoenissimum secretum petunt. Sed in eo saepe tentationis aculeos sentiunt, carnis incentiva patiuntur; et ibi gravissimos labores inveniunt, ubi magnam requiem a labore quaesierant. Unde sanctus vir post insinuatam **261** corruptionis suae carcerem, ad quietia cordis spatia redire festinans, quia eandem rixam et in intimis invenit quam ab exterioribus fugit, protinus subdit, dicens:

CAPUT XXIV [*Rec. XIII*].

VERS. 13, 14.---*Si dixero, consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo; terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.*

41. *Justus ab exterioribus ad cor redit, nec ibi requiem invenit. Judiciorum Dei terrore turbatur.*--- In sacro namque eloquio lectulus, cubile, vel stratum, secretum solet cordis intelligi. Hinc est enim quod sub uniuscujusque animae specie sponsa, occultis stimulis sancti amoris excitata, in Canticis canticorum dicit: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem*

diligit anima mea (**Cant. III, 1**). In lectulo quippe et per noctem dilectus quaeritur, quia nimirum invisibilis conditoris species, repressa omni corporeae visionis imagine, in cubili cordis invenitur. Unde et eisdem suis dilectoribus Veritas dicit: *Regnum Dei intra vos est* (**Luc. XVII, 21**). Et rursum: *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet* (**Joan. XVI, 7**). Ac si aperte diceret: Si ab intentionis vestrae oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: *Exsultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis* (**Psal. CXLIX, 5**), quia scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur. Sed tunc laetitia cordium erit perfecta cum carnis exterius pugna non fuerit. Nam quousque caro illicit, quia quasi domus nostrae paries quatitur, etiam cubile turbatur. Unde et recte per eundem Psalmistam dicitur: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus* (**Psal. XL, 4**), quia dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta nostra infirmitas etiam mentis cubile confundit. Quid vero hoc loco somnia vel visiones accipimus, nisi imaginationes ultimi districtique examinis? quod jam utcunque per timorem cernimus, sed tamen ut est veraciter non videmus. Sancti itaque viri, ut diximus, ad cordis semper secreta redeunt, cum ab hoc mundo vel ultra votum prospera, vel ultra vires adversa patiuntur; atque, externis laboribus fessi, quasi stratum vel lectulum, cubilia mentis petunt. Sed dum quibusdam imaginationibus cogitationum quam sint subtilia divina judicia conspiciunt, quasi in ipsa strati sui requie somnii visione turbantur. Contemplantur enim quam districtus judex veniat, qui, dum vi immensae magnitudinis cordium secreta illuminat, omnes ante oculos culpas reducat. Pensant quanta illa sit verecundia,

in conspectu tunc totius humani generis, angelorum omnium, archangelorumque confundi. Perpendunt qui post confusionem cruciatus maneat, cum et reatus animum immortaliter morientem et indeficienter deficientem carnem gehenna consumat. Cum itaque tam pavida imaginatione mens quatitur, quid aliud quam in stratu triste somnium videtur? Dicat ergo: *Si dixero Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.* Ac si aperte fateatur, dicens: Si, exteriora fugiens, introrsus redeo, et utcunque requiescere in cordis cubili concupisco, ibi me, dum distractionis tuae contemplationi objicis, vehementer per ipsas meae providentiae imaginationes terres. Bene autem dicitur: *Et relevabor, loquens mecum in stratu meo, 262* quia nimirum cum ad mentis nostrae silentium fessi revertimur, quasi in stratu colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba versamus. Sed haec ipsa nostra collocutio in pavorem vertitur, quia ex illa vehementius intellectus nobis, qui terrorem judicis intentet in mente aperitur.

[*Vet. XVIII.*] 42. *Somniorum sex causae.*---Ne quis vero haec studeat juxta litteram perscrutari, exquirendum magnopere est quot modis tangant animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine, vel inanitate, aliquando vero illusionem, aliquando cogitatione simul et illusionem, aliquando revelationem, aliquando autem cogitatione simul et revelationem generantur. Sed duo quae prima diximus omnes experimento cognoscimus, subjuncta autem quatuor in sacrae Scripturae paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret dicens: *Multos errare fecerunt somnia, et*

illusiones vanae (**Eccli. XXXIV, 7**). Vel certe: *Non augurabimini, nec observabitis somnia* (**Levit. XIX, 26**). Quibus profecto verbis, cujus sint detestationis ostenditur quae auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul et illusionem procederent, Salomon minime dixisset: *Multas curas sequuntur somnia* (**Eccle. V, 2**). Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, Joseph praeferendum se fratribus somnio non videret (**Genes. XXXVII, 7**), nec Mariae sponsum ut, ablato puero, in Aegyptum fugeret per somnium angelus admoneret (**Matth. II, 13, 14**). Rursum nisi aliquando somnia cogitatione simul et revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta, Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoasset: *Tu rex cogitare coepisti in stratu tuo quid esset futurum post haec, et qui revelat mysteria ostendit tibi quae ventura sunt* (**Dan. II, 29**). Et paulo post: *Videbas, et ecce quasi statua una grandis, statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te* (**Ibid., 31**), etc. Daniel itaque dum somnium adimplendum reverenter insinuat, et ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur quia hoc plerumque ex cogitatione simul et revelatione generatur.

43. *Somniis nos facile credendum. Cur daemon sanctorum corda somniis afficere sinatur.*---Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto et ex quo impulsu veniant, facilius non elucet. Saepe namque malignus spiritus his quos amore vitae praesentis vigilantes intercipit prospera etiam dormientibus promittit; et quos formidare adversa considerat, eis haec durius somnii imaginibus intentat, quatenus indiscretam mentem diversa qualitate afficiat, eamque aut spe sublevans, aut deprimens

timore, confundat. Saepe autem eiiam sanctorum corda afficere somniis nititur, ut ab intentione cogitationis solidae, ad tempus saltem momentumque deriventur, quamvis ipsi protinus animum ab illusionis imaginatione discutiant. Sed hostis insidians quo eos vigilantes minime superat, eo dormientes gravius impugnat. Quem tamen haec maligne agere superna dispensatio benigne permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem a passionis praemio somnus vacet. Bene ergo rectori omnium dicitur: *Si dixero Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties*, quia nimirum **263** Deus mirabiliter cuncta dispensat, et ipse facit quod malignus spiritus injuste facere appetit, qui hoc fieri nonnisi iuste permittit. Sed quia justorum vita et per vigiliis tentatione quatitur, et per somnium illusionem fatigatur, foris corruptionis suae molestias tolerat, intus apud semetipsam graviter illicitas cogitationes portat, quid est quod faciat, ut pedem cordis a tot scandalorum laqueis evellat? Ecce, beate vir, quanta undique premeris perturbatione cognovimus, sed quod consilium contra hanc invenias audiamus. Sequitur:

CAPUT XXV [*Rec. XIV*].

VERS. 15.---*Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.*

44. *Remedium est contra mentis anxietatem, ad alta eam ferre.*---Quid per animam nisi mentis intentio, quid per ossa

nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit, ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitae exterioris necat. Sancti etenim viri certissime sciunt quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt; et idcirco suspendium eligunt, quia nimirum, desideria terrena deserentes, ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernae patriae, in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur. Intueri libet quomodo animam Paulus suspenderat, qui dicebat: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (Gal II, 20)*. Et rursum: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (Philip. I, 23)*. Et: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Ibid., 21)*. Qui, gesta terrenae fortitudinis ad memoriam revocans, quasi quaedam in se ossa numerabat, dicens: *Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus, secundum aemulationem persequens Ecclesiam Dei (Philip. III, 5, 6)*. Sed suspensio animae, quia haec in se ossa interficit, protinus asserit, qui subjungit: *Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta (Ibid., 7)*. Quae adhuc ossa in semetipso insinuat vehementius extincta, cum subdit: *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora (Ibid., 8)*. Mortuis vero ossibus quam exanimis pendeat ostendit, qui illico subjungit, dicens: *Ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed eam quae ex fide est Jesu Christi (Ibid. 9)*. Sed quia collatis ejus testimoniis Paulum ad alta suspensum, mundo mortuum, testati sumus, nunc beatum Job si, plenus eodem spiritu, exterioris vitae concupiscentiam fugiat ostendamus. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Vet. XIX, Rec. XV*].

VERS. 16.---*Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.*

45. *Justi alii terrena possident, alii abdicant.*---Sunt nonnulli justorum qui sic coelestia appetunt, ut tamen a terrenorum spe minime frangantur. Largita divinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos tenent, aliena non ambiunt, suis licite utuntur. Qui tamen ab eisdem rebus quas habent alieni sunt, quia ad haec ipsa quae possident ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli justorum qui, ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt; qui rebus se habitis nudant, **264** gloria honoris exspoliant; qui internorum desiderio per assiduitatem se amici moeroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt; qui internis gaudiis dum mente appropriant, vitam in se funditus corporeae delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Col. III, 3)*. Horum vocem Psalmista expresserat, cum dicebat: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Psal. LXXXIII, 3)*. Concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui jam quidem coelestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus minime lassantur. Concupiscit vero et in Dei atria deficit, qui, cum aeterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. Hinc Psalmista iterum dicit: *Defecit in salutari tuo anima mea (Psal. CXVIII, 81)*. Hinc per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum (Luc.*

IX, 23). Et rursum: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus (Luc. XIV, 33).* Horum igitur numero sanctus vir, divisa a terrenis desideriis mente, se inserit, qui ait: *Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.* Justi quippe desperare est praesentis vitae bona aeternitatis electione deserere, mansura quaerere, et in rebus temporalibus fiduciam non habere. Qui haec agens nequaquam se ultra vivere asserit, quia videlicet vivificatrice morte quotidie a vita se passionis occidit. Absit enim ne vir sanctus de divinae misericordiae largitate desperet, ne gressum cordis a profectu intimi itineris subtrahat, ne, amorem conditoris deserens, quasi a duce destitutus in via remaneat, et confossus gladio latrocinantis desperationis ruat. Sed ne ejus dicta ad nostri intellectus arbitrium videamur violenter inflectere, debemus ex posterioribus praemissa pensare. Quo enim sensu haec dixerit, ipse protinus indicat, qui subjungit:

CAPUT XXVII [*Rec. XVI*].

IBID.---*Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei.*

46. *Job bona peritura pia desperatione deseruit, in aeternum mansura expetiit.*---Neque enim duo sibi haec verba conveniunt, *desperavi* et *parce*. Nam qui desperat nequaquam jam sibi parci postulat, et qui adhuc sibi parci desiderat profecto minime desperat. Aliunde ergo est quod desperat, aliunde vero quod parci sibi sanctus vir postulat, quia nimirum dum bona vitae transeuntis per desperationem

deserit, ad obtinenda quae permanent in spe robustior exsurgit. Desperando itaque melius ad spem veniae ducitur, qui eo certius ventura appetit, quo praesentia verius ex desperatione derelinquit. Et notandum quod, vim nobis sui cordis insinuans, unam quidem de se sententiam protulit, sed hanc tertio insinuando replicavit. Quod enim superius dixerat: *Elegit suspendium anima mea*, hoc replicans addidit, *Desperavi*; atque aeterna concupiscendo, et temporalia postponendo, hoc postremo intulit, *Parce mihi*; et quod superius dixit, *Mortem ossa mea*, hoc nimirum subdidit, *Nequaquam ultra jam vivam*; hoc ultimum protulit, *Nihil enim sunt dies mei.* [Vet. XX.] Bene autem dies suos nihil esse considerat, quia, ut paulo superius saepe jam diximus, sancti viri quo verius summa cognoscunt, eo sublimius terrena despiciunt; et idcirco praesentis vitae dies nihil esse conspiciunt, quia illuminatae mentis oculos in consideratione **265** aeternitatis figunt. De qua dum ad se redeunt, quid se esse nisi pulverem agnoscunt, et infirmitatis suae conscii, districte judicari metuunt? Cumque vim tanti vigoris aspiciunt, trepidant examinari quod sunt. Unde et adhuc apte subjungitur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 17.---*Quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?*

47. *Sancti suam vilitatem, ac Dei munera et judicia semper considerant.*---Hominem Deus magnificat, quia largitate

rationis ditat, infusione gratiae visitat, honore collatae virtutis exaltat. Cumque per semetipsum nihil sit, esse tamen eum cognitionis suae participem, benignitatis munere concedit. Sed erga eundem magnificatum hominem cor suum Dominus apponit, quia post dona iudicium exerit, merita subtiliter pensat, vitae pondera vehementer examinat, et tanto ab eo post districtius poenas exigit, quanto hunc impenso munere largius praevenit. Vir igitur sanctus immensitatem supernae maiestatis aspiciat, atque ad infirmitatem propriam considerationis oculum reducat. Videat quia caro capere non valet hoc quod de semetipsa Veritas per spiritum docet. Videat quia etiam sublevatus hominis spiritus iudicium tolerare non sufficit quod Deus sub examine districtae retributionis intendit, et dicat: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Ac si aperte exclamet, dicens: Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen caro est; et vias ejus post munera districte consideras, sed tamen si remota pietate iudicetur, pondus quod de tua subtilitate imminet, ferre nec sublevatus ad justitiam spiritus valet, quia etsi hunc ultra se tua dona dilatant, ad inquisitionem tamen tui districti examinis sua infirmitas angustat. Unde et adhuc apte subjungitur:

CAPUT XXIX [*Rec. XVII*].

VERS. 18.---*Visitas eum diluculo, et subito probas illum.*

48. *Quos donis ditavit Deus, tentationibus probat. Ut quid ex Deo, quid ex se sint, discant. Ideo tunc lubricis cogitationibus*

turbantur.---Quis nostrum nesciat quia diluculum dicitur cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur? Nos itaque noctis tenebris preminur cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur cum erroris nostri obscuritas veritatis cognitione irradiatui Nox in lucem vertitur cum corda nostra justitiae fulgor illuminat, quae caecitas culpae deprimebat. Hoc diluculum discipulorum mentibus oriri Paulus aspexerat cum dicebat: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit (Rom. XIII, 12).* Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce suae cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum quod Deus postquam diluculo visitat, subito hominem probat, quia et accedendo corda nostra ad virtutes provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo et firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiae ad alta sustollitur, et per recessum quid ex semetipso sit probatur. Quod bene nobis ex historia sacrae lectionis innuitur (**III Reg. III, 16**), qua Salomon et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eandem sapientiam meretricum statim pulsatus quaestione memoratur. Mox enim ut tantae revelationis gratiam accepit, certamen turpium mulierum pertulit, quia nimirum saepe cum mentem nostram concessis **266** virtutibus respectus intimae largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricae cogitationes turbant, ut quae sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata quid sit inveniat. Sic Elias et visitatus diluculo, sermone coelos aperuit; et tamen probatus subito, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit (**III Reg. XIX,**

3). Sic Paulus ad tertium coelum ducitur, paradisi penetrans secreta considerat (**II Cor. XII, 2**); et tamen, ad semetipsum rediens, contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari spiritus legem dolet (**Rom. VII, 21**). Diluculo ergo Deus visitat, sed subito post visitationem probat, quia et collato munere sublevat, et abstracto ad paululum, ipsum sibi hominem demonstrat. Quod eo usque procul dubio patimur, quo, deteresa funditus labe peccati, ad promissae incorruptionis substantiam reformemur. Unde adhuc apte subditur:

CAPUT XXX [*Vet. XXI, Rec. XVIII*].

VERS. 19.---*Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam?*

49. *Contemplationis sapor, non satietas hic datur.* ---Saliva in os ex capite labitur, ab ore vero ad ventrem ducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum nisi divinitas? per quam existendi principium sumimus, ut creatura simus, Paulo attestante, qui ait: *Caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (**I Cor. XI, 3**). Quid autem venter noster est, nisi mens? quae dum cibum suum, supernum videlicet intellectum suscipit, refecta procul dubio omnium membra actionum regit. Nisi enim sacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quae investigat omnia secreta ventris* (**Prov. XX, 27**), quia nimirum dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostrae nobis

absconsa manifestat. Quid ergo salivae nomine nisi sapor intimae contemplationis accipitur? quae ad os a capite defluit, quia de claritate conditoris adhuc in hac vita nos positos vix gustu revelationis tangit. Unde et Redemptor veniens salivam luto miscuit, et caeci nati oculos reparavit (**Joan. IX, 6**), quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admistionem suae contemplationis irradiat, et ab originali caecitate hominem ad intellectum reformat. Nam quia a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exsilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit. Sed sicut sanctus vir insinuat, haec saliva ad os quidem labitur, ut vero ad ventrem usque perveniat non glutitur, quia divinitatis contemplatio sensum, tangit, sed plene mentem non reficit, quoniam perfecte animus conspiceret non valet quod adhuc, quia caligo corruptionis praepedit, raptim videt.

50. Mens mole corporis pressa, supernae luci diu inhaerere non valet.---Ecce enim electorum mens jam terrena desideria subjicit, jam cuncta quae considerat praeterire transcendit, jam ab exteriorum delectatione suspenditur, et quae sint bona invisibilia rimatur, atque haec agens plerumque in dulcedinem supernae contemplationis rapitur, jamque de intimis aliquid quasi per caliginem conspicit, et ardenti desiderio interesse spiritalibus angelorum ministeriis conatur; gustu incircumscripti luminis pascitur, et ultra se evecta ad semetipsam relabi dedignatur; sed quia adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam (**Sap. IX, 15**), inhaerere diu luci **267** non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima ac necessaria suspirantem reducit. Saliva ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minime pervenit,

quia liquore supernae contemplationis jam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plene satiatur. In ore etenim gustus est, in ventre satietas. Salivam itaque glutire non possumus, quia supernae claritatis bono satiari non permittimur, quod adhuc ex tenuitate gustamus. Sed quia hoc ipsum, quod utcunque jam superne cognoscimus, ex pietate parentis est, quod vero hoc percipere perfecte non possumus adhuc ex poena vetustae damnationis, recte nunc dicitur: *Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam?* Ac si aperte diceretur: Tunc homini plene parcis, cum hunc ad perfectionem tuae contemplationis admiseris, ut claritatem tuam raptus interiorius videat, et eum carnis suae corruptio exterius non repellat. Tunc permittis ut salivam glutiam, cum me sapore tuae claritatis usque ad abundantiam satietatis infuderis, ut nequaquam jam per indigentiam gustu oris esuriam, sed in te solidus irrigato mentis ventre subsistam. Sed qui promereri vult bonum quod expetit, debet malum confiteri quod fecit. Sequitur:

CAPUT XXXI [*Rec. XIX*].

VERS 20.---*Peccavi; quid faciam tibi, o custos hominum?*

51. *Homo per se lapsus, per se non valet surgere.* ---Ecce fatetur malum quod egit, sed bonum quod Deo in recompensationem debeat offerre non invenit, quia ad abluendam culpam quaelibet humanae actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parentis foveat, et non justitia recte judicantis premat. Unde recte per Psalmistam

dicitur: *Melior est misericordia tua super vitam* (Psal. LXII, 40), quia quamlibet videatur innocens, apud districtum tamen iudicem nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debitum misericordiae benignitas non relaxat. Vel certe cum dicitur: *Quid faciam tibi?* patenter ostenditur quia haec ipsa bona quae agere praecipimur, non praeceptori, sed nobis prosunt. Unde rursum per Psalmistam dicitur: *Quoniam bonorum meorum non indiges* (Psal. XV, 2). Humilitas autem nostrae destitutionis exprimitur cum Deus hominum custos vocatur, quia si ejus nos custodia minime protegit, ante occulti hostis insidias, nostrae sollicitudinis oculus vigilans dormit, Psalmista rursus attestante, qui ait: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* (Psal. CXXVI, 1, 2). Per nos namque cecidimus, sed nostris resurgere viribus non valemus. Culpa nos voluntatis propriae semel stravit, sed poena culpae deterius quotidie deprimit. Ad amissam rectitudinem surgere studiorum conatibus nitimur, sed meritorum pondere gravamur. Unde et apte subditur.

CAPUT XXXII [*Vet. XXII, Rec. XX*].

IBID.---*Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis?*

52. *Peccando contrarius factus est Deo.*---Tunc sibi contrarium Deus hominem posuit, cum homo Deum peccando dereliquit. Serpentis quippe persuasionibus captus hostis ejus exstitit, cujus praecepta contempsit. Justus vero conditor hunc

sibi contrarium posuit, quia inimicum ex elatione deputavit. Sed haec ipsa contrarietas culpa **268** facta est homini pondus poenae, ut corruptioni suae male liber serviat, qui bene servus de incorruptionis libertate gaudebat. Salubrem quippe humilitatis arcem deserens, ad infirmitatis jugum superbiendo pervenit, et cervicem cordis erigendo supposuit, quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Quod melius ostendimus, si ea quae dejectus sustinet, et prius carnis, et post pondera mentis exprimamus.

*53. Quot modis homo sibi gravis sit, propter corpus. Et propter mentem. Mens nostra ampla et angusta. ---*Ut enim taceamus hoc, quod dolores tolerat, quod febribus anhelat, sua quadam aegritudine constringitur ipsa haec nostri corporis quae salus vocatur. Nam otio tabescit, opere deficit; inedia deficiens, cibo reficitur ut subsistat; refectioe lassescens, abstinentia relevatur ut vigeat; aqua perfunditur, ne arescat; linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat; labore vegetatur, ne quiete torpeat; quiete refovetur, ne laboris exercitatione succumbat; fatigata vigiliis, somno reparatur; oppressa somno, vigiliis excutitur, ne sua pejus quiete lassetur; vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur; quaesito calore deficiens, aurarum flatu refovetur. Cumque inde molestias invenit, unde vitare molestias quaesivit, male sauciata, ut ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus aegritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad vivendi usum quaerimus, quasi tot nostrae aegritudini medicamentis obviamus. Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulo diutius inhaerentes, ex eo gravius deficimus, quod

provide ad refectionem paramus. Sic nimirum debuit praesumptio corripi, sic superbia sterni. Quia enim elatum semel sumpsimus spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum.

54. Ipsa quoque mens nostra a secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur; transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione incessanter atteritur, quia et incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, et a semetipsa variatur. Nam quaerens quod non habet, anxia percipit; cumque hoc habere coeperit, taedet hanc percepisse quod quaesivit. Amat saepe quod despexerat, despicit quod amabat. Cum labore quae aeterna sunt discit, sed horum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quaerit, ut parum quid de summis inveniatur, sed ad consueta citius relabens, nec parum in his quae invenit perseverat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat, sed erudita, gravius contra scientiae gloriam pugnat. Vix carnis suae sibi tyrannidem subjicit, sed tamen adhuc intus culpaе imagines tolerat, cujus jam foris opera vincendo restrinxit. In auctoris sui inquisitione se erigit, sed reverberatam hanc, corporearum rerum amica caligo confundit. Semetipsam qualiter incorporea corpus regat intueri vult, et non valet. Requirit mire quod sibi respondere non sufficit, et sub eo ignara deficit, quod prudenter requirit. **269** Amplam se simul et angustam considerans, qualem se veraciter aestimet, ignorat, quia si ampla non esset, nequaquam tam investiganda requireret, et rursum si angusta non esset, hoc ipsum saltem quod ipsa requirit inveniret.

55. *Homo dum relicto Deo, se sibi sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis invenit. Hoc pressus Job misericordiam Dei postulat.*---Bene ergo dicitur: *Posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis*, quia dum repulsus homo, et a carne molestias, et a mente quaestiones tolerat, grave nimirum pondus semetipsum portat. Undique languoribus premitur, undique infirmitatibus urgetur, ut qui, relicto Deo, se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis inveniret, inventumque se fugere quaereret, sed, auctore contempto, quo se fugeret non haberet. Cujus infirmitatis pondera bene quidam sapiens contemplatus, ait: *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturae in matrem omnium* (**Eccli. XL, 1**). Beatus autem Job ista considerans, et quare ita ordinata sint ingemiscens, non justitiam redarguit, sed misericordiam inquit, ut percunctando ipse humiliter pulset quod parcendo divina pietas immutet. Ac si aperte dicat: Cur quasi contrarium tibi hominem despicias, qui certus scio quia perire vel ipsum quem despiciere crederis non vis? Unde bene adhuc et humilitatem confessionis exprimit, et vocem liberae inquisitionis adjungit, dicens:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXIII*].

VERS. 21.---*Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam?*

56. *Mediatorem desiderat et resurrectionem.*---Quibus profecto verbis quid aliud quam desiderium praestolati Mediatoris innuitur? de quo Joannes ait: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi (Joan. I, 29)*. Vel certe ab humano genere tunc peccatum plene tollitur, cum per incorruptionis gloriam nostra corruptio permutatur. Esse namque a culpa liberi nequaquam possumus, quousque in corpore mortis tenemur. Redemptoris ergo gratiam, vel resurrectionis soliditatem desiderat, qui iniquitatem suam auferri funditus sperat. Unde mox et poenam quam ex origine meruit, et iudicium quod ex propria actione pertimescit adjungens subdit:

CAPUT XXXIV [*Rec. XXI*].

IBID.---*Ecce nunc in pulvere dormiam; et si mane me quaesieris, non subsistam.*

57. *Dum praesenti poena premitur, de futuris gravius urgetur. Humilitas tegmen a gladio judicis.*---Peccanti primo homini dictum est: *Pulvis es, et in pulverem reverteris (Genes. III, 19)*. Mane autem dicitur illa tunc manifestatio mentium, quae in adventu judicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. De quo nimirum mane per Psalmistam dicitur: *Mane astabo tibi et videbo (Psal. V, 5)*. Quaerere autem Dei est hominem subtili interrogatione discutere, et districte discutiendo judicare. Beatus igitur Job humanae dejectionis damna considerans, videat quia et praesenti jam poena premitur, et

adhuc de futuris gravius urgetur: Et dicat: *Ecce nunc in pulvere dormiam; et si mane me quaesieris, non subsistam.* Ac si apertius deploret, dicens: in praesenti quidem mortem jam carnis patior, et tamen adhuc de venturo iudicio graviores mortem, districtioris tuae sententiam, pertimesco: interitum pro culpa sustineo, sed adhuc ad iudicium veniens culpas restitui et post interitum formido. **270** Exteriores ergo mortem considerans, dicat, *Ecce nunc in pulvere dormiam;* interiores metuens adjungat: *Et si mane me quaesieris, non subsistam.* Quantalibet enim iustitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in iudicio districte requirantur. Sed hoc nunc ad solatium suae ereptionis inveniunt, quod nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt. Sub humilitatis ergo tegmine a gladio se tantae animadversionis abscondunt, et quo terrorem venturi iudicis praestolantes continuo timore trepidant, eo indesinenter agitur, ut paratiores fiant. Sequitur.

CAPUT XXXV [*Vet. XXIV, Rec. XXII*].

CAP. VIII, VERS. 1, 2.---*Respondens autem Baldad Suhites dixit. Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui?*

58. *Iustorum verba injustis gravia. Loquendi quadruplex vis. Unica crimini subjacet.* Injustis semper gravia sunt verba iustorum; et quae ad aedificationem prolata audiunt, haec quasi superimpositum pondus ferunt. Quod de se aperte

Baldad Suhites indicat, dicens: *Usquequo loqueris talia?* Qui enim *usquequo* dicit, quia aedificationis verba jam portare non possit ostendit. Sed cum corrigi iniqui despiciunt, bene prolata criminantur. Unde et protinus adjungit: *Et spiritus multiplex sermonis oris tui.* Cum multiplicitas in sermone reprehenditur, esse procul dubio intelligentiae gravitas in sensu denegatur. Vis quippe summa loquentium, quadrifaria qualitate distinguitur. Nam sunt nonnulli quos sentiendi simul ac dicendi amplitudo dilatat, et sunt nonnulli quos sentiendi simul et dicendi inopia angustat. Sunt nonnulli qui efficaciam dicendi habent, sed acumen sentiendi non habent; et sunt nonnulli qui acumine sentiendi subnixi sunt, sed ex inopia locutionis obmutescunt. Hoc namque in hominibus cernimus, quod in rebus saepe insensibilibus videmus. Nam plerumque et abundans aqua ab intimis ducitur et largis in superficiem meatibus derivatur. Plerumque angusta in intimis latet, et progrediendi rimas difficulter inveniens, foras angustior exsudat. Plerumque minima in absconditis oritur; cumque patenter qua exeat invenit, ex largo foramine tenuis procedit, magnique se meatus dilatant, sed non est quod fundant. Plerumque vero ampla in absconditis surgit, sed angustis pressa meatibus tenuissime profluit. Sic itaque in aliis os patens emanat, quod largus ingenii fons ministrat. In aliis intellectum nec sensus porrigit, nec lingua fundit. In aliis os quidem ad loquendum patet, sed ad reddendum parata a sensu lingua nihil accipit. In aliis vero largus sentiendi fons a corde exuberat, sed hunc quasi meatus tenuis impar lingua coangustat. In quibus nimirum quatuor dicendi qualitatibus, sola crimini tertia subjacet, quae hoc sibi per locutionem arripit, ad quod per ingenium non assurgit. Nam prima laudanda est, quae utroque valenter pollet.

Secunda miseranda, quae utroque humiliter caret. Quarta adjuvanda, quae explere quod sentit non valet. Tertia vero despicienda atque reprimenda, quae, dum sermone se erigit, sensu jacet, quae membris inflatione tumentibus similis, ad aures audientium vasta, sed vacua, procedit. Quod nunc Baldad ad beati Job crimen intorquet, dicens: [*Vet. XXV.*] *Spiritus multiplex sermonis oris tui.* **271** Qui enim multiplicitatem sermonis ori tribuit, profecto cordis inopiam reprehendit. Ac si aperte dicat: Abundantia spiritus in sermone oris attolleris, sed sensus indigentia coangustaris. [*Vet. XXV.*] Pravi autem, cum recta reprehendunt, ne ipsi quae justa sunt nescire videantur, nota omnibus bona, quae audiendo didicerunt, quasi incognita proferunt. Unde et Baldad protinus adjungit:

CAPUT XXXVI.

VERS. 3.---*Nunquid Deus supplantat judicium et Omnipotens subvertit quod justum est?*

59. *Pravi doctrinae laudem aucupantur. Justitiam Dei laudant ubi eis bene est, ubi male damnant.* Haec beatus Job nec loquens negaverat, nec reticens ignorabat. Sed procaces quique, ut diximus, etiam nota jactanter proferunt, ut loquendo docti videantur: contemnunt moderate conticescere, ne credantur ex imperitia tacuisse. Sciendum vero est quia tunc divinae justitiae rectitudinem laudant, cum se ad gaudium incolumitas sublevat, et alios flagella castigant; cum se conspiciunt rerum prosperitate perfrui, alios adversitate

fatigari. Nam dum perverse agunt, sed tamen se rectos arbitrantur, hoc quod sibi prospera suppetunt, deberi suis meritis credunt; eoque colligunt quod Deus injuste non judicat, quo quasi justos se adversitas nulla contristat. Sed si eorum vitam quamlibet breviter vis supernae correptionis attigerit, pulsati protinus consilium divini examinis increpant, quod paulo ante incolumes admirando praeferiebant, justumque esse judicium, quod suis moribus adversatur, negant, de divina aequitate disputant, ad resultationis verba prosiliunt, et correpti quia deliquerint, gravius delinquent. Unde bene etiam per Psalmistam contra peccatoris confessionem dicitur: *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei* (Psal. XLVIII, 19). Despecta quippe vox confessionis est, quam format jucunditas prosperitatis. Sola autem confessio habet magni meritum ponderis, quam a veritate rectitudinis nequaquam separat vis doloris, quam usque ad judicium vocis exacuit adversitas testis cordis. Non ergo mirum quod Baldad divinam justitiam laudat, qui nihil adversi ab eadem justitia tolerat.

60. *Haereticorum in Ecclesiam adversis pressam insania.* --- Sed quia amicos beati Job haereticorum tenere speciem diximus, libet ut paucis quomodo Baldad verba haereticorum subreptionibus congruant demonstremus. Hi quippe dum sanctam Ecclesiam temporali corripit animadversione conspiciunt in semetipsis, audacius in jactantiam perversae praedicationis intumescunt; et superni examinis rectitudinem praetendentes, prosperari se ex meritis asserunt, illam vero affligi dignis retributionibus attestantur, et verbis blandientibus subreptionis aditum protinus inter dolores quaerunt, atque aliorum vitam, exprobratis aliorum mortibus,

feriunt, ac si illi jam juste defuncti sint qui de Deo credere digna noluerunt. Unde Baldad Suhites, postquam divinam justitiam protulit, illico adjungit:

CAPUT XXXVII.

VERS. 4, 5, 6.---*Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suae, tu tamen si diluculo surrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiae.*

61. *Populorum ab Ecclesia discissionem tanquam erroris argumentum exprobrarant.*---Ac si afflictis catholicis errorum praedicatores dicant: Vitae vestrae providete, et quam perversa **272** teneatis, ex eorum qui inter vos defuncti sunt damnatione cognoscite, quia conditori omnium nisi perfidia vestra displiceret, nequaquam a vobis tam numerosos populos interitu saeviente subtraheret. Ait enim: *Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suae.* Quasi aperte dicens: In iniquitatis suae manu dimissi sunt, qui vitam nostrae rectitudinis imitari noluerint. *Tu tamen si diluculo surrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus.* [Vet. XXVI.] Quia enim se haeretici tenere lucem veritatis aestimant, sanctam Ecclesiam quasi in erroris nocte positam, ad diluculum veritatis vocant, quatenus et per cognitionem Dei, quasi per diluculum surgat, et per precem poenitentiae praeterita diluat. *Si mundus et rectus incesseris.* Mundus

videlicet in cogitatione, rectus in opere. *Statim evigilabit ad te.* Ac si aperte dicat: Quia is qui nunc tribulationibus tuis virtutem suae protectionis non exerit, quasi ab adjutorio errantis dormit. *Et pacatum reddet habitaculum justitiae tuae.* Id est, praesentis vitae contrarietates amovet, et tranquillitatis protinus securitatem praebet. Quia enim perversi quique temporale gaudium singulare aestimant divinae remunerationis bonum, quae ipsi anxie ambiunt, haec aliis pro magno pollicentur. Unde plerumque fit, ut aut amici recuperari spondeant, aut ad majora adhuc praesentis vitae praemia auditorum suorum animos extendant. Quod patenter Baldad exprimit, cum protinus adjungit:

CAPUT XXXVIII.

VERS 7.---*In tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.*

62. *Quid suis sequacibus promittant*---Si vero habitaculum justitiae, consilium mentis vocat, afflictis catholicis errorum magistri pacatum habitaculum justitiae promittunt, quia si eos ad sua pertrahunt, profecto a contentione conticescunt. Namque hi qui trahi ad perversa potuerunt, tanto jam tranquillius temporali pace quieti sunt, quanto longius ab aeterna separantur. Opes quoque intelligentiae se sequentibus crescere spondent. Unde et subditur: *In tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.* Sed quia eorum verbis non facile creditur, quoniam saepe vita

contemptibilis demonstratur, antiquorum patrum sententias proferunt, earumque rectitudinem in argumentum sui erroris inflectunt. Unde et subditur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXIII*]

VERS. 8. *Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.*

63. *Antiquorum patrum auctoritate abutuntur.*--- Generationem pristinam, ac patrum memoriam nequaquam videri, sed investigari admonent: quia hoc in ea nolunt conspici, quod liquido cunctis patet. Nonnunquam vero, more bonorum, quaedam moraliter docent, et qualiter ex praeteritis praesentia colligantur insinuant, atque ex his quae jam a nostris oculis pertranseundo subtracta sunt quam nulla sint quae videntur demonstrant. Unde et adhuc subditur:

VERS. 9.---*Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbrae dies nostri sunt super terram.*

64. *Quae jam transacta sunt nos docent quam celeriter caetera sint transitura.*---Generatio itaque pristina interroganda proponitur, ut transire tempus vitae praesentis sicut umbra monstretur; quia videlicet si ea quae erant, et jam transacta sunt, ad memoriam reducimus, patenter agnoscimus quam celeriter hoc quoque fugiat quod tenemus. Saepe vero haeretici eosdem **273** nobiscum patres, quos veneramur laudant, sed intellectu depravato, ipsis nos eorum laudibus impugnant. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XLI.

VERS. 10.---*Ipsi docebunt te; loquentur, tibi, et de corde suo proferent eloquia.*

65. *Pravi bona interdum proferunt, sed non bene. Suo tum se mucrone feriunt.*---Notandum quod superius dixerat: *Spiritus multiplex sermonis oris tui*; nunc vero, reductis ad memoriam patribus, dicit: *De corde suo proferent eloquia.* Ac si vitam sanctae Ecclesiae haeretici detestantes, dicant: Multiplicitatem spiritus in ore habes, in corde non habes. Sed illi contra te audiendi sunt, qui verba ex corde proferentes, recta vivendo docuerunt. Saepe autem pravi, dum suae vitium fortitudinis ignorant, audenter aliorum rectitudinem lacerant; cumque contra bonos sibi auctoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quae non videndo, sed audiendo didicerunt; aut ea aliis mala mentientes ingerunt, quae ipsi committunt. Sed cum ea bona proferunt quae servare contemnunt, sciendum est quia plerumque veritas sic per ora adversariorum sonat, ut eorum linguam movens vitam feriat, quatenus culmen rectitudinis loquentes et ignorantes, ipsi et verbis iudices, et factis accusatores fiant. Unde Baldad mira quidem contra hypocritas subdit, sed mucrone verbi se impetit, quia simulator justitiae, nisi ex aliquantulo ipse esset, docere justum nequaquam tanta temeritate praesumeret. Et quidem fortia sunt valde quae dicit; sed haec stultis, non autem sapienti, pravis, non recto, dicere debuit, quia et vecordem se asserit qui, hortis sitientibus, in flumen aquam fundit. Sed interim postponentes cui dicitur, pensemus

subtiliter quid dicatur, ut nos prolata instruant, quamvis meritum sui auctoris impugnent. Sequitur:

VERS. 11.---*Nunquid virescere potest seirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua?*

[*Rec. XXIV.*] Cui Baldad scirpum, vel carectum comparet, ipse protinus aperit cum subjungit:

CAPUT XLII.

VERS. 12, 13.---*Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit; sic viae omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit.*

66. *Hypocrita bonorum operum speciem, non fructum habet. Dona Dei ad incrementum damnationis habet.*---Scirpi ergo vel carecti nomine hypocritae vitam signat, quae speciem quidem viriditatis habet, sed ad humanos usus fructum utilitatis non habet; quae, sterilitate operis arida permanens, solo sanctitatis colore viridescit. [*Vet. XXVII.*] Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem quidem superni muneris percipit, sed, in cunctis quae agit exteriores laudes appetens, a fructu perceptae infusionis inanescit. Saepe namque mira signorum opera faciunt, ab obsessis corporibus spiritus pellunt, et per prophetiae donum ventura quaeque sciendo praeveniunt, sed tamen a largitore tot munerum cogitationis intentione divisi sunt, quia per ejus dona non ejus gloriam, sed proprios favores quaerunt; cumque per

accepta bona in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt. Sed eo eos postmodum districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas et ingratos largius infundit. Fitque eis amplitudo muneris **274** incrementum damnationis, quia irrigati fructum non ferunt, sed sub viriditatis colore vacui in altum crescunt. Quos bene per Evangelium Veritas exprimit, dicens: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (**Matth. VII, 2**). Scirpus igitur vel carectum sine aqua non vivit, quia nimirum hypocritae non nisi ex superno munere viriditatem bonae operationis accipiunt; sed quia hanc in usum propriae laudis arripiunt, in aqua quidem virides, sed tamen inanes crescunt.

67. *Hypocrita correptionis est impatiens.*---Bene autem subditur: *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit.* Scirpus in flore est hypocrita in laude. Acutis vero angulis surgens carectum manu non carpitur, quia, exasperatis per arrogantiam sensibus, de pravitate sua hypocrita corripere dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, ne hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis secatur. Sanctus namque non esse appetit, sed vocari; et cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus aestimari; et, paratior

mori quam corripī, redargutione deterior redditur, quia quasi dirae percussione aestimat jaculum puritatis verbum. Unde exasperatus protinus in contumelias surgit, et quae mala exaggeret contra vitam correptoris inquit. Demonstrare longe incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, ut innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat; ita ut saepe homo redargutionis aliquid se dixisse poeniteat, et quasi a carpentis manu, sic a corripientis animo quidam, ut ita dixerim, sanguis moeroris currat. Unde bene per Salomonem dicitur: *Noli arguere derisorem, ne oderit te* (**Prov. IX, 8**). Neque enim justo timendum est ne derisor cum corripitur contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat.

68. *Hypocrita in bonis operibus non perseverat.*--- Inter haec sciendum est quod justorum bona, quia ex corde incipiunt, usque ad praesentis vitae terminum crescunt; hypocritarum vero opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, saepe ante deficiunt quam praesens vita finiatur. Nam plerumque studio sacrae eruditionis insistunt; et quia hanc non praeparandis meritis, sed promerendis favoribus inquirunt, statim ut iudicium humanae laudis arripiunt, et per hoc gratiam transitorii profectus assequuntur, tota mente saecularibus curis inserviunt, atque a sacra funditus eruditione vacuantur; et agendo post indicant quantum temporalia diligant, qui sola prius aeterna praedicabant. Plerumque autem assumptae speciem maturitatis ostendunt; quiete silentii, longanimitate patientiae, continentiae virtute decorantur; sed cum per haec quaesiti culmen honoris attigerint, cumque sibi jam reverentia a cunctis impenditur, protinus se in lasciviam voluptatis fundunt, et bona se non **275** ex corde tenuisse ipsi

sibi testes sunt qui haec cito dimiserunt. Nonnunquam vero aliqui quae possident tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur; sed tamen ante vitae terminum, avaritiae prurigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, et pertinaci post crudelitatem ambiunt quod ficta prius pietate reliquerunt. [*Vet. XXVIII.*] Unde et recte nunc dicitur: *Cum adhuc sit in flore, ne carpatur manu, ante omnes herbas arescit.* Juxta carnem quippe et justi herba sunt, propheta attestante, qui ait: *Omnis caro fenum (Isai. XL, 6).* Sed ante omnes herbas arescere scirpus dicitur, quia, justis in bono suo permanentibus, a viriditate assumptae rectitudinis hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbae etiam reliquae, quia justorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus praevenit, quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea quae in se ostenderat virtutum facta derelinquit. De quibus bene etiam per Psalmistam dicitur: *Fiant sicut fenum aedificiorum, quod prius quam evellatur arescit (Psal. CXXVIII, 6).* Fenum quippe aedificii in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur, quia et hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fenum et non evulsum citius arescit, quia videlicet hypocrita et in praesenti adhuc vita subsistit, et jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectae cogitationis bona studuit agere, haec amittens, indicat se sine radice floruisse.

69. *Hypocrita spe sua diu frui non valet.*---Sed Baldad, sicut praediximus, cui scirpum vel carectum comparet, illico aperit, cum subjungit: *Sic viae omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit.* Quid enim cunctis suis operibus

hypocrita sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Sed permanere spes hypocritae non valet, quia, aeternitatem non quaerens, fugit quod tenet. Nequaquam quippe mentis ejus intentio in illa gloria figitur quae sine fine possidetur, sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, Veritate attestante, quae ait: *Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam* (**Matth. VI, 2, 5**). Sed haec spes recipiendae mercedis teneri diu non potest, quia pro ostensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum urgetur; laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant; et quia nequaquam animus in aeternitatis amore radicatur, cum ipsis profecto rebus quas diligit labitur. Nemo namque valet mobilia diligere et ipse immobilis stare. Qui enim transeuntia amplectitur, eo ipso ad cursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Dicat ergo: *Et spes hypocritae peribit*, quia humana laus quam magnis laboribus appetit impulsa temporum momentis decurrit. Bene autem subditur:

CAPUT XLIII [*Rec. XXV*].

VERS. 14.---*Non ei placebit vecordia sua.*

70. *Rem magni pretii vili vendit hypocrita. Fecundae et neglectae viti similis est.*---Magna quippe vecordia est laboriosa agere, et aerae laudis inhiare; forti opere praeceptis coelestibus inservire, sed terrenae retributionis praemium quaerere. Ut enim ita dixerim, qui pro virtute quam agit humanos favores desiderat rem magni meriti vili pretio

venalem portat; unde coeli regnum mereri potuit, inde nummum transitorii sermonis quaerit. Vili ergo pretio opus vendit, **276** quia magna impendit, sed minima recipit. [*Vet. XXIX.*] Quibus itaque hypocritae similes, nisi fecundis et neglectis vitibus existunt, quae per ubertatem fructum proferunt, sed nequaquam per studium a terra sublevantur? Quod pingues palmites germinant, errantes bestiae conculcant; et quo hoc uberius aspiciunt, projectum in infimis avidius consumunt, quia nimirum hypocritarum opera, dum clara monstrantur, quasi pingua prodeunt, sed dum humanas laudes appetunt quasi in terra deseruntur. Quae hujus mundi bestiae, maligni scilicet spiritus comedunt, quia haec ad usum perditionis inflectunt; tantoque ardentius rapiunt, quanto et magna clarius innotescunt. Unde bene per prophetam dicitur: *Culmus stans, non est in eis germen, et non facient farinam; quod etsi fecerint, alieni comedent eam* (**Osee. VIII, 7**). Culmus quippe germen non habet cum vita meritis virtutum caret. Farinam culmus non facit cum is qui in praesenti saeculo proficit nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit.

71. *Fructibus suis malignos spiritus satiat hypocrita. Pascitur et ipse modo, secus post mortem.*---Sed saepe et cum fecerit, hanc alieni comedunt, quia et cum bona opera hypocritae ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per haec Deo placere non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Fecundo itaque hypocrita et neglecto palmiti similis, servare fructum non valet, quia botrus boni operis in terra jacet. Sed tamen hac ipsa sua vecordia pascitur, quia pro bono opere a cunctis honoratur; caeteris praeeminet, subjectas hominum mentes tenet,

majoribus locis attollitur, favoribus nutritur. Haec vero ei sua vecordia placet interim, sed non placebit, quia cum retributionis tempus advenerit, in poena displicet quod vecors fuit. Tunc se stulte egisse intelliget, cum pro delectatione laudis sententiam divinae increpationis acceperit. Tunc se vecordem fuisse considerat, cum se pro temporali quam percepit gloria perpetua tormenta castigant. Tunc veram scientiam supplicia aperiunt, quia per haec profecto colligitur nihil fuisse omnia quae transire potuerunt. Unde et recte subditur:

CAPUT XLIV [*Rec. XXVI*].

IBID.---*Et sicut tela araneorum fiducia ejus.*

72. *Hypocritae fiducia vana, bona coram Deo nulla, praedicatio infructuosa, abstinentia inanis.*--- Bene hypocritarum fiducia araneorum telis similis dicitur, quia omne quod ad obtinendam gloriam exsudent ventus vitae mortalis dissipat. Nam quoniam aeterna non quaerunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Pensandum quoque est quod fila araneae per ordinem ducunt, quia sua hypocritae quasi sub discretione opera disponunt. Araneorum tela studiose textitur, sed subito flatu dissipatur, quia quidquid hypocrita cum labore peragit aura humani favoris tollit; et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor evanescit. Saepe namque et usque ad praesentis vitae terminum hypocritarum facta perdurant, sed quia per haec auctoris laudem non quaerunt, bona ante Dei oculos nunquam

fuerunt. Plerumque enim, ut praediximus, sacrae legis eruditione fulciuntur, doctrinae verba proferunt, omne quod sentiunt testimoniis accingunt, nec tamen per haec vitam audientium, sed proprios favores quaerunt, quia nec proferre alia noverunt, nisi quae auditorum corda ad rependendas laudes excutiant, non autem ad lacrymas accendant. **277** [*Vet. XXX.*] Mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata igne divini amoris non calet; et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba quae frigido corde proferuntur. Neque enim res quae in se ipsa non arserit aliud accendit. Unde fit plerumque ut hypocritarum dicta et audientes non erudiant, et eosdem ipsos qui se proferunt elatos laudibus deteriores reddant. Attestante etenim Paulo, *Scientia inflat, charitas aedificat* (**I Cor. VIII, 1**). Cum ergo charitas aedificando non erigit, scientia inflando pervertit. Plerumque se hypocritae mira abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, et quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropiant, ut pene quotidie morientes vivant. Sed ad haec humanos oculos quaerunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quae ait: *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes* (**Matth. VI, 16**). Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur. Sed inter haec, ab ore proximorum sermo admirationis quaeritur, nihilque tanto labore aliud, nisi aestimatio humana cogitatur. Quos nimirum bene Simon ille significat, qui dominicae passionis tempore in angariam crucem portabat, de quo scriptum est: *Invenerunt hominem Cyrenaeum, venientem obviam sibi, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Jesu* (**Matth. XXVII, 32; Marc. XV, 21**). Quod enim per

angariam agimus, non hoc ex studio amoris operamur. Crucem ergo Jesu in angaria portare est afflictionem abstinentiae pro alia quam necesse est intentione tolerare. An non Jesu crucem in angaria portat, qui quasi ad praeceptum Domini, carnem domat, sed tamen spiritalem patriam non amat? Unde et Simon isdem crucem portat, sed nequaquam moritur, quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriae mundo vivit.

[*Vet. XXXI.*] 73. *Crucem carni infert, sed mundo vivit.*---Quo contra per Paulum bene de electis dicitur: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Cum vitiis quippe et concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quaeramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit, quia et saepe per sanctitatis imaginem locum regiminis indignus assequitur, quem, nisi aliquid in se virtutis ostenderet, nullo percipere labore mereretur. Sed transit quod delectabiliter obtinet, et poenaliter quod sequitur manet. Sanctitatis nunc fiducia in ore hominum ponitur; sed cum internus iudex secreta cordis examinat, testes vitae exterius non quaeruntur. Bene ergo dicitur: *Sicut tela araneorum fiducia ejus*, quia apparente cordis teste, praeterit omne quod exterius de humano favore confidit. Unde et adhuc apte subjungitur:

CAPUT XLV [*Rec. XXVII*].

VERS. 15.---*Innititur super domum suam, et non stabit; fulciet eam, et non surget.*

74. *Hypocritae domus super quam innititur, favor humanus. Stare non valet.*---Sicut domus exterioris conversationis est aedificium quod inhabitat corpus, ita domus nostrae cogitationis est res quaelibet quam per dilectionem inhabitat animus. Omne quippe quod diligimus, quasi in hoc quiescentes habitamus. Unde Paulus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem **278** positus, sed tamen a terra extraneus, dicebat: *Nostra conversatio in coelis est* (**Philip. III, 20**). Mens itaque hypocritae nihil aliud in omne quod agit nisi opinionis suae gloriam cogitat, nec curat quo post per meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Domus ergo ejus est delectatio favoris, quam quasi quietus inhabitat, quia per cuncta sua opera ad hanc se intra animum reclinat. Sed stare domus haec non valet, quia laus cum vita praeterit, et humanus favor in iudicio non subsistit. Unde et fatuae virgines, quae oleum in vasis non sumpserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam et non in suis conscientiis habebant, turbatae per sponsi praesentiam, dicunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur* (**Matth. XXI, 8**). Oleum quippe a proximis petere est gloriam boni operis a testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua, cum cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foras quaerit. Ac si aperte fatuae virgines dicant: Cum nos repellere sine retributione conspicitis, dicite in nostro opere quid vidistis.

[*Vet. XXXII.*] 75. *Nec magis stabit in iudicio fiducia sanctitatis hypocritae.*---Sed frustra tunc hypocrita in hac domo laudis innititur, quia nihil ei in iudicio attestatio humana

suffragatur; quia eandem laudem, quam post in testimonio exigit, prius in munere recepit. Vel certe super domum suam hypocrita innititur, cum, vanis favoribus deceptus, quasi de fiducia sanctitatis elevatur. Multa quippe hypocritae in occulto mala faciunt, quaedam vero bona in publico. Cumque ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos avertunt; talesque se aestimant, quales foris audiunt, non quales intus noverunt. Unde fit plerumque ut ad supernum quoque iudicium cum fiducia veniant, quia tales se apud internum arbitrum credunt quales ab hominibus foris habebantur. Sed stare domus hypocritae non valet, quia in terrore districti examinis omnis anteacta fiducia sanctitatis cadit. Cumque sibi oris alieni testimonia deesse cognoverit, ad sua se opera enumeranda convertit. Unde et adhuc subditur: *Fulciet eam, et non surget*. Hoc namque, quod per se stare non valet, fulcitur ut stet, quia cum vitam suam hypocrita labefactari in iudicio conspicit, hanc fulciendo statuere operum enumeratione contendit. An non laudis suae habitaculum hinc inde fulciunt, qui facta sua, ut praefati sumus, in iudicio enumerantes, dicunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus* (**Matth. VII, 22**)? Sed domus laudis tot allegationibus fulta minime consurgit, quia protinus iudex dicit, *Nunquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (**Ibid. 23**). Et sciendum est quia hoc quod surgit ab infimis ad superiora se erigit. Domus ergo hypocritae surgere non valet, quia per omne quod juxta praecepta coelestia agere potuit, a terra animum nunquam levavit. Jure igitur tunc nequaquam ad praemium retributionis erigitur, qui per hoc quod nunc exhibet in appetitu temporalis gloriae jacet.

[*Vet. XXXIII, Rec. XXVIII.*] Sed quia vita hypocritae, scirpi appellatione signata, qualiter in iudicio reprobetur audivimus, prius quam districtus iudex appareat, qualis ab hominibus habeatur audiamus. Sequitur:

CAPUT XLVI.

VERS. 16.---**279** *Humectus videtur antequam veniat sol.*

76. *Nunc sanctus creditur hypocrita, sed Christo veniente iniquus apparebit.*---Saepe in sacro eloquio Dominus solis appellatione figuratur, sicut per prophetam dicitur: *Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiae (Mal. IV, 2).* Et sicut repulsi in iudicio impii dicere Sapientiae libro describuntur: *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiae non luxit nobis, et sol non est ortus nobis (Sap. V, 6).* Ante solem igitur scirpus humidus cernitur, quia prius quam divina districtio in iudicio candeat, omnis hypocrita infusum se sanctitatis gratia ostendat; quasi virens aspicitur, quia justus aestimatur, honoris locum obtinet, de gloria sanctitatis pollet, a cunctis ei veneratio defertur, opinio laudis extenditur. Scirpus itaque iste in nocte humidus est; sole autem veniente siccatur, quia nimirum hypocrita in tenebris vitae praesentis sanctus ab omnibus creditur, sed cum districtus iudex venerit, quam sit iniquus apparebit. Dicat ergo: *Humectus videtur antequam veniat sol*, quia virentem se nunc humanis oculis exhibet, sed in calore tunc divini iudicii arescet. Sequitur:

CAPUT XLVII.

IBID.---*Et in ortu suo germen ejus egreditur.*

77. *Statim ut recte agit, vult laudari hypocrita. Assumpto sanctitatis habitu, interdum pejor fit.*---Herba quaelibet nascendo prius a terra producit, aura et aestibus tangitur, sole ac pluviis nutritur, et tunc demum ad proferendum sui seminis germen aperitur. Scirpus vero cum flore suo nascitur, moxque a terra surgit, sui secum seminis germen producit. Bene ergo per herbas reliquas sancti quilibet, per scirpum vero hypocrita designatur, quia justii viri, prius quam in opere sanctae conversationis oriantur, hujus vitae hiemem tolerant, eosque gravium persecutionum aestus fatigant; sed cum recta faciunt, nequaquam hic suae rectitudinis remunerationem quaerunt; cum vero a praesentis mundi laboribus exeunt, ad aeternam patriam venientes, expectata retributione perfruuntur. At contra hypocrita, quia mox in bono opere nascitur, praesentis mundi recipere gloriam conatur. Quasi scirpi more cum germine oritur, qui pro eo quod bene vivere incipit, quaerit statim ut a cunctis honoretur. Germen itaque in ortu est remuneratio in inchoatione. Saepe namque nonnulli apertae pravitatis vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt; moxque ut prima limina bene vivendi contigerint, obliti qui fuerint, affligi jam per poenitentiam de consummatis nequitiiis nolunt; laudari autem de inchoata justitia appetunt, praeesse caeteris etiam melioribus concupiscunt. Quos plerumque dum juxta votum praesens prosperitas sequitur, multo quam prius fuerant de sanctitatis habitu pejores fiunt. Nam rebus multiplicibus occupati, atque ipsa occupatione confusi, non

solum perpetrata minime deplorant, sed adhuc quae deplorentur exaggerant.

[*Vet. XXXIX. Rec. XXIV.*] 78. *Recens conversus, ad exteriora officia non est provehendus hypocrita. Bona nostra pereunt si citius resecta.*---Qui enim mundum deserunt, ad exteriora officia provehi non debent, nisi per humilitatem diutius in ejusdem mundi contemptu solidentur. Citius namque bona depereunt quae hominibus ante tempus innotescunt, quia et arbusta plantata prius quam fixa radice coalescant, si manus concutiens tangit, arefacit. At si in altum radix figitur, et terrae humoribus conspersa solidatur, **280** haec et manus impellit, sed non laedit; haec et ventorum flatus inflectendo concutiunt, sed non evertunt. Ne ergo eruatur vita coepti operis, diu ac robuste in alto humilitatis figenda est radix cordis, ut cum ab humano ore detractionis aura vel favoris flaverit, etsi in quamlibet partem utcunque incurvat, animum funditus non evellat; sed ad statum suum protinus post inflexionem redeat, si apud se fortis in radice perdurat. Quid in rebus excrescentibus pariete surgente robustius? Qui tamen si, dum construitur, impellatur, statim sine labore destruitur; si autem per spatium temporis ab humore suo exsiccari permittitur, saepe et arietum ictibus minime quassatur. Sic sic videlicet bona nostra et intempestive manifestata depereunt, et diutius occultata solidantur, quia humanae occupationis manus cum incipientem conversationis nostrae vitam contigerit, quasi recentem parietem impellit, eamque facile destruit, quia adhuc humorem infirmitatis propriae non amisit. Cum vero in longa quietis suae abjectione se animus comprimit, quasi more exsiccati parietis contra ictus obdurescit, et confractum protinus resilit omne quod solidum

ferit. Hinc est quod vitam inchoantium Moyses humanis occupationibus exerceri prohibuit, dicens: *Non operaberis in primogenito bovis, et non tondebis primogenita ovium* (**Deut. XV, 19**). In primogenito quippe bovis operari est bonae conversationis primordia in exercitio publicae actionis ostendere. Ovium quoque primogenita tondere est ab occultationis suae tegmine humanis oculis inchoantia bona nostra denudare. In primogenito ergo bovis operari prohibemur, atque a primogenitis ovium detondendis compescimur, quia et si quid robustum incipimus, exercere hoc in aperto citius non debemus. Et cum vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat.

[*Vet. XXXV.*] 79. *Bonae vitae initia uni Deo dicanda. Cur innotescere citius non debeant.*---Ad sola ergo divina sacrificia bouum primogenita oviumque proficiant, ut quidquid forte innocuumque incipimus, hoc ad honorem intimi iudicis in ara cordis immolemus. Quod ab illo procul dubio tanto libentius accipitur, quanto et ab hominibus occultatum nulla laudis appetitione maculatur. Saepe autem novae conversationis primordia adhuc ex carnali sunt vita commista; et idcirco innotescere citius non debent, ne cum laudantur bona quae placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quae latent. Unde recte rursum per Moysen dicitur: *Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis praeputia eorum. Poma quae germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis* (**Levit. XIX, 23**). Ligna quippe pomifera sunt opera virtutibus fecunda. Praeputia itaque

lignorum auferimus cum, de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem quae germinant immunda ducimus, nostrisque esibus non aptamus, quia cum primordia boni laudantur operis, dignum est ut hoc animum non pascat operantis; ne dum accepta laus suaviter **281** carpitur, fructus operis intempestive comedatur. Qui ergo inchoatae virtutis ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus pomum comedit.

80. *Hypocrita testes operis sui quaerit; si non adsint, operam se perdidisse putat.*---Hinc per Psalmistam Veritas dicit: *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis (Psal. CXXVI, 3).* Ante lucem quippe surgere est prius quam claritas aeternae retributionis appareat, in praesentis vitae nocte gaudere. Sedendum ergo prius est, ut post recte surgamus, quia quisquis nunc sese sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat. Quod ergo illic ante lucem surgere, hoc hic hypocritae in ortu est germen proferre, quia humanas laudes desiderans, ubi ad opus bonum nascitur, ibi mox appetit ut gloriam retributionis assequatur. An non in ortu suo hi germen protulerant, de quibus Veritas dicebat: *Amant primos discubitus in conviviiis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi (Luc. XX, 46; Matth. XXIII, 6)?* Pro eo ergo quod bene agere incipiunt, quia honorem consequi ab hominibus conantur, quasi scirpi more ab ortu suo cum germine exsurgunt. Hi nimirum cum recta operari appetunt, prius mente sollicita ejusdem operis sui testes quaerunt, et tacita cogitatione pertractant, si sunt qui gerenda videant, si digne haec eloqui qui viderint possint. Si vero eorum facta

nullum fortasse hominum contingat aspicere, haec se procul dubio aestimant perdidisse; et interni arbitri oculos quasi absentes deputant, quia ab eo vicem sui operis recipere in posterum recusant. Et quoniam cum rectum quid hypocrita egerit, videri a multis quaerit, bene adhuc de hoc scirpo subjungitur:

CAPUT XLVIII.

VERS. 17.---*Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur.*

81. *Hypocrita admirationem hominum tota sibi intentione procurat.*---Quid enim radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quae in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt? sicut et de verbi semine per prophetam dicitur: *Et hoc quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum (Isai. XXXVII, 31).* Radicem quippe deorsum mittere est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum vero sursum facere, est per efficaciam operis recta quae cogitavit ostendere. Lapidum vero nomine in Scriptura sacra homines designantur, sicut sanctae Ecclesiae per Isaiam dicitur: *Ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos (Isai. LIV, 12).* Qui eosdem lapides quid dixisset aperuit cum subjunxit: *Universos filios tuos doctos a Domino (Ibid., 13):* Et sicut admonente Petro dicitur: *Et vos tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritales (I Petr. II, 5).* Hoc itaque

loco quia lapides dicti sunt, sed tamen vivi minime dicuntur, nuda appellatione lapidum permisti possunt reprobi et electi figurari. [*Vet. XXXVI, Rec. XXX.*] Scirpus itaque iste qui inter lapides commoratur, super acervum petrarum radices densat, quia omnis hypocrita cogitationes suas in exquirenda hominum admiratione multiplicat. Per omne enim quod hypocritae faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant, laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant. **282** Gaudent se praecipuos in humana aestimatione claruisse. Cumque inflati favoribus apud semetipsos intumescunt, saepe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsis altiores cupiunt, ac miris inventionibus in opere excrescunt, quia sicut virtutes omne vitium enervant, sic arrogantia roborat. Cogit namque mentem juvenescere, et contra vires valere, quia et quod negat vigor valetudinis, imperat amor laudis. Unde et factis suis, ut diximus, arbitros inquirunt. Si vero eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi quae gesserint. Cumque efferri favoribus coeperint, saepe eisdem suis operibus quae egisse se referunt mentiendo aliquid adjungunt. Cum vero et vera dicunt, haec dicendo aliena faciunt, quia quaesitis remunerati favoribus, ab eorum intima retributione vacuantur.

82. *Hypocrita bona sua dum ostentat, malignis spiritibus prodit. Hostes ad rapinam provocat, dum suas eis divitias detegit.*---In eo enim quod bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, quae praedentur. Quorum profecto vitam illa cunctis notissima Ezechiae culpa figuravit, qui postquam una prece, et sub unius

noctis spatio, centum octoginta quinque millia hostium angelo feriente prostravit, postquam occasui proximum ad altiora coeli spatia solem reduxit, postquam vitam propinquante jam termino coarctatam in tempora longiora protelavit, susceptis Babylonici regis nuntiis, bona omnia quae possidebat ostendit; sed prophetae voce protinus audivit: *Ecce dies venient, et auferentur omnia quae in domo tua sunt, in Babylonem; non relinquetur quidquam, dicit Dominus* (**IV Reg. XX, 17**). Sic sic nimirum hypocritae, postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, et celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt, et prodentes subito amittunt quidquid diutius studentes operantur. [*Vet. XXXVII.*] Hinc per Psalmistam dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudines eorum in manus inimici* (**Psal. LXXVII, 61**). Virtus quippe et pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur, quia omne bonum quod per concupiscentiam laudis ostenditur occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiae divitias denudat. Quousque enim ab aeternae patriae securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere depraedari formidat, abscondat necesse est bona quae portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum; cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt! Quos nimirum maligni spiritus cum ad jactantiam provocant, eorum, sicut diximus, opera captivantes denudant. Unde sub cujusdam gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per prophetam Veritas dicit. *Posuit vineam meam in desertum, decorticavit ficum meam, nudans exspoliavit eam, albi facti sunt rami ejus* (**Joel. I, 7**). Insidiantibus quippe spiritibus,

Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanae laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit; eamque nudans exspoliat, quia **283** quousque in bonis suis absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit videri ab aliis concupiscit, quasi spoliata ficus eum qui se texerat corticem amisit. Ubi apte subditur: *Albi facti sunt rami ejus*, quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt, de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur. Sed quoniam, subducto cortice, rami fici hujus arefiunt, solerter intuendum est quia facta arrogantium humanis oculis ostensa unde placere appetunt inde siccantur. Mens itaque quae per jactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur, quia et candida est per hoc quod cernitur, et siccitati proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo sunt servanda quae agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis exspectamus. Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (**Matth. VI, 3**). Hinc est quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filiae regum ab intus* (**Psal. XLIV, 14**). Hinc Paulus ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (**II Cor. I, 12**). Filia quippe regum Ecclesia quae in bono est opere spiritualium principum praedicatione generata. Gloriam intus habet, quia hoc quod agit, in ostentationis jactantiam non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiae memorat, quia, favores oris alieni non appetens, vitae suae gaudia extra semetipsum ponere ignorat.

[*Vet. XXXVIII.*] 83. *Occultari debent opera bona, aut propter unam Dei gloriam revelari.*---Occultanda sunt ergo quae agimus, ne, haec in hujus vitae itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est (Matth. V, 16).* Sed aliud est profecto cum in ostensione operis gloria quaeritur largitoris, aliud cum laus privata concupiscitur de dono largientis. Unde et rursum in Evangelio haec eadem Veritas dicit: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis (Matth. VI, 1).* Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est per ejusdem ostensionis studium quid quaeratur. Si enim dantis gloriam quaerimus, etiam publicata nostra opera, in conspectu illius occulta servamus. Si vero per haec nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur.

84. *Perfectorum est, ostenso opere, Dei gloriam quaerere.*---Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quaerere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restat necesse est, ut bonum quod operantur abscondant. Saepe enim ab ipso ostensionis exordio propriam laudem quaerunt. Saepe vero in ostensione operis auctoris patefacere gloriam cupiunt; sed excepti favoribus, in laudis propriae cupiditatem rapiuntur; cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt; eorumque 284 opus suae elationi militat, atque hoc se

impendere obsequio largitoris putant. Scirpus ergo inter lapides commoratur, quia ibi hypocrita stat, ubi mentis suae intentionem solidat. Nam cum attestationem percipere multorum ambit, quasi in lapidum collectione subsistit. Sed iste hypocrita scirpi appellatione signatus, cum corpus abstinencia domat, cum largiendo quae possidet studio pietatis exsudat, cum notitia sacrae legis eruditur, cum verbo praedicationis utitur, quis hunc tanta plenum largitate conspiciens, a gratia aestimet largitoris alienum? Et tamen superna dispensatio largitur huic dona operis, et sortem denegat haereditatis; operandi munera cumulat, et tamen vitam operantis ignorat, quia cum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimae umbra elationis obscuratur. Unde et bene subditur:

CAPUT XLIX.

VERS. 18.---*Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet: Non novi te.*

85. *Hypocritae reprobatio.*---De loco suo hypocrita absorbetur, cum a praesentis vitae favoribus, morte interveniente, separatur. Sed hunc absorptum internus arbiter negat, seque eum nescire denuntiat, quia simulatoris vitam juste reprobando Veritas ignorat, nec recognoscit ejus bona quae egit, quia haec ex recta intentione non protulit. Unde et fatuis virginibus in iudicium veniens dicet: *Amen dico vobis, nescio vos* (**Matth. XXV, 12**). In quibus dum mentis corruptionem considerat, carnis etiam incorruptionem

damnat. Sed utinam hypocritis sua perditio sola sufficeret, et nequaquam perversa eorum studia ardentem alios ad vitam duplicitationis instigarent. Hoc namque uniuscujusque proprium esse solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi et alios velit, diversitatem vitae refugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. Unde et apud hypocritarum sensum simplicitas omnis in crimine est. Apertas quippe mentes dijudicant, et puritatem cordis hebetudinem appellant; omnesque quos sibi adhaerere cupiunt a simplicitatis itinere divertunt; et, quasi expulsa insipientia, eos erudisse se aestimant, in quibus puritatem mentis, id est, arcem sapientiae, debellant. [*Vet. XXXIX.*] Quia vero non solum ex sua perversitate hypocrita, sed adjuncta etiam sequacium perditione reprobatur, postquam non cognosci a iudice dicitur, recte protinus subinfertur:

CAPUT L.

VERS. 18, 19.---*Haec est enim laetitia viae ejus ut rursum de terra alii germinentur.*

86. *Multiplex hypocritae supplicium.*---Ac si aperte diceretur: Veniente iudice, nequaquam cognoscitur, sed multipliciter supplicia recipit, quia eo latius in sua iniquitate laetatus est, quo et in aliis mala propagavit. Cui enim hic non sufficit iniquitas propria, torqueatur illic necesse est et merito reatus alieni. Nunc itaque simulatores gaudeant, et humana iudicia se obtinuisse gloriantur; despiciatur iustorum simplicitas, atque a calliditate duplicium fatuitas vocetur; citius despectus

simplicium transit, citius duplicium gloria percurrit. Unde et apte subjungitur:

CAPUT LI [*Rec. XXXI*].

VERS. 20.---*Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis:*

285 87. *Propter bona non bona intentione facta, et propter dolos.*---Quia nimirum districtus in judicio apparens, et despectum simplicium glorificando eriget, et malignorum gloriam reprobando confringet. Maligni enim vocantur hypocritae, qui bona non bene faciunt, et recta quaeque sub studio laudis operantur. Manum vero cui porrigimus, hunc videlicet ab imis elevamus. Malignis ergo Deus manum non porrigit, quia quaerentes terrenam gloriam in imo derelinquit, et quamlibet recta videantur esse quae agunt, hos ad gaudia superna non provehit. Vel certe ideo maligni appellantur hypocritae, quia benignitatem erga proximos ostendunt, et dolos suae iniquitatis operiunt. Per omne namque quod vel faciunt, vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitate interius duplicitatis callent; puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant. Quos contra bene per Moysen dicitur: *Non indues vestem ex lana linoque contextam* (**Deut. XXII, 11, 12**). Per lanam quippe simplicitas, per linum vero subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quae ex lana linoque conficitur, linum interius celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in locutione vel actione qua

utitur intus subtilitatem malitiae operit, et simplicitatem foras innocentiae ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanae grossitudine linum latet. Bene autem post reprobationem duplicium justorum remuneratio demonstratur, cum protinus subditur:

CAPUT LII.

VERS. 20, 21.---*Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.*

88. *Sanctorum risus post luctum. Jubilum.*---Os quippe justorum tunc risu replebitur, cum eorum corda, finitis peregrinationis fletibus, aeternae laetitiae exultatione satiabuntur. De hoc risu discipulis Veritas dicit: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium (Joan. XVI, 20).* Et rursum: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis (Ibid., 22).* De hoc risu sanctae Ecclesiae Salomon ait: *Ridebit in die novissimo (Prov. XXXI, 25).* De hoc iterum dicitur: *Timenti Dominum, bene erit in extremis (Eccli. I, 13).* Non autem tunc risus erit corporis, sed risus cordis. Risus enim nunc corporis de lascivia dissolutionis, nam risus cordis tunc de laetitia nascetur securitatis. Cum ergo electi omnes implentur gaudio manifestae contemplationis, quasi ad hilaritatem risus exsiliunt in ore mentis. Jubilum vero dicimus, cum tantam laetitiam corde concipimus, quantam sermonis efficacia non explemus; et tamen mentis exultatio hoc quod sermone non

explicat voce sonat. Bene autem os risu impleri dicitur, labia júbilo, quia in illa aeterna patria, cum justorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis elevatur. Qui quoniam tantum vident, quantum dicere non valent, in risu jubillant, quia non explendo resonant quod amant.

[*Vet. XL.*] 89. *Reproborum nunquam finienda supplicia. Vis particulae donec.*---*Donec* autem dicitur, non quo omnipotens Deus eousque malignos non sublevat, quousque electos suos in jubilationis gaudia assumat, ac si post a poena eripiat quos ante in culpa deserens damnat; sed quo hoc nequaquam vel ante **286** iudicium faciat, cum dubium hominibus videri possit an fiat. Nam post electorum suorum jubilum, quia malignis manum non porrigat, ex ipsa jam districtione ultimi examinis constat. Sic namque et per Psalmistam dicitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (**Psal. CIX, 1, 2**), non quo a dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius feriens ejus potestati substernit, sed quo in aeterna cunctis beatitudine praesidet, et prius quam rebellium suorum corda conculcet. In qua nimirum constat quia subjectis hostibus sine fine et posterius regnat. Sic per Evangelium de Mariae sponso dicitur: *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum* (**Matth. I, 25**); non quo hanc post nativitatem Domini cognoverit, sed quo nequaquam illam contigit, etiam cum conditoris sui matrem esse nescivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, postquam redemptionis nostrae ex ejus utero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat ut evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam

dubitari potuisset. Sic itaque nunc dicitur: *Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.* Ac si aperte diceretur: Vitam simplicium nec ante judicium deserit et malitiosorum mentes deserendo percutere, nec prius quam appareat praetermittit. Nam quia sine fine reprobos cruciet, et electi ejus in perpetuum postquam apparuerit regnent, profecto dubium non est. Sequitur:

CAPUT LIII [*Rec. XXXII*].

VERS. 22.---*Qui oderunt te induenter confusione.*

90. *Reprobi unde erubescunt in die judicii.*---Justorum hostes in extremo examine confusio induit, quia cum transacta mala redundare sibi ante oculos mentis aspexerint, suos eos undique deprimens reatus vestit. Ad poenam quippe tunc factorum suorum memoriam tolerant, qui nunc quasi a sensu rationis extranei gaudentes peccant. Ibi vident quantum debuerint fugere quod amaverunt, ibi conspiciunt quam lugubre fuerit quod nunc in culpa gratulantur. Tunc animum reatus obnubilat, et recordationis suae jaculis ipsa se conscientia impugnat. Quis igitur digne penset iniquorum confusio quanta tunc erit, quando et foris aeternus judex cernitur, et intus ante oculos culpa versatur? Qui ad haec idcirco perveniunt, quia sola hic transeuntia dilexerunt. Unde et apte mox subditur:

CAPUT LIV.

IBID.---*Et tabernaculum impiorum non subsistet.*

91. *Quae circa terrena bona reproborum affectio. Quae justorum.*---Tabernaculum quippe construitur ut ab aestu corpus et frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine nisi aedificatio terrenae felicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicant, ut se a praesentis vitae necessitatibus quasi ab aestu et imbribus defendant? Honoribus namque excrescere ambiunt, ne despecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopiae frigore tabescant. Contemnunt curare quod sequitur, et tota intentione satagunt ne quid in praesentibus desit. Student nomen dilatare, ne lateant; et si cuncta ad desiderium suppetant, munitos se in omnibus et felices putant. Ubi ergo **287** mentis habitationem construunt, ibi procul dubio tabernacula fixerunt. Adversa impatienter perferunt, remisse in prosperis laetantur. Sola quae adsunt cogitant, nec ad affectum coelestis patriae ulla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona quae cupiunt; atque ubi carne requiescunt, ibi et mentem extinguendo sepeliunt, quia, saecularis curae telo trucidati, terrenarum rerum aggerem, quem foras exquirendo multiplicant, hunc semper interius per cogitationem portant.

92. [*Vet. XL.*] At contra justi nec oblata bona hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt. Sed et cum bonis praesentibus utuntur, ventura mala metuunt; et cum de malis praesentibus gemunt, bonorum sequentium amore

consolantur. Sicque temporali refoventur subsidio, sicut viator in stabulo utitur lecto: pausat, et recedere festinat; quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnunquam vero et adversa perpeti appetunt, in transitoriis prosperari refugiunt, ne delectatione itineris a patriae perventione tardentur, ne gressum cordis in via peregrinationis figant, et quandoque ad conspectum coelestis patriae sine remuneratione perveniant. Gaudent despici, nec dolent se necessitatibus affligi. Qui ergo contra praesentia se adversa non muniunt, quasi contra aestus et pluvias habere tabernaculum nolunt. Unde et Petrus jure reprehenditur, quia necdum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur (**Matth. XVII, 4; Marc. IX, 2**). Justi itaque hic se construere negligunt, ubi peregrinos se et hospites noverunt. Quia enim in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices recusant. Injusti autem quanto longius ab aeternae patriae haereditate divisi sunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt. **288** Hinc est quod ab ipso humanae conditionis exordio, in electa prole Enoch septimus nascitur. Hinc est quod Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem quam condidit appellat (**Genes. IV, 17**). Enoch quippe dedicatio dicitur. Iniqui ergo se in primordiis dedicant, quia in hac vita, quae ante est, cordis radicem plantant, ut hic ad votum floeant, et a sequenti patria funditus arescant. Justis vero Enoch septimus oritur, quia eorum vitae festa dedicatio in fine servatur. Hinc est quod, attestante Paulo, Abraham in casulis habitat (**Hebr. XI, 9**), quia habentem fundamenta civitatem, quam supernus artifex construxit, expectat. Hinc est quod Jacob greges ovium sequens humiliter, graditur (**Genes. XXXIII, 14**), atque huic Esau

obviam veniens tumultu multiplicis comitatus elevatur, quia nimirum et electi hic elationem non habent, et in bonis carnis reprobi laeti tument. Hinc ad Israel Dominus dicit: *Si elegeris unum de populo terrae, et constitueris principem super te, non faciet sibi equos et equites (Deut. XVII, 16)*. Et tamen primus rex ab eodem populo electus, repente ut culmen potestatis attigit, tria millia sibimet equites elegit, in elationem protinus prodiit, ad aedificationem percepti culminis erupit (**I Reg. XIII, 2**), quia foras restringere sub aequalitate non poterat quod intus animus super caeteros tumebat. Quasi munitum sibi dives ille tabernaculum construxerat, qui dicebat: *Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede et bibe, et epulare (Luc. XII, 19)*. Sed quia ejus tabernaculum in veritatis fundamento non subsistit, illico audivit: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te; quae praeparasti, cujus erunt (Ibid., 20)*? Bene ergo dicitur: *Tabernaculum impiorum non subsistet*, quia vitae fugientis amatores, dum studiose se in praesentibus construunt, repente ad aeterna rapiuntur.

LIBER NONUS. CAPUT NONUM CUM TOTO DECIMO EXPLANAT.

CAPUT PRIMUM.

287 1. *Perversi recta ut prava adversantium dicta rejiciunt, secus boni.*---Perversae mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, sive pravum, seu rectum quid a contradicentibus audiant, adversis hoc responsionibus impugnant, quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quae protulerit placent. At contra bonorum corda, quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic perversa dijudicant, ut recta quae dicuntur assumant. Discernendis quippe contradicentium sensibus aequissimi arbitri resident, et sic male prolata respuunt, ut tamen approbent quae ex veritate cognoscunt. Solet namque inter spinarum multitudinem, etiam de frugis semine spica succrescere. Cauta ergo manu operantis agendum est, ut dum spina tollitur, spica nutriatur, quatenus qui studet eradicare quod pungit, noverit servare quod reficit. Unde et beatus Job, quia Baldad Suhites recte per inquisitionem dixerat: *Nunquid Deus supplantat iudicium, aut Omnipotens* **288** *subvertit quod justum est (Job. VIII, 3)?* quia vera in hypocritas robustaque protulerat, bene haec et contra pravos generaliter prolata conspiciens, studium propriae defensionis calcat, atque audita protinus approbat, dicens:

CAPUT II [*Rec. II*].

CAP. IX, VERS. 2.---*Vere scio quod ita sit, et quod non justificatur homo compositus Deo.*

2. *Deo supponi debemus, non componi.*---Homo quippe Deo suppositus justitiam percipit, compositus amittit, quia

quisquis se auctori bonorum comparat, bono se quod acceperat privat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Unde ergo despectus erigitur, dignum est ut erectus inde destruat. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostrae meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte iudicetur, recte subjungit:

CAPUT III.

Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.

289 3. *Dona Dei amittit qui de eis extollitur.*---In Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: *Verbi quod mandavit in mille generationes* (**Psal. CIV, 8**); cum profecto constet, quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum, per evangelistam non amplius quam septuaginta et septem propagines numerentur (**Luc. III, 38**). Quid ergo in millenario numero, nisi ad proferendam novam sobolem perfecta universitas praescitae generationis exprimitur? Hinc et per Joannem dicitur: *Et regnabunt cum eo mille annis* (**Apoc. XX, 6**), quia videlicet regnum sanctae Ecclesiae universitatis perfectione solidatur. Quia vero monas multiplicata in denarium ducitur, denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur, qui rursus per denarium ductus in millenarium tenditur, cum ab uno incipimus, ut ad millenarium veniamus, quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium, quid millenarii numeri amplitudine nisi

ejusdem bonae vitae perfectio designatur? Cum Deo autem contendere est non ei tribuere, sed sibi gloriam suae virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat quia et qui summa jam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quae acceperat amittit, et dicat: *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.* Qui enim cum auctore contendit, unum pro mille respondere non sufficit, quia qui de perfectione se erigit, habere se bene vivendi nec initium ostendit. Unum namque pro mille respondere non possumus, quia cum de bonae vitae perfectione extollimur, hanc nos nec inchoasse monstramus. Sed tunc de nostra infirmitate verius concutimur, si quam sit immensa potentia judicis, considerando pensamus. Unde et subditur:

CAPUT IV [*Vet. II*].

VERS. 4.---*Sapiens corde est, et fortis robore.*

4. *Deus ut sapiens falli, ut fortis vitari non potest.* ---Quid mirum si conditorem sapientium, sapientem dicimus, quem ipsam esse sapientiam scimus? Et quid mirum quod fortem esse memorat, quem hanc ipsam esse fortitudinem nullus ignorat? Sed sanctus vir duobus verbis in laudem auctoris prolatis, aliquid nobis intimat, unde nos ad cognitionem nostram trepidos reducat. Sapiens quippe Deus dicitur, quia occulta nostra subtiliter agnoscit; et esse fortis adjungitur, quia valenter cognita percutit. Nec falli ergo a nobis, quia sapiens; nec vitari, quia fortis est, valet. Nunc ut sapiens omnia invisibilis aspicit, tunc ut fortis sine ullo obstaculo quos

reprobat punit. Qui hoc quoque hic forti sapientia ordinat, ut humana mens cum contra auctorem se elevat, ipsa se sua elatione confundat. Unde et subditur:

CAPUT V.

IBID.---*Quis restitit ei, et pacem habuit?*

5. *Qui Deo resistit, pace cadit. Resistere Deo quid sit.*---Qui enim cuncta mirabiliter creat, ipse, ut creata sibimet convenienter ordinat. In quo ergo conditori resistitur, pacis conventio dissipatur, quia ordinata esse nequeunt, quae superni moderaminis dispositionem perdunt. Quae enim subjecta Deo in tranquillitate persisterent, ipsa se sibimet dimissa confundunt, quia in se pacem **290** non inveniunt, cui venienti desuper in auctore contradicunt. Sic summus ille angelicus spiritus, qui subjectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur, quia per naturae suae inquietudinem foras vagatur. Sic primus humani generis parens, quia auctoris praecepto resistit, carnis protinus contumeliam sensit; et quia subesse conditori per obedientiam noluit, sub semetipso prostratus, et pacem corporis protinus amisit. Bene ergo dicitur: *Quis restitit ei, et pacem habuit?* quia perversa mens unde se contra auctorem erigit, inde se in semetipsa confundit. Resistere autem Deo dicimur, cum repugnare ejus dispositionibus conamur. Neque enim nostra infirmitas incommutabili ejus sententiae obviat, sed tamen quod explere non valet tentat. Nam saepe humana infirmitas occulte vim dispositionis agnoscit, et tamen hanc si

mutare valeat appetit. Contraire satagit, sed ipso se gladio contradictionis frangit. Ordini interno renititur, sed suis victa conatibus ligatur. Habere ergo pacem resistens non potest, quia dum superbiam confusio sequitur, quod stulte per culpam geritur, hoc in agentis poenam mirabiliter ordinatur. Sed vir sanctus, virtute prophetici spiritus plenus, cum confusionem generaliter humanae superbiae conspicit, ad speciale malum protinus plebis Israeliticae oculos mentis tendit, et quae poena elatos omnes maneat, ex unius gentis interitu ostendit. Nam repente subjungit, dicens:

CAPUT VI.

VERS. 5.---*Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo.*

6. *Praedicitur verbi Dei praedicatio a Judaeis ad gentes transferenda.*---In Scriptura sacra saepe montium nomine praedicantium altitudo signatur de quibus per Psalmistam dicitur: *Suscipiant montes pacem populo tuo (Psal. LXXI, 3).* Electi quippe praedicatores aeternae patriae non immerito montes vocantur, quia per vitae suae celsitudinem ima terrarum deserunt, et coelo propinqui fiunt. Sed montes Veritas transtulit, cum praedicatores sanctos a Judaeae obduratione subtraxit. Unde recte etiam per Psalmistam dicitur: *Transferentur montes in cor maris (Psal. XLV, 3).* In cor enim maris montes translati sunt cum praedicantes apostoli a Judaeae perfidia repulsi, ad intellectum gentilium venerunt. Unde ipsi quoque in suis Actibus dicunt: *Vobis*

oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, et indignos vos judicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46). Sed hanc eandem translationem montium hi ipsi nescierunt, qui in Domini furore subversi sunt, quia cum de suis finibus Hebraei apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quod praedicationis lumen amiserunt. Exigentibus quippe meritis, justa animadversione percussi, tanto intelligentiae errore caecati sunt, ut quod lucem perderent, hoc esse gaudium putarent. Sed repulsis apostolis, per Romanum protinus principem Titum Judaea destruitur, atque in cunctis gentibus sparsa dissipatur. Unde et translatis montibus recte subjungitur:

CAPUT VII [*Vet. III*].

VERS. 6.---*Qui commovet terram de loco suo, et columnae ejus concutientur.*

291 7. *Judaeorum dispersio praedicitur.*---De loco quippe suo terra commota est cum plebs Israelitica, de Judaeae finibus evulsa, nimirum colla gentibus subdidit, quia subdi auctori recusavit. Quae scilicet terra columnas habuit, quia in sacerdotes et principes, legis doctores atque Phariseos, ruitura ejus pertinaciae structura surrexit. In ipsis namque litterae aedificium tenuit, et tranquillitatis suae tempore, sacrificiorum carnalium quasi superimpositae fabricae onera portavit. Sed translatis montibus, columnae concussae sunt, quia subductis a Judaea apostolis, nec ipsi vivere in illa

permissi sunt, qui ab illa vitae praedicatores expulerunt. Dignum quippe erat ut terrenam patriam subacti perderent, cujus amore nequaquam veriti sunt coelestis patriae milites impugnare. Sed expulsis sanctis doctoribus, Judaea funditus torpuit, et justo judicantis examine in erroris sui tenebris mentis oculos clausit. Unde et adhuc subditur:

CAPUT VIII [*Rec. III*].

VERS. 7.---*Qui praecipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo.*

8. *Praedicatoribus expulsis Judaeae lux defuit.*---Aliquando namque in sacro eloquio solis nomine, praedicatorum claritas designatur; sicut per Joannem dicitur: *Factus est sol ut saccus cilicinus (Apoc. VI, 12)*. In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur, quia fulgens vita praedicantium, ante reproborum oculos aspera et despecta monstratur. Qui stellarum quoque claritate figurantur, quia dum recta peccatoribus praedicant, tenebras nostrae noctis illustrant. Unde et subtractis praedicatoribus, per prophetam dicitur: *Prohibitae sunt stellae pluviarum (Jerem. III, 3)*. Quia vero sol per diem fulget, stellae obscuritatem noctis irradiant; et plerumque in sacro eloquio diei appellatione aeterna patria, noctis autem nomine praesens vita signatur: praedicatores sancti ut sol nostris oculis fiunt cum contemplationem nobis verae lucis aperiunt, et velut stellae in tenebris lucent cum per activam vitam profuturi nostris necessitatibus terrena disponunt. Quasi in die ut sol coruscant

cum ad contemplandam internae claritatis patriam mentis nostrae aciem sublevant; et quasi stellae in nocte resplendent, quia et cum terrena agunt offensurum jamjamque nostri operis pedem exemplo suae rectitudinis dirigunt. Sed quia expulsis praedicatoribus non fuit qui plebi Judaicae in perfidiae suae nocte remanenti vel claritatem contemplationis ostenderet, vel activae vitae lumen aperiret (veritas quippe, quae hanc repulsa deseruit, subtracto praedicationis lumine, merito suae pravitatis excaecavit), recte dicitur: *Qui praecipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo*. Oriri quippe ei solem noluit, a qua praedicantium animum divertit. Et quasi sub signaculo stellas clausit, qui dum praedicatores suos per silentium intra semetipsos retinuit, caecis iniquorum sensibus coeleste lumen abscondit.

[*Vet. IV.*] 9. *Judaea ad fidem est revocanda*.---Pensandum vero est quia idcirco aliquid sub sigillo claudimus, ut hoc cum tempus congruit ad medium proferamus. Et sacro eloquio attestante didicimus quod Judaea, quae nunc describitur, **292** ad sinum fidei in fide colligatur. Hinc namque per Isaiam dicitur: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae salvae fient* (**Isai. X, 22, sec. Sept.**). Hinc Paulus ait: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (**Rom. XI, 25**). Qui igitur praedicatores suos nunc Judaeae oculis subtrahit, sed postmodum ostendit, quasi sub signaculo stellas clausit, ut, absconsis prius, et post coruscantibus, astrorum spiritualium radiis, noctem suae perfidiae et nunc repulsa non videat, et tunc illuminata deprehendat. Hinc est quod duo illi eximii praedicatores dilata morte subtracti sunt, ut ad praedicationis usum in fine revocentur. De quibus per Joannem dicitur: *Hi sunt duae*

olivae, et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes (Apoc. XI, 4). Quorum unum in Evangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens: Elias venturus est, et restituet omnia (Matth. XVII, 11). Quasi ergo sub signaculo stellae clausae sunt, qui et nunc occultantur ne appareant, et post ut prodesse valeant apparebunt. Sed tamen plebs Israelitica, quae ubertim in fine colligetur, in ipsis sanctae Ecclesiae exordiis crudeliter obduratur. Nam praedicatores veritatis renuit, verba adjutorii sprebit. Quod tamen mira auctoris dispensatione agitur, ut nimirum praedicatorum gloria, quae recepta in uno populo latere poterat, in cunctis gentibus repulsa dilatetur. Unde et apte mox subditur:

CAPUT IX [*Rec. IV.*]

VERS. 8.---*Qui extendit coelos solus.*

10. *Evangelium a Judaeis repelli permisit Deus, ut in omnes gentes diffunderetur.*---Quid namque coelorum nomine nisi haec eadem coelestis praedicatorum vita designatur? De quibus per Psalmistam dicitur: *Coeli enarrant gloriam Dei (Psal. XVIII, 1).* Ipsi igitur coeli, ipsi sol esse memorantur; coeli scilicet, quia intercedendo protegent; sol autem, quia praedicando vim luminis ostendunt. Commota igitur terra, coeli extensi sunt, quia cum Judaea ad vim persecutionis infremuit, apostolorum vitam Dominus in cunctarum gentium cognitionem dilatavit; et dum illa per judicium in mundum captiva dispergitur, isti ubique per gratiam in honorem tenduntur. Angusti quippe coeli fuerant,

cum una plebs tot egregios praedicatores tenebat. Quis enim gentilium Petrum nosset, si in solius Israelitici populi praedicatione remaneret? Quis Pauli virtutes agnosceret, nisi hunc Judaea ad nostram notitiam persequendo transmisisset? Ecce jam qui flagris et contumeliis ab Israelitica plebe repulsi sunt per mundi fines honorantur. Solus ergo Dominus coelos tetendit, qui secreti mira dispensatione consilii praedicatores suos unde permisit in una gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari. Sed neque ipsa haec praesenti dedita mundo gentilitas, cum culpas ejus apostolorum lingua corripuit, verba vitae libenter accepit. Nam protinus in elationem contradictionis intumuit, atque ad crudelitatem se persecutionis excitavit. Sed quae praedicationis verbis contraire nititur, signorum citius admiratione temperatur. Unde apte quoque in auctoris laudem subjungitur:

CAPUT X [*Vet. et Rec. V*].

IBID.---*Et graditur super fluctus maris.*

293 11. *Gentilium persecutiones miraculorum virtute frangendae.*---Quid enim maris nomine nisi in bonorum nece saeviens mundi hujus amaritudo signatur? De quo et per Psalmistam dicitur: *Congregans quasi in utre aquas maris* (**Psal. XXXII, 7**). Aquas etenim maris quasi in utre Dominus congregat cum, miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frenat. Super fluctus ergo maris Dominus graditur, quia cum se procellae persecutionis erigunt, miraculorum ejus

obstupefactione franguntur. Qui enim tumores humanae vesaniae mitigat, quasi erectas in cumulo undas calcat. Nam cum morem suum gentilitas destrui novae conversationis praedicatione conspiceret, cum mundi hujus divites elationi suae contraire viderent facta pauperum, cum sapientes saeculi adversari sibi imperitorum verba pensarent, in persecutionis protinus tempestatem tumuerunt. Sed qui, verborum adversitate commoti, ad persecutionis procillas insiliunt, signorum, ut diximus, admiratione temperantur. Tot ergo in his fluctibus Dominus gressus posuit, quot superbis persecutoribus miracula ostendit. Unde bene rursum per Psalmistam dicitur: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus (Psal. XCII, 4)*, quia contra electorum vitam ad persecutionis undas mundus se mirabiliter extulit, sed has supernorum conditor sublevata virtute praedicantium mirabilius stravit; ministros etenim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenae tumuerant per iram. Quod bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntians, dicit: *Posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum quod non praeteribit; et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illum (Jerem. V, 22)*. Arenam quippe Dominus mari terminum posuit, quia ad frangendam mundi gloriam abjectos et pauperes elegit. Cujus nimirum maris fluctus intumescunt, cum potestates saeculi ad commotionem persecutionis exsiliunt. Sed transire arenam nequeunt, quia despectorum miraculis et humilitate franguntur. Sed dum mare saevit, dum per insaniae suae fluctus erigitur, quia tamen virtutis intimae ostensione calcatur, sancta Ecclesia proficit, atque ad statum sui ordinis per temporum incrementa consurgit. Unde et apte mox subditur:

CAPUT XI [*Vet. et Rec. VI*].

VERS. 9.---*Qui facit Arcturum, et Orionas, et Hyadas, et interiora Austri.*

12. *Verbis sapientum mundi cur utatur Scriptura.* --- Nequaquam sermo veritatis vanas Hesiodi, Arati, et Callimachi fabulas sequitur, ut Arcturum nominans, extremam stellarum septem caudam Ursae suspicetur, et quasi Orion gladium teneat amator insanus. Haec quippe astrorum nomina a cultoribus sapientiae carnalis inventa sunt; sed Scriptura sacra idcirco eisdem vocabulis utitur, ut res quas insinuare appetit notitia usitatae appellationis exprimantur. Nam si astra quae vellet per ignota nobis nomina diceret, homo, pro quo haec eadem Scriptura facta est, nesciret procul dubio quid audiret. Sic igitur in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt a sapientibus saeculi, sicut in eo pro utilitate hominis vocem in se humanae passionis ipse conditor hominum sumit Deus, ut videlicet dicat: *Poenitet me* **294** *fecisse hominem super terram* (**Genes. VI, 6, 7**); cum profecto constet quia is qui cuncta prius quam veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit poenitendo resipiscat. Quid ergo mirum si spiritales viri utuntur verbis carnalium, quando ipse ineffabilis et creator omnium Spiritus, ut ad intellectum suum carnem pertrahat, in se ipso carnis sermonem format? In Scriptura igitur sacra dum nota astrorum nomina audimus, de quibus astris sermo moveator agnoscimus. Cum vero quae narrentur astra perpendimus, restat ut ex eorum motibus ad spiritualis intelligentiae arcana

surgamus. Neque enim juxta litteram mirum aliquid dicitur, quod Deus Arcturum, Orionas, et Hyadas fecit, de quo nimirum constat quia omnino in mundo nihil sit quod ipse non fecerit. Sed sanctus vir haec fecisse Dominum dicit: per quae signari proprie ea quae spiritaliter geruntur intelligit.

13. *Arcturus significat Ecclesiam.*---Quid namque Arcturi nomine, qui, in coeli axe constitutus, septem stellarum radiis fulget, nisi Ecclesia universalis exprimitur, quae in Joannis Apocalypsi per septem Ecclesias septemque candelabra figuratur (**Apoc. I, 12, 20**)? Quae dum dona in se septiformis gratiae Spiritus continet, claritate summae virtutis irradians, quasi ab axe veritatis lucet. [*Vet. VII.*] Pensandum quoque est quod Arcturus semper versatur, et nunquam mergitur, quia et sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Saepe namque eam reprobi, quia usque ad interuersionem persecuti sunt, quasi hanc se funditus extinxisse crediderunt; sed eo multiplicius ad statum sui proventus rediit, quo inter manus persequentium moriendo laboravit. Arcturus ergo dum versatur erigitur, quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur.

14. *Oriones martyres.*---Unde apte quoque post Arcturum protinus Orionas subdit. Oriones quippe in ipso pondere temporis hiemalis oriuntur, suoque ortu tempestates excitant, et maria terrasque perturbant. Quid igitur post Arcturum per Orionas nisi martyres designantur? Quid, dum sancta Ecclesia ad statum praedicationis erigitur, pondus persequentium molestiasque passuri, ad coeli faciem quasi in hieme venerunt. His etenim natis, mare terraque turbata est,

quia dum gentilitas mores suos destrui, apparente illorum fortitudine, doluit, in eorum necem non solum iracundos ac turbidos, sed etiam placidos erexit. Ex Orionibus itaque hiems inhorruit, quia, clarescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem se persecutionis excitavit. Orionas ergo coelum edidit, cum sancta Ecclesia martyres misit. Qui dum loqui recta rudibus ausi sunt, omne pondus ex frigoris adversitate pertulerunt.

15. *Hyades doctores.*---Bene autem protinus Hyadas subdit, quae juvenescente verno ad coeli faciem prodeunt, et cum jam sol caloris sui vires exerit ostenduntur. Illius quippe signi initiis inhaerent quod sapientes saeculi Taurum vocant, ex quo augeri sol incipit, **295** atque ad extendenda diei spatia ferventior exsurgit. Qui itaque post Orionas Hyadum nomine nisi doctores sanctae Ecclesiae designantur? Qui, subductis martyribus, eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt quo fides clarius elucet, et, repressa infidelitatis hieme, altius per corda fidelium sol veritatis calet. Qui, remota tempestate persecutionis, expletis noctibus longae infidelitatis, tunc sanctae Ecclesiae exorti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur. [*Vet. VIII.*] Nec immerito doctores sancti Hyadum nuncupatione signantur. Graeco quippe eloquio ὑετὸς pluvia vocatur, et Hyades nomen a pluviis acceperunt, quia ortae procul dubio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatione expressi sunt qui, ad statum universalis Ecclesiae quasi in coeli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctae praedicationis imbres fuderunt. Si enim praedicationis sermo pluvia non esset, Moyses minime dixisset: *Expectetur sicut pluvia eloquium meum* (**Deut. XXXII, 2**); nequaquam per Isaiam Veritas

diceret: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem* (**Isai. V, 6**); atque hoc, quod paulo ante protulimus: *Quamobrem prohibita sunt stellae pluviarum* (**Jerem. III, 3**). Dum ergo Hyades cum pluviis veniunt, ad coeli spatia altiora sol ducitur, quia, apparente doctorum scientia, dum mens nostra imbre praedicationis infunditur, fidei calor augetur. Et perfusa terra ad fructum proficit, cum lumen aetheris ignescit, quia uberius frugem boni operis reddimus, dum per sacrae eruditionis flammam in corde clarius ardemus. Dumque per eos diebus singulis magis magisque scientia coelestis ostenditur, quasi interni nobis luminis vernum tempus aperitur, ut novus sol nostris mentibus rutillet, et eorum verbis nobis cognitus, se ipso quotidie clarior micet. Urgente etenim mundi fine, superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit. Hinc namque per Danielelem dicitur: *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (**Dan. XII, 4**). Hinc Joanni in priori parte revelationis angelus dicit: *Signa quae locuta sunt septem tonitrua* (**Apoc. X, 4**). Cui tamen in ejusdem revelationis termino praecipit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiae libri hujus* (**Ibid., XXII, 10**). Pars quippe revelationis anterior signari praecipitur, terminus prohibetur, quia quidquid in sanctae Ecclesiae initiis latuit, finis quotidie ostendit. Nonnulli vero a Graeca littera quae γ dicitur Hyadas nuncupatas arbitrantur. Quod si ita est, significationi quam diximus contrarium non est. Doctores enim his stellis non inconvenienter expressi sunt quae a litteris nomen trahunt. Sed quamvis Hyades ab ejusdem litterae visione non discrepent, certum tamen est quia ὕετος imber dicitur, et ortae pluvias apportant.

16. *In Ecclesia fulserunt apostoli, tum martyres, post doctores.*---Vir igitur sanctus redemptionis nostrae ordinem contemplatus admiretur, atque admirans exclamet, dicens: *Qui extendit coelos solus, et graditur super fluctus maris; qui facit Arcturum, et Orionas, et Hyadas.* Extensis etenim coelis, Dominus formavit Arcturum, quia, in honorem deductis apostolis, in coelesti conversatione fundavit Ecclesiam. Formato quoque Arcturo, fecit **296** Orionas, quia, roborata fide universalis Ecclesiae, contra procellas mundi edidit martyres. Editis quoque Orionibus, protulit Hyadas, quia, convalescentibus contra adversa martyribus, ad infundendam ariditatem humanorum cordium doctrinam contulit magistrorum. Isti itaque sunt astrorum spiritalium ordines, qui, dum summis virtutibus eminent, semper ex supernis lucent.

17. *Quae sanctis hinc migrantibus gloria praeparata.* ---Sed post ista quid restat, nisi ut sancta Ecclesia, laboris sui fructum recipiens, ad videnda supernae patriae intima perveniat? Unde apte, quia dixit, *Qui facit Arcturum, et Orionas, et Hyadas,* protinus addidit: *Et interiora Austri.* [*Vet. IX.*] Quid namque in hoc loco Austri nomine nisi fervor sancti Spiritus designatur? quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriae spiritalis ignescit. Unde et sponsi voce in Canticorum canticis dicitur: *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius* (**Cant. IV, 16**). Austro quippe veniente, Aquilo surgens recedit, cum adventu sancti Spiritus expulsus antiquus hostis, qui in torpore mentem constrinxerat, deserit. Atque hortum sponsi Auster perflat, ut aromata defluant, quia nimirum dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus Spiritus veritatis

impleverit, ab ea longe lateque odores boni operis spargit. Interiora ergo Austri sunt occulti illi angelorum ordines, et secretissimi patriae coelestis sinus, quos implet calor Spiritus sancti. Illuc quippe sanctorum animae et nunc corporibus exutae et post corporibus restitutae perveniunt, et quasi astra in abditis occultantur. Ibi per diem, quasi in meridiano tempore, ardentius solis ignis accenditur, quia conditoris claritas, mortalitatis nostrae jam pressa caligine, manifestius videtur; et velut sphaerae radius ad spatia altiora se elevat, quia de semetipsa nos veritas subtilius illustrat. Ibi lumen intimae contemplationis sine interveniente cernitur umbra mutabilitatis; ibi calor summi luminis sine ulla obscuritate corporis; ibi invisibiles angelorum chori quasi astra in abditis emicant, quae eo nunc ab hominibus videri nequeunt, quo flamma veri luminis altius perfunduntur. Valde itaque mirum est quod, missis apostolis, Dominus coelos tetendit; quod, temperatis persecutionum tumoribus, maris fluctus gradiens repressit; quod solidata Ecclesia, Arcturum statuit; quod, roboratis contra adversa martyribus, Orionas misit; quod, repletis in tranquillitate doctoribus, Hyadas praebuit; sed post haec valde est admirabile quod sinum nobis coelestis patriae quasi interiora Austri praeparavit.

18. *Sanctorum pulchritudo alia morum, alia praemiorum.*--- Pulchrum est hoc omne quod quasi in coeli facie de divina dispensatione cernitur, sed longe illud et incomparabiliter pulchrius ad quod invisibiliter pervenitur. Unde bene iterum sponsus in sponsae suae laudibus dicit: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet (Cant. IV, 1).* Pulchram narrat, et pulchram replicat, quia alia ei est pulchritudo morum in qua

nunc cernitur, atque alia pulchritudo praemiorum in qua tunc per conditoris sui speciem sublevabitur. Cujus videlicet membra omnes electi, quia ad cuncta simpliciter incedunt, ejus oculi **297** columbarum vocantur, qui magna luce irradiant, quia et signorum miraculis coruscant. Sed quantum est omne hoc miraculum quod videri potest? Illud de internis miraculum est mirabilius quod videri nunc non potest. De quo illic apte subditur: *Absque eo quod intrinsecus latet*. Magna quippe gloria aperti operis, sed longe incomparabilis occultae remunerationis. Quod ergo per beatum Job astrorum nomine, hoc Salomonis vocibus oculorum appellatione signatur; et quod per Salomonem dicitur: *Absque eo quod intrinsecus latet*, hoc nobis beatus Job intimat, cum Austri interiora commendat. Sed ecce vir sanctus exteriora mirans, interiora considerans, aperta narrans, occulta penetrans, omne quod interius exteriusque agitur dicere conatur; sed opera summae magnitudinis quando explicet lingua carnis? Unde et apte mox haec eadem opera melius deficiendo comprehendit dicens:

CAPUT XII [*Vet. X*].

VERS. 10.---*Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.*

19. *Dei opera facundius obstupescendo quam loquendo laudamus.*---Divinae fortitudinis facta tunc verius explemus, cum haec nos explere non posse cognoscimus; tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda

quippe Dei opera habet defectus noster, quam sufficienter exerat linguam suam, ut quae comprehendere idonee non valet, haec idonee mutus laudet. Unde bene per Psalmistam dicitur: *Laudate eum in potentatibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus* (Psal. CL, 2). Ille quippe Dominum secundum multitudinem magnitudinis ejus laudat, qui se succumbere in ejus laudis expletione considerat. Dicat ergo: *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus*, videlicet magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Divina ergo opera, quae explere dicendo non potuit, facundius deficiendo definivit. Sed in consideratione rerum cur longe extra nos ducimur, qui hoc ipsum quoque quod erga nos agitur ignoramus? Unde et apte subjungitur:

CAPUT XIII [*Rec VII.*]

VERS. 11.---*Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam.*

20. *Homo ita caecus, ut gratiae donum saepe iram putet, ac vice versa.*---Seclusum quippe ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit, et quo meritorum suorum passibus graditur nescit. Saepe enim donum gratiae est, quod iram deputat, et saepe divinae distictionis ira est, quod gratiam putat. Nam plerumque gratiam aestimat dona virtutum, et tamen eisdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit adversa tentationum; et tamen, eisdem tentationibus pressus, ad virtutum custodiam

cautior exsurgit. Quis enim Deo se propinquare non aestimet cum supernis excrescere se muneribus agnoscit, cum vel prophetiae donum; vel doctrinae magisterium percipit, vel ad exercendam curationis gratiam convalescit? Et tamen saepe mens, dum de virtutis suae securitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatae culpa telo perforatur; et inde a Deo in aeternum longe fit, unde ei ad tempus sine cautelae custodia propinquavit. [*Vet. XI.*] Et quis se derelictum jam gratia divina non deputet cum post experimentum munditiae lacessiri se carnis tentationibus videt, inhonesta ad animum congeri, et ante cogitationis oculos nonnulla improba et immunda **298** versari? Et tamen cum fatigant ista, nec superant, nequaquam per pollutionem trucidant, sed per humilitatem servant, ut infirmum se animus in tentatione deprehendens, totum se ad Divinitatis adjutorium conferat, et sui fiduciam funditus amittat; sicque fit ut inde altius Deo inhaereat, unde se a Deo profundius cecidisse suspirabat. Accessus igitur recessusque Dei a mente nostra minime cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignoratur, quia et de tentatione incertum est utrum probet an trucidet, et de donis nequaquam deprehenditur utrum hic desertos remunerent, an in via nutrant, ut ad patriam perducant. Homo ergo ab internis gaudiis semel expulsus clausas contra se januas secreti spiritalis aspiciat, atque ad semetipsum foras projectus in carne gemat, et, caecitatis suae damna considerans, dicat: *Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam.* Ac si aperte deploret, dicens: Postquam semel sponte oculos perdidi, quoniam quaesitae noctis caecitatem patior, nec ortum jam, nec occasum solis agnosco. Et tamen homo qui infirmitatis poena premitur, et caecitatis suae caligine gravatur, ad supernae lucis iudicium

properat, ut suorum actuum rationem reddat. Unde et mox subditur:

CAPUT XIV [*Rec. VIII*].

VERS. 12.---*Si repente interroget, quis respondebit ei?*

21. *Deo judicanti aut percutienti respondere homo non sufficit.*---Repente Deus interrogat cum nos ad districtionem sui examinis inopinatos vocat. Sed interrogationi illius respondere homo non sufficit, quia si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit. Vel certe interrogat cum duris nos percussionebus pulsatur, ut cum mens nostra magna de se in tranquillitate aestimat, semetipsam veraciter qualis sit in perturbatione deprehendat. Et plerumque quoniam percutitur gemit, sed respondere non sufficit, quia et ipsa ei percussione sua adversitas displicet; sed tamen semetipsum homo considerans, tacet, et divina judicia discutere metuit, quia esse se pulverem agnoscit. Unde et per Paulum dicitur: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo (Rom. IX, 20)?* Respondere Deo non posse convincitur qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo sumptus est, judicia superna discutere dignus non est. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT XV.

IBID.---*Vel quis ei dicere potest, cur ita facis?*

22. *Dei facta non discutienda, sed veneranda.*---Auctoris facta semper indiscussa veneranda sunt, quia injusta esse nequaquam possunt. Rationem quippe de occulto ejus consilio quaerere nihil est aliud quam contra ejus consilium superbire. Cum ergo factorum causa non deprehenditur, restat ut sub factis illius cum humilitate taceatur, quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt. Unde et per Paulum quoque subsequenter adjungitur: *Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit: Quare me fecisti sic (Ibid.)?* Quo enim se cernit figmentum divini operis, eo semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis, quia qui benigne quod non erat fecit, quod est, injuste non deserit. Ad semetipsam ergo in percussione mens redeat, et quod apprehendere non valet, non requirat, ne si divinae irae causa discutitur, amplius discussa **299** provocetur; et quam placare humilitas poterat, inexstinguibiliter superbia accendat. Unde apte quoque de hac eadem ira protinus subditur:

CAPUT XVI [*Rec. IX*].

VERS. 13.---*Deus, cujus resistere irae nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.*

23. *Qua ratione irae Dei nemo resistat. Quaestionis solutio.*-

--Mirum valde est quod irae Dei nullum posse resistere dicitur, cum multos indignationi supernae animadversionis obviasse eloquia divina testentur. An non irae Dei Moyses restitit, qui, pro cadente populo erectus, ipsum supernae percussione impetum mortis suae oblatione restrinxit, dicens: *Dimitte illis hanc noxam; alioqui dele me de libro tuo, quem scripsisti (Exod. XXXII, 31)*? An non irae Dei Aaron restitit, cum inter viventes ac mortuos thuribulum sumpsit, atque animadversionis ignem incensi fumo temperavit (**Num. XVI, 47, 48**)? An non Phinees irae Dei restitit, qui, luxuriantes cum alienigenis in ipso coitu trucidans, zelum suum divinae indignationi obtulit, et furorem gladio placavit (**Num. XXV, 11**)? An non irae Dei David restitit, qui, angelo ferienti se offerens, placationis gratiam et ante tempus propositum exegit (**II Reg. XXIV, 25**)? An non Elias irae Dei restitit, qui longo jam tempore terra arente, subductas de coelo pluvias verbo revocavit (**III Reg. XVIII, 44**)? Quomodo ergo divinae irae nullum posse resistere dicitur, cum multos saepe restitisse exemplis existentibus demonstratur? Sed si subtiliter et haec beati Job eloquia, et illorum facta pensamus, et verum cognoscimus quia divinae irae non resistitur, et verum quia multi saepe restiterunt. [*Vet. XII.*] Omnes enim sancti qui irae Dei obviant ab ipso accipiunt ut contra impetum percussione ejus opponantur, atque, ut ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, eosque divina vis sibi opponit secum, quia in eo quod adversum saevientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascentis fovet; et famulantes interius levat, quos quasi adversantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aspirat; et velut nolenti imponitur, quod ab ipso ut fiat imperatur. Moysi etenim dicit: *Dimitte me, ut*

irascatur furor meus contra eos, et deleam eos; faciamque te in gentem magnam (**Exod. XXXII, 10**). Quid est servo dicere, *Dimitte me*, nisi deprecandi ausum praebere? Ac si aperte diceretur: Pensa, quantum apud me valeas, et cognosce quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras. Quod quia hac mente agitur, statim venia subjuncta testatur. Cum vero superna indignatio sese, ut ita dixerim, medullitus movet, hanc oppositio humana non retinet (**23, q. 4, c. Vasis, § unde Grogorius**); nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Hinc est enim quod Moyses, qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus tersit, dumque se obicem obtulit, divinae iracundiae vim placavit, ad petram Horeb veniens, et pro aquae exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit (**Num. XX, 12**). Et saepe hac de re affligitur, saepe desiderio se excitante turbatur, et dispositae ultionis iracundiam repellere a semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, et a populo amovit. Hinc David, qui a prostrata plebe postmodum angeli gladium prece compescuit (**II Reg. XXIV, 10**), prius plorans et ejulans, nudis pedibus filium fugit; et quousque **300** perpetrati facinoris ultionem ad plenum reciperet, iram Dei pro semetipso temperare nequaquam valuit. Hinc Elias, ut sicut homo parum aliquid quasi de divina animadversione sentiret, qui verbo coelos aperuit (**III Reg. XVII, 1**), ante indignationem mulieris territus per desertum fugit; et pro semetipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat aliis per interventionem (**Ibid., XIX, 3**). Irae igitur Dei et resisti valet, quando ipse qui irascitur opitulatur; et resisti omnino non valet, quando se et ad ulciscendum excitat, et ipse precem quae ei funditur non aspirat. Hinc ad Jeremiam

dicitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumes pro eis laudem et orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me* (**Jerem. VII, 16**). Et rursum: *Si steterint Moyses et Samuel coram, me, non est anima mea ad populum istum* (**Jerem. XV, 1**).

24. *Orationis pro inimicis virtus.*---Qua in re quaeri utiliter potest cur, relictis tot antiquioribus patribus, ad effundendam precem Moyses et Samuel tantummodo praestantius elegantiusque nominantur? Quod tamen facile agnoscimus, si ejus quae diligere et inimicos praecipitur charitatis merita pensamus. [*Vet. XIII.*] Conditoris namque auribus illa maxime oratio commendatur, quae pro inimicis quoque intercedere nititur. Unde et per semetipsam Veritas dicit: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (**Matth. V, 44**). Et rursum: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus alterum* (**Marc. XI, 25**). Cum vero patrum priorum facta sacro eloquio describente revolvimus, Moysen et Samuelem exorasse pro adversantibus invenimus. Unus quippe eorum saevientis populi persecutionem fugit, et tamen pro vita sui persecutoris intervenit; alter, ex principatu populi dejectus, ipsis suis adversariis dicit: *Absit a me hoc peccatum in Domino, quo minus cessem orare pro vobis* (**I Reg. XII, 23**). Quid est ergo in difficultate deprecandi Moysen et Samuelem deducere, nisi apertius indicare quia ejus irae neque illi si astarent obsisterent, qui idcirco pro amicis intervenire citius possent, quia apud hunc intercedere et pro inimicis solerent? Hinc ad eandem Judaeam dicitur: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (**Jerem. XXX, 14**). Et rursum: *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor*

tuus (Ibid., 15). Vir igitur sanctus aspiciat quia nullius interventu divina ira restringitur cum implacabiliter excitatur, et dicat: *Deus, cujus resistere irae nemo potest.* Quod bene et ad specialem intellectum ducimus, si ejusdem plebis Israeliticae damna pensamus, quam Redemptor per dispensationis suae mysterium ostensus superbientem deseruit, atque ad cognitionis suae gratiam gentes vocavit. Unde et apte mox subditur: *Sub quo curvantur qui portant orbem.*

[*Rec. X.*] 25. *Portant orbem qui regunt.*---Ipsi etenim orbem portant qui curas praesentis saeculi tolerant. Tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Unde et terrae princeps non incongrue Graeco eloquio βασιλεὺς dicitur. Λαός enim populus interpretatur. βασιλεὺς igitur βάσις λαοῦ vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicitur, quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit. **301** Quo enim subjectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. Beatus igitur Job, virtute prophetici spiritus plenus, aspiciat quod Judaea deseritur, atque ad Divinitatis cultum gentium principes inclinantur, et dicat: *Deus cujus irae nemo resistere potest, sub quo curvantur qui portant orbem.* Ac si aperte fateatur dicens: Et subjectos quondam districte deseris, et erectas potestates gentium misericorditer flectis.

[*Vet. XIV.*] 26. *Tales angeli in ministerium missi.* --- Quamvisper hoc quod dicitur, *sub quo curvantur qui portant orbem*, possunt et angelicae virtutes intelligi. Ipsae etenim orbem portant, quae regendi mundi curas administrant, Paulo attestante, qui ait: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus,*

in ministerium missi propter eos qui haereditatem capiunt salutis (Heb. I, 14)? Ait ergo: Deus cujus resistere irae nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem. Ac si humilitatem omnis creaturae conspiciat, et tremefactus dicat: Quis infirmorum hominum tuis nutibus obviat, cujus se fortitudini et virtutes angelicae inclinant? Vel certe, quoniam cum curvamus, superiora non cernimus: Erecti essent illi subtilissimi spiritus, si plene potentiam ejus majestatis attingerent. Sed qui orbem portant, sub Deo curvi sunt, quia divinitatis ejus celsitudinem quamvis sublevatae videant, nec virtutes tamen angelicae comprehendunt. Quam vir justus prae infirmitate non penetrans, sed hanc utcunque ex subjectis summorum spirituum ministeriis pensans, ad considerationem se propriam sollicita humilitate recolligit, sibi que coram se prae potestate supernae magnitudinis vilescit, dicens:

CAPUT XVII.

VERS. 14.---*Quantus ergo ego sum, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?*

27. *De judiciis Dei disputare non possunt, qui pondere corruptionis premuntur.*---Ac si aperte dicat: Si creatura illa hunc considerare non sufficit, quae carne non premitur, qua mente de ejus ego judiciis disputo, qui pondere corruptionis angustor? Sicut autem saepe ad nos verba Dei sunt judicia illius, quae nostrorum actuum sententiam loquuntur, ita verba

nostra ad Deum sunt opera quae exhibemus. Sed cum Deo loqui verbis suis homo non valet, quia apud subtile ejus judicium nullam de suis actibus fiduciam tenet. Unde et apte subditur:

CAPUT XVIII [*Rec. XI*].

VERS. 15.---*Qui si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.*

28. *Justitia nostra eget veniae deprecatione.*---Ut enim saepe diximus, omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districte judicetur. Prece ergo post justitiam indiget, ut quae succumbere discussa poterat, ex sola judicis pietate convalescat. Quae cum plene a perfectioribus habetur, haberi de illa quidpiam dicitur, quia mens humana et comprehensa vix peragit, et valde extrema sunt quae comprehendit. Dicat ergo: *Qui si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Velut si apertius fateatur, dicens: Et si ad opus virtutis excrevero, ad vitam non meritis, sed ex venia convalesco. Preci itaque innitendum est, cum recta agimus, ut omne quod juste vivimus, ex humilitate condiamus. [*Vet. XV.*] **302** Sed plerumque ipsa nostra deprecatio tam multis tentationibus quatitur, ut pene a conspectu judicis repulsa videatur. Et saepe hanc creator misericors percipit; sed quia illibatam se ut vult exerere non valet, super se judicium reprobationis pavet. Unde et subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 16.---*Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam.*

29. *Animi inter orandum alternantes motus.*---Plerumque etenim mens divini amoris igne accenditur, atque ad intuenda coelestia et arcana sublevatur; ad summa jam rapitur, et, perfecto desiderio compuncta, ab infimis alienatur; sed repentina tentatione percussa, quae intentione forti erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curvatur; ita ut seipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutesque deprehensa, ex qua parte sit valentior non agnoscat. Nam saepe ad hoc usque perducitur, ut miretur quomodo tam summa comprehendit, quam cogitatio illicita polluit; et rursum quomodo illicitas cogitationes recipit, quam super se valide fervor spiritus. Quos alternantes cogitationum motus in animo bene Psalmista intuens, ait: *Ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos (Psal. CVI, 26)*. Usque ad coelos quippe ascendimus cum summa penetramus; sed ad abyssos usque descendimus, cum repente a contemplationis culmine per turpia tentamenta dejicimur. Motus itaque animi dum inter vota et vitia alternant, nimirum sibi certitudinem exauditionis obnubilant. Recte ergo dicitur: *Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam*, quia mens ex ipsa sua mutabilitate fit trepida; et per hoc quod nolens patitur, repulsam se abjectamque suspicatur.

30. *Judicii extremi severitas. Maxime in eos quos diu Dei patientia toleravit.*---Libet intueri vir sanctus quanta se subtilitate dijudicat, ne quid in illo divina judicia reprehendant. Infirmitatem namque suam intuens,

ait: *Quantus ergo sum ego qui respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?* [Rec. XII.] De justitiae suae meritis non confidens, sed ad solam se spem postulationis conferens subdit: *Qui etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Sed de ipsa quoque postulatione pavidus adjungit: *Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam.* Cur tanta circumspectione trepidat, cur tanta sollicitudine formidat, nisi quia terrorem judicis in extrema districtione considerat, et, vim discussionis illius non ferens, omne quod gerit esse sibi insufficiens pensat? Unde et protinus subdit:

CAPUT XX [Vet. XVI].

VERS. 17.---*In turbine enim conteret me.*

31. Peccator quisque in turbine atteritur, qui erectus in tranquillitate videbatur, quia quem diu superna longanimitas tolerat, extrema judicii severitas necat; quae recte turbo dicitur, quia in elementorum commotione revelatur, Psalmista attestante, qui ait: *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (Psal. XLIX, 3.) Unde et propheta quoque alius dicit: *Dominus in tempestate et turbine viae ejus.* (Nah. I, 3). In quo nimirum turbine **303** idcirco justus nequaquam conteritur, quia semper hic sollicite metuit ne conteratur. Perpendit namque, adhuc in praesentis vitae itinere constitutus, humanis actibus exactor operum quam

districtus appareat, qui quosdam tunc reatu culpae originalis astrictos etiam sine operibus damnat. Unde recte vir sanctus ex humani generis voce protinus adjungit:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.*

32. *Damnantur parvuli ex sola culpa originali.*---Nonnulli etenim prius a praesenti luce subtrahuntur quam ad proferenda bona malave merita activae vitae perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque aeterna mors sequitur, occulto eis justoque iudicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt et qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Hinc namque scriptum est: *Non est mundus in conspectu ejus nec unius diei infans super terram (Job. XV, 14).* Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5).* Hinc Paulus ait: *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri (Ephes. II, 3).* Qui itaque, nullum proprium adjungens, ex solo originis reatu perimitur, quid iste in illo extremo examine, quantum ad humani sensus aestimationem, nisi sine causa vulneratur? Sed tamen sub divina districtione justum est ut propago mortalis, velut infructuosa arbor, et in ramis servet amaritudinem quam traxit ex radice. Ait ergo: *In turbine enim*

conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Ac si, aperte humani generis damna considerans, dicat: Districtus iudex qua eos animadversione trucidat quos culpa propriae actionis damnat, si et illos in aeternum percutit quos reatus arbitrii non addicit?

33. *Job Dei iudicium timet. Percussus est ut meritum augetur, non ut vitium tergeretur.*---Quae nimirum dicta nec a beato Job specialiter discrepare cognoscimus, si haec quam vere prolata sunt indagamus. Semetipsum namque subtiliter pensans, atque in omni actione dijudicans, supernae districtiois vim quanta sollicitudine pertimescat insinuat, subdens: *In turbine enim conteret me.* Ac si aperte dicat: Idcirco hunc semper et in tranquillitate timeo, quia per flagella qualis in turbine veniat non ignoro. Quae flagella scilicet et metuens praevидit, et praevидens pertulit. Unde subjungit: *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* Ut enim saepe jam diximus, nequaquam beatus Job percussus est ut in eo percussio vitium tergeret, sed ut meritum auget. Vulneratum se itaque sine causa asserens, hoc de se foris loquitur, quod de illo Veritas in occulto testatur, dicens: *Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra* (**Job. II, 3**). Vir ergo sanctus superbe non dicit quod veraciter dicit, nec per haec verba a rectitudine discrepat, per quae a iudice non discordat. Qui eorumdem protinus vulnerum continuationem exprimit, cum subjungit:

CAPUT XXII [*Vet. XVII*].

VERS. 18.---*Non concedit quiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus.*

34. *Job intus et foris affligitur.*---Saepe justis exercitium virtutis est sola exterius **304** adversa tolerare. Sed ut eorum vires certamen plenae probationis erudiat, hos nonnunquam et foris tormenta lacerant, et intus tentamenta castigant. Unde vir sanctus impletum se amaritudinibus asserit, quia cum flagella exterius tolerat, illud est gravius quod de tentatione adversarii in intimis portat. Sed inter haec mitigat vim doloris considerata aequitas et potentia ferientis. Unde subjungit:

CAPUT XXIII.

VERS. 19.---*Si fortitudo quaeritur, robustissimus est; si aequitas judicii, nemo pro me audet testimonium dicere.*

35. *Aequitas judicii Dei.*---Ille quippe vitae causas examinat, qui has per alienum testimonium non explorat, quia qui districtus quandoque ostenditur illator poenae, ipse diu tacitus exstitit testis culpaе. Hinc etenim per prophetam dicitur: *Ego sum judex et testis* (**Jerem. XXIX, 23**). Hinc rursum ait: *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar* (**Isai. XLII, 14**). Parturiens namque cum dolore ejicit quod diu in abditis cum pondere portavit. Post longum ergo silentium, sicut parturiens, Dominus loquitur, quia quod apud se nunc tacitus tolerat, in ultione quandoque judicii quasi cum dolore manifestat. Sed requirendum nobis est, iste vir justus, si pro eo testimonium dicere quisquam praesumeret, nunquid hunc a reatu liberaret? Et si huic alius testimonium non

impendit, nunquid ad proferendum pro se testimonium saltem ipse convalescit? Sequitur.

VERS. 20.---*Si giustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.*

36. *Nemo se innocentem certo scit.*---Ac si aperte dicat: Quid de aliis loquar, qui ipse de me testimonium ferre non valeo? Sed quia innocentiae tuae testificari non sufficis, nunquid hoc ipsum, quia innocentiam habeas, scis? Subdit:

CAPUT XXV [*Rec. XIII*].

VERS. 21.---*Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea.*

37. *Utilitas et incommodum ignorantiae nostrae. [Vet. XVIII]. Saepe vitium peragit quod virtus inchoavit.* --- Plerumque si scimus bona quae agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minime servamus. Quis enim aut de virtutis suae conscientia non quantulumcunque superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat; sed contra utraque quid superest, nisi ut recta quae agimus sciendo nesciamus, ut haec et recta aestimemus, et minima, quatenus et ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, et in tumorem non elevet aestimatio minorationis? Sed sunt nonnulla quae sciri a nobis facile nequeunt, etiam cum geruntur. Nam saepe recto studio contra delinquentium culpas accendimur; et cum ultra aequitatis metas per iram rapimur,

hoc zelum justae distractionis aestimamus. Saepe officium praedicationis assumimus, ut per hoc fraternae utilitati serviamus; sed nisi placeamus cui loquimur, nequaquam libenter accipitur quod praedicamus. Cumque placere mens utiliter studet, ad amorem laudis propriae turpiter defluit; et quae a captivitate vitiorum alias curabat eruere, ipsa suis favoribus incipit capta servire. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanae, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propositae utilitatis intentio ad studia privata **305** deducitur, horrendo modo unum idemque opus culpa peragit, quod virtus inchoavit. Saepe et ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit.

[*Vet. XIX.*] 38. *Alias recta est actio, non animus.* ---Saepe se fidelem sibi nec ipsa cogitatio exhibet, quia aliud ante oculos mentis versat, et longe ad aliud ex intentione festinat. Nam plerumque nonnulli terrena praemia appetunt, et justitiam defendunt, seque innocentes aestimant, et esse defensores rectitudinis exsultant. Quibus si spes nummi subtrahitur, a defensione protinus justitiae cessatur; et tamen defensores se justitiae cogitant, sibi se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed nummos quaerunt. Quos contra bene per Moysen dicitur: *Iuste quod justum est exsequeris* (**Deut. XVI, 20**). Injuste quippe quod justum est exsequitur, qui ad defensionem justitiae non virtutis aemulatione, sed amore praemii temporalis excitatur. Injuste quod justum est exsequitur, qui ipsam quam praetendit justitiam venundare minime veretur. Iuste ergo justum exsequi est in assertionem justitiae eandem ipsam justitiam quaerere. Saepe recta agimus, et nequaquam praemia, nequaquam laudes ab

hominibus exspectamus; sed tamen mens, in sui fiduciam erecta, his a quibus nihil expetit placere contemnit, eorum judicia despicit, seque male liberam per abrupta elationis rapit; et inde sub vitio pejus obruitur, unde, quasi devictis vitiis, nullis se appetitionibus subjacere gloriatur.

39. *A nimia aut nulla nostri discussione nobis est discrimen.* -

--Saepe dum nosmetipsos plus justo discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus; et mentis nostrae acies quo plus cernere nititur, obscuratur, quia et qui importune solis radios aspicit, tenebrescit; et inde nihil videre compellitur, unde videre amplius conatur. Quia igitur ab inquisitione nostra torpentes nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerumque inter vitia virtutesque caligamus, recte nunc dicitur: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Ac si aperte diceretur: Conditoris contra me judicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me ex infirmitatis caligine ignoro? Unde bene per prophetam dicitur: *Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiae suae* (**Hab. III, 10, sec. LXXX**). Abyssus quippe phantasiae altitudinem portat cum humanus animus, immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat. Sed ab hac altitudine vocem dare est, quia dum se deprehendere non potest, cogitur in admirationem consurgere, ut eo perscrutari non audeat quod super ipsum est, quo, incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet invenire quod est. Sed justorum corda, quia ad perfectum se examinare nequeunt, aegre hoc exsilium caecitatis ferunt. Unde et subditur,---IBID.:---*Et taedebit me vitae meae.* Taedet justum vivere, quia et operando vitam non desinit quaerere, et tamen ejusdem vitae suae meritum non

valet invenire. Libram quippe examinis a sinu intimae aequitatis trahit; et inde in se erga effectum inventionis deficit, unde super se raptus ad vim inquisitionis excrescit. Sed est consolatio nostrae caliginis reducta ad animum **306** justa et incomprehensibilis potentia conditoris, quae et iniquos sine ultione non deserit, et rectorum justitiam incomprehensibilitatis immensitate transcendit. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XIV*].

VERS. 22.---*Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit.*

40. *Humana puritas divinae comparata evanescit. Impius Dei ultionem non effugit. Mors omnes invadit.*---Innocens a Creatore consumitur, quia quantalibet ejus simplicitas fuerit, divinae magnitudinis simplicitate devoratur. Quamvis enim simplicitatem studiose servemus, ex consideratione tamen intimae puritatis ostenditur quod haec ipsa quam agimus simplicitas non sit. Impius quoque a conditore consumitur, quia, Deo cuncta mirabiliter ordinante, ipsis suis versutiis ejus impietas ligatur. Nam inde se suppliciis et nesciens implicat, unde se aliquid facere scienter exsultat. Quia igitur omnipotens Deus et bonorum innocentiam simplicitate superat, et malorum astutiam penetrans damnat, recte nunc dicitur: *Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit.* Ac si aperte diceretur: Hoc apud me verbum cogitationis protuli, quia nec innocens, si districte discutior,

innocens apparebo; nec impius, si apud me latere voluero, a superni examinis acumine abscondor, quoniam districtus iudex, cuncta comprehendens, occulta malitiae mirabiliter penetrat, et suis hanc inventionibus bene ordinans damnat. Vel certe et innocentem et impium ipse consumere dicitur, quia quamvis in mentis vita divisi sint, primae tamen culpaе merito aequae ad carnis interitum pertrahuntur. Unde et per Salomonem dicitur: *Moritur doctus similiter ut indoctus (Eccle. II, 16)*. Et rursum: *Cuncta subjacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur (Eccle. III, 19)*. Sequitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XV*].

VERS. 23.---*Si flagellat, occidat semel et non de poenis innocentum rideat.*

41. *Job mediatorem desiderat qui sua nos morte liberet.*--- Quis haec non per superbiam prolata crederet, nisi sententiam iudicis audiret, qui ait: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job (Job. XLII, 7)*? Restat ergo ut nullus auctoris verba reprehendere audeat, quae constat quia iudex laudat. [*Vet. XX.*] Sed tanto in intimis suis cautius subtiliusque rimanda sunt, quanto durius foras sonant. Vir etenim sanctus humani generis damna considerans, unde quo venerint pensans; quod homo, pollicente adversario, boni malique scientiam appetens scire, perdidit etiam semetipsum, ita ut veraciter dicat: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea; quod post expulsionis poenam flagella*

quoque corruptionis sustinet, et adhuc ad carnis, vel certe ad mentis interitum etiam post tormentum tendit, ut recte dicat: *Et innocentem et impium ipse consumit*; Mediatoris contra haec gratiam requirit, dicens: *Si flagellat, occidat semel*. Nos enim quia et a Deo mente recessimus, et carne ad pulverem redimus, poena duplae mortis astringimur. Sed venit ad nos qui pro nobis sola carne moreretur, qui simplam suam duplae nostrae conjungeret, et nos ab utraque morte liberaret. De qua per Paulum dicitur: **307 Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel (Rom. VI, 10)**. Damna ergo vir sanctus nostrae corruptionis aspiciat, et unam, quae duas nostras destruat, mortem Mediatoris quaerat, atque hanc desiderans dicat: *Si flagellat, occidat semel*.

42. *Desiderium suum non differri appetit*.---Sed ecce quasi humilitati renititur, quod protinus subinfertur: *Et non de poenis innocentum rideat*. Quod tamen valde humillimum sine difficultate cognoscimus, si humili hoc mente pensamus. Cunctis etenim liquet quod omne desiderium poena est cum differtur, Salomone quoque attestante, qui ait: *Spes quae differtur affligit animam (Prov. XIII, 12)*. Ridere autem Dei est humanae nolle afflictioni misereri. Unde per Salomonem rursum Dominus reprobis in culpa durantibus dicit: *Ego quoque in interitu vestro ridebo (Prov. I, 26)*; id est, afflictioni vestrae nulla pietate compatiar. Ante Redemptoris igitur adventum poenam suam electi omnes habuerunt, quia, aestuante desiderio, incarnationis ejus mysterium videre cupierunt, ipso attestante, qui ait: *Multi, dico vobis, justi et prophetae voluerunt videre quae videtis, et non viderunt (Luc. X, 24)*. Poenae itaque innocentum sunt desideria justorum. Quousque ergo electorum suorum vota

Dominus non compatiens distulit, quid aliud quam poenas innocentum risit? Itaque vir sanctus, venturi Redemptoris dona considerans, et votorum suorum dilationem graviter tolerans, dicat: *Si flagellat, occidat semel, et non de poenis innocentum rideat*. Ac si aperte exoret, dicens: Quia vita nostra quotidie flagello vindictae pro culpa atteritur, ille jam veniat qui pro nobis semel sine culpa moriatur, ut de innocentum poenis Deus ultra non rideat, si ipse carne passibilis apparet in cuius se desiderii mens nostra castigat.

[*Vet. XXI.*] 43. *Deus de innocentum poenis ridet, cum eorum lacrymis delectatur.*---Vel certe si risum Dei ejus laetitiam appellat, de innocentum poenis ridere Dominus dicitur, quia quo a nobis ardentius quaeritur, eo de nobis suavius laetatur. Quasi quoddam quippe ei ex poena gaudium facimus, cum per sancta desideria pro ejus nos amore castigamus. Hinc Psalmista ait: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus, usque ad cornu altaris* (**Psal. CXVII, 27**). Solemnem namque diem Domino in confrequentatione constituit, quisquis se assidue in ejus desiderio affligit. Qui nimirum solemnitatis dies usque ad altaris cornu tendi praecipitur, quia tandiu necesse est ut quisque se afficiat, quousque ad superni sacrificii altitudinem, id est ad aeterna gaudia pertingat. Justus igitur vir, quia impleri desiderium suum appetit, non differri, humiliter dicit: *Non de poenis innocentum rideat*. Ac si diceret: Vota nostra libenter accipiens, ultra non differat, sed ostendendo exhibeat eum qui nos in sua exspectatione castigat. Quia vero eum specialiter beatus Job occidi semel petivit qui carnis solius mortem in mundi pro nobis fine toleravit, protinus aperit, qui ipsum quoque ordinem ejus passionis adjungit, dicens:

CAPUT XXVIII.

VERS. 24.---*Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.*

44. *Christi caro impio diabolo tradita. Christi interfectores a diabolo excaecati. Iniqui et diabolus una persona, qua nihil magis impium.*---Quid namque terrae nomine nisi caro exprimitur? Quis appellatione impii nisi diabolus designatur? Hujus impii manus fuerunt hi qui **308** in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impii, quia antiquus hostis Redemptoris mentem corrumpere per se tentando non valuit (**Matth. IV, 10, 11**), sed ejus carnem per suos satellites ad triduum permissus exstinxit (**Matth. XXVII, 45**), et dispensationi supernae pietatis nesciens ex hac ipsa permissione servivit. Tribus etenim Redemptorem nostrum tentationibus pulsans, cor Dei temerare non valuit. Sed cum Judae mentem ad mortem carnis ejus excitavit (**Matth. XXVI, 14**), cumque ei cohortem atque a pontificibus et Phariseis ministros tradidit, nimirum iste impius manus ad terram tetendit. Hujus terrae judices, sacerdotes et principes, Pilatus atque illusores milites fuerunt. Iste itaque impius vultum judicum ejus operuit, quia corda persequentium, ne auctorem suum cognoscerent, malitiae nubilo velavit. Unde per Paulum dicitur: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum* (**II Cor. III, 15**). Qui rursus ait: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (**I Cor. II, 8**). Vultus ergo judicum opertus exstitit, quia mens persequentium eum, quem

carne tenere potuit, Deum nec per miracula agnovit. Quia vero antiquus hostis cum iniquis omnibus una persona est, sic plerumque Scriptura sacra de iniquorum capite, id est diabolo, loquitur, ut repente ad ejus corpus, id est ad sequaces illius, derivetur. [*Vet. XXII.*] Potest ergo nomine impii infidelis ac persecutor populus designari, cui et hoc congruit omnino quod subditur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Quod si non ille est, quis ergo est?*

45. Ac si aperte diceretur: Quis unquam impius esse putandus est, si ille populus, qui ipsam pietatem persecutus est, impius non est? Sed considerata vir sanctus Judaicae plebis perfidia, ad semetipsum mentis oculos revocat; dolet quod videre nequeat quem amat; moerore afficitur, quia ex praesenti mundo ante subtrahitur quam salus mundi reveletur. Unde et subdit:

CAPUT XXX [*Rec. XVI*].

VERS. 25.---*Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum.*

46. *Antiqui justi dolent se ad Christi tempora non pervenisse.* --Cursoris quippe officium est secutura nuntiare. Omnes igitur electi, qui ante adventum Redemptoris orti sunt, quia

hunc aut vivendo tantummodo, aut etiam loquendo nuntiarunt, quasi in mundo quidam cursores fuerunt. Sed quia ante praestolatum redemptionis tempus se subtrahi praevident, transire se cursore velocius dolent; diesque suos esse breves ingemiscunt, quia usque ad videndam Redemptoris lucem minime tenduntur. Unde apte dicitur: *Fugerunt, et non viderunt bonum*. Omnia quae creata sunt bona sunt, Moyse attestante, qui ait: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce bona valde (Genes. I, 31)*. Sed hoc solum bonum principaliter bonum est, per quod haec omnia bona sunt, quae bona non principaliter existunt. De quo bono Veritas per Evangelium dicit: *Nemo bonus nisi solus Deus (Luc. XVIII, 19)*. Quia igitur antiquorum patrum prius dies finiti sunt quam mundo Deus in carne monstraretur, recte de eisdem diebus dicitur: *Fugerunt, et non viderunt bonum*. Ac si aperte diceretur: Ante expectatum tempus elapsi sunt, quia ad Redemptoris praesentiam pervenire nequiverunt. Unde adhuc subditur:

309 CAPUT XXXI.

VERS. 26.---*Pertransierunt quasi naves poma portantes.*

47. *Quem exspectando odorati sunt, ejus nos visu et fructu satiamur. Opertum nobis detulerunt Spiritus fructum.*---Hi qui poma deferentes maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorundem fructuum aliis cibos ferunt. Quid igitur antiqui patres nisi naves poma portantes exstiterunt? Qui divinae incarnationis mysterium

prophetantes, ipsi quidem spei odore potiti sunt, sed nobis fructum de ejusdem spei perfectione detulerunt. Quod enim illi exspectando odorati sunt, hoc nos cernendo et percipiendo satiamur. Unde et Redemptor isdem discipulis dicit: *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (Joan. IV, 38)*. Quorum videlicet dies comparantur navibus, quia decurrunt; et recte poma portantibus, quia electos omnes quos ante Redemptoris praesentiam gestaverunt, per prophetiae valuerunt spiritum exspectatione refovere, non autem manifesta exhibitione reficere. Vel certe quia naves cum poma portant, haec paleis admiscent, ut ad terras illaesa perducant, recte patrum praecedentium dies describuntur navibus poma portantibus similes, quia antiquorum dicta in eo quod mysteria spiritalis vitae denuntiant, per interfusam haec historiae stipulam servant, et opertum nobis fructum Spiritus deferunt cum carnalia loquuntur. Saepe namque dum quaedam narrant propria, ad Divinitatis elevantur arcana. Qui crebro etiam cum altitudinem Divinitatis aspiciunt, ad incarnationis ejus mysterium repente funduntur. [*Vet. XXIII.*] Unde adhuc apte subjungitur:

CAPUT XXXII.

IBID.---*Sicut aquila volans ad escam.*

48. *Velut aquilae a summis ad ima descendunt, Christi carne pascendi.*---Moris quippe est aquilae ut irreverberata acie radios solis aspiciat; sed cum refectionis indigentia urgetur, eandem oculorum aciem, quam radiis solis infixerat, ad

respectum cadaveris inclinatur; et quamvis ad alta evolet, pro sumendis tamen carnibus terram petit. Sic videlicet, sic antiqui patres fuerunt, qui in quantum humanitatis infirmitas admittebat, Creatoris lucem erecta mente contemplati sunt; sed incarnandum hunc in mundi fine praescientes, quasi a solis radiis ad terram oculos deflexerunt. Et quasi de summis ad ima veniunt, dum hunc Deum supra omnia et hominem intra omnia agnoscunt. Quem pro humano genere dum passurum moriturumque conspiciunt, qua scilicet morte semetipsos refici atque reformari ad vitam noverunt, quasi more aquilae post contemplatos solis radios in cadavere escam quaerunt. Libet spectare aquilam solis radios intuentem, quae ait: *Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* (**Isai. IX, 6**). Sed ab alto volatu celsitudinis ad terras veniat, escam cadaveris inferius inquirat. Paulo post etenim subdit, dicens: *Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus* (**Isai. LIII, 5**). Et rursum: *Et homo est, et quis cognoscet eum* (**Jer. XVII, 10, sec. LXX**)? Sublevata ergo in divinitatem mens iusti, cum dispensationis gratiam ex ejus carne considerat, quasi a summis repente, ut aquila ad escam volat. Sed ecce ille Israeliticus populus immenso dudum prophetiae spiritu infusus ejusdem prophetiae dona perdidit, atque in ea fide quam praevidendo nuntiaverat non permansit; **310** et a se Redemptoris praesentiam negando repulit, quam cunctis se sequentibus praenuntiando declaravit. Unde et apte protinus per compassionem ad eorum quoque duritiam sermo convertitur, atque ab eis quomodo prophetiae gratia subtrahitur, indicatur. Nam subditur:

CAPUT XXXIII.

VERS. 27.---*Cum dixero: Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, et dolore torqueor.*

49. *Judaeorum perfidia et reprobatio.*---Plebs quippe Judaica loqui ut prius noluit, quae eum quem praedixerat negavit. Sed commutata facie dolore torquetur, quia dum interni sui hominis aspectum, quo agnosci a conditore potuerat, foeditate perfidiae polluit, a praesentibus malis incipiens, sub aeterna se ultione damnavit. Quasi enim commutata facie, ab auctore non cognoscitur, quae perdita bonae conscientiae fide reprobat. Sed nimirum restat ut suppliciorum dolor torqueat, quam suus non cognoscens conditor ignorat. Quia igitur haec sub Redemptoris nostri significatione transcurrimus, nunc moraliter discutiendo replicemus.

SENSUS MORALIS.---50. CAP. IX, VERS. 25.---*Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum.*---*Quibus bonis homo peccando spoliatus, quibus malis obnoxius.*---Sicut saepe jam diximus, sic primus homo conditus fuit, ut per augmenta temporum tendi posset ejus vita tantummodo, non evolvi. Sed quia sponte ad culpam decidit, quo attigit vetitum, pertulit decursum, quem nunc homo praesentis vitae desiderio oppressus indesinenter et tolerat et optat. Ne enim finiatur, vivere appetit, sed per augmenta vitae quotidie ad finem tendit. Nec deprehendit valde temporum incrementa quam nulla sint, nisi cum repente transacta fiunt quae venientia longa videbantur. [*Vet. XXIV.*] Vir igitur sanctus statum suae conditionis aspiciat, et ex humani generis voce damna decursus ingemiscat, dicens: *Dies mei velociores fuerunt cursore; fugerunt, et non viderunt bonum.* Ac si aperte

dicat: Ad hoc homo conditus fuit, ut bonum, quod Deus est, videre potuisset; sed qui stare ad lucem noluit, fugiendo oculos amisit, quia quo per culpam coepit ad ima decurrere, eo caecitatem pertulit, ne intimum lumen videret. De quibus adhuc diebus apte subjungitur: *Pertransierunt quasi naves poma portantes*. Naves cum poma portant, fructus terrae videlicet per fluctus ferunt. Terra vero hominis paradisus exstitit, quae hunc inconcussum tenere potuit, si per innocentiam stare voluisset. Sed quia ad mutabilitatis undas per culpam cecidit, ad praesentis vitae maria post terram venit. Poma etiam terrae hujus fuerunt mandati sermo, concessa possibilitas operis, naturae indita intelligentia conditoris. Sed haec poma quae edere in terra renuimus, per maria portamus, quia concessa bona tot munerum inconcussi custodire in paradiso noluimus, et servare nunc in tentationibus conamur. Tendentes ad terminum, aura vitae praesentis impellimur, mutabilitatis nostrae fluctu fatigamur. Sed quia per crucis mysterium ad ingenita naturae bona restringimur, quasi per lignum poma portamus. Quod tamen intelligi et aliter potest. Naves etenim cum poma portant, suavitatem odoris habent, sed gravitatem ponderis **311** non habent. Et humanum genus paradisi gaudiis expulsum vim contemplationis perdidit, robur conditae fortitudinis amisit; cumque ad superna repetenda se erigit, fragrat quidem odore memoriae, sed digne non exerit pondus vitae. Pomorum ergo odoribus repletur, et tamen huc illucque leviter mentis nostrae navis impellitur, quia et paradisi celsitudinem cum odoris recordatione meminimus, et importunos tentationum fluctus ex carne toleramus. Unde et apte subjungitur: *Sicut aquila volans ad escam*. [*Vet. XXV.*] Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, et adnisi praepeti ad aethera libratur; sed per

appetitum ventris terras expetit, seseque a sublimibus repente deorsum fundit. Sic sic humanum genus in parente primo ad ima de sublimibus corruit, quod nimirum conditionis suae dignitas in rationis celsitudine quasi in aeris libertate suspenderat; sed quia, contra praeceptum, cibum vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit; et quasi post volatum carnibus pascitur, quia illa libera contemplationis inspiracula perdidit, et deorsum corporeis voluptatibus laetatur. Sicut ergo aquila volans ad escam, dies nostri velociter transeunt, quia quo ima petimus, eo subsistere in vita prohibemur.

51. *Quaestiones durae circa hominis lapsum qui refrenandae. Menti etsi justa, tamen dura caecitas.*---Sed cum haec ante mentis oculos continua cogitatione revolvimus, duris taciti quaestionibus urgemur, cur omnipotens Deus condidit quem perituum esse praescivit? cur is qui summe potens et summe bonus est nequaquam voluit hominem talem facere qui perire non posset? Cum vero haec tacita mens interrogat, pavet ne ipso interrogationis ausu in superbiam erumpat, seque humiliter comprimit, et cogitationes restringit. Sed eo gravius affligitur, quo inter mala quae sustinet etiam de conditionis suae abscondito intellectu cruciatur. Unde hic quoque apte subjungitur: *Cum dixero, Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, et dolore torqueor.* Nequaquam quippe ita nos debere loqui dicimus cum, nostrae infirmitatis modum ex inquisitione transeunt, nosmetipsos pavore reprehendimus, et supernae reverentiae consideratione refrenamus. In qua refrenatione scilicet mentis nostrae facies commutatur, quia quae prius non capiens audenter summa requirebat, infirmitatem suam postmodum agnoscens, venerari inchoat

quod ignorat. Sed in ipsa commutatione dolor est, quia valde affligitur, quoniam primae culpae merito ad intelligenda ea quae de ipsa sunt caecatur. Quae patitur, justa esse considerat; pavet, ne in dolore per licentiam locutionis excedat; ori silentium indicit, sed excitatus dolor eo ipso quo restringitur augetur. Dicat ergo: *Cum dixero, Nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, et dolore torqueor*, quia tunc gravius plerumque affligimur, cum quasi per consolationis studium afflictionis nostrae nobis conamur mala levigare. Sed quisquis, jam subtiliter parentis primi damnatione propagata, humani generis damna considerat, superest ut his adungere propria metuat. Unde vir sanctus postquam communia intulit, repente specialia subjungit, dicens:

312 CAPUT XXXIV [*Rec. XVII*].

VERS. 28.---*Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

52. *Operibus etiam bonis timendum Job docet.*---Quae beatus Job opera exercuit, sacrae hujus historiae textus ostendit. Holocaustis quippe multiplicibus auctorem placare studuit, quia juxta filiorum numerum, ut scriptum est, consurgens diluculo, offerebat holocausta per singulos; eosque non solum ab immundis actibus, sed a prava quoque cogitatione mundabat. De quo, Scriptura teste, perhibetur: *Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis (Job. I, 5)*. Affectum ergo compassionis exercuit, quia ipse de se amicorum quaestionibus exactus dicit: *Flebam*

quondam super eum qui afflicto erat (Job. XXX, 25). Ministerium pietatis impendit, qui ait: Oculi fui caeci, et pes claudus (Job. XXIX, 15). Castitatis munditiam in corde custodivit, qui obtestando se aperit, dicens: Si deceptum est cor meum super mulierem (Job. XXXI, 9). Humilitatis culmen medullitus tenuit, qui dicit: Si contempsisti iudicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me (Ibid., 13). Beneficia largitatis impendit, qui ait: Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea (Ibid., 17). Et rursum: Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est (Ibid., 20). Gratiam hospitalitatis exhibuit, qui dicit: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit (Ibid., 32). Et inter haec ad virtutum cumulum per excellentiorem viam charitatis, et inimicos dilexit, qui ait: Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat (Ibid., 29). Et rursum: Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus (Ibid., 30). Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est quod, mira opera faciens, haec ipsa etiam veretur pavens, cum dicit: Verebar omnia opera mea, nisi quod in sancti viri actibus verbisque colligimus, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus?

[Vet. XXVI.] 53. *In illis metuendae desidia et fraus. ---*Duo quippe sunt quae in bonis operibus necesse est ut studiose formidentur, desidia videlicet et fraus. Unde et per prophetam apud vetustam translationem dicitur: *Maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter et desidiose (Jerem. XLVIII, 10).*

Sed sciendum magnopere est, quia desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem. Illam namque minor Dei amor exaggerat, hanc autem male mentem possidens proprius amor creat. Fraudem quippe in Dei opere perpetrat quisquis, semetipsum inordinate diligens, per hoc quod recte egerit, ad remunerationis transitoria bona festinat. Sciendum quoque est quod tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc procul dubio aut tacita cordis humani gratia, aut favoris aura, aut res quaelibet exterior desideratur. Quo contra recte de justo per prophetam dicitur: *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere (Isai. XXXIII, 15)*. Quia enim non solum fraus in acceptione pecuniae est, munus procul dubio unum non est. Tres vero sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque a corde est captata gratia a cogitatione. Munus ab ore est gloria per favorem. Munus ex manu est praemium per dationem. Sed **313** justus quisque ab omni munere manus excutit, quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere dationem quaerit. Solus ergo in Dei opere fraudem non facit, qui cum ad studia bonae actionis invigilat, nec ad corporalis rei praemia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicii gratiam anhelat. Ipsa igitur bona nostra, quia insidiantis culpa evadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur, per sanctum virum nunc recte dicitur: *Verebar omnia opera mea*. Ac si humili confessione diceretur: Quae aperte egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. [*Vet. XXVII*]. Saepe enim bona nostra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentiae terrenae subjungunt. Saepe desidia interveniente deficiunt, quia a fervore quo coepta sunt

frigescente amore tabefiunt. Quia ergo culpae subreptio vel in ipso virtutis actu vix vincitur, quid ad securitatem superest, nisi ut studiose semper et in virtute timeatur?

54. *Delictum nullum est inultum.*---Sed post haec valde scrupulosum cordi se objicit quod subjungit: *Sciens quod non parceres delinquenti*. Si enim delinquenti non parcitur, quis ab aeterna morte eripitur, cum a delicto mundus nemo reperitur? An poenitenti parcit et delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam jam delinquentes sumus. Sed quid quod Petrus cum negat respicitur, et Redemptoris negati respectu ad lacrymas vocatur? Quid quod Paulus cum Redemptoris nomen in terra conaretur extinguere, ejus verba de coelo meruit audire? Sed tamen culpa in utroque punita est, quia et de Petro, teste Evangelio, scriptum est: *Recordatus Petrus verbi Jesu, egressus foras, flevit amare (Luc. XXII, 61)*. Et de Paulo haec eadem, quae hunc vocavit, Veritas dicit: *Ego ostendam ei quanta eum oporteat pro nomine meo pati (Act. IX, 16)*. Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur Sic David (*De poenit. dist. 1, cap. Si peccatum*) audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum (II Reg. XII, 13)*. Et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpae quam perpetraverat exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur; sed tamen, reatum ejusdem culpae diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur: *Sciens quod non parceres delinquenti*, quia delicta nostra sive per nos, sive per

semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult videre. Sed saepe mens dum plus justo trepidat, dum pavore quatitur, dum sinistris suspicionibus urgetur, taedet hanc vivere, quae se ad vitam vel per labores ambigit pervenire. Unde et subsequenter adjungitur:

VERS. 29.---*Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi?*

CAPUT XXXV [*Rec. XVIII*].

314 55. *Sancti ita incerti sunt ut confidant, ita confidunt ut non torpeant.*---Si enim remota pietate discutimur, opus nostrum poena dignum est, quod remunerari praemiis praestolamur. Vir igitur sanctus, sub occulta judicia trepidans, dicit: *Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi?* non quo hunc laborasse poenitet, sed quo incertus esse de praemiis et inter labores dolet. Sciendum vero est quod viri sancti ita incerti sunt ut confidant, atque ita confidunt ut tamen ex securitate non torpeant. Quia ergo plerumque mens et impensa rectis actibus trepidat, restat ut postquam bonum opus agitur lacrymae deprecationis exquirantur, quatenus ad aeterna praemia meritum recti operis subvehat humilitas postulationis. [*Vet. XXVIII, Rec. XIX.*] Sed tamen sciendum est quia mundos nos ad perfectum reddere, vel vita, vel lacrymae non valent quousque nos mortalitas nostrae corruptionis tenet. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XXXVI.

VERS. 30, 31.---*Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae; tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea.*

56. *Lacrymae mundant, si profluant cum humilitate. Si non propter terrena, sed superna bona.*---Aqua enim nivis sunt lamenta humilitatis. Quae profecto humilitas, quia ante districti iudicis oculos caeteris virtutibus praeeminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt namque nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, quia afflicti plangunt, sed tamen in ipsis fletibus vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirum aquas habent, sed nivis aquas non habent, et mundi esse nequeunt, quia humilitatis fletibus minime lavantur. Aquis autem nivis a culpa se laverat qui confidenter dicebat: *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit (Psal. L, 19)*. Qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt. Quamvis aquae nivis intelligi et aliter possunt. Aqua enim fontis et fluminis ex terra oritur, aqua vero nivis ex aere proruit. Et sunt plerique qui per orationum lamenta se cruciant, sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exsudent; compunguntur in precibus, sed felicitatis transitoriae gaudia exquirunt. Hos itaque nivis aqua non abluit, quia eorum fletus ab imis venit. Quasi enim ex terrae aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui vero idcirco plorant, quoniam praemia

superna desiderant, aqua nivis hos diluit, quia coelestis compunctio infundit. Nam cum perennem patriam per lamenta appetunt, ejusque accensi desideriiis plangunt, a summis accipiunt unde mudentur. Per manus autem quid aliud quam opera designantur? Unde quibusdam per prophetam dicitur: *Manus vestrae sanguine plenae sunt (Isa. I, 15)*; id est, opera crudelitate.

57. *Perfectam munditiam hic non assequimur.*---Notandum vero quod vir sanctus non ait: *Fulserunt mundissimae manus meae*; sed, *velut mundissimae manus meae*, quia quousque poena corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Unde et apte subjungitur: *Tamen sordibus 315 intinges me*. Deus nos sordibus intingere dicitur, intinctos sordibus demonstrare, quia quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitae nostrae sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Ait ergo: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae, tamen sordibus intinges me*. Ac si apertius dicat: Quamvis lamentis supernae compunctionis infundar, quamvis per studia rectae operationis exercear, in tua tamen munditia video quia mundus non sum. Intentam quippe Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diverberat, ejusque amoris pulchritudinem obscenis et illicitis cogitationum motibus foedat.

[*Vet. XXIX.*] 58. *Animae vestis corpus.*---Unde et subditur: *Et abominabuntur me vestimenta mea*. Quid enim vestimenti nomine nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur, ne in subtilitate suae substantiae nuda videatur? Hinc etenim Salomon ait: *Omni tempore sint*

vestimenta tua candida (**Eccle. IX, 8**); id est, membra corporis a sordidis actibus munda. Hinc Isaias ait: *Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem* (**Isai. IX, 5**). Sanguine quippe vestimentum miscere est desideriis carnalibus corpus inquinare. Quibus nimirum se pollui Psalmista formidaverat, cum dicebat: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae* (**Psal. L, 16**). Hinc voce angeli ad Joannem dicitur: *Habes pauca nomina in Sardis, quae non inquinaverunt vestimenta sua* (**Apoc. III, 4**). More autem sacri eloquii vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt; sicut per Petrum quoque de Juda dicitur: *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis* (**Act. I, 18**). Neque enim emptum pretio sanguinis agrum Judas possidere figuli potuit, qui, relatis triginta argenteis, traditionis crimen criminosiori in se protinus morte mulctavit; sed possedit dictum est possidere fecit. Ita hoc loco: *Abominabuntur me vestimenta mea* dicitur abominabilem facient, quia nimirum dum contra mentem membra superbiunt, dum sancti desiderii studia tentationum suarum tumultibus interrumpunt, in ipso suo certamine posita anima agnoscit quantum adhuc a divinitate despicitur, quae correptionem suam plene appetens transire, sed non valens, foedae pulvere cogitationis inquinatur. Hanc vestimentorum abominationem senserat qui dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis* (**Rom. VII, 23**). Haec etiam vestimenta, in quibus perfecte placere non poterat, quandoque melius resumenda, deponere festine cupiebat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (**Rom. VII, 24**)? Dicat ergo vir justus: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut*

mundissimae manus meae; tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea, quia quantumlibet ad summa ex compunctione contemplationis ascenderit, quantumlibet in opere se per exercitium laboris accinxerit, indignum tamen adhuc aliquid de corpore mortis sentit, et abominabilem se esse considerat in multis, quae de pondere corruptionis portat. [Vet. XXX, Rec. XX.] Cui hoc quoque fit gravius, quod saepe neque hoc intelligit unde delinquit. Flagella suscipit, sed districto iudici quid 316 in se majus, quidve minus displiceat, non agnoscit. Unde et subditur:

CAPUT XXXVII.

VERS. 32.---*Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo, nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri.*

59. *Iusto quam grave sit ignorare unde delinquit. ---Dum cum quolibet in iudicio ex aequo contendimus, et quid contra nos dicatur agnoscimus, et in his quae dicimus audimur, et quo objecta patenter apprehendimus, eo audenter ad proposita respondemus. Quia ergo invisibilis iudex quae facimus videt, quasi audit quae dicimus; sed quia id quod ei displicet nequaquam plene cognoscimus, quasi quid ipse dicit ignoramus. Vir igitur sanctus vestimentorum suorum abominationem considerans, eo amplius timet, quo audiri ex aequo in iudicio non valet, quia quousque corruptionis suae pondere premitur, hoc in poena sua gravius tolerat, quod et sensum sui reprehensoris ignorat. Ac si aperte dicat: In hoc ex*

aequo non audior, quia et patent cuncta quae facio, et tamen ipse nescio per quanta reprehendor. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

VERS. 33.---*Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.*

60. *Arguere Deum quid sit.*---Durum sonat ut quaeratur qui Deum arguat; sed durum non erit, si recurrat ad memoriam quod ipse per alium prophetam dicit. Per Isaiam quippe admonet, dicens: *Quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; et venite, et arguite me, dicit Dominus (Isai. I, 16).* Ei namque quem arguimus rationis auctoritate contraimus. Et quid est quod Dominus, agere sancta nos admonens, adjungit: *Venite, et arguite me*, nisi quod aperte insinuat quantam bonis actibus fiduciam praestat? Ac si patenter dicat: Recta agite, et animadversionis meae motibus non jam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam auctoritatis obviate. Hinc etenim Joannes dicit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (I Joan. III, 21).* Hinc est quod Moyses, quia placet serviens, auditur tacens, cum silenti dicitur: *Quid clamas ad me (Exod. XIV, 15)?* Hinc est quod irascentem retinet, cum audit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra populum istum (Exod. XXXII, 10).* Hinc est quod arguentem Dominus non habuisse se queritur, cum per prophetam dicitur: *Quaesivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, ne*

dissiparem eam, et non inveni (Ezech. XXII, 30). Hinc est quod graviter Isaias deplorat, dicens: Omnes nos cecidimus quasi folium, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos; non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te (Isai. LXIV, 6, 7).

61. *Christus solus potuit nos a morte liberare. Patiendo hominis culpam corripuit, et placavit Dei iram. ---Sed possunt recti quilibet per acceptae innocentiae meritum aliquando praesentis motibus animadversionis obviare, non autem valent virtute propria ab humano genere supplicia secuturae mortis expellere. Vir igitur sanctus humanum genus consideret quo defluxit; aeternae mortis damna conspiciat; cui nimirum constat quia nequaquam justitia humana contradicat, videat quam perverse homo deliquerit; videat quam districte conditor contra hominem irascatur, et mediatorem Dei et hominis, Deum et hominem, requirat. [Vet. XXXI, Rec. XXI.] Quem quia longe post venturum considerat, deplorans 317 dicat: Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. Redemptor quippe humani generis, mediator Dei et hominis per carnem factus, quia justus in hominibus solus apparuit, et tamen ad poenam culpae etiam sine culpa pervenit, et hominem arguit ne delinqueret, et Deo obstitit ne feriret, exempla innocentiae praebuit, poenam malitiae suscepit. Patiendo ergo utrumque arguit, qui et culpam hominis, justitiam aspirando, corripuit, et iram judicis moriendo temperavit; atque in utrisque manum posuit, quia et exempla hominibus quae imitarentur praebuit, et Deo in se opera, quibus erga homines placaretur, ostendit. Nullus quippe ante hunc exstitit, qui sic pro alienis reatibus intercederet, ut proprios non haberet. Aeternae igitur morti*

tanto quis in aliis obviare non poterat, quanto hunc reatus de propriis astringebat. Venit itaque novus homo ad homines, contradictor ad culpam, amicus ad poenam; mira monstravit, crudelia pertulit. Manum ergo suam in ambobus posuit, quia unde reum recta docuit, inde iratum iudicem placavit. Qui hoc quoque ipsis suis miraculis mirabilius praebuit, quia corda delinquentium mansuetudine potius quam terrore correxit. Unde et subditur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXII*].

VERS. 34.---*Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat.*

62. *Mansuetudine potius quam terrore nos correxit.* ---Per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat: Si quis haec vel illa fecerit, morte moriatur. Sed incarnatus virgam abstulit, quia vias vitae per mansuetudinem ostendit. Unde ei per Psalmistam dicitur: *Intende, prospere procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam (Psal. XLIV, 5).* [*Vet. XXXII.*] Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater ut amaretur inspiravit. Quod liquido Paulus dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater (Rom. VIII, 15).* Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT XL.

VERS. 35.---*Loquar, et non timebo eum .*

63. *Timor a peccato nos suscitare non valuit.*---Vir enim sanctus, quia humani generis Redemptorem venire mitem conspicit, non metum ad Dominum, sed affectum ad patrem sumit; et timorem despicit, quia per adoptionis gratiam ad amorem surgit. Hinc Joannes ait: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem (I Joan. IV, 18).* Hinc Zacharias dicit: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi (Luc. I, 74).* A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitae aspirata mansuetudinis gratia erexit. Quod bene Elisaeo Sunamitis filium suscitante signatur (**IV Reg. IV, 30, 34**), qui cum baculo puerum mittens, extincto filio vitam minime reddidit; per semetipsum vero veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per ministerium compassionis animavit. Auctor quippe humani generis Deus, quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi **318** per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante: *Nihil ad perfectum adduxit lex (Hebr. VII, 19).* Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens, ad exaequanda sibi mortui membra se collegit: *Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut*

homo (Philip. II, 6). Huc illucque deambulat, quia et Judaeam juxta, et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies inspirat, quia per apertionem divini muneris gratiae septiformis spiritum in peccati morte jacentibus tribuit. Moxque vivens erigitur, quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit. Dicat itaque ex sua, dicat ex voce humani generis: *Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat; loquar, et non timebo eum.* Ubi et apte subjungitur:

CAPUT XLI.

IBID.---*Neque enim possum metuens respondere*

64. *Timor digna Deo pro ejus donis obsequia non reddit.*--- Respondere quippe cuilibet dicimur cum factis illius digna opera repensamus. Deo ergo respondere est donis ejus praecedentibus nostra obsequia reddere. Unde et psalmi quidam, in quibus sancta operatio imitanda proponitur, ad respondendum scripti praenotantur. Rectum itaque Deus hominem condidit, eumque ad perversa defluentem cum longanimitate toleravit. Quotidie culpam aspicit, et tamen vivendi spatia non citius abscidit; dona largitur benignitate sua, et erga malos utitur patientia sua. Respondere homo tot beneficiis debet; sed tamen respondere metuens non valet, quia humani generis conditorem qui adhuc serviliter formidat, procul dubio non amat. Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus; cum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit; cum

malum nostrae menti jam non placet, etiam si licet. Nam qui a perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret. Nequaquam ergo veraciter rectus est, qui adhuc a pravitatis desiderio liber non est. Bene itaque dicitur: *Neque enim possum metuens respondere*, quia vera obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, et non potius ex amore servimus. Sed cum menti nostrae ejus dulcedinis amor accenditur, omne desiderium praesentis vitae levigatur, in taedium dilectio vertitur, atque hanc cum moerore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore serviebat. Unde et apte subditur:

CAPUT XLII [*Vet. XXXIII, Rec. XXIII*].

CAP. X, VERS. 1.---*Taedet animam meam vitae meae.*

65. *Amor Dei vitae hujus taedium parit, et ad erratorum confessionem adducit.*---Sed cum praesens vita vilescere, cum conditoris amor dulcescere coeperit, sese contra se animus accendit, ut accusare se de culpis debeat, in quibus se ante supernorum nescius defendebat. Unde adhuc recte adjungit:

CAPUT XLIII.

IBID.---*Dimittam adversum me eloquium meum.*

66. Quasi pro se eloquio suo utitur, qui prava quae gessit defendere excusationibus conatur. Sed adversum se eloquium

dimittit, qui accusare in se hoc incipit quod erravit. Saepe vero et cum delinquimus **319** ea quoque quae agimus dijudicamus. Accusat mens ipsa quod perpetrat; sed quia hoc ex desiderio minime deserit, erubescit confiteri quod fecit. Cum vero toto jam iudicio carnis delectationem premit, audaci voce in accusationis suae confessionem se erigit. Unde recte nunc dicitur: *Dimittam adversum me eloquium meum*, quia fortis mens relaxare contra se verba detestationis inchoat, quae apud semetipsam prius infirme verecundata retinebat. Sed sunt nonnulli qui apertis vocibus culpas fatentur, sed tamen in confessione gemere nesciunt, et lugenda gaudentes dicunt. Unde adhuc apte subjungitur:

CAPUT XLIV [*Rec. XXIV*].

IBID.---*Loquar in amaritudine animae meae.*

67. *Confessio fiat in amaritudine animae.*---Qui culpas suas detestans loquitur, restat necesse est ut has in amaritudine animae loquatur, ut haec ipsa amaritudo puniat quidquid lingua per mentis iudicium accusat. Sciendum vero est quia ex poena poenitentiae, quam sibi mens irrogat, aliquatenus securitatem percipit, atque ad interrogationem superni iudicis fidentior exsurgit, ut semetipsam subtilius inveniatur, et erga se quaeque quomodo disponantur agnoscat. Unde et protinus additur:

CAPUT XLV.

VERS. 2.---*Dicam Deo: Noli me condemnare; indica mihi cur me ita judices.*

68. *Judicat nos hic et punit Deus duobus modis.*--- Quia peccatorem se in amaritudine animae asserit, quid Deo aliud quam ne condemnetur dicit? quia amaritudo praesentis poenitentiae exstinguit supplicia sequentis irae. Duobus autem modis in hac vita hominem Deus judicat, quia aut per mala praesentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis praesentibus exstinguit. Nisi enim delictis exigentibus justus judex et nunc et postmodum quosdam percuteret, Judas minime dixisset, *Secundo eos qui non crediderunt perdidit (Judae 5)*; et de iniquis Psalmista non diceret: *Induantur sicut diploide confusione sua (Psal. CVIII, 29)*. Diploidem quippe duplum vestimentum dicimus. Confusione ergo sicut diploide induti sunt qui juxta reatus sui meritum et temporali et perpetua animadversione feriuntur. Solos quippe poena a supplicio liberat quos immutat. Nam quos praesentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Si autem nequaquam quosdam poena praesens a supplicio aeterno defenderet, Paulus minime dixisset: *Cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (I Cor. XI, 32)*. Hinc voce angelica ad Joannem dicitur: *Ego quos amo redarguo et castigo (Apoc. III, 19)*. Hinc etiam scriptum est: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat omnem filium quem recipit (Hebr. XII, 6)*:

[*Vet. XXXIV.*] 69. *Mens justi ut segura sit, trepidat.*---Saepe ergo mens justi, ut magis segura sit, altius trepidat; et cum flagellis cingitur, superni judicii incertitudine turbatur. Pavet

ne initium sequentis damnationis sit omne quod patitur; et per cogitationem interrogat judicem, quia de vitae suae meritis ambigit in percussione. Sed cum vitae virtus ad oculos mentis reducitur, quasi consolatio a iudice respondetur, quia nequaquam ad perdendum percutit quem in actionis innocentia feriendo **320** custodit. Bene itaque nunc dicitur: *Indica mihi cur me ita iudices*. Ac si aperte diceretur: Quia flagellando me iudicas, ostende quod ad iudicium per flagella securum reddas. Quod tamen intelligi et aliter potest. Nam plerumque vir justus flagella ad probationem percipit, et vitam suam subtilissima inquisitione discutiens, quamvis se peccatorem et sentiat et fateatur, pro qua tamen specialiter culpa percutitur, minime cognoscit; atque eo magis in percussione trepidat, quo causas suae percussione ignorat. Petit ut semetipsum sibi iudex indicet, quatenus quod ille animadvertendo percutit, hoc in se flendo et ipse castiget. Scit namque quod aequissimus vindex injuste quempiam nostrum nullo modo affligit, et magno metu concutitur, quia et dolet in verberare, et deprehendere in se perfecte non valet quod deploret. Unde adhuc subditur:

CAPUT XLVI [*Rec. XXV*].

VERS. 3.---*Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris et opprimas pauperem, opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves?*

70. *Justi propter quid flagelletur ignorantis anxietas.*---Hoc nimirum sic per interrogationem dicitur, ut negetur. Ac si aperte diceretur. Tu qui summe bonus es, novi quia bonum non aestimas, ut pauperem per calumniam premas. Et scio ergo quia non est injustum quod patior, et eo magis doleo quo causas justitiae ignoro. Notandum vero quod non ait *Ut opprimas innocentem*, sed *pauperem*. Qui enim districtioni judicis nequaquam innocentiam, sed paupertatem suam objicit, non jam de vita audaciam arripit, sed quam se infirmum conspiciat ostendit. Ubi et congrue subjungit: *Opus manuum tuarum*. Ac si aperte dicat: Impie opprimere non potes, quem te fecisse gratuito recordaris.

71. *Deus non sinit nos supra vires tentari.*---Bene autem subditur: *Et consilium impiorum adjuves?* Quos namque hoc loco impios, nisi malignos spiritus vocat? Qui cum redire ipsi ad vitam nequeant, crudeliter socios ad mortem quaerunt. Quorum nimirum consilium fuit ut beatum Job divina correptio tangeret, et qui in tranquillitate justus exstiterat, saltem per flagella peccaret. Sed impiorum consilium Dominus non adjuvit, quia eorum tentationibus carnem justi prodidit, animam negavit. Hoc indesinenter contra bonos consilium maligni spiritus ineunt, ut hi quos servire Deo innocue in tranquillitate conspiciunt vexati adversitatibus ad voraginem culpae rapiantur. Sed eorum consilii acumen destruitur, quia pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem poena transeat, et per astutiam fortium humana infirmitas excidat. Unde et bene per Paulum dicitur: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere (I Cor. X, 13)*. Nisi enim misericors Deus

cum viribus tentamenta modificet, nullus profecto est qui malignorum spirituum insidias non corruens portet, quia si mensuram iudex tentationibus non praebet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit. Sic autem beatus Job negando **321** requisivit ista quae protulit, sicut et requirendo negat ea quae illico subjungit, dicens:

CAPUT XLVII [*Rec. XXVII*].

VERS. 4-7.---*Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo et tu videbis? Nunquid sicut dies hominis dies tui, aut anni tui sicut humana sunt tempora, ut quaeras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? et scias quia nihil impium fecerim.*

72. *Discrimen visus humani et divini, dierum nostrorum et aeternitatis.*---Oculi carnei facta temporum non nisi in tempore agnoscunt, quia et ipsi ad videndum cum tempore prodeunt, cum tempore clauduntur; et humanus visus quodlibet opus sequitur, non praecurrit, quia vix existentia aspicit, et ventura nullo modo agnoscit. [*Vet. XXXV.*] Dies quoque et anni hominis a diebus et annis discrepant aeternitatis, quia vitam nostram, quae tempore incipitur, tempore finitur; dum intra sinus sui latitudinem format, aeternitas devorat. Cujus nimirum immensitas, quia ultra citraque super nos tenditur, sine inchoatione et termino ejus aeternum esse dilatatur; eique nec transacta praetereunt, nec adhuc ventura, quasi quae non appareant, desunt, quia is qui

semper esse habet, cuncta sibi praesentia conspicit; cumque aspiciendo post et ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur. Dicat ergo: *Nunquid oculi carnei tibi sunt; aut sicut videt homo, et tu videbis? Nunquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora, ut quaeras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? et scias quia nihil impium fecerim.* Ac si humiliter requirens, diceret: Cur me in tempore per flagella examinas, quem apud te perfecte et ante tempora scisti? Cur culpas meas verberibus interrogas, quem per aeternitatis tuae potentiam nec prius quam conderes ignoras? Cujus nimirum potentiae mox pondus exprimit, cum subjungit:

CAPUT XLVIII.

IBID.---*Cum sit nemo qui de manu. tua possit eruere.*

73. *Humilis deprecatio flagellati.*---Ac si aperte dicat: Quid tibi restat, nisi parcere, cujus virtuti nullus valet obviare? Quo enim nemo est qui animadversionem tuam ex merito suae virtutis retineat, eo a se facilius tua pietas exigit ut parcat. Quia autem nos in delicto concepti, in iniquitatibus editi, aut noxie prava perpetramus, aut incaute etiam recta agendo delinquimus, districtus iudex unde nobis fiat placabilis, non habemus. Sed cum nostrum opus ejus obtutibus dignum exhibere non possumus, restat ut ad placationem illius suum ei opus offeramus. Unde et subditur:

CAPUT XLIX [*Rec. XXVII*].

VERS. 8.---*Manus tuae plasmaverunt me, et fecerunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me?*

74. *Manichaei dogma destruitur.*---Ac si ei humiliter dicat: Quia sub justo examine dignum non est tua placatione quod feci, pensa misericorditer, ne pereat quod fecisti. Quibus etiam verbis perversum Manichaei dogma destruitur, qui duo esse principia mentiens, a Deo spiritum, a Satana vero carnem conditam asserere conatur. Sanctus etenim vir prophetici gratia spiritus plenus, longe post ventura considerat, et errorum genimina praevidens calcat, dicens: *Manus tuae plasmaverunt me, et fecerunt me totum in circuitu.* Qui enim et plasmatum se, et factum totum in circuitu a Deo asserit, tenebrarum genti **322** nec in spiritu suo aliquid nec in carne derelinquit. Nam plasmatum se propter internam imaginem retulit; factum vero totum in circuitu, in eo quod ex carnis constat indumento, memoravit.

[*Vet. XXXVI.*] 75. *Hominis praerogativa in rerum conditione.*--Notandum vero est quia per hoc quod se plasmatum Dei manibus asserit; misericordiae iudicis dignitatem suae conditionis opponit. Quamvis enim per coaeternum Patri Verbum cuncta creata sunt, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel coelestibus, sed tamen insensibilibus, homo praeferatur. *Cuncta quippe dixit et facta sunt (Psal. CXLVIII, 5).* Cum vero facere hominem decernit, hoc quod reverenter pensandum est praemittit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Genes I, 26).* Neque enim de eo sicut de rebus caeteris scriptum

est, *Fiat, et factum est* (**Ibid., 3**); neque ut aquae volatilia, sic terra hominem protulit; sed prius quam fieret *faciamus* dicitur, ut videlicet quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat. Quod igitur per conditionem homo elegantius in terra creaturis caeteris accepit, hoc in flagello positus pietati sui opificis opponit, dicens: *Manus tuae plasmaverunt me, et fecerunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me?* Ac si aperte dicat: Cur tanta vilitate despicias, quem cum tanta dignitate condidisti? Et quem ratione rebus caeteris praefers, cur ex dolore supponis? Sed tamen haec eadem nostra dignitas fulget per imaginem, et longe distat a beatitudinis perfectione per carnem, quia dum spiritus miscetur pulveri, quodam modo connectitur infirmitati. Quam scilicet infirmitatem beatus Job pietati iudicis objicit, cum subjungit:

CAPUT L [*Rec. XXVIII*].

VERS. 9.---*Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me.*

76. *Quare angelus irremissibiliter peccavit, non homo.*--- Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis admistio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid quo semetipso minor esset accepit.

Unde et apud respectum judicis argumentum pietatis est haec eadem infirmitas carnis; sicut per Psalmistam dicitur: *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos. Et multiplicavit ut averteret iram suam ab eis, et non accendit omnem iram suam, et rememoratus est quia caro sunt (Psal. LXXVII, 38)*. Ut lutum ergo homo factus est, quia de limo est ad conditionem sumptus. Lutum quippe fit, cum se aqua terrae conspergit. Sicut lutum itaque homo est conditus, quia quasi aqua infundit pulverem, cum anima rigat carnem. Quod sanctus vir bene pietati judicis objicit, cum postulans dicit: *Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me*. Ac si aperte dicat: Infirmitatem carnis considera, et reatum iniquitatis laxa. Ubi aperte quoque mors ejusdem carnis adjungitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT LI.

IBID.---**323** *Et in pulverem reduces me.*

77. *Hominem excusat carnis infirmitas*.---Ac si patenter postulet, dicens: Memento, quaeso, quod per carnem a terra venio, et per ejus interitum ad terram tendo. Materiam itaque originis, et poenam finis aspice, et culpae citius transeuntis parce. [*Vet. XXXVII, Rec. XXIX.*] Sed quia qualitatem protulit hominis conditi, nunc subjungit ordinem propagati, dicens:

CAPUT LII.

VERS. 10, 11.---*Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.*

78. *Hominis ortus descriptio.*---Plasmatus quippe homo sicut lutum factus est, propagatus autem et sicut lac mulgetur semine, et sicut caseus coagulatur in carne. Carnibus et pelle induitur, ossibus nervisque solidatur. Per lutum ergo primae conditionis qualitas, per lac vero sequentis ordo conceptionis exprimitur, quia per coagulationis incrementa ducitur, ut paulisper in ossa roboretur. Sed angusta Dei laus est descriptio creati corporis, nisi etiam subsequenter exprimatur mira aspiratio vivificationis. Unde et subditur:

CAPUT LIII.

VERS. 12.---*Vitam et misericordiam tribuisti mihi.*

79. *Vitae inspiratio et conservatio.*---Sed incassum nobis bona conditor tribuit, si non omne quod tribuit ipse custodit. Sequitur,---IBID:---*Et visitatio tua custodivit spiritum meum.* Haec autem quae de exteriori homine diximus, etiam interiori quemadmodum possit congruere libet ut breviter replicando monstremus.

80. *Homo lutum, fit pulvis subtracta gratia. Bella carnis patitur, sed gratia roboratur.*---*Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me.* Sicut lutum quippe homo noster interior existit, quia sancti Spiritus gratia terrenae menti infunditur, ut ad intellectum sui conditoris erigatur. Humana namque

cogitatio, quae peccati sui sterilitate aruit, per vim sancti Spiritus, quasi irrigata terra viridescit. Sed saepe dum perceptis superni doni virtutibus sine interruptione utimur, ad privatam fiduciam usu continuae prosperitatis elevamur. Unde fit plerumque ut isdem qui sublevaverat parumper Spiritus deserat, quatenus ipsum sibi hominem ostendat. Quod sanctus vir protinus exprimit, cum subjungit: *Et in pulverem reduces me*. Quia enim per subtractionem Spiritus mens aliquantulum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur, ut infirmitatem suam derelictus sentiat, et sine infusione supernae gratiae quantum homo aruit cognoscat. Qui apte quoque reduci ad pulverem dicitur, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura raptatur. Sed dum relictis concutimur, ea quae afflati cognovimus subtilius jam dona cogitamus. Unde subjungit: *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?* Mens etenim nostra cum per sancti Spiritus gratiam ab usu vetustae conversationis abstrahitur, sicut lac mulgetur, quia in quadam novae inchoationis teneritudine et subtilitate formatur; et sicut caseus coagulatur, quia in constipatione pinguescentis cogitationis astringitur, ut nequaquam jam per desideria diffluat, sed in uno amore se colligens, ad solidam reformationem surgat. [*Vet. XXXVIII.*] Plerumque vero contra haec eadem rudimenta spiritalia ex usu veteri caro submurmurat, et mens bella tolerat ex homine quem foris portat. Unde subjungit: *Pelle et carnibus vestisti me*. Pelle quippe **324** et carnibus interior homo vestitur, quia in eo quod ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur. Sed tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, qui per infusionem gratiae etiam peccantem praevenit; sed sublevatam mentem et ad bella exterius laxat,

et interius roborat. Unde adhuc apte subjungitur; *Ossibus et nervis compegisti me*. Carnibus et pelle vestimur, sed ossibus nervisque compingimur, quia etsi tentatione foras irruente concutimur, intus tamen nos conditoris manus roborat, ne frangamur. Carnis itaque nos motibus humiliat ad dona, sed per ossa virtutum roborat contra tentamenta. Ait ergo: *Carne et pelle vestisti me, ossibus et nervis compegisti me*. Ac si aperte dicat: Foras me ad probationem deseris, sed tamen intus ne peream virtutibus astringendo custodis. Qui idcirco nobis bene vivendi rectitudinem tribuit, quia benigne praeterita quae deliquimus parcat. Unde et adhuc apte subjungitur: *Vitam et misericordiam tribuisti mihi*.

81. *Vitam ex misericordia Dei praeveniente et subsequente accipit et servat.*---Vita quippe tribuitur cum malignis mentibus benignitas aspiratur. Sed vita sine misericordia accipi nequaquam valet, quia ad obtinenda Dominus justitiae bona non adjuvat, si prius misericorditer anteactas nequitas non relaxat. Vel certe vitam nobis et misericordiam tribuit, quia ea qua nos misericordia ad bene vivendum praevenit, etiam subsequente custodit. Nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita quam praebet. Ipso quippe quotidie humanae vitae usu veterascimus, et exterioris hominis impulsu cogitatione lubrica ab interioribus eximus. Et nisi nos superna visitatio vel ad amorem compungendo vivificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditus tota destruitur, quae longo virtutis studio innovata videbatur. Unde subjungit: *Et visitatio tua custodivit spiritum meum*. Humanum quippe spiritum visitatio superna custodit, cum hunc virtutibus ditatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit. Nam si

dona praestat, sed hunc continue restaurando non sublevat, citius bonum perditur, quod non a largiente custoditur. Sed ecce vir sanctus dum se humiliter agnoscit, conferenda generaliter divinae misericordiae secreta deprehendit; cumque infirmitatem suam veraciter fatetur, repente ad cognoscendam vocationem gentium sublimiter rapitur. Nam protinus subdit:

CAPUT LIV [*Rec. XXX*].

VERS. 13.---*Licet haec celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.*

82. *Vocatio gentium in consilio Dei abscondita.*---Ac si aperte dicat: Cur de me trepido, qui et universas gentes quia colligas scio? Quod tamen in corde celas, quia hoc adhuc aperto sermone non indicas. Sed qui et universorum reminisceris, me procul dubio de venia certum facis. [*Vet. XXXIX.*] Sciendum vero est quia in quibusdam factis et certi de venia reddimur, et post perpetratas culpas ad absolutionis nostrae fiduciam correctione et poenitentia subsequente roboramur; perpetratae tamen nostrae nequitiae adhuc memoria tangimur, et cogitatione illicita aversi nolentesque pulsamur. Unde et apte subjungitur:

CAPUT LV [*Rec. XXXI*].

VERS. 14.---*Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur ab* **325** *iniquitate mea mundum me esse non pateris?*

83. *Peccata deleta qui memoriam inficiant, et bellum reparent. Quid tum agendum.*---Ad horam Dominus peccatum parcit, cum reatum culpae concessis protinus fletibus diluit. Sed ab iniquitate nostra mundos nos esse non patitur, quia volentes quidem culpam fecimus, sed nonnunquam nolentes ejus memoriam cum delectatione toleramus. Saepe namque hoc quod a conspectu jam judicis fletu interveniente deletum est ad animum redit, et devicta culpa ad delectationem rursus inserpere nititur, atque in antiquo certamine rediviva pulsatione reparatur; ita ut quod prius egit in corpore, hoc importuna cogitatione postmodum verset in mente. Quod caute ille conspicere athleta spiritalis noverat, qui dicebat: *Computruerunt et deterioraverunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae* (**Psal. XXXVII, 6**). Quid namque cicatrices, nisi sanationes sunt vulnorum? [*Vet. XL.*] Laxatas ergo nequitias ad delectationem memoriae redire conspexerat, qui cicatrices deflebat. Cicatrices quippe computrescere est sanata jam peccatorum vulnera rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus, post superductam cutem poenitentiae, fetorem culpae iterum doloremque sentire. Qua videlicet in re et nihil foras opere agitur, et sola intus cogitatione peccatur; districtoque se reatu mens obligat, nisi hoc sollicitis lamentis tergat.

84. Unde bene per Moysen dicitur: *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra; et non revertetur prius quam ad vesperam lavetur aqua, et post solis occasum regredietur in castra* (**Deut. XXIII, 10**). Nocturnum quippe est somnium tentatio occulta, per quam

tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus egredi extra castra praecipitur, quia videlicet dignum est ut qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur, culpaе suae meritum ante oculos ponat, et ex bonorum se aestimatione despiciat. Polluto ergo extra castra exire est turpi impugnatione laboranti, sese ex continentium comparatione despiciere. Qui ad vesperam lavatur aqua, cum defectum suum conspiciens ad poenitentiae lamenta convertitur, ut fletibus diluat omne quod animum occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat, quia, defervescente tentationis ardore, necesse est ut iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. Post aquae quippe lavationem, occumbente sole ad castra revertitur, qui post lamenta poenitentiae, frigescente flamma cogitationis illicitae, ad fidelium merita praesumenda reparatur; ut jam se a caeteris longe esse non aestimet, qui mundum se per obitum intimi ardoris gaudet. Sed inter haec sciendum est quod idcirco nonnunquam impulsu illicitae cogitationis affligimur, quia in quibusdam terrenae conversationis actibus, quamvis licitis, libenter occupamur. Cumque vel in minimis terrena actio per desiderium tangitur, crescente contra nos antiqui hostis fortitudine, mens nostra non minima importunitate tentationis inquinatur. Unde **326** et sacerdos legis, membra hostiae per frusta concisa, caput atque ea quae erga jecur sunt, jubetur ignibus cremare, pedes vero atque intestina hostiae prius aqua diluere (**Levit. I, 7, 12**). Nos quippe ipsos sacrificium Deo offerimus cum vitam nostram cultui divino dedicamus. Qui membra hostiae per frusta concisa super ignem ponimus, cum vitae nostrae opera in virtutibus distinguentes immolamus.

Caput atque ea quae juxta jecur continentur incendimus, cum in sensu nostro, quo omne corpus regitur, atque in occultis desideriis flamma divini amoris ardemus. Et tamen praecipitur ut pedes atque intestina hostiae laventur. Pedibus enim terra tangitur, intestinis vero stercora gestantur, quia plerumque jam ex desiderio in aeternitatem succendimur, jam toto devotionis sensu ad appetitum nostrae mortificationis inhiamus; sed quia adhuc terrenum prae infirmitate aliquid agimus, nonnulla etiam quae jam subegimus illicita in corde toleramus. Cumque cogitationes nostras immunda tentatio inquinat, quid aliud quam intestina hostiae stercus portant? Sed ut comburi debeant, laventur, quia nimirum necesse est, ut immundas cogitationes timoris fletus diluat, quas in acceptione sacrificii supernus amor incendat. Et quidquid mens vel de inexperto certamine, vel de conversationis pristinae memoria patitur, lavetur, ut tanto suavius in conspectu sui spectatoris ardeat, quanto cum ei assistere coeperit nil terrenum secum, nil lubricum in ara suae orationis imponit. Vir igitur sanctus humanae mentis damna conspiciat, quod plerumque se cogitatione illicita inquinat; et postquam reatum operis judex relaxat, et, sua plorans, nostra quae ploremus aperiat, dicens: *Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?* Ac si aperte dicat: Si culpam venia abstulit, cur hanc et a memoria non detergit? [*Vet. XLI, Rec. XXXII.*] Saepe autem ita mens in culpa recordatione concutitur, ut ad perpetrationem illius longe gravius quam prius capta fuerat urgeatur; et deprehensa trepidat, seque ipsam variis motibus impulsa perturbat. Metuit quidem ne vincatur tentationibus, sed resistens hoc ipsum quod longo labore certaminis affligitur perhorrescit. Unde et apte subjungitur:

CAPUT LVI.

VERS. 15.---*Et si impius fuero, vae mihi est; et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria.*

85. *Vitiis renitentis ac cedentis discrimen.*---Impius namque vae habet, justus miseriam, quia et aeterna damnatio reprobum sequitur, et electus quisque doloribus transitoriae adversitatis expiatur. Impius caput levat, sed elatus evadere vae quod sequitur non valet. Justus, labore sui certaminis afflictus, caput levare non sinitur, sed pressus a perpetua afflictione liberatur. Ille se in voluptatibus erigit, sed suppliciis sequentibus mergit. Iste se in dolore deprimit, sed tamen a pondere aeternae animadversionis abscondit. Consideret ergo vir sanctus quod aut renitens homo vitiis praesenti labore afficitur, aut succumbens perpetuae afflictioni mancipatur, et dicat: *Et si impius fuero, vae mihi est; et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria.* Ac si aperte deploret, **327** dicens: Aut substratus carnis desideriiis, supplicio aeterno subjicior; aut repugnans illicitis motibus poena praesenti crucior, quia a labore certaminis liber non sum. Sed superna dispensatio idcirco nos tota sibi intentione servientes carnis nostrae permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in superbiam audeat praesumptione suae securitatis elevari, ut dum pulsata trepidat, in solo auctoris adjutorio spei pedem robustius figat. Unde et adhuc apte subjungitur:

CAPUT LVII [*Rec. XXXIII*].

VERS. 16.---*Et propter superbiam quasi, leaenam capies me.*

86. *Leaena qua arte capiatur. Eodem modo et lapsi et reparati sumus.*---Leaena cum escam catulis exquirat, inhianter in foveam captionis ruit. Sicut enim ex quibusdam regionibus fertur, fit in ejus itinere fovea, in qua pecus deponitur, ut illuc se ejus appetitu projicere leaena provocetur: quae angusta simul et alta praeparatur, ut in eam ruere ambiendo valeat, sed hanc saliendo nullo modo evadat. Alia quoque fovea, quae priori cohaereat, effoditur, quae tamen ei, in qua pecus est, extremae partis apertione conjungitur. In qua nimirum cavea ponitur, ut leaena corruens, quia desuper terroribus urgetur, cum quasi in secretiori parte foveae occultare, se appetit, caveam volens intret; cujus jam saevitia nequaquam pertimescitur, quia clausa in cavea levatur. Quae enim sua sponte in foveam corruit, ad superiores partes circumsepta vectibus redit. Sic sic nimirum humana mens capta est, quae in libertate arbitrii condita, dum nutrire desideria carnis appetivit, quasi leaena catulis escam quaesivit, atque in deceptionis suae foveam cecidit, quae, suadente hoste, ad cibum prohibitum manum tetendit. Sed in fovea protinus caveam invenit, quia sponte ad mortem veniens corruptionis suae mox carcerem pertulit; atque ad auras liberas, gratia interveniente, reducit. Sed cum multa agere conatur, et non valet, ejusdem corruptionis suae obstaculis quasi caveae vectibus ligatur. Jam quidem eam in quam ceciderat damnationis foveam evasit, quia secuturae mortis supplicium,

manu redemptionis adjuta, ad veniam redeundo superavit. Sed tamen coarctata caveam tolerat, quia supernae quoque disciplinae nexibus cingitur, ne per carnis desideria vagetur. Quae ergo sponte sua in foveam cecidit, ad auras liberas clausa redit, quia et per libertatem arbitrii in culpam corrui, et tamen hanc a suis motibus, conditoris gratia coactam nolentemque constringit. Post foveam itaque caveam patitur, quae, erepta ex aeterno supplicio, a pravae libertatis motibus, et sub coelestis artificis dispensatione religatur. Recte igitur dicit: *Et propter superbiam, quasi leaenam capies me*, quia et liber homo per cibum sibi mortem intulit, et reductus ad veniam sub disciplina melius clausus vivit. Quasi leaena ergo propter superbiam captus est, quia inde nunc eum disciplina suae corruptionis deprimit, unde transgressionem praecepti non timens, audacter in foveam saltum dedit.

[*Vet. XLII.*] 87. *Sic et elatus de virtute cadere sinitur, ut a superbia sanetur.*---Sed si parumper obtutum mentis a culpa primi parentis avertimus, nos adhuc quotidie ut leaenam capi per vitium elationis invenimus. Saepe namque **328** homo acceptis virtutibus in audaciam suae praesumptionis erigitur, sed mira dispensatione pietatis ante ejus oculos res quaelibet, in qua corruat ordinatur. Dumque per culpam aliquid appetit, quid aliud quam praedam in fovea concupiscit? Sua sponte inhians cadit, sed suis surgere viribus non valet. Qui cum se nihil ex se esse considerat, discit procul dubio cujus adjutorium requirat. Quem tamen superna miseratio captum quasi a fovea evehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Leaenae itaque more, propter superbiam ad superiores partes in caveam remeat, qui cum de virtute extollitur lapsus ad desideria in humilitate religatur. Quia enim prius propria

praesumptione perierat, mira pietate agitur, ut infirmitatis suae jam notitia clausus vivat. Quod quia sanctus vir crebro accidere hominibus conspicit, nostri in se periculi vocem sumit; ut cum nos ejus fletus agnoscimus, quae in nobis sunt flenda discamus. Sed cum mentem nostram elatio erigit, summi a nobis protinus compunctio amoris recedit; cum vero superna nos gratia visitat, statim per lacrymas ad sua desideria instigat. Unde et apte subjungitur:

CAPUT LVIII [*Rec. XXXIV*].

IBID.---*Reversusque mirabiliter me crucias.*

88. *Mentis a Deo desertae obduratio, visitatae compunctio.*--
-Cum ab auctore relinquimur, nec ipsa ullatenus destitutionis nostrae damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit, eo mens nostra insensibilis obdurescit, nulla quae Dei sunt diligit, nequaquam superna concupiscit; et quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto peior; cumque unde sit lapsa non meminit, et supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit nescit. At si afflatu sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus suae perditionis evigilat, in coelestium inquisitione se excutit, amoris summi aestibus inardescit, quae se circumprimunt damna considerat, et plorat proficiens quae prius laeta peribat. Bene ergo conditori dicitur: *Reversusque mirabiliter me crucias*, quia omnipotens Deus unde mentem nostram visitans ad amorem suum erigit, inde hanc per lacrymas gravius affligit. Ac si aperte dicat:

Relinquendo me nequaquam afficis, quia insensibilem reddis; sed cum reverteris crucias, quia dum te insinuas mihi me quam sim lugendus demonstras. Unde et nequaquam se poenaliter, sed mirabiliter asserit cruciari, quia dum per fletum mens ad summa rapitur, compunctionis suae poenam gaudens miratur; et libet affici, quia afflictione sua se conspicit ad alta sublevare. [*Vet. XLIII.*] Saepe autem cum nos a sancti desiderii exercitatione torpescere superna pietas cernit, exempla se sequentium nostris obtutibus objicit, ut mens per otium remissa, quo in aliis vigilantium provectus considerat, eo in se pigritudinem torporis erubescat. Unde et recte subjungitur:

CAPUT LIX [*Rec. XXXV*].

VERS. 17.---*Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam, et poenae militant in me.*

89. *Exemplis bonorum Deus ad se nos revocat.*---Testes enim Dei sunt, qui per exercitium sancti operis testantur quae electos secutura sint **329** praemia veritatis. Unde hos quoque quos pro veritate passos agnoscimus Graeco eloquio martyres, id est testes, vocamus. Et per Joannem voce angelica Dominus dicet: *In diebus Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos (Apoc. II, 13).* Sed testes suos contra nos Dominus instaurat, cum electorum vitam pravitati nostrae contrariam ad arguendos nos instruendosque multiplicat. Contra nos ergo testes illius instaurantur, quia cuncta quae agunt studiis nostrae pravitatis adversa sunt. Unde et sermo veritatis

adversarius vocatur, cum Mediatoris voce per Evangelium dicitur: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via* (**Matth. V, 25**). Atque de hoc eodem Redemptore reprobis persequentes dicunt: *Contrarius est operibus nostris* (**Sap. II, 12**); et paulo post: *Et dissimilis est aliis vita illius* (**Ibid., 15**). Testes itaque suos contra nos Dominus instaurat, quia bona quae facere ipsi negligimus, haec ad correptionem nostram fieri ab aliis demonstrat; ut qui praeceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nil sibi mens nostra difficile aestimet quod perfecte peragi ab aliis videt. Et fit plerumque ut cum alienae vitae bona conspiciamus, nostrae sollicitius damna timeamus; et eo pateat quanta post pondere animadversionis impatimur, quo nunc a bonorum moribus longe discrepamus.

90. *Eorum labor indicat quae reprobos poena maneat. Bona in aliis visa quos animi motus excitare debeant.*---Unde et testium instauratione memorata, protinus apte subjungitur: *Et multiplicas iram tuam*. Eo nobis multiplicari ira Dei dicitur, quo esse multiplex indicatur, quia ex ipsa nunc bonorum vita et labore cognoscimus, si emendari, dum tempus est, nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus et pia agere, et crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur districtus iudex quanta illic feriat districtione quos reprobos, si hic sic cruciat quos amat; Petro attestante qui ait. *Tempus est ut iudicium incipiat de domo Dei; si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio* (**I Pet. IV, 17**)? Omnipotens igitur Deus cum contra nos testes instaurat, iram multiplicat, quia quo bonorum vitam nostris oculis objicit, eo pravitatis

perpetratae duritiam qua districtione in iudicio percutiat ostendit. Nam cum solis se sequentibus dona exaggerat, torpentes jam quia reliquerit demonstrat. Cum bona ergo in aliis cernimus, valde necesse est ut et exultationem nostrae formidini, et formidinem nostrae exultationi misceamus, quatenus et de alienis provectibus charitas gaudeat, et de suis infirmitatibus conscientia contremiscat. Sed cum fraterno proveatu reficimur, cum districtionem super nos interni iudicis ex ipso nostro torpore pensamus, quid restat nisi ut ad discutiendum se animus redeat, et quidquid in se reprobum, quidquid pravum deprehendit, affligat? Unde et apte subjungitur: *Et poenae militant in me*. Consideratis quippe Dei testibus, poenae in nobis militant, quia dum miranda illorum facta conspiciamus, vitam nostram, quae ex eorum nobis comparatione displicet, studiosa afflictione cruciamus; ut quidquid in nobis polluerunt opera, diluant lamenta; et si quid adhuc culpa delectationis inquinat, poena moeroris tergat. Beatus igitur Job, **330** quia vitam patrum praecedentium conspicit, quid in se gemere debeat subtilius agnoscit. Sed magni doloris magisterio, dum sua plangit, ad lamenta nos instruit: ut quo virtutes in aliis cernimus, eo apud districtum iudicem nostra sollicite delicta timeamus. Sequitur:

CAPUT LX.

VERS. 18.---*Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret.*

91. Quod nimirum prima oratione jam protulit, dicens: *Quare non in vulva mortuus sum?* Qui hoc quoque quod hic adjicit, subdens,---VERS. 19.---*Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum,* illic verbis aliis non aliter adjungit, dicens: *Sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem (Job. III, 16).* Quia vero haec superius late digessimus (**Lib. IV, n. 48 et seq.**), pro vitando lectoris fastidio, exposita replicare declinamus. Sequitur:

CAPUT LXI [*Vet. XLIV, Rec. XXXVI*].

VERS. 20.---*Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?*

92. *Vitae terminus, potissimum attendendus.*---Cautum se ac sollicitum vivere ostendit, qui brevitatem praesentis vitae considerans, non ejus usum, sed terminum conspicit, ut ex fine colligat nihil esse quod transiens delectat. Hinc namque per Salomonem dicitur: *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus laetatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum; qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita (Eccle. XI, 8).* Hinc rursum scriptum est: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli. VII, 40).* Igitur cum culpa animum tentat, mens necesse est ut brevitatem suae delectationis aspiciat, ne ad vivacem mortem iniquitas rapiat, cum constet quod ad terminum citius mortalis vita percurrat. Sed saepe oculus contemplationis nostrae confunditur dum dolor noster flagellis crebrescentibus aggravatur. Libet

praesentis vitae exsilium gemere, sed prae ipsa afflictione mens non valet damna suae caecitatis aestimare. Unde protinus subdit:

CAPUT LXII. [*Rec. XXXVII*].

IBID.---*Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum.*

93. *Lacrymas et doloris sensum tollit nimius moeror. Flere mala nostra nos non sinit vis consuetudinis.*---Sicut enim moderata afflictio lacrymas exprimit, ita immoderata subducit, quia moeror ipse quasi sine moerore fit, qui, afflicti mentem devorans, sensum doloris tollit. Vir igitur sanctus feriri plus quam sufficit pertimescit, dicens: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum.* Ac si aperte dicat: Flagella tuae percussionis tempera, ut, moderatis doloribus, aestimare mala quae patior flendo convalescam. Quod tamen intelligi et aliter potest. Saepe namque peccator iniquitatis suae vinculis ita constringitur, ut pondus quidem peccatorum toleret, sed tamen quia tolerat ignoret. Saepe etiamsi cognoscat quanto reatu premitur, erumpere conatur, et non potest, ut hunc in se mente libera, conversione integra, persequatur. Flere ergo dolorem suum non valet, quia et iniquitatis suae reatum considerat, et tamen prae terrenae occupationis pondere hanc ei gemere nequaquam vacat. Flere dolorem suum non valet, qui pravae quidem consuetudini contraire nititur, sed tamen adhuc succrescentibus desideriis carnis gravatur. Hujus doloris praesentia Prophetiae

mentem **331** cruciaverat, cum dicebat: *Dolor meus ante me est semper, quoniam iniquitatem meam ego pronuntio, et cogitabo pro peccato meo* (Psal. XXXVII, 18, 19). Sed solutis iniquitatis vinculis dimissum se noverat qui exsultabat dicens: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (Psal. CXV, 16).

94. *Nisi Deus ad id nos adjuvet.*---Tunc igitur ad plangendum dolorem nos Dominus dimittit, cum et mala nobis quae fecimus demonstrat, atque ad haec eadem flenda quae cognoscimus adjuvat. Culpas oculis objicit, et pia manu gratiae vincula cordis solvit, ut ad vacationem poenitentiae mens nostra se erigat, et, carnis soluta compedibus, in auctorem suum libera gressum amoris tendat. [*Vet. XLV.*] Plerumque etenim vitam nostram ipsi reprehendimus, sed tamen libenter agimus hoc quod in nobis recte reprobamus. Ad justitiam nos spiritus erigit, ad consuetudinem caro restringit. Amori suo mens renititur, sed protinus delectata captivatur. Bene itaque dicitur: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum*, quia nisi a reatu culpaе, quo nos ligavimus, misericorditer dimittamur, perfecte flere non possumus hoc quod in nobis ipsis contra nosmetipsos dolemus. Sed tunc veraciter reatus nostri dolor plangitur, cum tenebrosa illa inferni retributio intento timore praevidetur. Unde apte subjungitur:

CAPUT LXIII [*Rec. XXXVIII*].

VERS. 21.---*Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine.*

95. *Inferni poenae nec transitoriae nec phantasticae. Infernus cur terra, cur lacus.*---Quid enim terrae tenebrosae nomine, nisi tetra tartari claustra signantur? Quae aeternae mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitae luce disjungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicumque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est: *Generatio praeterit, et generatio advenit, terra vero in aeternum stat (Eccle. I, 4).* Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam poena transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuae damnationis servant. Quae aliquando tamen laci appellatione signantur, propheta attestante, qui ait: *Portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum (Ezech. XXXII, 24, 25).* Infernus ergo et terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet; et lacus dicitur, quia hos quos semel ceperit semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Sanctus autem vir sive sua, seu humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam qui culpam deflet iturus est, sed quia ad hanc procul dubio qui plangere negligit vadit; sicut debitori suo creditor dicit: Solve debitum prius quam pro debito constringaris; qui tamen non constringitur, si quod debet solvere non moratur. Ubi et recte subditur: *Non revertar*, quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat quos semel in locis poenalibus justitia judicantis damnat [*Vet. XLVI*]. Quae adhuc subtilius loca describuntur, cum dicitur:

CAPUT LXIV.

VERS. 22.---*Terram miseriae et tenebrarum.*

96. *Quos tenet, foris cruciantur, intus caecantur.*---Miseria ad dolorem pertinet, tenebrae ad caecitatem. Ea ergo quae a conspectu districti iudicis expulsus tenet, miseriae et tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat quos divisos a vero lumine intus caecitas obscurat. Quamvis miseriae et tenebrarum terra intelligi et aliter potest. **332** Nam haec quoque terra in qua nascimur est quidem miseriae, sed tenebrarum non est, quia multa hic corruptionis nostrae mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus, Veritate suadente, quae ait: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant* (**Joan. XII, 35**). Illa vero simul miseriae et tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda ejus mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redit. In cujus adhuc descriptione subjungitur:

CAPUT LXV.

IBID.---*Ubi umbra mortis, et nullus ordo.*

97. *Ultionem habet, non lucem. Quam justae hae poenae.*---Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas

divisionis, quia damnatus quisque cum aeterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura vero ignis est, ut ex se ipso et lucem exhibeat, et concremationem; sed transactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem habet, et lumen non habet. Hinc est enim quod reprobis Veritas dicit: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (**Matth. XXV, 41**). Quorum rursus omnium corpus in unius persona significans, dicit: *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (**Matth. XXII, 13**). Si itaque ignis qui reprobos cruciat lumen habere potuisset, is qui repellitur nequaquam mitti in tenebras diceretur. Hinc etiam Psalmista ait: *Super eos cecidit ignis et non viderunt solem* (**Psal. LVII, 9**). Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur, quia quo illos gehennae flamma devorat, a visione veri luminis caecat; ut et foris eos dolor combustionis cruciet, et intus poena caecitatis obscuret; quatenus qui auctori suo et corpore et corde deliquerunt, simul et corpore et corde puniantur; et utrobique poenas sentiant, qui dum hic viverent pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. Unde bene per prophetam dicitur: *Descenderunt in infernum cum armis suis* (**Ezech. XXXII, 27**). Arma quippe peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria quae concipiunt exsequuntur. Unde recte per Paulum dicitur: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (**Rom. VI, 13**). Cum armis ergo ad infernum descendere est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis expleverunt aeterni iudicii tormenta tolerare, ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc, suis delectationibus subditi, undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

[*Vet. XLVII. Rec. XXXIX*]. 98. *Ordinatae sunt, ut ab aequo judice criminibus commensuratae.*---Mirum vero est valde quod dicitur: *Ubi nullus ordo.* Neque enim omnipotens Deus, qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit, quia ipsa quoque supplicia quae ex lance justitiae prodeunt inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis et retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio* (**Sap. VI, 7**). Hinc in Babylonis damnatione dicitur: *Quantum exsultavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (**Apoc. XVIII, 7**). Si igitur juxta modum culpae poena distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse **333** perhiberet: *Colligite primum zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum* (**Matth. XIII, 30**). Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculis ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare est hos qui aeterno igni tradendi sunt pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam poena constringat, et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat quos simul elatio sublevabat; quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet afflictio, et par cruciet flamma supplicii quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis (**Joan. XIV, 2**), sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subjicit disparilitas criminis. Quae scilicet gehenna quamvis cunctis

una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes aestuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris, sic damnatis et una est gehenna quae afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quomodo ergo nullus inesse ordo suppliciiis dicitur, in quibus profecto quisque juxta modum culpae cruciatur?

[*Vet. XLVIII.*] 99. *Ordinatae autem non sunt in corde damnatorum.*---Sed sanctus vir postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subjungit, quia ipsa quoque supplicia, quae ordinata per justitiam veniunt ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Ut enim paulo superius diximus, dum damnatus quisque foris flamma succenditur, intus caecitatis igne devoratur, atque in dolore positus, exterius interiusque confunditur, ut sua deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis saevit. Quam tamen mira potentia judicantis aequitas ordinat, ut poena animum quasi inordinata confundat. Vel certe abesse ordo suppliciiis dicitur, quia quibuslibet rebus in poenam surgentibus propria qualitas non servatur. Unde et protinus subinfertur:

CAPUT LXVI.

IBID.---*Et sempiternus horror inhabitat.*

100. *Poenarum inferni descriptio.*---In hujus vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam coeperit quod metuebat. Infernum vero et umbra mortis obscurat, et sempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut et quod timent tolerant, et rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. De his etenim scriptum est: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (Isai. LXVI, 24)*. Hic flamma quae succendit illuminat; illic, ut superius verbis Psalmistae docuimus, ignis qui cruciat obscurat. Hic metus amittitur, cum tolerari jam coeperit quod timebatur; illic et dolor dilaniat, et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. **334** Sic sic videlicet a damnatis sentiri pondus summae aequitatis debet, ut qui a voluntate conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viverent, in eorum quandoque interitu ipsa a suis qualitatibus etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnant, cruciatus augeant, et cum varie prodeunt multipliciter sentiantur. Quae tamen supplicia in se demersos et ultra vires cruciant, et in eis vitae subsidium exstinguentes servant, ut sic vitam terminus puniat; quatenus semper sine termino cruciatus vivat, quia et ad finem per tormenta properat, et sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. Quia igitur et mors perimit, et non exstinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit; quantum per notitiam praesentis vitae

colligitur, supplicia ordinem non habent, quae non suam per omnia qualitatem tenent.

[*Vet. XLIV.*] 101. *Ignis illic lucem negat ad consolationem, servat ad tormentum.*---Quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobis flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra praecepta conditoris amaverant, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suae damnationis affligat. Quod profecto Evangelio attestante colligimus (**Luc. XVI, 23**), in quo, Veritate nuntiante, dives ille quem contigit ad aeterni incendii tormenta descendere quinque fratrum describitur meminisse, qui ab Abraham petiit ut ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par poena cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam praesentes videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui, ad doloris sui cumulum, eum quem despexerat in sinu Abrahae Lazarum vidit? Is ergo, cui ut poena cresceret et vir electus apparuit, cur non credendum sit quod videre in supplicio eos etiam quos contra Deum dilexerat possit? Qua ex re colligitur quod eos quos inordinate nunc reprobis diligunt miro iudicii ordine secum tunc in tormentis videbunt, ut poenam propriae punishmentis exaggeret illa auctori praeposita carnalis cognatio pari ante oculos ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat credendum est quia lumen ad tormentum servat. Quod si approbare testimoniis in sua expressione non possumus, superest ergo ut e diverso doceamus.

102. *Igni lumen et obscuritatem simul esse posse.*---Tres quippe Hebraeae gentis pueri, per Chaldaei regis imperium succensis camini ignibus, ligatis manibus pedibusque projecti sunt: quos tamen cum isdem rex in camini incendio miseratus exploraret, illaesis vestibus deambulantes vidit. Ubi aperte colligitur quia mira dispensatione conditoris ignis qualitas, in diversa virtute temperata, et vestimenta non attigit, et vincula incendit, sanctisque viris et ad inferendum tormentum **335** flamma friguit, et ad solutionis ministerium exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere novit ad solatium, et tamen ardere ad supplicium nescit; ita e diverso gehennae flamma reprobis et nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad poenam; ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat, et, ad doloris cumulum, dilecti qualiter crucientur ostendat. Quid autem mirum si gehennae ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis et luminis, quando experimento novimus quia et taedarum flamma lucet obscura? Tunc edax flamma comburit quos nunc carnalis delectatio polluit, tunc infinite patens inferni barathrum devorat quos nunc inanis elatio exaltat; atque qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt.

[*Vet L.*] 103. *Angelos et homines reprobos una poena implicat. Malus sepulcrum diaboli.*---Et quamvis angelorum atque hominum longe sit natura dissimilis, una tamen poena implicat quos unus in crimine reatus ligat. Quod bene ac breviter insinuat propheta, qui ait: *Ibi Assur et omnis multitudo ejus, et in circuitu ejus sepulcra illius* (**Ezech. XXXII, 22**). Quis namque Assur superbi regis nomine nisi ille

per elationem cadens antiquus hostis exprimitur, qui pro eo quod multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudo ad inferni claustra descendit? Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit quam is qui, conditorem suum despiciens, vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt, ejus procul dubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu illius sepulcra ejus sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt.

[*Rec. XL.*] 104. *Inferni poenas praenosse non prodest, sed evadere.*---Ecce quae maneat damnatos poena cognovimus; et instruente nos sacro eloquio, quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantusque in obscuritate pavor sit, nullatenus ambigimus. Sed quid prodest ista praenosse, si non contingat evadere? Tota ergo intentione curandum est ut, cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi studio, malorum ultricia tormenta fugiamus. Hinc quippe per Salomonem dicitur: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas (Eccle. IX, 10).* Hinc Isaïas ait: *Quaerite Dominum dum inveniri potest, invoke eum dum prope est (Isai. LV, 6).* Hinc Paulus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (II Cor. VI, 2).* Hinc rursum ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes (Galat. VI, 10).*

[*Vet. LI.*] 105. *Animo ad id nitenti obstat cura carnis.*---Sed plerumque se ad viam rectitudinis animus accingit, torporem discutit; tantoque in coelestibus desiderio rapitur, ut pene nil

ex eo inferius remansisse videatur. Et tamen cum ad carnis curam reducitur, sine qua praesentis vitae via nullo modo expletur, ita hunc inferius depressum tenet, ac si adhuc de summis nulla contigisset. Auditis verbis coelestis oraculi, in amorem patriae coelestis erigitur; sed resurgente praesentis vitae studio, sub terrenae curae aggere sepelitur; atque in terra cordis nequaquam supernae spei semen proficit, quia cogitationis infimae spina densescit. Quam videlicet **336** spinam per semetipsam Veritas manu sanctae exhortationis eradicat, dicens: *Nolite solliciti esse in crastinum* (**Matth. VI, 34**). Contra hanc quoque per Paulum dicitur: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (**Rom. XIII, 14**). Sed in his nimirum ducis ac militis verbis agnoscimus quia tunc ab ea mortifero vulnere animus pungitur, cum in ea mensurae aequitas non tenetur.

106. *Haec non abscidenda prorsus, sed moderanda.* ---Neque enim mortali adhuc in carne viventibus funditus cura carnis absciditur, sed ut discrete animo serviat temperatur. Nam quia sollicitos nos esse Veritas in crastinum prohibet, habere utcunque curam in praesentibus non negat, quam tendi ad tempus quod sequitur vetat. Et nimirum Paulus cum carnis curam fieri in concupiscentiis non sinit, procul adhuc dubio in necessitate concedit. Discretionem ergo magni moderaminis carnis cura frenanda est, ut serviat et minime principetur, ne quasi domina animum vincat, sed, subacta mentis dominio, quasi ancilla famuletur, ut jussa adsit, atque ad nutum cordis repulsa dissiliat, ut vix a tergo sanctae cogitationis appareat, et nunquam contra faciem recta cogitantis obsistat. Quod bene nobis historia sacrae lectionis innuitur, cum Abraham tribus angelis occurrisset memoratur (**Genes. XIII,**

2, seq.). Ipse quippe venientibus extra ostium occurrit, Sara vero post ostium stetit, quia videlicet ut vir ac dominus domus spiritalis, noster scilicet intellectus, debet in cognitione Trinitatis claustra carnis excedere, et quasi habitationis infimae januam exire; cura autem carnis, ut femina, foras non appareat, et videri jactanter erubescat, ut quasi post tergum viri sub discretionem spiritus, solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecunde moderari. Cui tamen saepe cum dicitur ut de se minime praesumat, sed totam se in divinae spei fiduciam transferat, despicit, et, cessante studio, adesse sibi vitae subsidia posse diffidit. Unde et haec eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fecundatur; et quae juventute vicens fecundari non potuit, annis fracta senilibus, utero marcescente, concepit, quia cum cura carnis sui confidentiam habere desierit, contra spem ex divina promissione accipit quod habituram se ex humana ratione dubitavit. Unde et bene Isaac, id est risus, dicitur qui generatur, quia cum supernae spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quam gaudium parit? Curandum itaque est ne aut necessitatis metas cura carnis transeat, aut in eo quod moderate exsequitur, de se praesumat. Saepe vero animus fallitur, ut quod voluptuose appetit, necessarium suspicetur, quatenus omne quod libet vitae debitam utilitatem putet. Et saepe quia effectus providentiam sequitur, in sui fiducia mens levatur. Cumque sibi adest quod deesse caeteris viderit, cogitatione tacita de magnitudine suae provisionis hilarescit; tantoque jam a vera provisione longe fit, quanto ipsam quoque elationem quam patitur nescit. Unde solerti semper custodiae intentione pensandum est vel quid opere agimus, vel quid corde versamus, ne aut mentem praepediens, foras se terrena

cura multiplicet, aut saltem de ejus moderamine intus se cogitatio exaltet; ut cum divina judicia temporali circumspectione metuimus, sempiterni supplicia horroris evadamus.

LIBER DECIMUS. *Toto libri Job capite undecimo ac duodecimi quinque prioribus versibus enarratis, secundam hujus operis partem claudit.*

337 CAPUT PRIMUM.

1. *Fortitudo Job, qui nec successiva adversantium mutatione superatur.*---Quoties in arenae spectaculum fortis athleta descenderit, ii qui impares viribus existunt vicissim se ejus expugnationi subjiciunt: et uno victo, contra hunc protinus alter erigitur; atque hoc subacto, alius subrogatur; ut luctantis vires quandoque molliores inveniant quas ipsa sua crebrescens victoria fatigat; quatenus cum novus quisque congreditur, is qui vinci virium qualitate non valet, personarum saltem mutatione superetur. Sic sic in hoc hominum angelorumque spectaculo beatus Job fortis athleta prodiit, quantumque contra mutationes adversantium valeat continuatione indefessi roboris ostendit. Cui primus se Eliphaz, secundus autem Baldad objicit, atque ad extremum

se Sophar in ejus expugnatione supponit: qui ad inferendos ictus totis se conatibus erigunt, sed tamen ad feriendam altitudinem robusti pectoris non pertingunt. Ipsa quippe eorum verba patenter insinuant quod ictus in auras jactant, quia cum sanctum virum non recte redarguunt, expressa in vacuum verba percussionis perdunt. Quod liquido ostenditur, cum Sophar Naamathitis responsio a contumeliis inchoatur, qui ait:

CAPUT II.

CAP. XI, VERS. 2.---*Nunquid qui multa loquitur non et ipse audiet? aut vir verbosus justificabitur?*

2. *Procaces recte dictis semper e diverso respondent. Sophar sententia vera, sed male prolata.*---Mos esse procacium solet ut recte dictis semper e diverso respondeant, ne si ad prolata consentiant, inferiores esse videantur. Quibus justorum verba quamlibet pauca sonuerint multa sunt, quia quo eorum vitia resecant, auditum gravant. Unde et ad crimen trahitur hoc quod recta praedicatione contra crimina profertur. Ipsum quippe qui ex veritate fortes sententias dixerat Sophar redarguens, verbosum vocat, quia cum ab ore justorum sapientia culpas increpat, stultorum auribus superfluitas loquacitatis sonat. Pravi namque nil rectum, nisi quod ipsi senserint, putant; et justorum verba eo otiosa aestimant, quo suis haec sensibus inveniunt diversa. Nec fallacem quidem Sophar sententiam protulit, quod vir verbosus justificari nequaquam possit, quia dum quisque per verba diffluit,

perdita gravitate silentii, mentis custodiam amittit. Hinc quippe scriptum est: *Cultus justitiae, silentium* (**Isai. XXXII, 17**). Hinc Salomon ait: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* (**Prov. XXV, 28**). Hinc rursum dicit: *In multiloquio peccatum non deerit* (**Prov. X, 19**). Hinc Psalmista testatur, dicens: *Vir verbosus non dirigetur super terram* (**Psal. CXXXIX, 12**). Sed virtus verae sententiae perditur, quae sub discretionis custodia non profertur. Certum itaque est quod verbosus justificari vir nequeat. Sed bonum bene non dicitur, quia non intenditur cui dicatur. Vera quippe contra malos **338** sententia, si bonorum rectitudinem impetit, suam perdit, et eo retusa resilit, quo illud est forte quod ferit. [*Vet. et Rec. III.*]? Quia autem pravi audire bona patienter nequeunt, et cum vitae emendationem negligunt, ad verba se responsionis accingunt, aperte Sophar insinuat, qui subjungit:

CAPUT III.

VERS. 3.---*Tibi soli tacebunt homines, et cum caeteros irriseris, a nullo confutaberis?*

3. *Ad correptionem quam diverse affecti pravi et recti.*--- Imperita mens, ut diximus, veritatis sententias graviter tolerat, et silentium poenam putat atque omne quod rectum dicitur dedecus suae irrisiois arbitratur, quia cum vera vox pravorum se auribus admovet, memoriam culpa mordet, et in redargutione vitiorum quo intus cognitione mens tangitur, foras ad studium contradictionis excitatur. Ferre vocem non

valet, quia tacta in vulnere sui reatus dolet, et per hoc quod generaliter contra perversos dicitur, se impeti specialiter suspicatur. Quod enim intus egisse se meminit, audire foris erubescit. Unde mox se ad defensionem praeparat, ut reatus sui verecundiam per verba pravae refutationis tegat. Sicut enim recti de quibusdam quae ab eis non recte gesta sunt correptionis vocem, ministerium charitatis aestimant, sic perversi contumeliam derisionis putant. Illi se protinus ad obedientiam sternunt, isti ad insaniam suae defensionis eriguntur. Illi correptionis adjutorium vitae suae patrocinium deputant, per quod dum praesentis vitae culpa corripitur, venturi judicis ira temperatur; isti cum se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussione credunt, quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, praesentis gloriae opinio foedatur. Hinc quippe in laude justi per Salomonem dicit Veritas: *Doce justum, et festinabit accipere* (**Prov. IX, 10**). Hinc pravorum contumaciam despicit, dicens: *Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam* (**Ibid., 7**). Nam fit plerumque ut cum correpta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia pejores fiant; ac sic in sua defensione superbiant, ut quaedam vitia contra vitam corripientis exquirant; et eo se criminosos non aestimant, si crimina et aliis imponant. Quae cum vera invenire nequeunt, fingunt, ut ipsi quoque habeant quod non impari justitia increpare videantur. Unde et Sophar, quia quasi irrideri se per increpationem doluit, protinus mentiendo subjungit:

CAPUT IV.

VERS. 4.---*Dixisti enim, Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.*

4. *Pravi vera in se mala flere renuunt, et aliis falsa impingunt.*---Qui beati Job dictorum meminit, quam falso hoc voci illius impingatur agnoscit. Quomodo enim mundum se dicere potuit, qui ait: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me (Job. IX, 20)*? Sed habet hoc pravorum malitia, ut cum vera in se 339 flere mala renuit, fingat aliena. Nam quasi solatio facinoris utitur, si falsis vocibus et vita corripientis inquinetur. [*Vet. IV.*] Sciendum vero est quod plerumque perversi verbotenus bona optant, ut mala esse quae in praesentibus habentur ostendant; et quasi faventes prospera expetunt, ut benigni videantur. Unde et Sophar protinus subjicit, dicens:

CAPUT V.

VERS. 5.---*Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi!*

5. *Homini quando Deus loquatur, quando ipse sibi.* ---Ipse quippe sibi homo loquitur, cum per hoc quod sentit nequaquam Divinitatis spiritu a carnalis prudentiae intellectu separatur; cum caro sensum exerit, et mentem, quasi ad intelligentiam provocans, foras mittit. Unde et adhuc Petro terrena sapienti Veritas dicit: *Non enim sapis quae Dei sunt, sed quae hominum (Marc. VIII, 33).* Cui tamen recta confitenti dicitur: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est (Matth. XVI, 17).* Quid autem Dei

labia nisi judicia ejus accipimus? Clausis namque labiis vox premitur, et sensus tacentis ignoratur; apertis autem sermo dum promitur, animus loquentis invenitur. Labia itaque sua Deus aperit cum voluntatem suam hominibus per aperta judicia ostendit. Quasi enim reserato ore loquitur, cum remota obscuritate dispositionis intimae renuit occultare quod vult. Nam velut clausis labiis sensum nobis suum non indicat, cum per occulta judicia cur quid faciat celat. Sophar itaque beatum Job ut de carnali intellectu redarguat, seque ipsum quantae sit benignitatis ostendat, ei bona optat, quae et cum habentur ignorat, dicens: *Atque utinam Deus loqueretur tecum et aperiret labia sua tibi!* Ac si patenter dicat: Imperitiae tuae potius quam poenae compatior, quia, sola carnis prudentia praeditum, a veritatis te spiritu vacuum agnosco. Si enim Dei judicia occulta cognosceres, tam procaces contra illum sententias non sonares. Et quia omnipotens Deus cum ad considerata nos sua judicia sublevat, ignorantiae nostrae protinus caecitatem fugat, quae apertis ejus labiis, ad nos eruditio prodeat, protinus adjungendo manifestat, dicens:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 6.---*Ut ostenderet tibi secreta sapientiae, et quod multiplex sit lex ejus.*

6. *Sapientiae opera quae publica. Quae secreta.*---Publica sapientiae supernae sunt opera, cum omnipotens Deus regit quos creat, perficit bona quae inchoat, et aspirando adjuvat quos visitationis suae lumine illustrat. Cunctis etenim liquet

quia quos gratis condidit benigne disponit. Et cum spiritualia dona largitur, ipse perficit quod ipse ex munere suae benignitatis inchoavit. Secreta vero sapientiae supernae sunt opera cum Deus quos creavit deserit; cum bona quae praeveniando coeperat; nequaquam proseguendo consummat; cum claritate nos suae illustrationis illuminat, et tamen, permissis carnis tentationibus, tenebris caecitatis pulsat; cum dona quae contulit minime custodit; cum et mentis nostrae ad se desideria excitat, et tamen occulto iudicio difficultate nos nostrae imbecillitatis angustat.

[*Vet. V.*] 7. *Haec non inveniendo invenit, qui comprehendere non posse didicit. Lex Dei et Christi charitas.* ---Quae nimirum secreta ejus sapientiae pauci valent inquirere, sed nullus invenire, quia quod super nos de nobis ad immortalis sapientiae non injuste **340** disponitur, justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur. Sed haec ipsa sapientiae illius secreta conspiciere utcunque jam incomprehensibilitatis ejus est potentiam videre, quia etsi in ipsa consiliorum ejus inquisitione deficimus, deficiendo tamen verius discimus quem timeamus. Ad haec se Paulus sapientiae illius secreta tetenderat, cum dicebat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensus Domini? vel quis consiliarius ejus fuit (Rom. XI, 33)?* Qui superius etiam ex ipsa inquisitione lassescens, sed tamen ad cognitionem infirmitatis propriae lassescendo proficiens, praemittit dicens: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare me fecisti sic (Rom. IX, 20)?* Qui igitur ad occulta Dei pertingere non valens ad infirmitatis suae cognitionem rediit, atque ad

eruditionem se propriam deficiendo revocavit, ut ita dicam, secreta sapientiae non inveniens invenit, quia cum ad superna consilia requirenda lassesceret, didicit ut humiliter timeret; et quem sua infirmitas a cognitione intima repulit, hunc ei verius humilitas junxit. Sophar itaque et per scientiae studium peritus, et per audaciam tumidae locutionis ignarus, quia ipse gravitatem non habet, meliori optat quod habet, dicens: *Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi, ut ostenderet tibi secreta sapientiae!* Qui eam quoque, qua se super amicum pollere aestimat, optando sapientiam ostendit, cum protinus subdit: *Et quod multiplex sit lex ejus.* Quid hoc loco Dei lex accipi nisi charitas debet, per quam semper in mente legitur praecepta vitae qualiter in actione teneantur? De hac etenim lege Veritatis voce dicitur: *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem (Joan. XV, 12).* De hac Paulus ait: *Plenitudo legis, dilectio (Rom. XIII, 10).* De hac iterum dicit: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (Galat. VI, 2).* Lex etenim Christi quid congruentius intelligi quam charitas potest, quam tunc vere perficimus cum fraterna onera ex amore toleramus.

8. *Charitas a duobus praeceptis incipit, et ad innumera se extendit. Proximi dilectio cavet nocere, curat benefacere. Haec duo quam multis modis praestantur.* ---Sed haec eadem lex multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quae a duobus quidem praeceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Hujus namque legis initium dilectio Dei est ac dilectio proximi. [*Vet. VI.*] Sed Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine diligere conditor jubetur. Qua in re notandum est quod divinus sermo cum Deum diligere

praecipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum subjungit ex toto, ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo praecepta derivatur, cum et per quemdam justum dicitur: *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias* (**Tob. IV, 16**). Et per semetipsam Veritas dicit: *Quae vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (**Matth. VII, 12**). Quibus duobus scilicet utriusque Testamenti mandatis, per unum malitia compescitur, per aliud benignitas praerogatur, ut malum quod pati non vult quisque non faciens; cesset a nocendi opere; et rursum bonum quod sibi fieri appetit, **341** impendens, erga utilitatem se proximi exerceat ex benignitate. Sed haec nimirum duo dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda quae non debet desideriis inquieta mens ferveat, vel erga exhibenda quae debet otio resoluta torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet, et usque ad despectum proximi animum dejiciens exaltet; ne ambitio cogitationem laniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet; ne cor luxuria polluat, et subjectum desideriis per illicita corrumpat; ne ira exasperet, et usque ad proferendam contumeliam inflammet; ne invidia mordeat, et alienis felicitatibus aemula, sua se face consumat; ne immoderate linguam loquacitas pertrahat, eamque usque ad lasciviam obtrectionis extendat; ne odium malitia excitet, et os usque ad jaculum maledictionis irritet. Rursum cum cogitat ut ea alteri faciat quae ipsa sibi fieri ab altero expectat, pensat nimirum ut malis bona, et bonis meliora respondeat; ut erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat; ut malitiae peste languentibus

gratiam benignitatis impendat; ut discordes pace uniat, et concordēs ad concupiscentiam verae pacis accingat; ut indigentibus necessaria tribuat; ut errantibus viam rectitudinis ostendat; ut afflicto verbo et compassione mulceat; ut accensos in huius mundi desideriis increpatione restinguat; ut minas potentum ratiocinatione mitiget; ut oppressorum angustias quanta praevalēt ope levet; ut foris resistentibus opponat patientiam; ut intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam; ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a iustitiae studio non enervet; sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis litem fervendo transcendat; ut ingratos beneficiis ad amorem provocat; ut gratos quosque ministeriis in amore servet; ut proximorum mala cum corrigere non valet, taceat, utque cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat; ut sic ea quae tacet toleret, ne tamen in anima virus doloris occultet; ut sic malevolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a iure rectitudinis excedat; ut cuncta proximis quae praevalēt impendat, sed haec impendendo non tumeat; ut sic in bonis quae exhibet tumoris praecipitium paveat, ne tamen a boni exercitio torpescat; ut sic quae possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat; ne cum terrena largitur, suam plus quam necesse est inopiam cogitet, et in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret.

[*Vet. VII.*] 9. *Charitas multiformis exemplis sanctorum ostenditur.*---Bene ergo lex Dei multiplex dicitur, quia nimirum cum una eademque sit charitas, si mentem plene coeperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Cujus diversitatem breviter exprimimus, si in electis singulis

bona illius perstringendo numeremus. Haec namque per Abel et electa Deo munera, obtulit, et fratris gladium non reluctando toleravit (**Genes. IV, 4, 8**). Haec Enoch et inter homines vivere spiritaliter docuit, et ad sublimem vitam ab hominibus etiam corporaliter abstraxit (**Genes. V, 24**). **342** Haec Noe, despectis omnibus solum Deo placabilem ostendit, atque in arcae fabricam studio longi laboris exercuit, et mundo superstitem pio opere exercendo servavit (**Genes. VII, 6**). Haec per Sem et Japhet humiliter verenda patris erubuit, et superjecto dorsis pallio, quae non videbat abscondit (**Genes. IX, 23**). Haec Abrahae dextram quia ad mortem filii obediendo extulit, hunc prolis innumerae, gentium patrem fecit (**Genes. XXII, 10**). Haec Isaac mentem, quia semper ad munditiam tenuit, caligantibus aetate oculis, ad videnda longe post ventura dilatavit (**Genes. XXVII, 1**). Haec Jacob compulit et amissum bonum filium medullitus gemere, et pravorum filiorum praesentiam sub aequanimitate tolerare (**Genes. XXXVII, 34**). Haec Joseph docuit a fratribus venundatum, et libertate animi infracta servitium perpeti, et eisdem post fratribus mente non elata principari (**Genes. XLII, 33**). Haec Moysen, delinquente populo, et usque ad petitionem mortis in precibus stravit, et usque ad interfectionem populi per zeli studium erexit, ut et pro pereunte plebe sese morti objiceret, et contra peccantem protinus vice Domini irascentis saeviret (**Exod. XXXII, 33**). Haec Phinees brachium in ultionem peccantium erexit, ut arrepto gladio, coeuntes transfigeret, et iram Domini iratus placaret (**Num. XXV, 8, 9**). Haec Jesum exploratorem docuit, ut et prius contra falsiloquos cives veritatem verbo defenderet, et hanc postmodum gladio contra hostes allegaret (**Josue I, 2, seq.; Num. XIV, 6, 7, seq.**). Haec

Samuel et in principatu humilem praeiuit, et integrum in deiectione servavit, qui cum persequentem se plebem diligeret, ipse sibi testimonio exstitit, quia culmen ex quo deiectus est non amavit (**I Reg. III, 4, seq.**). Haec David ante iniquum regem et humilitate commovit ad fugam, et pietate replevit ad veniam; qui persecutorem suum et timendo fugit ut dominum, et tamen cum potestatem feriendi reperit, non agnovit inimicum (**I Reg. XXIV, 6, 18**). Haec Nathan et contra peccantem regem in auctoritatem liberae increpationis sustulit, et cum regis culpa deesset, in petitione humiliter stravit (**II Reg. XII, 1, seq.**). Haec per Isaiam nuditatem carnis in praedicatione non erubuit, et subducto carnali velamine, superna mysteria penetravit (**Isai. XX, 2**). Haec Eliam, quia fervoris zelo vivere spiritualiter docuit, ad vitam quoque et corporaliter abstraxit (**IV Reg. II, 11**). Haec Eliaeum, quia magistrum diligere simpliciter instituit, magistri spiritu dupliciter implevit (**Ibid., 10**). Per hanc Jeremias ne in Aegyptum populus descenderet restitit; sed tamen et inobedientes diligens, quo descendi prohibuit, et ipse descendit (**Jerem. XLII, 18**). Haec Ezechielem, quia prius a terrenis desideriis sustulit, post per cinctum capitis in aere libavit (**Ezech. VIII, 3**). Haec in Daniele, quia a regiis dapibus gulam compescuit, ei et esurientium ora leonum clausit (**Dan. XIV, 40**), Haec tribus pueris, quia in tranquillitate positos incendia vitiorum subdidit, tribulationis tempore et flammam in fornace temperavit (**Dan. III, 50**). Haec in Petro et minis terrentium principum fortiter restitit, et in circumcisione submovenda minorum verba humiliter audivit. Haec in Paulo et manus persequentium humiliter pertulit, et tamen in circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit (**Act. XV**). Multiplex ergo

ista lex Dei est, quae singulis rerum articulis non permutata congruit, et causis se variantibus non variata conjungit.

[*Vet. VIII.*] 10. *Charitatis officia ex Paulo.*---Cujus nimirum legis multipliciter bene **343** Paulus enumerat, dicens: *Charitas patiens est, benigna est; non aemulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati (I Cor. XIII, 4).* Patiens quippe est charitas, quia illata mala aequanimiter tolerat. Benigna vero est, quia pro malis bona largiter ministrat. Non aemulatur, quia per hoc quod in praesenti mundo nil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non inflatur, quia cum praemium internae retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exultat. Non agit perperam, quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat ignorat. Non est ambitiosa, quia quo ardentius intus ad sua satagit, foras nullatenus aliena concupiscit. Non quaerit quae sua sunt, quia cuncta quae hic transitorie possidet velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium nisi quod secum permaneat agnoscit. Non irritatur, quia et injuriis lacerata ad nullos se ultionis suae motus excitat, dum pro magnis laboribus majora post praemia expectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiae mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat nescit. Non gaudet super iniquitate, quia quo sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exultat. Congaudet autem veritati, quia ut se caeteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii provectus hilaescit. Multiplex ergo ista lex Dei est, quae contra uniuscujusque

culpae jaculum, quod perimendam mentem impetit, instructionis suae munimine occurrit, ut quia antiquus hostis varia circumfusione nos obsidet, ipsa hunc de nobis multipliciter expugnet. Quam nimirum legem si sollicita consideratione pensamus, auctori nostro quantum quotidie delinquamus agnoscimus. Si autem culpas perpendimus, profecto aequanimiter flagella toleramus; nec ex dolore ad impatientiam proruit, cum suo se iudicio conscientia addicit. Unde Sophar, quid diceret sciens, sed cui diceret nesciens, postquam praemisit dicens, *Ut ostenderet tibi secreta sapientiae, et quod multiplex sit lex ejus*, protinus adjungit:

CAPUT VII [*Rec. V.*]

IBID.---*Et intelligeres quod multo minora exigaris a Deo quam meretur iniquitas tua.*

11. *Culparum nostrarum cognitio temperat dolorem flagellorum.*---Dolor quippe, ut diximus, flagelli temperatur cum culpa cognoscitur, quia et tanto quisque patientius ferramentum medici tolerat, quanto putridum conspicit esse quod secat. Qui igitur multipliciter legis intelligit, cuncta quae patitur quam sint minora perpendit, quia per hoc quod culpae pondus agnoscitur, afflictionis poena levigatur.

[*Vet. IX.*] 12. *Venialiter peccant, qui zeli fervore modum correptionis excedunt.*---Sed inter haec sciendum est quia sine magna iniquitate non fuerit quod Sophar virum justum usque ad objectionem iniquitatis increpavit. Unde et eorum audaciam Veritas juste redarguit, sed benigne ad gratiam

reducit; quia apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. Saepe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, ut quo alta charitate fervent, **344** modum correptionis exaggerent, et lingua aliquid quod non debet dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflamat. Sed verbum prolatae contumeliae tanto citius parcitur, quanto et ex qua radice prodeat pensatur. Unde bene per Moysen Dominus praecepit dicens: *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna caedenda, et lignum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium fugiet, et vivet, ne forte proximus ejus, cujus effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur, et apprehendat eum, et percutiat animam ejus (Deut. XIX, 5).* Ad silvam quippe cum amico imus quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra convertimur, et simpliciter ligna succidimus cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrumque de manubrio prosilit cum de correptione sermo durior excedit; et amicum percutiens occidit, quia auditorem suum prolata contumelia ab spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quam debuit addicit. Sed is qui incaute ligna percutit, et proximum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensurus vivat, quia si, ad poenitentiae lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe, fide et charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur; eumque exstincti proximus et cum invenerit non occidit, quia cum districtus judex venerit, qui sese nobis per naturae nostrae consortium junxit, ab eo

procul dubio vindictam de culpae reatu non expetit quem sub ejus venia spes, fides et charitas abscondit. Citius ergo culpa dimittitur quae nequaquam malitiae studio perpetratur. Unde et Sophar iniquum vocat quem superna sententia laudaverat; nec tamen a venia reprobatus excluditur, quia ad verba contumeliae divini amoris zelo promovetur. Qui pro eo quod beati Job merita non agnoscit, ex imperita adhuc irrisione subjungit, dicens:

CAPUT VIII [*Rec. VI*].

VERS. 7.---*Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum, Omnipotentem reperies.*

13. *Dei vestigia sunt ejus dona quibus ad superna provocamur. Deus hic non videtur manifeste. Contemplationis vis. Dei essentiam angelica vel humana mens non plene contuetur.*---Quid Dei vestigia nisi benignitatem illius visitationis vocat? Quibus nimirum progredi ad superna provocamur cum ejus Spiritus afflatu tangimur, et, extra carnis angustias sublevati, per amorem agnoscimus auctoris nostri contemplandam speciem, quam sequamur. Nam cum mentem nostram spiritalis patriae amor inflamat, quasi sequentibus iter insinuat, et substrato cordi velut quoddam vestigium Dei gradientis imprimitur, ut ab eo rectis cogitationum gressibus via vitae teneatur. Quem enim necdum cernimus, restat necesse est ut per vestigia sui amoris indagemus, quatenus usque ad contemplationis speciem quandoque mens inveniat quem nunc, quasi a tergo

subsequens, per sancta desideria explorat. Haec Psalmista auctoris nostri vestigia bene sequi noverat cum dicebat: *Adhaesit anima mea post te* (**Psal. LXII, 9**). Quem reperire quoque usque ad visionem suae celsitudinis satagebat, dicens: *Sitivit anima mea* **345** *ad Deum vivum; quando veniam, et parebo ante faciem Dei* (**Psal. XLI, 3**) Tunc quippe cogitatione manifesta omnipotens Deus reperitur, cum, mortalitatis nostrae funditus corruptione calcata, ab assumptis nobis in divinitatis suae claritate conspicitur. Nunc autem a carnali cogitatione animum infusi Spiritus gratia sublevat, et in contemptum rerum transeuntium exaltat; totumque mens quod appetebat in infimis despicit, atque ad superna desideria ignescit, et contemplationis suae vi extra carnem tollitur, quae corruptionis suae pondere adhuc in carne retinetur. Incircumscripti luminis jubar intueri conatur, et non valet; quod infirmitate pressus animus et nequaquam penetrat, et tamen repulsus amat. Jam namque de se conditor per quod ametur ostendit, sed visionis suae speciem amantibus subtrahit. Sola ergo ejus vestigia conspicientes gradimur, qui hunc per donorum suorum signa sequimur, quem necdum videmus. [*Vet. X, Rec. VII.*] Quae nimirum vestigia comprehendere nequeunt, quia unde, ubi, quibusve modis veniant ejus Spiritus dona, nesciuntur, Veritate attestante, quae ait: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, et quo vadat* (**Joann. III, 8**). In retributionis autem culmine reperiri Omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspiciamus, non tamen ejus essentiam plene contuemur. Angelica etenim, vel humana mens cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat; et super se quidem per

provectum tenditur, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit, qui et transcendendo et portando omnia et implendo concludit. Unde et adhuc subditur:

CAPUT IX.

VERS. 8, 9.---*Excelsior coelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari.*

14. *Qui Deus omnia transcendat.*---Quod Deus coelo excelsior, inferno profundior, terra longior, marique latior esse describitur, tanto spiritaliter debet intelligi, quanto de eo quidquam nefas est juxta corporea lineamenta sentire. Sed coelo est excelsior, quia incircumscriptione sui spiritus cuncta transcendit; inferno profundior, quia transcendendo subvehit; terra longior, quia creaturae modum perennitate suae aeternitatis excedit; mari latior, quia rerum temporalium fluctus sic regens possidet, ut hos sub omnimoda potentiae suae praesentia coangustando circumdet. Quamvis possunt et coeli appellatione angeli, et inferni vocabulo daemonia designari; per terram vero justi homines, per mare autem peccatores intelligi. Excelsior itaque coelo est, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantae celsitudinis perfecte non penetrant. Profundior inferno est, quia malignorum spirituum astutias longe subtilius quam ipsi putaverant judicans damnat. Terra longior, quia longanimitatem nostram patientia divinae longanimitatis exsuperat, quae nos et

peccantes tolerat, et conversos ad praemia remunerationis exspectat. Mari latior, quia ubique facta peccantium **346** retributionis suae praesentia occupat, ut et cum non praesens per speciem cernitur, praesens per iudicium sentiatur.

15. *Qui homo coelum, infernus, terra, mare. Dei latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.*---Cuncta tamen ad solum referri hominem possunt, ut ipse sit coelum cum jam per desiderium summis inhaereat; ipse infernus, cum, temptationum suarum caligine perturbatus, in infimis jacet; ipse terra, quia in bono opere fixae spei ubertate fructificat; ipse mare, quia in quibusdam trepidus quatitur, et aura suae mutabilitatis agitur. Sed coelo est excelsior Deus, quia potentiae ejus magnitudine vincimur, etiam cum super nosmetipsos elevamur; inferno profundior, quia nimirum plus judicat quam ipse se humanus animus in temptationibus investigat; terra longior, quia fructus vitae, quos in fine retribuit, nequaquam nunc vel spes nostra comprehendit; mari latior, quia humana mens fluctuans multa de his quae ventura sunt conjicit, sed cum jam cernere quae aestimaverat coeperit, angustam se fuisse in sua aestimatione cognoscit. [*Vet. XI.*] Excelsior igitur coelo fit cum ipsa in eum nostra contemplatio deficit. Unde et cor Psalmista in altum posuerat, sed necdum se eum contigisse sentiebat, dicens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, nec potero ad eam* (**Psal. CXXXVIII, 6**). Inferno profundiores noverat, qui semetipsum discutiens, sed ejus subtiliora iudicia pertimescens, dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est* (**I Cor. IV, 4**). Longiorem terra viderat, cum minora ei esse humanae

mentis vota pensabat, dicens: *Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus (Ephes. III, 20)*. Latiorem mari conspexerat, qui timendo pensabat quia nequaquam mens humana immensitatem distractionis ejus agnosceret, quantumlibet inquirendo fluctuaret, dicens: *Quis novit potestatem irae tuae, aut prae timore iram tuam dinumerare (Psal. LXXXIX, 11)*? Cujus bene potentiam egregius nobis doctor insinuat, cum breviter narrat: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum (Ephes. III, 18)*. Habet quippe Deus latitudinem, quia dilectionem suam usque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitae patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem, quia ipsorum quoque intelligentiam qui recepti in supernam fuerint congregationem transcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius distractionis suae iudicium incomprehensibiliter exierit. Quae scilicet quatuor nobis in hac vita positae singulis exercet, quia et latitudinem amando, et longitudinem tolerando, et celsitudinem, non solum nostram intelligentiam, sed etiam vota superando, et profunditatem suam exhibet, occultos et illicitos cogitationum motus districte iudicando. Sed ejus celsitudo et profunditas quam sit investigabilis nullus agnoscit, nisi qui vel contemplatione ad summa provehi, vel, occultis motibus resistens, tentationum coeperit importunitate turbari. Unde et beato Job dicitur: *Excelsior coelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* Ac si ei aperto despectu diceretur: Profunditatem ejus **347** atque excellentiam quando tu cognoscere sufficis, qui vel virtute ad summa evehi, vel temetipsum reprehendere in tentationibus nescis. Sequitur:

CAPUT X. [Rec. VIII].

VERS. 10.---*Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest, Cur ita facis?*

16. *Quomodo Deus in nobis coelum, infernum, terram, mare subvertat.*---Subvertit Dominus coelum cum terribili et occulta dispensatione humanae contemplationis celsitudinem destruit. Subvertit infernum cum cujuslibet mentem in suis tentationibus pavidam cadere etiam ad deteriora permittit. Subvertit terram cum fructificationem boni operis adversis irruentibus intercidit. Subvertit mare cum fluctuationem nostrae titubationis emergente subito pavore confundit. Dubietate quippe sua cor anxium hoc ipsum quia titubat valde formidat, et quasi mare subvertitur cum ipsa in Deum nostra trepidatio, considerato ejus judicii terrore, turbatur. [*Vet. XII.*] Quia igitur quomodo coelum vel infernus, terra vel mare, subvertitur breviter diximus, nunc aliquantulum laboriosius restat ut haec qualiter in unum coarctari valeant, demonstremus.

17. *Coelum et infernus simul, in una mente contemplatio et carnis tentatio.*---Saepe namque contingit ut ad summa jam mentem spiritus elevet, sed tamen hanc importunis cario tentationibus impugnet. Cumque ad contemplanda coelestia animus ducitur, objectis actionis illicitae imaginibus reverberatur. Nam carnis repente hunc stimulus sauciat quem extra carnem contemplatio sancta rapiebat. Coelum ergo simul infernusque coarctatur cum unam eandemque mentem

et sublevatio contemplationis illuminat, et importunitas tentationis obscurat; ut et videat intendendo quod appetat, et succumbendo in cogitatione toleret quod erubescat. De coelo quippe lux oritur, infernus autem tenebris possidetur. In unum ergo coelum infernusque redigitur cum mens, quae jam lucem patriae supernae considerat, etiam de carnis bello tenebras occultae tentationis portat. Certe jam Paulus tertii coeli culmen ascenderat, jam paradisi secreta cognoverat, et tamen adhuc carnis bella tolerans gemebat, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis* (**Rom. VII, 23**). Quid ergo in hujus tanti praedicatoris pectore nisi coelum Deus infernumque coarctaverat, qui et visionis intimae jam lumen acceperat, et tamen adhuc tenebras de carne tolerabat? Super se viderat quod laetus appeteret, in se cernebat quod metuens doleret. Jam coelestis patriae lux irradiaverat, sed adhuc tentationis obscuritas animum confundebat. Cum coelo ergo infernum pertulit, quia et illuminatum securitas erexit, et tentatum gemitus stravit.

18. *Terra et mare simul, fidei certitudo cum aliquantula dubietate.*---Et saepe contingit ut fides in mente jam vigeat, sed tamen ex parte aliquantula in dubietate contabescat; quatenus et certa se a visibilibus eleve, et ex quibusdam sese incerta perturbet. Nam plerumque ad aeterna appetenda se erigit, et subortis cogitationum stimulis agitata, sibimet ipsa contradicit. [*Vet. XIII.*] In unum ergo terra mareque coarctatur cum unam eandemque mentem, et certitudo solidae fidei roborat, et tamen ex aliquantula **348** mutabilitate perfidiae aura dubietatis versat. An non in suo pectore coarctari terram mareque cognoverat, qui et per fidem sperans, et per

infidelitatem fluctuans, dicebat: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (**Marc. IX, 23**)? Quid itaque est, quod et se credere asserit, et adjuvari in se incredulitatem quaerit, nisi quod coarctari in suis cogitationibus terram cum mari deprehenderat, qui et exorare certus jam per fidem coeperat, et adhuc incertus undas perfidiae ex incredulitate tolerabat?

19. *Cur mentem ad recta surgentem Deus impugnari sinat.*--
-Quod tamen occulta fieri dispensatione permittitur, ut cum mens jam surgere ad rectitudinem coeperit, pravitatis suae reliquiis impugnetur; quatenus haec ipsa impugnatio, aut resistentem exerceat, aut delectationibus seductam frangat. Recte itaque nunc dicitur: *Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest: Cur ita facis?* quia nimirum divinum iudicium nec adversitate valet imminui, nec inquisitione cognosci, cum vel virtutes quas tribuerat subtrahit, vel has omnino non adimens, vitiorum concuti impugnatione permittit. Saepe namque in elationem cor tollitur cum laetis successibus in virtute roboratur, sed dum latentes motus audaciae in cogitatione conditor conspicit, se sibi hominem ostendendo derelinquit, ut ejus mens derelicta quid sit inveniatur, quae male in se secreta gaudebat. Unde cum subverti omnia, vel in unum coarctari, dicerentur, protinus additur:

CAPUT XI [*Rec. IX*].

VERS. 11.---*Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat?*

20. *Vanitatis ab iniquitate discrimen.*---Ac si praemissa patefaciendo subjungeret, dicens: Quia tolerando succrescere vitia conspicit, judicando dona confundit. Rectus vero in descriptione ordo servatur, cum prius nosci vanitas, et post considerari iniquitas perhibetur. Omnis quippe iniquitas, vanitas, non tamen omnis vanitas esse iniquitas solet. Vana namque agimus quoties transitoria cogitamus. Unde et evanescere dicitur quod repente ab intuentium oculis aufertur. Hinc Psalmista ait: *Universa vanitas omnis homo vivens* (**Psal. XXXVIII, 6**); quoniam per hoc quod vivendo ad interitum tendit, recte quidem vanitas dicitur, sed nequaquam recte etiam iniquitas appellatur, quia etsi de poena est culpae quod deficit, non tamen hoc ipsum culpa est, quod a vita percurrit. Vana sunt itaque, quae transeunt. Unde et per Salomonem dicitur: *Omnia vanitas* (**Eccle. I, 2**).

21. *Vanitas ducit ad iniquitatem. Vanitas mentem obnubilat, iniquitas caecat.*---Apte autem post vanitatem protinus iniquitas subinfertur, quia dum per quaedam transitoria ducimur, in quibusdam noxie ligamur; cumque mens incommutabilitatis statum non tenet, a semetipsa defluens, ad vitia prorumpit. Vanitate ergo ad iniquitatem labitur, quae assueta rebus mutabilibus, dum ex aliis ad alia semper impellitur, suborientibus culpis inquinatur. [*Vet. XIV.*] Potest tamen et vanitas culpa intelligi, et iniqua is nomine reatus gravior demonstrari. Si enim aliquando vanitas culpa non esset, Psalmista non diceret: *Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur; thesaurizat, et ignorat cui congreget ea* (**Psal. XXXVIII, 8**); quia quamvis Trinitatis imaginem in natura servemus, vanis tamen delectationis motibus **349** perturbati, in conversatione nostra

delinquimus; ut modis nos semper alternantibus cupido concutiat, metus frangat, laetitia mulceat, dolor affligat. Ex vanitate ergo, ut et superius dictum est, ad iniquitatem ducimur cum prius per levia delicta defluimus, ut, usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitae remissionis capta, audax ad noxia prorumpit; dum gulae incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur; cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque et ad perfidiae voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israeliticae damna conspiciens, ut imminetia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: *Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam eorum, quemadmodum scriptum est (I Cor. X, 7): Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (Exod. XXXII, 6)*. Esus quippe potusque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur, Salomone attestante, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidit (Eccle. XIX, 1)*. Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus. Et notandum quod non videri, sed considerari iniquitas dicitur. Studiosius quippe conspiciamus quae consideramus. Deus itaque hominum vanitatem novit, iniquitatem considerat, quia nec minora delicta inulta deserit, et ad majora ferienda sese intentius accingit. Quia igitur a levioribus malis incipitur, et ad graviora pervenitur; vanitas mentem obnubilat, iniquitas caecat. Quae nimirum mens, amisso mox lumine, tanto se altius per tumorem erigit, quanto et iniquitatis capta laqueis a veritate longius recedit. Unde et apte quoque quo vanitas cum iniquitate pertrahat, exprimit, cum repente subjungit:

CAPUT XII [*Rec. XV, Rec. X*].

VERS. 12.---*Vir vanus in superbiam erigitur.*

22. *Vanitas audacem ex culpa reddit, et in naturae motibus effrenum.*---Vanitatis quippe finis est, ut cum peccato mentem sauciat, hanc ex culpa audacem reddat; quatenus, sui reatus oblita, quae amisisse se innocentiam non dolet, justo excaecata iudicio, simul et humilitatem perdat. Et fit plerumque ut, pravis desideriis serviens, a iugo se divini timoris excutiat, et, quasi in malorum perpetrationem jam libera, omne quod voluptas suggerit implere contendat. Unde cum vir vanus se erigere in superbiam dicitur, illico subinfertur:

CAPUT XIII.

IBID.---*Et quasi pullum onagri se liberum natum putat.*

23. Per pullum quippe onagri omne agrestium genus exprimitur, quod, naturae dimissum motibus, loris dominantium non tenetur. Agri namque animalia in libertate habent et ire quo appetunt, et quiescere cum lassantur. Et quamvis insensatis animalibus homo longe sit melior; hoc tamen plerumque homini non licet quod brutis animalibus licet. Quae enim ad aliud minime servantur, eorum motus procul dubio nequaquam sub disciplina restringitur. Homo

autem qui ad sequentem vitam ducitur, necesse profecto est ut in cunctis suis motibus **350** sub disciplinae dispositione religetur, et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque aeternis dispositionibus restrictum vivat. Qui ergo implere cuncta quae desiderat per effrenatam libertatem quaerit, quid aliud quam pullo onagri esse similis concupiscit, ut disciplinae hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat?

24. *Lora quibus nos Deus coercet ac regit.*---Saepe autem divina miseratio, quos prodire in effrenationem illicitae libertatis conspicit, objectione properae adversitatis frangit, quatenus elisi discant quam reproba erectione tumuerant; ut jam flagelli experimentis edomiti, quasi jumenta domestica praeceptorum loris mentis colla subjiciant, et vitae praesentis itinera ad nutum praesidentis pergant. Quibus bene loris ligatum se noverat, qui dicebat: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (Psal. LXXII, 23)*. Unde et saevus ille persecutor ab agro perfidae voluptatis ad domum fidei deductus, rectoris sui calcaribus punctus, audiebat: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare (Act. IX, 5)*. Restat ergo ut si esse jam similes pullo onagri nolumus, in cunctis quae appetimus nutum prius intimae dispensationis exquiramus, ut mens nostra in omne quod nititur, superni regiminis loro teneatur; et inde magis vota sua ad vitam impleat, unde vitae suae studia et contra propriam voluntatem calcat. Multa Sophar fortia protulit, sed quod meliori se haec loquitur nescit. Unde adhuc increpando subjungit:

CAPUT XIV.

VERS. 13.---*Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas.*

25. *Sophar arguit Job animi obdurati et superbi. Illum imitantur mali et haeretici adversus bonos et catholicos.*---

Firmati cor non hoc loco per virtutem dicitur, sed per insensibilitatem. Omnis namque a intus qui distractionis intimae considerationi se subjicit, ex ejus protinus timore mollescit; eumque sagitta divinae formidinis penetrat, quia infirma viscera per humilitatem gestat. Quisquis autem pertinacia insensibilitatis obdurescit, quasi cor firmat, ne hoc jacula timoris superni confodiant. Unde quibusdam per prophetam Dominus misericorditer dicit: *Tollam vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum (Ezech. XXXVI, 26).* Cor quippe lapideum tollit cum a nobis superbiae duritiam subtrahit, et cor carneum tribuit cum eadem protinus nostram duritiam ad sensibilitatem vertit. Per manus vero, ut jam crebro docuimus, opera designantur. Cum culpa igitur manus ad Deum expandere est contra largitoris gratiam de virtute operum superbire. Qui enim in conspectu aeterni judicis loquens sibi bona quae facit tribuit, ad Deum manus superbiens tendit. Sic profecto contra electos reprobi, sic contra catholicos haeretici semper effrenantur, ut cum objurgare facta nequeunt, bonos reprehendere de factorum elatione moliantur, quatenus eos quos redarguere ex infirmitate actionis non valent, ex crimine tumoris accusent. Unde et ea bona quae exterius fiunt, nequaquam bona esse jam censent, quae quasi per studium turgidae cogitationis exhibentur. Qui saepe humilia tumentes

increpant, et quod dictis suis semetipsos feriunt ignorant. **351** Sed quia justum virum Sophar hactenus reprehendendo corripuit, nunc velut docendo subjungit:

CAPUT XV [*Vet. XVI, Rec. XI*].

VERS. 14, 15.---*Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis.*

26. *Ut mens sit munda, prius operis, tum cordis iniquitas resecanda.*---Omne peccatum aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul et opere perpetratur. Iniquitas ergo in manu est culpa in opere, injustitia vero in tabernaculo iniquitas in mente. Mens quippe nostra tabernaculum non incongrue vocatur, in qua apud nosmetipsos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Sophar itaque, quia justus viri amicus est, novit quod dicat; sed quia justum increpat, haereticorum tenens speciem, proferre recte etiam quae novit ignorat. Sed nos calcantes hoc, quod ab eo tumide dicitur, pensemus ejus verba quam vera sint, si recte dicerentur. Prius enim a manu iniquitatem subtrahi, et post a tabernaculo admonet injustitiam abscidi, quia quisquis jam prava a se opera exterius resecat, necesse profecto est ut, ad semetipsum rediens, solerter sese in mentis intentione discernat; ne culpa, quam jam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret. Unde bene etiam per Salomonem dicitur: *Praepara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum*

tuum, ut postea aedifices domum tuam (Prov. XXIV, 27). Quid namque est praeparato opere agrum diligenter exterius exercere, nisi evulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem retributionis excolere? Et quid est post agri exercitium ad aedificium domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus quantam vitae munditiam in cogitatione construamus? Pene cuncta namque bona opera ex cogitatione prodeunt, sed sunt nonnulla cogitationis acumina, quae ex operatione nascuntur; nam sicut ab animo opus sumitur, ita rursus ab opere animus eruditur. Mens quippe divini amoris exordia capiens imperat bona quae fiant; sed postquam fieri imperata coeperint, ipsis suis exercitata actionibus discit, cum imperare bona inchoaverat, quantum minus videbat. Foris ergo ager excolitur, ut domus postmodum construatur, quia plerumque ab exteriori opere sumimus, quantam subtilitatem rectitudinis in corde teneamus. Quem bene Sophar servare ordinem studuit, cum prius auferri iniquitatem a manibus, et post a tabernaculo injustitiam dixit, quia nequaquam plene animus in cogitatione erigitur, quando adhuc ab eo extrinsecus in opere erratur.

[*Vet. XVII.*] 27. *Haec munditia fiduciam praestat in oratione; secus, si desit.*---Quae si perfecte duo haec tergemus, ad Deum statim sine macula faciem levamus. Interna quippe facies hominis mens est, in qua nimirum recognoscimur, ut ab auctore nostro dirigamur. Quam scilicet faciem levare est in Deo animum per studia orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat, quia a spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus necdum devictae culpae memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quae profecto

reminiscitur nolle se adhuc facere quod divinitus audivit. **352** Hinc per Joannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, et quidquid petierimus ab eo accipiemus (I Joan. III, 21)*. Hinc Salomon ait: *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. XXVIII, 9)*. Cor quippe nos in petitione reprehendit cum resistere se praeceptis ejus quem postulat meminit, et oratio fit execrabilis cum a censura avertitur legis, quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus.

28. *Cum non adest, quid agendum.*---Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpa reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum nimis est ne ad hoc rursus proruat quod se mundasse fletibus exsultat, ne dum deplorata iterum culpa committitur, in conspectu justi judicis ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur: *Ne iteres verbum in oratione tua (Eccli. VII, 15)*. Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet saepe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: Cum male gesta deflexeris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterum plangas.

29. *Ante orationem immundae ac terrenae cogitationes ablegandae.*---Ut ergo ad precem facies sine macula levetur, ante orationis semper tempora debet sollicite conspici quidquid potest in oratione reprobari; talemque se mens et cum ab oratione cessat exhibere festinet, qualis apparere judici in ipso orationis tempore exoptat. Saepe namque

immunda quaedam vel illicita in animo versamus, quoties a precibus vacamus. Sed cum se mens ad studia orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur; et quasi jam faciem anima ad Deum levare non sufficit, quia in se nimirum inquinata mente maculas pollutae cogitationis erubescit. Saepe curis mundi libenter occupamur. Cumque post haec studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad coelestia erigit, quia pondus hanc terrenae sollicitudinis in profundum mersit; et in prece facies munda non ostenditur, quia cogitationis infimae luto maculatur.

[*Vet. XVIII.*] 30. *Aliena in nos delicta relaxanda. Quis a timore liber.*---Nonnunquam vero cor a cunctis excutimus, et illicitis motibus, etiam cum a prece vacat, obviamus; sed tamen quia nos culpas rarius committimus, aliena pigrius delicta relaxamus; et quo peccare noster animus sollicitius metuit, eo districtius hoc quod in se ab alio delinquitur abhorrescit. Unde fit ut eo inveniatur quisque tardus ad veniam, quo proficiendo factus est cautus ad culpam; et quo ipse excedere in alterum metuit, hoc quod in se exceditur punire durius exquirat. Sed quid hac doloris macula reperiri deterius potest, quae in conspectu iudicis charitatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animae quaelibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet a transfixo corde, si prius non educitur, nihil in precibus divinae opis obtinetur, quia et vulneratis membris imponi salutis medicamina **353** nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus peccata*

eorum, nec Pater vester qui in coelis est remittet vobis peccata vestra (Matth. VI, 15). Hinc admonet, dicens: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus alterum (Marc. XI, 25).* Hinc rursum ait: *Date, et dabitur vobis; dimittite, et dimittetur vobis (Luc. VI, 38).* Hinc constitutioni postulationis conditionem posuit pietatis, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. VI, 12);* ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc igitur vere sine macula faciem levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quae in nos commissa sunt ex proprio zelo retinemus. Gravi namque mens nostra orationis suae tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienae malitiae servatus dolor accusat. Quae duo quisque dum terserit, ad ea quae subnexa sunt protinus liber exsurgit. *Et eris stabilis, et non timebis;* quia nimirum tanto minus iudicem trepidat, quanto in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem servat, quia dum sollicitus studet peragere quod mansuete conditor imperat, securus etiam cogitat quod terribiliter intentat.

31. *In activa vita facilius perseveratur quam in contemplativa. Quis in contemplatione persistere censeatur.* --Sciendum praeterea est quod nonnulla bona sunt ad quae indefessi persistimus, et rursum nonnulla sunt a quibus continue deficientes labimur, atque ad haec magnis conatibus per intervalla temporum reformamur. [*Vet. XIX.*] In activa etenim vita sine defectu mens figitur, a contemplativa autem infirmitatis suae pondere victa lassatur. Illa quippe tanto firmitus durat, quanto ad vicina se erga utilitatem proximi

dilatatur; haec tanto celerius labitur, quanto et carnis claustra transgrediens, super semetipsam ire conatur. Illa per plana se dirigit, et idcirco pedem operis robustius figit; haec autem quo super se alta appetit, ad se citius fessa descendit. Quod bene ac breviter Ezechiel insinuat, cum eorum quae viderat motus animalium narrat, dicens: *Non revertebantur cum incederent*. Et paulo post subjicit, adjungens: *Et animalia ibant, et revertebantur* (Ezech. I, 9, 14). Sancta quippe animalia aliquando vadunt, et minime redeunt; aliquando vadunt, et protinus revertuntur, quia electorum mentes cum per collatam sibi activae vitae gratiam erroris vias deserunt, redire ad mala mundi nesciunt quae reliquerunt; cum vero per contemplationis aciem ab hac se eadem activa vita suspendunt, eunt et redeunt, quia per hoc quod diu persistere minime in contemplatione sufficiunt, sese iterum ad operationem fundunt; ut in his quae sibi juxta sunt se exercendo refoveant, et super se rursum surgere contemplando convalescant. Sed dum haec eadem contemplatio more debito per temporum intervalla repetitur, indeficienter procul dubio et in ejus soliditate persistitur, quia etsi infirmitatis suae pondere superata mens deficit, hanc tamen iterum continuis conatibus reparata comprehendit. Nec stabilitatem suam in ea perdidisse dicenda est, a qua etsi semper deficit, hanc et cum perdiderit semper inquit. Sequitur:

CAPUT XVI [*Rec. XII*].

VERS. 16.---**354** *Miseriae quoque oblivisceris, et quasi aquarum quae praeterierint, non recordaberis.*

32. *Mala vitae hujus gravia non sunt aeterna bona cogitanti.*-

--Mala vitae praesentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum quod sequitur, negligit; et quo non vult praemia considerare quae restant, gravia aestimat esse quae tolerat. Unde et contra flagelli ictum cogitatio caeca conqueritur, et quasi infinita calamitas creditur, quae diebus cursu labentibus quotidie finitur. At si semel quisque ad aeterna se erigat, atque in his quae incommutabiliter permanent oculum cordis figat, prope nihil esse hic conspicit quidquid ad finem currit. Praesentis vitae adversa tolerat, sed quasi nihil esse omne quod labitur pensat. Quo enim se internis gaudiis robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. Unde Sophar nequaquam veritus ausu temerario docere meliorem, exhortatur ad justitiam, et demonstrat quam nulla justis oculis videatur poena. Ac si aperte dicat: Si degustas gaudium quod intus permanet, leve fit protinus omne quod foris dolet. Bene autem praesentis vitae miseras aquis praetereuntibus comparat, quia calamitas transiens, electi mentem nequaquam vi concussionis obruit, sed tamen tactu moeroris infundit. Nam madet quidem per cruorem vulneris, etsi a suae certitudine non frangitur salutis. [*Vet. XX.*] Saepe autem non solum flagella atterunt, sed in uniuscujusque justis animis malignorum quoque spirituum tentamenta grassantur, ut exterius ex percussione doleat, et intus aliquatenus ex tentatione frigescat. Sed nequaquam gratia deserit, quae quo nos durius ex dispensatione percutit, eo amplius ex pietate custodit. Nam cum tenebrescere per

tentationem coeperit, sese iterum lux interna succendit. Unde et subditur:

CAPUT XVII.

VERS. 17.---*Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.*

33. *Virtus renovatur in tentatione.*---Fulgor quippe meridianus in vespere est virtutis renovatio in tentatione, ut repentino charitatis fervore mens vigeat, quae jamjamque lumen sibi gratiae occubuisse formidabat. Quod adhuc Sophar subtilius aperit, cum subjungit:

CAPUT XVIII.

IBID.---*Et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

34. *Tristitia ex tentatione, Dei misericordiam pro nobis exorat. Justus, lucifer.*---Saepe namque tot tentamenta nos obsident, ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum desperationis inclinet. Unde plerumque cum mens in taedium vertitur, vix ipsa virtutis suae damna considerat; et tota dolens, sed quasi jam et a sensu doloris aliena, frangitur, et enumerare non valet quanto cogitationum tumultu vastatur. Ruituram se per momenta conspicit, eique ne arma repugnationis arripiat gravius moeror ipse contradicit. Circumductos quolibet oculos obscuritas obsidet, et cum

visum tenebrae semper impedian, moesta mens nihil aliud quam tenebras videt. Sed apud misericordem judicem saepe haec ipsa, quae adnissum quoque orationis aggravat, pro nobis subtilius tristitia exorat. Nam tunc moeroris nostri caliginem conditor conspicit, et subtracti luminis radios refundit, ita ut erecta protinus per dona mens vigeat, quam paulo ante decertantia vitia superbiae calce deprimebant. Mox torporis pondus discutit, atque ad contemplationis lumen posturbationis suae tenebras erumpit. Mox in gaudium profectus **355** attollitur, quae inter tentamenta pejus cadere ex desperatione cogeatur. Sine cogitationis certamine praesentia despicit, sine dubitationis obstaculo de ventura retributione confidit. Justus ergo cum se consumptum putaverit, ut lucifer oritur, quia mox ut tenebrescere tentationum caligine coeperit, ad lucem gratiae reformatur, et in se ipso monstrat diem justitiae, qui casurus paulo ante timuit noctem culpae. Recte autem lucifero justus vita comparatur. [*Vet. XXI.*] Solem quippe praecurrens lucifer, diem nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia nisi sequentis judicis claritatem clamat? In eorum namque admiratione conspiciamus quid de maiestate veri luminis aestimemus. Necdum Redemptoris nostri potentiam videmus, sed tamen virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia igitur bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis objicit, clarus ad nos lucifer ante solem venit.

35. Justus dura hic patitur, sed bene ei erit in extremis. Jam ab hinc foris cadens, intus innovatur.---Sciendum vero est quod haec quae ex tentationum spiritalium adversitate discussimus, juxta exteriora quoque mala nil obstat intelligi.

Sancti etenim viri quia summa medullitus diligunt, in infimis dura patiuntur; sed in fine gaudii lumen inveniunt, quod habere in hoc spatio percurrentis vitae contemnunt. Unde nunc per Sophar dicitur: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum*. Peccatoris enim lumen in die est obscuritas in vespere, quia in praesenti vita felicitate attollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur. Justo autem meridianus fulgor ad vesperum surgit, quia quanta sibi claritas maneat cum jam occumbere coeperit agnoscit. Hinc namque scriptum est: *Timenti Deum bene erit in extremis* (**Eccli. I, 13**). Hinc per Psalmistam dicitur: *Cum dederit dilectis suis somnum, haec est haereditas Domini* (**Psal. CXXVI, 2**). Qui in hujus quoque vitae adhuc certamine positus, cum se consumptum putaverit, ut lucifer oritur, quia foris cadens, intus innovatur; et quo magis exterius adversa tolerat, eo uberius virtutum lumine interius coruscat, Paulo attestante, qui ait: *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (**II Cor. IV, 16**). Et notandum quod nequaquam cum consumptus fueris, sed cum te consumptum putaveris dicit, quia et quod videmus in dubietate est, et quod speramus in certitudine. Unde et isdem Paulus non se consumptum noverat, sed putabat, qui et in adversa tribulationum corruens ut lucifer resplendebat, dicens: *Quasi morientes, et ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes* (**II Cor. VI, 9**). [*Vet. XXII.*] Sciendum quoque est quod bonorum mens quo duriora pro veritate tolerat, eo aeternitatis praemia certius sperat. Unde et apte subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 18.---*Et habebis fiduciam, proposita tibi spe.*

36. *Eo certius in Deum sperat, quo duriora pro illo patitur.*--
-Tanto namque spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de aeternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. **356** Hinc enim per Psalmistam dicitur: *Euntes, ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos (Psal. CXXV, 6).* Hinc Paulus ait: *Si commorimur, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus (II Tim. II, 11).* Hinc discipulos admonet, dicens: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei (Act. XIV, 21).* Hinc sanctorum gloriam Joanni angelus indicans, ait: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni (Apoc. VII, 14).* Quia igitur nunc per tribulationem seritur, ut post gaudii fructus metatur, tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Unde apte protinus adjungitur:

CAPUT XX.

IBID.---*Et defossus securus dormies.*

37. *Malis praesens securitas laborem, bonis praesens labor securitatem parit.*---Sicut enim malis praesens securitas laborem, ita bonis praesens labor perpetuam securitatem parit. Unde et defossum se securum dormire jam noverat, qui dicebat: *Ego enim jam delibor, et tempus meae resolutionis instat; bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita mihi est corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex (II Tim. IV, 6).* Quia enim contra mala transeuntia sine defectu certaverat, de mansuris nimirum gaudiis sine dubietate praesumebat.

38. *A terrenis curis liberi quies et opus.*---Quamvis defossus intelligi et aliter potest. Saepe namque, rebus transitoriis occupati, pensare negligimus per quanta peccamus; sed si, reducto considerationis oculo, a sinu cordis terrenae cogitationis agger excutitur, quidquid in mente latebat invenitur. Unde sancti viri animorum latebras perscrutari non desinunt, sese subtiliter indagantes, terrenarum rerum curas abjiciunt, et, effossis plene cogitationibus, cum nullo se reatu criminis morderi deprehendunt, velut in strato cordis apud se securi requiescunt. Latere quoque ab hujus mundi actibus appetunt, semper sua considerant, et cum loro regiminis minime constringuntur, judicare quae aliena sunt recusant. Effossi ergo securi dormiunt, quia dum sua intima vigilanter penetrant, a laboriosis se hujus mundi oneribus sub quietis otio occultant. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XXI.

VERS. 19.---*Requiesces, et non erit qui te exterreat.*

39. *Aeternis inhians nihil timet a mundo.*---Quisquis praesentem gloriam quaerit, profecto despectum metuit. Qui semper ad lucra inhiat, semper videlicet damna formidat. Cujus enim perceptione reficitur, ejus rei procul dubio et amissione sauciatur; et quo obligatus mutabilibus ac perituris inhaeret, eo longe in infimis ab arce securitatis jacet. At contra quisquis in solo aeternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur; dum nil habet in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat. Hinc etenim Salomon ait: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit (Prov. XII, 21).* Hinc iterum dicit: *Justus quasi leo confidens absque terrore erit (Prov. XXVIII, 1).* Bene itaque nunc dicitur: *Requiesces, et non erit qui te exterreat (Job. XI, 19),* quia tanto quisque a se plenius pavorem qui ex mundo est abjicit, quanto in semetipso verius mundi concupiscentiam vincit. An non 357 absque terrore Paulus in corde requieverat, qui dicebat: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro (Rom. VIII, 38)?* Cujus videlicet fortitudo charitatis, vera sanctae Ecclesiae voce laudatur, cum per canticorum Canticum dicitur (Cant. VIII, 6): *Valida est ut mors dilectio (De poenit., dist. 2, cap. 4).* Virtuti etenim mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a delectatione mundi funditus occidit; et tanto hanc valentius in auctoritatem erigit, quanto et insensibilem contra terrores reddit. [*Vet. XXIII.*] Sed inter haec sciendum est quod

pravi cum recta praedicant, valde difficile est ut ad hoc quod taciti ambiunt non erumpant. Unde et Sophar protinus adjungit:

CAPUT XXII.

IBID.---*Et deprecabuntur faciem tuam plurimi.*

40. *Recti non ambiunt intercessores pro aliis videri.*---Neque enim justī viri idcirco se per innocentiae itinera arcta custodiunt, ut ab aliis exorentur. Sed sive haeretici, seu perversi quilibet, per hoc quod inter homines quasi innocenter vivunt, videri intercessores pro hominibus volunt; et cum sancta loquentes insinuant, quod ipsi appetunt, hoc aliis pro magno pollicentur; dumque coelestia praedicant, in suis repente sponsonibus ostendunt quod amant. Sed ne diu terrena pollicendo pateant quod sunt, ad verba rectitudinis citius recurrunt. Unde mox subditur.

CAPUT XXIII [*Rec. XIII*].

VERS. 20.---*Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis.*

41. *Impiis a miseria hic aliquod effugium; post mortem nullum.*---Quod oculorum nomine vis intentionis exprimitur, per Evangelium Veritas attestatur, dicens: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (**Matth. VI,**

22); quia videlicet si operationem nostram intentio munda praevenit, quamlibet aliter hominibus videatur, interni tamen iudicis oculis mundum subsequentis actionis corpus ostenditur. Oculi ergo impiorum sunt intentiones in eis carnalium desideriorum. Qui idcirco deficiunt, quia aeterna negligunt, et sola semper transitoria praestolantur. Adipisci quippe terrenam gloriam cogitant, multiplicari rebus temporalibus exoptant, ad mortem quotidie cursu rerum labentium tendunt; sed cogitare mortalia mortaliter nesciunt. Carnis vita per momenta deficit, et tamen carnale desiderium crescit. Res habita instanti fine corripitur, et habendi anxietas non finitur. Sed cum mors impios subtrahit, eorum profecto desideria cum vita terminantur. Quorum scilicet oculi tunc superna ultione deficiunt, quia suo hic iudicio a terrena deficere delectatione noluerunt. Hos illorum oculos a iucunditate pristina claudi Psalmista conspexerat, cum dicebat: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (**Psal. CXLV, 4**); quia et aeterna mala nunquam cogitata reperiunt, et subito amittunt bona temporalia quae diu tractata tenuerunt. A quibus et omne effugium perit, quia eorum malitia ab animadversione districti iudicis quo se valeat occultare non invenit. Nam nunc iniqui cum tristitia aliqua, vel adversa patiuntur, effugii latebras inveniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt. Ne enim **358** paupertas cruciet, divitiis animum demulcent. Ne despectus proximorum deprimat, sese dignitatibus exaltant. Si fastidio corpus atteritur, antepositis epularum diversitatibus nutritur. Si quo animus moestitiae impulsu dejicitur, mox per interposita jocorum blandimenta relevatur. Tot ergo hic habent effugia, quot sibi praeparant delectamenta. Sed quandoque eis effugium perit, quia eorum mens, amissis

omnibus, se solummodo et judicem conspicit. Tunc voluptas subtrahitur, sed voluptatis culpa servatur, et repente miseri pereundo discunt quia peritura tenuerunt. Qui tamen quousque corporaliter vivunt quaerere nocitura non desinunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXIV.

IBID.---*Et spes illorum abominatio animae.*

42. *Quod iniquo voluptas, hoc poena est justo. Unde reficitur caro, inde deficit spiritus.*---Quid hic peccator totis cogitationibus sperat, nisi ut potestate caeteros transeat, cunctos rerum multiplicitate transcendat, adversantes dominando subjiciat, obsequentibus mirandus innotescat, irae ad votum satisfaciat, benignum se, cum laudatur, ostendat; quidquid gula appetit, offerat; ad hoc quod voluptas imperat, operis expletionem concurret? Bene ergo spes illorum abominatio animae dicitur, quia et ea quae carnales ambiunt spirituales quique judicio rectitudinis aversantur. Nam quod peccatores voluptatem aestimant, hoc justis procul dubio poenam putant. [*Vet. XXIV.*] Abominatio igitur est animae, spes pravorum, quia nimirum spiritus deficit, ubi caro requiescit. Ut enim caro mollibus, sic anima duris nutritur: illam blanda refovent, hanc aspera exercent; illa delectationibus pascitur, haec amaritudinibus vegetatur. Et sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant; sicut illam laboriosa interimunt, ita hunc delectabilia extinguunt.

Spes itaque carnalium, abominatio animae dicitur, quia inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter vivit.

43. *Recte dicta saepe corrumpit loquentis indiscretio.*---Sed haec Sophar recte diceret, nisi beatus Job cuncta largius etiam vivendo praedicasset. At postquam sanctiorem monere de vita nititur, doctioremque se erudire sapientiae magisterio conatur, ipse dictorum suorum pondus levigat, qui, indiscretione interposita, omne quod loquitur destruit, quia liquorem scientiae pleno vasculo superfundit. Sic namque ab indiscretis opes scientiae, sicut a stultis saepe opes corporalis substantiae possidentur. Nonnulli enim, qui rerum terrenarum multiplicitate subnixi sunt, aliquando multa et habentibus tribuunt, ut ipsi haec cunctis largius habere videantur. Ita perversi, cum vera sapiunt, recta quaedam etiam rectoribus loquuntur; non ut alios audientes doceant, sed ut ipsi quanta doctrina polleant, innotescant. Praeire se quippe sapientia cunctos existimant, et idcirco nihil se cuilibet dicere ultra mensuras suae magnitudinis putant. Sic pravi quilibet, sic omnes haeretici superba voce meliores docere non metuunt, quia omnes se inferiores arbitrantur. [*Vet. XXIV.*] Sed sancta Ecclesia elatos quosque ab aestimationis suae culmine revocat, et discretionis manu ad aequalitatis compagem reformat. Unde beatus Job, qui ejusdem sanctae Ecclesiae membrum est, videns quod amicorum mens per verba prolatae eruditionis intumuit, illico respondit, dicens:

CAPUT XXV [*Vet. XXV*].

CAP. XII, VERS. 2.---**359** *Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia.*

44. *Superbe sapientis fatuitas.*---Quisquis se praeire omnes ratione existimat, quid iste aliud quam solum se esse hominem exsultat? Et saepe contingit ut cum per tumorem mens in altum ducitur, in despectum omnium et sui admirationem sublevetur. In cogitatione etenim proprii favores oriuntur, sibi que de singularitate sapientiae blanditur ipsa fatuitas. Pensat ea quae audierit, ac verba quae profert; et miratur sua, ridet aliena. Qui ergo solum se sapere aestimat, quid aliud quam hanc eandem secum mori sapientiam putat? Nam quam adesse aliis abnuit, soli sibi hanc tribuens, profecto intra tempora suae brevitatis claudit. Pensandum vero est vir sanctus quanta discretione utitur, ut amicorum superbientium arrogantia comprimatur, cum protinus adjungit:

CAPUT XXVI.

VERS. 3.---*Et mihi est cor, sicut et vobis, nec inferior vestri sum.*

45. *Hujus arrogantia modeste comprimenda.*---Quis etenim nesciat quantum beati Job vita atque scientia amicorum ejus scientiam excedat? Sed ut eorum superbiam corrigit, esse se inferiorem negat; et ne suae humilitatis limitem transeat, esse se superiorem tacet: nec preferendo se, sed conferendo, indicat quod de se hi qui sibi longe sunt impares discant, ut

dum sponte inflectitur sapientia quae eminet, nequaquam se contra vires erigat scientia quae jacet. Quos bene mox ad aequalitatis sensum revocat, quia tumere valde quasi de singularitate magnitudinis pensat, cum subsequenter adjungit:

CAPUT XXVII.

IBID.---*Quis enim haec quae nostis ignorat?*

46. *Ostendendo ea quae scire se gloriatur, a nemine ignorari.*---Ac si aperte dicat: Cum cunctis sint nota quae dicitis, de dictorum scientia singulariter cur tumetis? Quia igitur elationem arrogantium ad aequalitatis communionem revocans, perfecta correptione redarguit, ad doctrinae nunc sententias erumpit, ut amici ejus humiliati, prius discerent veritatis pondera, quam reverenter audirent. Sequitur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XXVI, Rec. XV*].

VERS. 4.---*Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum.*

74. *Recte agenti quid noceat laus, quid prosit irrisio hominum. Irrisio prodest ubi non est culpa meritum.*---Saepe infirma mens, cum de bonis actibus aura humani favoris excipitur, ad gaudia exteriora derivatur, ut postponat quod intus appetit, et in hoc libenter resoluta jaceat, quod foris

audit; ita ut beatam non tam fieri quam dici se gaudeat. Cumque laudis suae vocibus inhiat, quod esse coeperat relinquit. Inde ergo a Deo disjungitur, unde in Deo laudanda videbatur. Nonnunquam vero recto operi animus constanter innititur, et tamen humanis irrisionibus urgetur: miranda agit, et opprobria recipit; et qui exire foras per laudes potuit, repulsus contumeliis, ad semetipsum redit; et eo se intus robustius in Deo solidat, quo foris non invenit quo requiescat. Tota etenim spes in auctore figitur, et inter irrisionum convicia solus interior testis imploratur; atque afflicti animus fit Deo tanto proximus, quanto **360** et a gratia humani favoris alienus: in precem protinus funditur, et pressus exterius, ad penetranda quae intus sunt mundius liquatur. Bene itaque nunc dicitur: *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum*, quia bonorum menti dum pravi exprobrant, ostendunt quem suorum actuum testem quaerant. Quae dum compuncta sese in precibus accingit, inde intra se supernae exauditioni jungitur, unde extra se ab humana laude separatur. [*Vet. XXVII.*] Notandum vero quam provide interponitur *Sicut ego*, quia sunt nonnulli quos et humanae irrisiones deprimunt, et tamen divinis auribus exaudibiles non sunt. Nam cum derisio contra culpam nascitur, profecto nullum virtutis meritum in derisione generatur. Baal etenim sacerdotes clamoris hunc vocibus implorantes, derisi ab Elia fuerant, cum dicebat: *Clamate voce majori, Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est* (**III Reg. XVIII, 27**). Sed haec eis irrissio ad virtutis usum non fuit, quia per culpae meritum venit. Provide ergo nunc dicitur: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum*, quia illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitae innocentia servat alienum. Sequitur:

CAPUT XXIX [*Rec. XVI*].

IBID.---*Deridetur enim justi simplicitas.*

48. *Quid sapientia hujus mundi. Quid sapientia justorum. Cur a mundo rideatur.*---Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quae falsa sunt vera ostendere, quae vera sunt fallacia demonstrare. Haec nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, haec a pueris pretio discitur, hanc qui sciunt caeteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur, quia ab eis haec eadem duplicitas iniquitatis, nomine palliata, diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Haec sibi obsequentibus praecipit honorum culmina quaerere, adepta temporalis gloriae vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere; nullam injuriae ultionem quaerere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed haec justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur; et quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiae fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo quam mentem verbis ostendere, nil

callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam praebere? Unde bene hujus mundi dilectoribus ille egregius Dei sapiens dicit: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro* (**Exod. VIII, 26**). **361** Oves quippe Aegyptii edere dedignantur; sed quod abominantur Aegyptii, hoc Israelitae Deo offerunt, quia simplicitatem conscientiae, quam injusti quique velut infimam abjectamque despiciunt, hanc justī in virtutis sacrificium vertunt; et excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant. Quae nimirum justī simplicitas breviter, sed sufficienter exprimitur, cum protinus subinfertur.

CAPUT XXX [*Vet. XXVIII, Rec. XVII*].

VERS. 5.---*Lampas contempta apud cogitationes divitum.*

49. *Divitiarum possessionem non esse in crimine, sed cupiditatem.*---Quid hoc loco signatur nomine divitum, nisi elatio superbiorum, qui venturi judicis respectum non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument? Nam sunt nonnulli quos census per tumorem non elevat, sed per misericordiae opera exaltat. Et sunt nonnulli qui, dum se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt, atque aeternam patriam non amant, quia hoc sibi sufficere, quod rebus temporalibus fulciuntur, putant. Non est

ergo census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quae Deus condidit bona sunt; sed qui bonis male utitur profecto agit ut, quasi per edacitatis ingluviem, eo per quem vivere debuit pane moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum vero divitem tormenta cruciabant (**Luc. XVI, 26**). Sed tamen dives Abraham fuerat, qui in sinu Lazarum tenebat; qui tamen auctori suo colloquens, dicit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (**Genes. XVIII, 27**). Quid itaque iste divitias suas aestimare noverat, qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut quando hunc res possessae extollerent, qui de se quoque, earum videlicet possessore, tam abjecta sentiret?

50. *Divites censeri qui egent, et fastu tument. His despectui sunt mundi contemptores.*---Atque iterum sunt nonnulli quibus et res terrenae non suppetunt, et tamen apud se per fastum tumoris eriguntur. Hos et census ad ostensionem potentiae minime subvehit, et tamen morum protervia inter reprobos divites addicit. Quoscunque ergo sequentis vitae amor non humiliat, hoc in loco sacer sermo divites appellat, quia in iudicii quoque ultione non discrepant utrum rebus an solis moribus intumescant. Qui cum vitam simplicium in hoc mundo humilem abjectamque conspiciunt; elatis protinus despectibus irrident. Nequaquam quippe eis hoc exterius adesse considerant, ad quod ipsi totis conatibus anhelant. Quasi stultos ergo despiciunt qui scilicet ea non habent quae ipsi utique vel habendo, vel solummodo amando, moriuntur; et quasi mortuos deputant, quos nequaquam secum vivere carnaliter pensant. Qui enim ab huius mundi appetitu moritur, a terrenis mentibus profecto omni modo exstinctus aestimatur. Quod bene nostri miraculum Redemptoris signat, cum ab

immundo spiritu hominem liberat, de quo nimirum scriptum est: *Clamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo; et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit (Marc. IX, 25)*. Velut mortuus quippe ostenditur qui a maligni spiritus potestate liberatur, **362** quia quisquis jam terrena desideria subigit, vitam in se carnalis conversationis exstinguit; et mundo mortuus apparet, quia possessore pravo, qui per immunda desideria se agitabat, caret. Quem multi mortuum dicunt, quia qui spiritaliter vivere nesciunt eum qui carnalia bona non sequitur exstinctum funditus arbitrantur.

[*Vet. XXIX.*] 51. *Justi, carnalium oculis sine luce, coram Deo ardent et lucent.*---Sed quia ipsi quoque derisores simplicium Christianitatis nomine censentur, reverentia religionis pressi, exhibere malum publicae irrisionis erubescunt. Unde fit ut apud se tumidi tacentesque derideant, quos abjectos valde atque infimos per simplicitatem putant. Bene ergo dicitur: *Lampas contempta apud cogitationes divitum*, quia superbi quique, dum pensare bona sequentia, ut superius diximus, nesciunt, pene nihil aestimant, quem non vident habere quod amant. Saepe namque contingit ut electus quisque, qui ad aeternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentum frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat; a cunctis vero despicibilis cernitur, et hujus mundi gratia indignus aestimatur. Sed tamen ante occulti judicis oculos virtutibus emicat, vitae meritis coruscat, honorari metuit, despici non refugit; corpus

continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patientiam praeparat, et erectus pro justitia, de perceptis contumeliis exsultat, afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis laetatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, et inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat. Bene itaque justus simplicitas et lampas esse dicitur, et contempta. Lampas, quia interius lucet; contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo et despicitur qui flagrans virtutibus abjectus aestimatur. Mentis quippe carnalium pensare bona non valent, nisi quae carnaliter vident. Hinc est quod David sanctum pater ipse despexerat, quem prophetae Samuelis oculis praesentare recusabat. Qui ad unctionis gratiam dum septem filios deduxisset, a propheta requisitus an numerum sobolis explesset, cum magna desperatione respondit: *Est puer parvulus qui pascit oves* (**I Reg. XVI, 10, 11**). Quo deducto et electo, protinus audivit: *Homo videt in facie, Deus autem perscrutatur cor* (**Ibid., 7**). Lampas ergo David per innocentiam fuerat; sed tamen valde contempta, quia exteriora cernentibus non lucebat. Sciendum vero est quod justus quisque aut temporalem gloriam non habet, aut hanc sub semetipso frangit, si habet, ut honori suo liber emineat, ne ei victus delectatione succumbat. Hinc enim est quod ille praedicator egregius ante humanos oculos apostolatus sui gloriam humiliaverat, qui dicebat: *Non usi sumus hac potestate, cum possimus oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum* (**I Thess. II, 7**). Ejus vero auditoribus nimirum tumor divitum adhuc in corde remanserat, cum dicebant: *Epistolae graves sunt et fortes, 363 praesentia autem corporis infirma, et sermo*

contemptibilis (**II Cor. X, 10**). Quem enim talia dicere posse cognoverant, secum communiter vivere non posse judicabant. Cumque eum et humilem vivendo cernerent, et altum sermone pensarent, sua eos elatio compulit ut quem per scripta timuerant per praesentiae verba despicerent. Quid igitur Paulus, nisi contempta lampas apud cogitationes divitum fuit, qui unde magisterium humilitatis exhibuit, inde a rudibus discipulis superbiae contumelias recepit? Horrendo etenim modo languor superbientium unde detumescere debuit excrevit, dum mens elata carnalium hoc quasi dedignabile repulit, quod magister imitabile ostendit. An contempta lampas non erat, qui, tot virtutibus emicans, tanta a persecutoribus adversa tolerabat (**Ephes. VI, 20**)? Legatione in catena fungitur, ejusque vincula in omni praetorio manifestantur, virgis caeditur, multisque ex genere, ex gentibus, periculis urgetur (**Philip. I, 13**), lapidibus Lystris tunditur, pedibus extra urbem trahitur, quia extinctus aestimatur (**II Cor. XI, 26**). Sed usquequo lampas ista contemnitur? Usquequo despicabilis habetur? Nunquidnam fulgorem suum nullatenus exerit, et nunquam quanta claritate candeat ostendit? Ostendit plane. Nam cum lampas contempta apud cogitationes divitum diceretur, protinus additur:

CAPUT XXXI.

IBID.---*Parata ad tempus statutum.*

52. *Justi hic spreti fulgebunt in die judicii.*---Statutum quippe contemptae lampadis tempus est extremi judicii praedestinatus dies, quo justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur. [*Vet. XXX.*] Tunc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet quod coelesti potestate subnixi sunt qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis suis Veritas dicit: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28).* Neque enim plus quam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit; sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quisquis, stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariae potestatis obtinebit, ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctae Ecclesiae sponso per Salomonem dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae (Prov. XXXI, 23).* Hinc Isaias ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (Isai. III, 14).* Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: *Non jam dicam vos servos, sed amicos meos (Joan. XV, 15).* Quos nimirum Psalmista intuens, ait: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus (Psal. CXXXVIII, 17).* Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent protinus addidit: *Nimis confortatus est principatus eorum.* Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summam tantae perfectionis agnoscimus, illico

adjunxit: **364** *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant. Dicatur igitur recte: *Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum,* quia uniuscujusque justi anima velut abjecta contemnitur cum degens inferius gloriam non habet, sed admirabilis cernitur dum desuper fulget.

53. *Christus lampas hic contempta.*---Libet inter haec ad Redemptoris vias mentis oculos attollere, sensimque a membris ad caput venire. Ipse enim nobis lampas veraciter exstitit, qui, pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Joannes illuminari conspexerat, cum dicebat: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9).* Quam tamen apud cogitationes divitum contemptam vidit, cum paulo post subdidit: *In propria venit et sui eum non receperunt (Ibid., 11).* Hujus lampadis flammam Herodes explorare voluit, cum ejus miracula videre concupivit, sicut scriptum est: *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri (Luc. XXIII, 8).* Sed lampas haec ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui se non pie sed curiose quaesierat nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, exspectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quaerere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Unde et protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur: *Sprevit autem*

illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba (Ibid. 11).

[*Vet. XXXI.*] 54. *In die novissimo coruscabit.*---Sed contempta lampas, quae in terra irrisiones tolerat, de coelo iudicium coruscat. Unde hic apte subjungitur: *Parata ad tempus statutum.* De quo videlicet tempore per Psalmistam dicit: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo (Psal. LXXIV, 3).* Hinc in Evangelio per semetipsam Veritas denuntiat, dicens: *Tempus meum nondum advenit (Joan. VII, 6).* Hinc Petrus ait: *Quem oportet coelum suscipere, usque ad tempora restitutionis (Act. III, 21).* Lampas ergo quae nunc contemnitur ad statutum tempus ventura praeparatur, quia ipse peccata in die ultimo iudicat, qui nunc peccantium derisiones portat. Et tanto tunc durius distractionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam lenius patientiam sternit. Qui enim diu convertendos exspectat, non conversos sine retractatione cruciat. Quod per prophetam scilicet breviter insinuat, dicens: *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar (Isai. XLII, 14).* Ut enim jam praediximus, parturiens cum dolore ejicit hoc quod in intimis tempore longo gestavit. Qui ergo semper siluit sicut parturiens loquitur, quia venturus iudex, qui sine ultione diu facta hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis, quantae animadversionis sententiam intus servaverit ostendit. Nemo igitur hanc lampadem, cum latet, despiciat, ne contemptores, suos, cum de coelo fulserit, **365** exurat. Cui enim nunc non ardet ad veniam, tunc procul dubio ardebit ad poenam. Quia ergo per supernam gratiam vocationis tempus accipimus, dum adhuc licentia superest, ejus iram, qui ubique

est, mores in melius commutando, fugiamus. Solum quippe animadversio illa non invenit quem correctio abscondit.

55. Haec nos, largiente Domino, in duobus jam corporibus **366** transcurrisse sufficiat. Quia enim sacri libri sequentia mysteriorum virtutibus extensa complecti breviter exponendo non possumus, ea necesse est ut aliis voluminibus reservemus, quatenus lector tanto ferventior ad legendi studium redeat, quanto ex lectionis quoque intercisione respirat.

Pars Tertia, LIBRIS SEX CONSTANS.

LIBER UNDECIMUS. *In quo caput duodecimum, a versu sexto, decimum tertium, et decimi quarti quatuor priores versus, mutato tantisper stylo, exponuntur.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Quae sint tota hac tertia parte exponenda et quo stylo.*--- Quamvis in prolixo opere esse culpabilis styli mutabilitas non debeat, ne quis tamen me ex locutionis meae immutatione reprehendat, in epistola libris praemissa causam reddidi cur tertiam hujus operis partem ad aliarum usque similitudinem

minime emendando perduxī. Quibus scilicet exclusis, hoc quoque additur, quod ab eo versu, quo dicitur: *Abundant tabernacula praedonum*, ejusdem partis expositio incipit, et usque ad hoc, quod scriptum est: *Dulcedo eorum vermis*; disserendo pertingit. Quae nimirum tam multa sunt, ut in uno corpore comprehendi non possent, nisi sub magna brevitate dicerentur. Qui ergo ab aliis actibus vacat, legat caetera multipliciter dicta. Cui vero ad studiose legendum non vacat, hujus partis ei brevis placeat, in qua non tam quae sentimus dicimus quam ea quae sunt dicenda signamus. Igitur quoniam in ea multa, sicut me loquente excepta sunt, ita dereliqui, immutationem styli lector meus aequanimiter accipe, quia et saepe eosdem cibos edentibus, diversitas placet coctionis. Sed quoties partes singulas ad legendum sumis, reducere semper ad memoriam eam, quam proposui causae originem, stude, quia et per beatum Job, qui dolens dicitur, passiones Domini ejusque corporis, id est sanctae Ecclesiae designantur, et amici ejus haereticorum tenent speciem, qui, ut saepe jam diximus (**Maxime praefat., c. 6, n. 15**), Deum dum defendere nituntur, offendunt. Qui dum fictē consulunt, sanctorum mentem fortiter affligunt; nec tamen per cuncta quae loquuntur a veritatis cognitione desipiunt, sed plerumque et stultis prudentia, et fictis vera permiscent, ut dum ex veritate aliquid praerogant, facile ad falsitatem trahant. Unde amici quoque beati Job modo despicabilia, modo autem mira sunt quae loquuntur; quae tamen sanctus vir aliquando reprobando convincit, aliquando vero approbando suscipit, atque ad usum rectitudinis pertrahit etiam quae ab eis recta, sed non recte proferuntur. Itaque inopiam suam despicientes despicit, atque in sterquilinio corpore positus, in quanto virtutum culmine apud se sedeat ostendit, cum nil esse

praesentis vitae divitias memorat, quos abundare et reprobis narrat, dicens:

CAPUT II [*Vet. I, Rec. II*].

CAP. 12, VERS. 6.---*Abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum.*

2. *Quantus in Job divitiarum contemptus eluceat.*---Facile est hominem tunc divitias despiciere, cum habet; difficile vero est eas, cum non habet, viles aestimare. Unde patenter ostenditur quantus contemptus terrenarum rerum in beati Job cogitatione fuerit, qui tunc dicit nulla esse quae abundant reprobis, **367** quando omnia amisit. Ait ergo: *Abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum*, quia plerumque mali eo magis contra Deum superbiunt, quo ab ejus largitate et contra meritum ditantur; et qui provocari bonis ad meliora debuerant, donis pejores fiunt.

3. *Quae injuste faciunt mali, Deus fieri juste permittit*---Sed intelligendum nobis est quomodo praedones appellentur, dum protinus additur: *Cum ipse dederit omnia in manibus eorum*. Si enim praedones sunt, violenter abstulerunt, et dubium non est quia violentorum non sit adjutor Deus. Quomodo igitur ipse dat quod hi qui praedones sunt nequiter tollunt? Sed sciendum est quia aliud est quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod omnipotens Deus misericorditer tribuit, aliud quod iratus haberi sinit. Nam quod praedones perverse faciunt, hoc dispensator aequissimus fieri

non nisi juste permittit; ut et is qui rapere sinitur caecatus mente culpam augeat, et is qui rapinam patitur jam in ejusdem rapinae damno pro alia quam ante perpetravit culpa feriat. Ecce enim quidam in montis fauce constitutus insidiatur itinerantibus; sed is qui iter agit iniqua fortasse quaedam aliquando perpetravit, eique omnipotens Deus malum suum in praesenti vita retribuens, atque hunc insidiatoris manibus tradens, vel spoliari rebus, vel etiam interimi permittit. Quod ergo praedo injuste appetiit, hoc aequissimus judex juste fieri permisit; ut et ille reciperet quod injuste fecerat, et iste gravius quandoque feriat, per cujus nequissimam voluntatem culpam omnipotens Deus in alterum juste vindicavit. Ille purgatur qui opprimitur; in isto reatus augetur, qui opprimit, ut vel de profundo nequitiae quandoque ad poenitentiam redeat, vel non revertens tanto gravius aeterna damnatione feriat, quanto diu est in sua iniquitate toleratus. Cum illo ergo misericorditer agitur ut peccatum finiat, cum isto districte ut multiplicet, nisi ad poenitentiam recurat. In illo mala purgantur dum vim sustinet, in isto cumulantur dum facit. Omnipotens itaque Deus quod fieri prohibet justum est ut fieri sinat, ut unde nunc exspectat, et non conversos diu tolerat, quandoque inde plus feriat. Bene ergo dicitur: *Abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum*, quia quod iniqui tollunt, eis hoc ipse dat, qui illis ad rapinam posset obsistere, si misereri voluisset.

[Vet. II.] 4. *Praedones sunt qui de donis a Deo sibi collatis superbiunt.*---Quod tamen intelligi de rebus quoque spiritalibus potest. Nam plerumque nonnulli doctrinae dona percipiunt, sed ex eisdem donis intumescunt, et magni prae

caeteris videri volunt. Atque omnipotentem Deum provocare est de ejus donis inter proximos superbire. Qui etiam praedones non immerito vocantur, quia dum loquuntur quae non faciunt, in usum locutionis suae verba justorum tollunt. Sed quia haec ipsa verba superna eis gratia tribuit, quorum tamen vitam in pravis moribus relinquit, per semetipsos quidem praedones sunt, sed tamen bona quae habent divinitus acceperunt. Sequitur:

VERS. 7 et 8.---*Nimirum interroga jumenta, et docebunt te; volatilia coeli et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.*

CAPUT III.

368 5. *Quid per jumenta et coeli volatilia, quid per terram et pisces maris significetur.*---Quid per jumenta, nisi sensu pigriores, quid per coeli volatilia nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus? De jumentis quippe, id est sensu pigrioribus, scriptum est: *Animalia tua habitabunt in ea* (**Psal. LXVII, 11**). Et quia sublimia sapientes, in verbis nostri Redemptoris evolant, scriptum est: *Ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis ejus* (**Matth. XIII, 32**). Quid vero per terram, nisi terrena sapientes? Unde et primo homini coelestia deserenti dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Quid per pisces maris nisi curiosos hujus saeculi debemus accipere? De quibus Psalmista ait: *Pisces maris, qui perambulant semitas maris* (**Psal. VIII, 9**). Qui in

magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta haec inquisita doceant, adjungit, dicens:

CAPUT IV.

VERS. 9.---*Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit?*

6. *Deum omnium creatorem cuncta praedicant.*---Ac si aperte dicat: Sive sensu tardiores, seu sublimia sapientes, sive terrenis actibus deditos, seu hujus mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta haec creatorem omnium Deum fatentur, et de potestate ejus concorditer sentiunt, quamvis sub ea non concorditer vivant. Quod enim justus quisque etiam vivendo loquitur, hoc injustus plerumque de Deo vel sola voce compellitur fateri; fitque ut mali, auctori omnium, cui operibus resistunt, attestatione famulentur, quia quem impugnare moribus ausi sunt, creatorem omnium negare non possunt. Quod tamen intelligi etiam juxta solam speciem litterae utiliter potest, quia omnis respecta creatura quasi dat vocem attestationis propriae, ipsam quam habet speciem suam. Jumenta, vel volatilia, terram, vel pisces requirimus, dum consideramus quae nobis concorditer respondent, quod cuncta Dominus fecerit; quia dum nostris oculis suas species ingerunt, se a semetipsis non esse testantur. Eo ipso enim quod creata sunt, per ostensam speciem creatori suo quasi vocem confessionis reddunt, qui quia omnia condidit, qualiter etiam debeant administrari disposuit. Unde subditur:

CAPUT V [*Vet. et Rec. III*].

VERS. 10.---*In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis.*

7. *Qui praestitit esse quod non erat, providit qualiter sit quod jam existit. Spiritus hominis duobus modis intelligitur.*---Per manum quippe potestas exprimitur. Anima igitur omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis, in ejus potestate est a quo est; ut ipse provideat qualiter sit, qui praestitit esse quod non fuit. Potest vero per animam omnis viventis jumentorum vita signari. Omnipotens autem Deus jumentorum animam usque ad corporeos sensus vivificat, hominum vero spiritum usque ad spiritalem intellectum tendit. In ejus ergo manu est anima omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis, dum et in illo hoc praestat animae ut vivificet carnem, et in isto ad hoc vivificat animam, ut ad intelligendam perveniat aeternitatem. Sciendum vero est quia in sacro eloquio spiritus hominis duobus modis poni consuevit. Aliquando namque spiritus pro anima, aliquando pro effectu spiritali ponitur. Pro anima namque spiritus dicitur, sicut de nostro ipso capite scriptum est: *Inclinato capite tradidit spiritum (Joan. XIX, 30)*. Si enim aliud spiritum quam animam evangelista diceret, exeunte utique spiritu, **369** anima remansisset. Pro effectu quoque spiritali spiritus dicitur, sicut scriptum est: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (Psal. CIII, 4)*. Angeli quippe, id est nuntii, in sacro eloquio nonnunquam praedicatores vocantur, sicut per prophetam dicitur: *Labia*

sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (Mal. II, 7). Omnipotens ergo Deus angelos suos spiritus facit, quia praedicatores suos spiritales efficit. Hoc autem loco si anima omnis viventis ipsa corporis vita signatur, spiritu universae carnis hominis effectus intelligentiae spiritalis exprimitur. Sequitur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 11.---*Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem?*

8. *Unius ejusdemque sapientiae quam diversa dona diversique inhabitationis modi.*---Pene nullum latet quod quinque sensus corporis nostri, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, in omne quod sentiunt atque discernunt, virtutem discretionis et sensus a cerebro trahunt. Et cum unus sit iudex sensus cerebri qui intrinsecus praesidet, per meatus tamen proprios sensus quinque discernit, Deo mirae operante, ut neque oculus audiat, neque auris videat, neque os olfaciat, neque nares gustent, neque manus odorentur. Et cum per unum sensum cerebri omnia disponantur, quilibet tamen horum sensus aliud facere non potest, praeter id quod ex dispositione conditoris accepit. Ex istis ergo corporalibus et exterioribus, interiora et spiritalia colligenda sunt, ut per id quod in nobis publicum est transire debeamus ad secretum quod in nobis est et nosmetipsos latet. [*Vet. IV.*] Intuendum quippe est quia cum una sit sapientia, alium minus, alium

magis inhabitat; alii hoc, alii illud praestat, et, quasi cerebri more, nobismetipsis velut quibusdam sensibus utitur, ut quamvis ipsa sibimet nunquam sit dissimilis, per nos tamen diversa et dissimilia semper operetur, quatenus iste sapientiae, ille scientiae donum percipiat; iste genera linguarum, ille gratiam curationum habeat.

9. *Verba sapientiae reprobis solum audiunt, electi etiam gustant.*---Sed in his verbis beatus Job, quibus ait: *Auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem*, etiam de electis ac reprobis aliquid videtur innuere, quia verba sapientiae, quae reprobis audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, ut eis in corde sapiat quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud namque est nominatum cibum audire solummodo, aliud vero etiam gustare. Electi itaque cibum sapientiae sic audiunt, ut degustent, quia hoc quod audiunt eis per amorem medullitus sapit. Reprobis vero scientia usque ad cognitionem sonitus tenditur, ut quidem virtutes audiant, sed tamen corde frigido qualiter sapiant ignorent. Quibus videlicet verbis beatus Job amicorum suorum imperitiam, et eorum qui de doctrina sapientiae inflantur arrogantiam reprobis, quia aliud est de Deo aliquid scire, aliud vero hoc quod cognoscitur fauce intelligentiae gustare. Recte ergo dicitur: *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis, saporem?* Ac si aperte arrogantibus diceretur: Doctrinae verba, quae vobis usque ad aurem veniunt, mihi etiam per saporem intimum intelligentiae fauces tangunt. Quia vero infirma aetas, etiam cum recte sapit, ad praedicandum non debet incaute prosilire, recte subditur:

CAPUT VII.

VERS. 12.---**370** *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.*

10. *Sapientia per vivendi usum et experientiam confirmatur.* --Illa enim dicta in sapientiae radice solidata sunt, quae per vivendi usum etiam actuum experimento convalescunt. Sed quia multis et longior vita tribuitur, et sapientiae gratia non confertur, recte adhuc in cuius iudicio ipsa dona pendeant demonstratur, dum subditur:

CAPUT VIII.

VERS. 13.---*Apud ipsum est sapientia et fortitudo; ipse habet consilium et intelligentiam.*

11. *Christus Dei sapientia et fortitudo.* ---Haec non incongrue de Unigenito summi Patris accipimus, ut ipsum esse Dei sapientiam et fortitudinem sentiamus. Nam Paulus quoque nostro intellectui attestatur, dicens: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (I Cor. I, 24)*; qui apud ipsum semper est, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1)*. Habet autem Deus consilium et intelligentiam: consilium videlicet, quia disponit sua; intelligentiam, quia cognoscit nostra. [*Vet. V.*] Potest quoque consilii nomine ipsa occulti iudicii mora signari, ut quod aliquando tardius delinquentes percutit, non quia iniquorum culpa non conspicitur, sed ut damnationis eorum sententia, quae pro agenda poenitentia differtur, quasi tarda ex consilio

prodire videatur. Quod ergo foris quandoque aperta sententia indicat, hoc apud omnipotentem Dominum ante saecula in consilio latebat. Sequitur:

CAPUT IX [*Rec. V*].

VERS. 14.---*Si destruxerit, nemo est qui aedificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiatur.*

12. *Deus humanam mentem destruit ab ea recedendo. Qui male agit conscientiam sibi carcerem facit.*---Omnipotens Deus humanum cor destruit cum relinquit, aedificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a praedicatore moneatur, quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quae audiuntur. Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam (Psal. CXXVI, 1).* Hinc Salomon dicit: *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere quem ille despexerit (Eccle. VII, 14).* Nec mirum si a corde reprobo praedicator minime auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his quae loquitur resistentium moribus impugnatur. Hinc est enim quod Cain et divina voce admoneri potuit, et mutari non potuit, quia exigente culpa malitiae, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur: *Si*

incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiae suae carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exterius accuset? Qui cum, judicante Deo, in malitiae suae caecitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam saepe nonnulli a pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malae consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere aestimant, in graviores culpas vertunt; fitque modo miserabili ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas (**Matth. XXVII, 5**), cum mortem sibi contra peccatum intulit. **371** ad aeternae mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato poenituit quam peccavit.

13. *Vocanti Deo nemo resistit, relinquenti obviat nemo.*--- Dicatur ergo: *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiae relinquentis. Includere itaque Dei est clausis non aperire. Unde et ad Moysen dicitur de Pharaone: *Ego obdurabo cor ejus* (**Exod. IV, 21; VII, 3**). Obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem quem in suorum operum tenebris relinquit. [*Vet. VI.*] Quasi enim aperire hanc inclusionem Isaac primogenito filio voluit, cum hunc fratri praeponere benedicendo conatus est (**Genes. XXVII, 5**). Sed filium quem pater voluit Dominus reprobavit, et quem Dominus voluit pater etiam nolendo benedixit (**Ibid., XXV, 34**), ut qui jam primogenita fratri pro esca vendiderat primogenitorum benedictionem non acciperet, quam ex

cupidine gulae reliquisset: qui terrena ambiens, fugitiva sequens, haereditare cupiens benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam, quia videlicet fructum non habent lamenta, quae student cum gemitu desiderare peritura. Aperire itaque Isaac nec filio potuit, quem Deus omnipotens justo iudicio in suae carcere malitiae inclusit. Sequitur:

CAPUT X [*Rec. VI*].

VERS. 15.---*Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram.*

14. *Subtracta praedicatione aut gratia, cor arescit.*--- Si aqua scientia praedicationis accipitur, sicut scriptum est: *Aqua profunda, verba ex ore viri et torrens redundans fons sapientiae (Prov. XVIII, 4)*, cum aqua continetur, cuncta siccantur; quia si scientia praedicatorum subtrahitur, eorum qui viridescere in spe aeterna poterant, corda protinus arefiunt; ut in desperata siccitate remaneant, dum, fugitiva diligentes, nesciunt sperare mansura. Sin vero aquae nomine sancti Spiritus gratia designatur, sicut Veritatis voce in Evangelio dicitur: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Joan. VII, 38, 39)*; ubi statim evangelista subjunxit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; congruus in his sermonibus intellectus patet, quibus ait: *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur*, quia si sancti Spiritus gratia ab audientis mente subtrahitur, arescit protinus intellectus, qui jam per

spem viridescere in audiente videbatur. Quod autem non aquam, sed aquas memorat, pluralitatis appellatione, ad septiformem donorum spiritalium gratiam recurrit, quia quasi tot aquis unusquisque infunditur, quot donis repletur. De quibus apte subjungitur: *Si emisericit eas, subvertent terram.*

15. *Afflante gratia, cor terrena sapiens subvertitur et mutatur.*---Quid enim terra, nisi peccator accipitur, cui per sententiam dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**)? Manet itaque terra immobilis, cum praeceptis dominicis peccator obedire contemnit; cum cervicem superbiae erigit, atque a veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia scriptum est: *Pedes ejus steterunt, et mota est terra* (**Habac. III, 6, sec. LXX**), quia cum veritas in corde figitur, mentis immobilitas agitur, si sancti Spiritus gratia superno munere juxta vocem praedicantis infunditur, statim terra subvertitur, quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suae obstinatione **372** permutatur, ut tantum se postmodum praeceptis dominicis flendo subjiciat, quantum superbiendo prius contra Dominum cervicem cordis erigebat. Videas namque quod terra cordis humani, aqua divini muneris infusa, post libenter injurias toleret, quas prius vehementer irrogabat; post etiam sua tribuat, quae prius et aliena rapiebat; post carnem abstinendo cruciet, quae prius satietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat; post etiam persecutores diligat, quae prius diligere etiam se amantes nolebat. [*Vet. VII.*] Cum igitur mens humana, divino munere infusa, contra hoc quod consueverat agere coeperit, terra subversa est, quia deorsum missa est, quae prius eminebat, et sursum elevata est facies, quae prius in profunda premebatur.

16. *Quod in Paulo converso mire elucet.*---Libet in hujus rei exemplo unum e multis ad medium Paulum vocare; qui cum, acceptis contra Christum epistolis, Damascum pergeret, sancti Spiritus gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est; et postmodum plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Christianis; et qui prius carnaliter vivens, in mortem conabatur sanctos Domini tradere, gaudet postmodum pro vita sanctorum suae carnis sacrificium immolare (**I Tim. I, 13**). Illae crudelitatis ejus frigidae cogitationes versae sunt in ardorem pietatis; et qui prius fuit blasphemus et persecutor, humilis post factus est piusque praedicator (**Act. IX, 1**). Qui lucrum maximum putavit, se in discipulis Christum occidere, jam vitam suam Christum aestimat, et mori lucrum (**Philip. I, 21**). Emissa ergo aqua terra subversa est, quia Pauli mens, mox ut sancti Spiritus gratiam accepit, statum suae immobilitatis atque crudelitatis immutavit. Quod contra per prophetam Dominus contra Ephraim queritur, dicens: *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur* (**Osee VII, 8**). Panis namque subcinericius super se cinerem portans, partem mundiorem deorsum premit, partemque superiorem tanto sordidiorem habet, quanto in ea cinerem tolerat. Mens itaque quae terrena cogitat quid super se aliud quam cineris molem portat? Sed si reversari voluerit, mundam faciem quam deorsum presserat superius reducit, cum cinerem quem portabat excusserit. Si igitur terrenarum cogitationum cinerem a mente excutimus, quasi panem subcinericium reversamus, ut illa nostra intentio jam postponi debeat, quam prius cogitationis infimae cinis premebat; et munda facies ad superiora veniat, ut recta nostra intentio mole jam terreni desiderii non prematur. Quod nequaquam agere possumus,

nisi sancti Spiritus gratia perfundamur, quia videlicet omnipotens Deus si aquas emisit, subvertent terram. Sequitur:

CAPUT XI [*Vet. VIII*].

VERS. 16.---*Apud ipsum est fortitudo et sapientia.*

17. *In iudicio reprobi prius condemnabuntur, quam electi gloria donentur.*---Paulo superius dictum fuerat: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo*; nunc autem dicitur: *Apud ipsum est fortitudo et sapientia*. Quia enim omnipotens Deus, cum pietatis suae mysterio homo factus est, prius mansuetudinis doctrinam protulit, et postmodum in iudicio quantae sit fortitudinis ostendit, recte superius sapientia ante fortitudinem memoratur, cum de Patris Unigenito **373** dicitur: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo*. Quia vero ad iudicandum veniens in terrore suae virtutis apparebit, et repulsis reprobis, electis suis in regno perpetuo, qualiter sit sapientia Patris indicabit, recte in subsequenti sententia apud ipsum esse prius fortitudo, et post sapientia dicitur. In verbis itaque prioribus, quibus ait: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo*, aperte indicat, quia hoc quod mansuetus edocuit qualiter credendum fuerit, in iudicii virtute terribilis ostendet. In verbis vero subsequentibus, quibus ait: *Apud ipsum est fortitudo et sapientia*, luce clarius demonstrat, quod prius in iudicio per virtutem reprobos destruit, et postmodum electorum mentibus aeterni regni perfecto lumine infulget. Sed quia ante extremi diem iudicii iudicare quotidie occultis dispositionibus facta

mortalium non desistit, ad hoc quod nunc agitur reditur, cum subditur:

CAPUT XII [*Rec. VII*].

VERS. 16, 17.---*Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem.*

18. *Deus iniquorum dolos et scit in examine, et nescit in amore.*---Cum omnis qui proximum suum decipere conatur iniquus sit, et iniquis Veritas dicat: *Non novi vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* (**Matth. VII, 23**), qualiter hoc in loco dicitur, quia Dominus decipientem novit? Sed quia scire Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare, et scit iniquum, quia cognoscendo judicat (neque enim iniquum quempiam judicasset si nequaquam cognosceret), et tamen iniquum nescit, quia ejus facta non approbat. Et novit ergo quia deprehendit; et non novit, quia hunc in suae sapientiae specie non recognoscit: sicut de veraci quolibet viro dicitur quia falsitatem nesciat, non quia cum vel ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat, sed eandem ipsam fallaciam et scit in examine, et nescit in amore, ut videlicet ipse hanc non agat, quam actam ab aliis damnat. Et fit plerumque ut nonnulli insidiis vacantes alienae vitae perversitatis suae laqueos tendant; et cum quis nesciens eisdem laqueis capi conspicitur, utrum haec divinitus videantur fortasse dubitatur; miranturque homines si haec Deus videat, cur fieri permittat; sed *ipse novit decipientem et*

eum qui decipitur. Novit enim decipientem, quia plerumque anteriora ejus conspicit, et hunc justo judicio cadere etiam in alia peccata permittit. Novit decipientem, quia in manu suorum operum dimissum hunc ut ad pejora proruat deserit, sicut scriptum est: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (**Apoc. XXII, 11**). Novit quoque et eum qui decipitur, quia saepe committunt homines mala quae sciunt, et idcirco permittuntur decipi, ut cadant in mala etiam quae nesciunt. Quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando vero ad ultionis initium fieri solet.

19. *Stultus finis eorum qui bonum non bona intentione faciunt.*---*Adducit autem consiliarios in stultum finem,* cum etiam bonum quodlibet non bona intentione faciunt, sed ad temporalis muneris retributionem tendunt. Si enim ipse summi Patris Unigenitus, quia per hoc quod factus est homo aeterna nuntiavit, magni consilii angelus est vocatus, recte consiliarios praedicatores accipimus, qui suis auditoribus consilium vitae praebeant. Sed cum praedicator quisque ideo aeterna praedicat, ut temporalia lucra consequatur, profecto in stultum finem **374** deducitur, quia illo per laborem tendit, unde per mentis rectitudinem fugere debuit.

[*Vet. IX, rec. VIII.*] 20. *Eorum qui aliis praesunt nec invigilant, stupor.*---Bene autem subditur: *Et judices in stuporem.* Omnes enim qui examinandis aliorum moribus praesunt recte judices vocantur. Sed cum is qui praeest, subjectorum vitam nequaquam sollicite discutit, nec quem qualiter corrigat agnoscit, in stuporem iudex deductus est, quia qui judicare male acta debuit, nequaquam ea quae judicanda sunt deprehendit. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 18.---*Balteum regum dissolvit, et praecingit fune renes eorum.*

21. *Deus mentis elationem peccatis carnalibus punit.*---Qui membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immerito reges vocantur. Sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus ejus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regum itaque balteum dissolvit, quando in his qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit. Quid vero in fune accipitur, nisi peccatum? Sicut per Salomonem dicitur: *Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur (Prov. V, 22).* Et quia in renibus carnis delectatio principatur, districtus conscientiarum iudex, qui regum balteum dissolvit, fune praecingit renes eorum, quatenus dissoluto castitatis cingulo, scilicet eorum membris delectatio peccati dominetur, ut quos in occulto superbia inquinat, quam sint detestabiles etiam in publico ostendat. Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. IX*].

VERS. 19.---*Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat.*

22. *Qui aut curam sibi subditorum negligunt, aut aliud quam aeterna praemia requirunt, inglorii.*---Magna sacerdotis gloria est rectitudo subditorum. Unde bene egregius praedicator discipulis dicit: *Quae enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum (I Thess. II, 19)?* Sed cum sacerdotes vitam discipulorum negligunt, et nullum de eorum propectibus ante Dominum fructum ferunt, quid aliud quam inglorii dicuntur? quia ante districtum iudicem nimirum gloriam tunc non inveniunt, quam modo in subditorum suorum moribus praedicationis studio non exquirunt. Bene autem dicitur: *Et optimates supplantat*, quia cum mentem regentium justo iudicio deserit, haec internum retributionis praemium non requirit; et in eo supplantatur quo fallitur, ut pro aeterna gloria de principatu temporali gratuletur. Supplantantur igitur optimates, quia dum vera coelestis patriae praemia negligunt, in suis hic voluptatibus cadunt. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 20.---*Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens.*

23. *Deus veritatis verbum facientibus tribuit, non facientibus tollit.*---Cum sacerdos non agit bona quae loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (Psal. XLIX, 16)?* Unde etiam deprecatur,

dicens: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque* (**Psal. CXVIII, 43**). Perpendit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, et non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonae operationis quaesivit? Ac si aperte diceret: A bono opere errare me non sinas, ne dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. [*Vet. X.*] Et plerumque doctor qui docere audet **375** quod negligit agere, cum desierit bona loqui quae operari contempsit, docere subjectos incipit prava quae agit, ut justo omnipotentis Dei iudicio, in bono jam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat, quatenus cum mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur: Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala* (**Matth. XII, 34; Luc. VI, 45**). Hinc etiam Joannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur*. Bene ergo dicitur: *Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens* (**I Joan. IV, 5**), quia hi qui prius coelestia praedicando veraces erant, dum temporalia diligentes, ad terrena corruunt, labium veracium commutatur, et senum doctrina tollitur, quia diligentes temporalia priorum suorum praecepta minime sequuntur, ut locum regiminis quasi ad fructum voluptatis teneant, non ad usum laboris.

24. *Judaei Christum quem venturum dixerant, negarunt praesentem.*---Quod tamen apertius de Judaeis valet intelligi, qui ante incarnationem Domini veraces fuerunt, quia hunc venturum esse crediderunt, atque nuntiaverunt; sed postquam in carne apparuit, hunc esse negaverunt. Labium itaque

veracium mutatum est, quia quem venturum dixerant negaverunt praesentem. Et doctrina senum ablata est, quia nequaquam ea credendo secuti sunt quae patres suos praedixisse meminerunt. Unde etiam Elia veniente promittitur quod reducat corda filiorum ad patres eorum (**Malac. IV, 6**), ut doctrina senum quae nunc a Judaeorum corde ablata est tunc miserante Domino redeat, quando hoc intelligere de Domino coeperint filii quod praedicaverunt patres. Sin vero senes eosdem quoque Judaeos accipimus, qui, suadente perfidia, Veritatis verbo contraire conati sunt, doctrina senum ablata est postquam hanc Ecclesia ex gentibus videlicet juvencula accepit, quae per Psalmistam dicit: *Super seniores intellexi* (**Psal. CXVIII, 100**). Quam quia operando tenuit, qualiter super seniores intellexerit ostendit, dum protinus subdit, dicens: *Quia mandata tua exquisivi*. Quia enim studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret. Unde adhuc apte subditur:

CAPUT XVI.

VERS. 21.---*Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevans.*

25. *Judaei propter infidelitatem despecti. Gentiles ob fidem a casu erecti.*---Cum enim Judaeorum populus in legis mandato permaneret, et cuncta gentilitas nulla Dei praecepta cognosceret, et illi per fidem principari videbantur, et isti in profundo pressi jacuerunt per infidelitatem. Sed cum incarnationis Dominicae mysterium Judaea negavit, gentilitas

credidit, et principes in despectionem ceciderunt, et hi qui oppressi in culpa perfidia fuerant in verae fidei libertatem levati sunt. Hunc vero Israelitarum casum longe ante Jeremias intuens ait: *Factus est Dominus velut inimicus, praecipitavit Israel, praecipitavit omnia moenia ejus, dissipavit munitiones ejus* (**Thren. II, 5**). Moenia autem in urbibus pro ornamento sunt, munitiones vero in defensionem. [*Vet. XI.*] Et alia sunt dona quae nos muniunt, alia quae ornant. Prophetica quippe doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quaedam moenia mentis sunt. Quae etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem et justitiam **376** potest, quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur. Spes vero, fides, et charitas, non nostra moenia, sed munitiones sunt; quae si habere negligimus, hostilibus insidiis patemur. De Judaea ergo, quia prophetiam atque doctrinam, vel miraculorum signa abstulit, moenia praecipitavit. Quia vero spem, fidem atque charitatem propter ejus duritiam auferri permisit, munitiones ejus dissipare studuit. Rectus vero ordo servatus est, ut prius moenia, et post munitiones dissipatae dicerentur, quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea virtutum dona, quae ad manifestationem spiritus data sunt, et postmodum spei, fidei atque charitatis fundamenta destruuntur. Quae cuncta Dominus a perfidis ablata, gentilitati tribuit, atque ex his quae infidelibus abstulit mentes fidelium ornavit. Unde scriptum est: *Et speciei domus dividere spolia* (**Psal. LXVII, 13**). Cum enim virtutum spolia a Judaeis abstulit, domui cordis gentilium, quam per fidem inhabitare dignatus est, speciem donorum dedit. Quod videlicet gestum est, cum verba Dei, et Judaeorum populus ad solam litteram quae occidit acciperet, et conversa gentilitas per spiritum qui vivificat penetraret. Unde mox subditur:

CAPUT XVII [*Rec. X*].

VERS. 22.---*Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.*

26. *Christus occulta revelavit, et in lucem umbram mortis mutavit.*---Cum enim quaeque mystica de occultis prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine* (**Matth. X, 27**). Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus. Umbra autem mortis erat legis duritia, quae unumquemque peccantem morte corporis puniri sanciebat. Sed postquam Redemptor noster asperitatem legalis sanctionis per mansuetudinem temperavit, nec jam pro culpa mortem carnis inferri constituit, sed mors spiritus quantum timenda esset indicavit, in lucem procul dubio umbram mortis produxit. [*Vet. XXII.*] Ista enim mors in qua caro separatur ab anima umbra illius mortis est in qua anima separatur a Deo. In lucem ergo umbra mortis producitur, cum, intellecta morte spiritus, mors carnis minime timetur. Quod tamen et aliter intelligi potest. Principes etenim non immerito vocantur qui magno consilii judicio suis cogitationibus semper principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiae comprimunt. Sed saepe contingit ut in occulto animus de ipsa sua sapientia in elationis fastum sublevetur, et sub eis vitiis corruat, de quibus se victorem fuisse gaudebat. Recte ergo dicitur: *Effundit despectionem*

super principes. Sed quia nonnunquam hi qui in vitiis jacere videntur ad poenitentiae lamenta currunt, seque contra culpas quibus subjacebant erigunt, apte subjungitur: *Et eos qui oppressi fuerant, relevans.* Nonnulli enim superno illustrati munere, aspiciunt in quanta peccatorum suorum turpitudine jacent, factorum maculas lacrymis lavant, et sub se postmodum carnis suae motus deprimunt, a quibus ante premebantur.

377 27. *Magna Dei dispensatione omnia hic habentur incerta.*---Quod nimirum magna omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut videlicet in hac vita omnia habeantur incerta, et nullus ex habita castitate superbiat, quia *effundit despectionem super principes.* Nullus ex vitiorum suorum depressione desperet, quia *eos qui oppressi fuerant relevat.* Et quoniam cum haec aguntur ex occultis Dei consiliis super unumquemque sententia aperta producit, recte subjungitur: *Et revelat profunda de tenebris.*

28. *Deus in occultis suis judiciis omnia videt nec videtur.*---Profunda enim de tenebris Dominus revelat quando apertam sententiam ex occultis suis consiliis indicat, ut de unoquoque quae sentiat ostendat. Quia enim videt nunc Creator omnia, et ipse in consiliis non videtur, recte de illo per Psalmistam dicitur: *Posuit tenebras latibulum suum (Psal. XVII, 12).* Sed quasi de istis tenebris ad lumen exit, quando quid de uniuscujusque actibus sentiat ostendit. Et quia cum is qui peccatorum suorum pondere premebatur ad rectitudinis statum ducitur, prius ipsam mortem conspicit, in qua et deficere consueverat, et hanc considerare nesciebat, recte additur: *Et producit in lucem umbram mortis.* Umbra enim mortis est prava operatio, quae de imitatione antiqui hostis,

quasi de corporis lineamentis exprimitur. De quo etiam sub cuiusdam significatione dicitur: *Et nomen illi mors (Apoc. VI, 8)*. Et plerumque ejus maligna cogitatio mentes hominum latet, atque per hoc quod nescitur amplius praevalet. Umbra ergo mortis in lucem producitur dum sanctorum mentibus maligna operatio antiqui hostis, ut destrui possit, aperitur. Sequitur:

VERS. 23.---*Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit.*

29. *Occultis Dei judiciis alii cadunt, alii resurgunt.*---Intelligi fortasse valet quoniam gentes Dominus multiplicat et perdit, quia nascuntur quotidie morituri; et subversas in integrum restituit, quia resurgent qui fuerint mortui. Quod tamen melius accipimus si hoc qualiter in earum mente agitur sentiamus. Multiplicat enim gentes et perdit, quia eas et per fecunditatem sobolis extendit, et tamen in propria infidelitate derelinquit. Sed subversas in integrum restituit, quia quas in infidelitatis casu reliquerat quandoque ad fidei statum reducit. Quibus videlicet in mentis integritate restitutis, antiquus ille populus, qui fidelis Deo esse videbatur, reprobatus, corde repulsus est, ut sua perfidia deceptus contra ipsum post insurgeret quem ante praedicavit. Sequitur:

CAPUT XIX.

VERS. 24, 25.---*Qui immutat cor principum populi terrae, et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.*

30. *Judaeorum obcaecatio erga Christum humana quidem patientem, sed divina ostendentem.*---Cor enim principum terrae immutatum est cum in Judaea summi sacerdotes et seniores populi illi conabantur suo consilio obsistere quem prius venturum esse praedicabant. Cumque ejus nomen persequendo molirentur extinguere, decepti sua malitia, incedere per invium frustra conabantur, quia crudelitati eorum patere via non poterat contra auctorem omnium, miracula cernebant, virtute terrebantur; sed, credere renuentes, adhuc signa quaerebant, cum dicerent: *Quod ergo 378 tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris (Joan. VI, 30)?* Bene itaque dicitur: *Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce.* Qui enim inter tot aperta miracula trepidat, quasi in tenebris palpat, quia quod tangit non videt. Omnis vero qui errat, nunc huc, nunc illuc ducitur. Et quia aliquando ostendebantur credere, cum dicerent: *Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam (Joan. IX, 33);* aliquando vero hunc a Deo esse negabant, cum despicientes dicerent: *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt (Matth. XIII, 55)?* recte subjungitur: *Et errare eos faciet quasi ebrios. [Vet. XIV.]* Videbant quippe eum et suscitare mortuos, et tamen esse mortalem. Quis non crederet Deum, quem conspiciebant suscitare mortuum? Sed rursum cum hunc mortalem conspicerent, despiciebant credere hunc esse immortalem Deum. Per hoc ergo quod omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit, qui posset et divina ostendere, et humana pati, errare eos quasi ebrios fecit, ut eorum superbia, quae incarnationis ejus mysterium despiciere maluit quam sequi, et contra humanitatem ejus se extolleret, et intus lucentem Deitatis ejus potentiam

miraretur. Quae cuncta quia beati Job oculis praesentia per prophetiae spiritum facta sunt, recte subjungitur:

CAPUT XX [*Rec. XII*].

CAP. XIII. VERS. 1.---*Ecce omnia.*

31. *Job prophetiae spiritu pollebat.*---In illo enim quae secutura erant videbat assistentia, cui nec futura veniunt, nec praeterita discedunt, sed cuncta simul ante ejus oculos assistunt. Et quia ea ipsa quae ventura erant, alia esse vidit in operibus, alia in dictis, recte subjungitur,---IBID.:---*Et vidit oculus meus, et audivit auris mea.* Sed utilitatem dicta non habent, si intellectu carent. Unde apte subditur,---IBID.:---*Et intellexi singula.* Cum enim aliquid ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minime est. Vidit namque Pharaon per somnium quae erant Aegypto ventura (**Genes. XLI, 2, seq.**); sed quia nequivit intelligere quod vidit, propheta non fuit. Aspexit Balthasar rex articulos manus scribentis in pariete (**Dan. V, 5**); sed propheta non fuit, quia intellectum rei quam viderat non accepit. Ut igitur beatus Job prophetiae spiritum se habere testetur, non solum vidisse se et audisse sed etiam intellexisse omnia asserit. De quo intellectu quia non extollitur, subjuncta ejus verba testantur cum ait:

CAPUT XXI.

VERS. 2.---*Secundum scientiam vestram et ego novi, nec inferior vestri sum.*

32. *Hoc accepto dono non intumuit.*---Quibus videlicet dictis innotuit quantae humilitatis fuit qui se eis inferiorem negat, quorum longe vitam sancte vivendo transcenderat. Nam et secundum eorum scientiam se nosse confirmat, qui, sciendo coelestia, eorum terrenas cogitationes per prophetiae quoque spiritum transibat. Sequitur:

CAPUT XXII [*Rec. XIII*].

VERS. 3.---*Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio.*

33. *Qui Deo in prece nunc familiaris est, cum ipso postmodum judicabit.*---Cum Omnipotente loquimur dum ejus misericordiam deprecamur; cum eo vero disputamus dum, nos illius justitiae conjungentes, facta nostra subtili indagatione discutimus. Vel certe **379** cum Deo disputare est eum qui hic ejus praeceptis paruit cum illo postmodum ad judicandos populos judicem venire, sicut cuncta relinquentibus praedicatoribus dicitur: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28).* Unde et per Isaiam Dominus dicit: *Eripite injuriam accipientem, judicate pupillo, et justifyate viduam, et venite, disputemus (Isai. I, 17).* Rectum quippe est ut cum Deo de pupillis in judicio disputent qui ad verba Dei praesens saeculum perfecte

derelinquunt. Loqui ergo ad orationem, disputare ad iudicium pertinet. Vir igitur sanctus, modo ad Omnipotentem loquitur, ut cum Omnipotente postmodum disputet, quia ille cum Deo postmodum iudex venit, qui hic ei modo in prece familiaris exstiterit. Sed sancta Ecclesia, cujus saepe jam beatum Job speciem tenere praediximus (**Maxime in praefat., c. 6 et seq.**), non solum tunc de iniquis iudicat, cum ultimi iudicii dies advenerit, sed nunc etiam de cunctis prave agentibus, vel stulte sentientibus iudicare non cessat. Unde et subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XV*].

VERS. 4.---*Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.*

34. *Haeretici fabricatores mendacii.*---Quibus videlicet verbis aperte ostenditur quod amici ejus quasi ex haeticorum specie sancti viri iudiciis adversantur. Liquet enim quia catholicorum figuram non teneant qui cultores perversorum dogmatum vocantur. Qua in re hoc quoque oportet intendi quod mendacii fabricatores dicuntur. Sicut enim aedificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Ubi enim non dolosa locutio, sed sensus veritatis est, quasi munita moles non ex fabrica, sed ex natura consurgit. Sequitur:

CAPUT XXIV.

VERS. 5.---*Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.*

35. *Occultandae stultitiae utile silentium.*---Sicut clausa janua in domo quae intus membra lateant ignoratur, sic plerumque stultus, si tacuerit, utrum sapiens sit, an stultus, absconditur, si tamen nulla alia opera prodeant quae sensum etiam tacentis loquantur. Sanctus igitur vir amicos suos aspiciens velle apparere quod non erant, eos ad tacendum admonuit, ne possent apparere quod erant. Unde et per Salomonem dicitur: *Stultus, si tacuerit, sapiens putabitur* (**Prov. XVII, 28**). Sed quia stultus, cum loquitur, per hoc quod sua infert sapientium verba pensare non sufficit, recte adhuc, postquam silentium indixit, adjungit:

CAPUT XXV.

VERS. 6.---*Audite ergo correptiones meas, et judicium labiorum meorum attendite.*

36. *Stultis correptio necessaria.*---Bene autem prius correptionem, et postmodum judicium intulit, quia nisi per correptionem prius tumor stulti deprimatur, nequaquam per intelligentiam judicium justus cognoscitur. Sequitur:

CAPUT XXVI.

VERS. 7.---*Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?*

37. *Veritas fulciri non quaerit auxilio falsitatis.*---Deus mendacio non eget, quia veritas fulciri non quaerit auxilio falsitatis. Haeretici autem, quia ea quae prave de Deo intelligunt ex veritate tueri non possunt, quasi ad probandum radium luminis umbram falsitatis requirunt. Et pro eo **380** dolos loquuntur, dum infirmas mentes in intellectu illius stulta seductione decipiunt. Sequitur:

CAPUT XXVII.

VERS. 8.---*Nunquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini?*

38. *Stulti tanto severius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant.*---Stulti cum prudentium facta conspiciunt, haec eis omnia reprehensibilia esse videntur; qui, suae imperitiae atque infirmitatis obliti, tanto intentius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant. [*Vet. VXi.*] At contra justī cum pravorum facta redarguunt, semper suae infirmitatis conscii, eos etsi exterius saeviendo, tamen interius compatiendo reprehendunt, quia illius solius est peccata hominum sine compassione discutere, qui ex naturae suae omnipotentia ignorat peccare. Quia igitur amici beati Job ita ejus facta reprehenderant ac si in se ipsi reprehensibile nihil haberent, recte nunc dicitur: *Nunquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini?* Faciem quippe ejus accipere est auctoritatem illius in judicio sumere; et quasi pro Deo judicare

nititur, qui, cum infirma quaeque in altero reprehendit, apud se introrsus per compassionem non infirmatur. Sequitur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 9.---*Aut placebit ei quem celare nihil potest; aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentis?*

39. *Haeretici Deum, dum defendere fingunt, offendunt.*---
Fraudem Deo haeretici exhibent, quia ea astruunt quae nequaquam ipsi pro quo loquuntur placent; eumque dum quasi defendere nituntur offendunt, dum in adversitate ejus corruunt cui videntur ex praedicatione famulari. Unde et per Psalmistam dicitur: *Ut destruas inimicum et defensorem* (Psal. VIII, 3). Omnis quippe haereticus omnipotenti Deo inimicus et defensor est, quia unde hunc quasi defendere nititur, inde veritati illius adversatur. Quia autem latere Deum nihil potest, hoc in eis judicat quod intus sentiunt, non quod famulari foris videntur. Quia igitur eorum fraudulentis Deus ut homo non fallitur, recte subjungitur:

CAPUT XXIX.

VERS. 10, 11.---*Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos.*

40. *Qua poena digni qui veritatem agnitam impugnant.*--- Hoc, quod in abscondito accipi asserit faciem Dei, duobus modis valet intelligi. Sunt namque nonnulli qui et veritatem in corde sentiunt, et tamen quae falsa sunt de Deo foris loquuntur. Ne enim vinci videantur, et cognoscunt veritatem interius, et tamen hanc exterius impugnant. Unde et nunc benedicitur: *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.* Ac si aperte diceretur: Tanto magis de falsitate apud eum estis reprehensibiles, quanto et apud vosmetipsos quod verum est videtis. Et sunt nonnulli qui quando ad mentem redeunt, Dei justitiam et rectitudinem contemplantur, et orando ac flendo contremiscunt; sed postquam contemplationis hora transierit, sic audaces ad iniquitates redeunt ac si, post dorsum ejus positi, a justitiae ejus lumine minime videantur. Hi itaque apud se in abscondito quasi corporaliter videntem accipiunt faciem Dei, quia ei et cum praesentes fiunt blandiuntur fletibus, et cum quasi a conspectu illius recedunt moribus detrahunt. Qui tanto amplius de malis suis **381** feriendi sunt, quanto et in occulto cogitationis recta Dei judicia cognoscunt. [*Vet. XVII.*] Unde et subditur: *Statim ut se commoverit, turbabit vos; et terror ejus irruet super vos.*

41. *Justi Deum metuunt antequam iratum experiantur.*---Cum sit naturae incommutabilis omnipotens Deus, in ira judicii perturbabilis non est. Sed humano verbo motus Dei dicitur ipsa rectitudinis ejus districtio, qua humana pravitas feritur. Justi autem viri ante Deum metuunt quam ejus contra eos ira moveatur; et ne commotum sentiant, tranquillum timent. At contra perversi, tunc jam feriri pertimescunt, cum feriuntur; eosque tunc terror ejus a somno sui torporis exsuscitat, cum vindicta perturbat. Unde et per prophetam dicitur: *Et tantum*

sola vexatio intellectum dabit auditui (Isai. XXVIII, 19). Cum enim de praeceptis Dei contemptis atque despectis verberari per vindictam coeperint, tunc intelligunt quod audierunt. Et Psalmista ait: *Cum occideret eos, tunc inquirebant eum (Psal. LXXVII, 34).* Bene itaque dicitur: *Statim ut se commoverit, turbabit vos; et terror ejus irruet super vos,* quia reproborum cordibus non timor requiem, sed poena timorem parit. Sequitur:

CAPUT XXX [*Rec. XIV*].

VERS. 12.---*Memoria vestra comparabitur cineri.*

42. *Superborum memoria cineri a vento rapto comparatur, et luto.*---Omnes qui cogitatione terrena huic saeculo conformantur per omne quod agunt huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alii bellorum titulis, alii altis aedificiorum moenibus, alii disertis doctrinarum saecularium libris instanter elaborant, sibi que memoriae nomen aedificant. Sed cum ipsa ad finem celerius vita percurrat, quid in ea fixum stabit, quando et ipsa celeriter mobilis pertransit? Aura etenim cinerem rapit, sicut scriptum est: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae (Psal. I, 4).* Recte ergo stultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, ubi ab aura rapiatur. Quantumlibet etenim quisque pro perficienda gloria sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem posuit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. Quo contra de justo scriptum est: *In memoria aeterna erit justus (Psal. CXI, 4).* Eo ipso enim, quo

facta sua solius Dei oculis imprimit, nomen suae memoriae in aeternitate figit. Sequitur:

CAPUT XXXI.

IBID.---*Et redigentur in lutum cervices vestrae.*

43. Sicut per oculum visus, sic per cervicem solet superbia designari. Cervix itaque in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, et elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulcris jaceant divitum cadavera, quae illa in exstincta carne sit imago mortis, quae tabes corruptionis. Et certe ipsi erant qui extollebantur honoribus, habitis rebus tuebant, despiciebant caeteros, et quasi solos se esse gaudebant; et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed in lutum cervix redacta est, quia despecti jacent in putredine, qui tuebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat, tabes corruptionis probat. Sequitur:

CAPUT XXXII.

VERS. 13.---*Tacete paulisper, ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit.*

44. *Qui carnaliter loquuntur, ad silentium sunt revocandi.*---
Sensu carnis locutos indicat, quos idcirco ad silentium restringit, ut ea quae illi mens suggererit dicat. Ac si aperte dicat: Non ego carnaliter, sed spiritaliter loquor, quia per sensum spiritus **382** audio quae per ministerium corporis profero. Unde mox ad alta conscendit, seque in mysteriis elevat, et increpationem quam protulerat ad mystica verba permutat, dicens:

CAPUT XXXIII [*Vet. XVIII, Rec. XV*].

VERS. 14.---*Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?*

45. *Iusti leviora delicta magnis cruciatibus in se puniunt.*---
In Scriptura sacra dentes aliquando sancti praedicatores, aliquando vero interni accipi sensus solent. De sanctis enim praedicatoribus, sponsae dictum est: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro* (**Cant. IV, 2**). Unde et uni eorum ostensis in figura gentibus dicitur: *Macta et manduca* (**Act. X, 13**); id est, vetustatem earum contere, et in corpus Ecclesiae, videlicet in tua membra, converte. Rursum quia dentes interiores sensus accipi solent Jeremias propheta testatur, dicens: *Fregit ad numerum dentes meos* (**Thren. III, 10**). Per dentes etenim cibus frangitur, ut glutitur. Unde non immerito in dentibus internos sensus accipimus, qui singula quae cogitant quasi mandunt et comminuunt, atque ad ventrem memoriae transmittunt. Quos propheta ad numerum fractos dicit, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati

intelligentiae caecitas generatur in sensibus, et secundum quod quisque egit exterius, in eo obstupescit quod de internis atque invisibilibus intelligere potuit. Unde recte etiam scriptum est: *Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescunt dentes ejus* (**Ezech. XVIII, 2; Jerem. XXX, 30**). Quid namque uva acerba nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim praesentis vitae delectationibus satiari desiderat quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia qui praesentis mundi delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritalia mandere, id est intelligere nequeant, quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt. Et dum peccato anima pascitur, panem justitiae edere non valet, quoniam ligati dentes, ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit edere nequaquam possunt. Hoc igitur loco, quia dentes, ut diximus, internos sensus accipimus, considerare magnopere quid agere justis soleant debemus. Qui plerumque, si qua in se quamlibet leviter carnalia esse deprehendunt, haec, in internis sensibus retractantes, vehementer in semetipsis insequuntur, afflictione se conterunt, magnisque cruciatibus vel minima in se prava dijudicant, atque haec per poenitentiam damnant. Quod idcirco agunt, ut in conspectu aeterni judicis et ipsi inveniri, in quantum est possibile, irreprehensibiles debeant, et hi qui eos sic se judicare conspiciunt emendare semetipsos a culpis culpis gravioribus inardescant. Quod videlicet beatus Job coram amicis suis temporalem gloriam tenentibus, et transeuntia bona laudantibus, fecerat; sed tamen eorum sensum ad cognoscendam utilitatem flagelli sui perducere non valebat, ut scilicet pensare possent quod non solum prospera omnipotens Deus tribueret, sed nonnunquam etiam adversa

propitius irrogaret. Unde bene nunc dicit: *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* Ac si aperte dicat: Cur internis sensibus carnalia, si qua fuerint in me facta, discussio, si meis spectatoribus prodesse non possum? Ubi et apte subditur: *Et animam meam porto in manibus meis.*

383 [*Vet. XIX, Rec. XVI.*] 46. *Non solum profectum suum, sed aedificationem proximi in omnibus quaerunt.*---Animam in manibus portare est intentionem cordis in operatione ostendere. Habent namque hoc iusti proprium ut in omne quod dicunt atque omne quod agunt, non solum provectum suum, sed etiam proximorum aedificationem quaerant. Et aliquando in quibusdam semetipsos dijudicant, ut pigros auditores ad considerandos semetipsos revocent. Aliquando bona opera ostendunt, ut spectatores eorum erubescant non imitari quod vident. Nam scriptum est: *Videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui est in coelis (Matth. V, 16).* Qui igitur intentionem suam per opera insinuat, animam suam in manibus portat. Sed cum iustus quisque nec se dijudicando, nec bona opera ostendendo, utilitati proximorum proficit, per hoc quod egerit, ad verba doloris redit. Unde recte nunc dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?* Id est, cur me vel districte coram hominibus dijudico, vel quid appetam in opere ostendo, si utilitati proximorum nec mala dijudicando, nec bona ostendendo proficio? Sed tamen iusti etiam, cum haec dicunt, nunquam a praebendo proximis bono exemplo deficiunt. Unde adhuc coram amicis suis beatus Job virtutem patientiae exhibens et ostendens ait:

CAPUT XXXIV [*Rec. XVII.*]

VERS. 15.---*Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.*

47. *Justus Deum etiam in adversis laudat.*---Nunquam est patientiae virtus in prosperis. Ille autem vere est patiens, qui et adversis atteritur, et tamen a spei suae rectitudine non curvatur. De reprobis namque sensu scriptum est: *Et confitebitur tibi cum benefeceris ei (Psal. XLVIII, 19)*. In hoc itaque mens justa ab injusta discernitur, quod omnipotentis Dei laudem et inter adversa confitetur, quod non cum rebus frangitur, non cum casu gloriae exterioris cadit, sed in hoc magis qualis cum rebus fuerit demonstrat, quae et sine rebus robustior stat. Sequitur:

CAPUT XXXV.

VERS. 15, 16.---*Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus.*

48. *Culpis suis nescit parcere, ut Deus parcat.*---Cum Paulus apostolus dicat: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur (I Cor. XI, 31)*, eo tunc Dominus salvator invenitur, quo nunc pro timore Dei peccatum nostrum a nobismetipsis redarguitur. Unde electi quique culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum judicem placatum invenire. Et vere eum postmodum invenire salvatorem credunt, quem districte modo judicem metuunt.

Nam qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in poena non parcitur. Dicat ergo: *Veruntamen vias meas in conspectu ejus arguam*. Quae vero utilitas de hac argutione sequatur adjungat: *Et ipse erit salvator meus*. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XVIII*].

IBID.---*Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.*

49. *Hypocrita Dei conspectum fugit, dum humanis oculis placere cupit.*---Cum constet quod judex veniens agnos ad dexteram, haedos vero ad sinistram ponat (**Matth. XXV, 33**), qua nunc ratione dicitur in conspectu ejus hypocritam non esse venturum, qui scilicet si inter haedos erit, ad sinistram judicis apparebit? [*Vet. XX.*] Sed sciendum est quod duobus modis in conspectu Domini venimus. Uno quidem, quo hic, peccata nostra subtiliter perpendentes, in ejus non conspectu punimus, et flendo dijudicamus. Nam quoties conditoris nostri **384** potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Unde recte quoque per virum Dei Eliam dicitur: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto* (**III Reg. XVII, 1**). Alio quoque modo in conspectu Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal ejus assistimus. Hypocrita igitur per examen ultimum ante conspectum judicis venit; sed quia modo culpas suas considerare ac deflere dissimulat, in conspectu Domini venire recusat. Sicut enim justi viri, cum distractionem venturi judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt, deflent quae commiserunt, et districte se judicant, ne judicentur; ita

hypocritae quo exterius hominibus placent, eo se interius aspicere negligunt; tososque se in verbis proximorum fundunt, et sanctos se esse aestimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. Cumque mentem per verba suae laudis sparserint, nunquam hanc ad cognitionem reducunt culpaе, nunquam considerant ubi internum iudicem offendant, nihil de ejus districtione metuunt, quia sic se placuisse ei sicut hominibus credunt. Qui si terrorem ejus ad mentem reducerent, hoc ipsum quod in mala intentione positi placent hominibus plus timerent. Bene itaque dicitur: *Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita*, quia districtionem Dei ante oculos non ponit, dum placere humanis oculis concupiscit. Qui si, mentem suam discutiens, semetipsum in conspectu Dei poneret, profecto jam hypocrita non esset. Sequitur:

CAPUT XXXVII.

VERS. 17.---*Audite sermonem meum, et aenigmata percipite auribus vestris.*

50. *Job figurata locutio*.---Per hoc quod aenigmata nominat, figuratas se habere locutiones demonstrat. Unde apte quoque voce fidelis populi subditur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XIX*].

VERS. 18.---*Si fuero judicatus, scio quia justus inveniar.*

51. *Job etiam se laudantis humilitas. Sibi iniquitatem, Deo vero purgationem suam tribuit.*---Quod ab ejusdem etiam beati Job persona non discrepat, quando hoc ipse foris de se ipso loquitur, quod de illo Veritas hosti ejus interius dixerat: *Vidisti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram (Job. I, 8).* Et quidem idem vir valde inferius est quod de se memorat quam quod de illo Dominus dixit. Aliud est enim justum esse, aliud est ei similem non esse. Humiliter igitur de semetipso sensit, qui dum justus sine comparatione exstitit, non se prae caeteris, sed justum tantummodo inveniri posse memoravit. [*Vet. XXI.*] Hoc tamen in ejus verbis videtur habere quaestionis, quod qui superius dixit: *Vias meas in conspectu ejus arguam (Vers. 15);* et inferius dicit: *Consumere me vis peccatis adolescentiae meae;* et peccata sua subtiliter agnoscens, adhuc longe inferius adjungit: *Signasti quasi in sacco delicta mea;* nunc ait: *Si fuero judicatus, scio quia justus inveniar.* Neque enim simul convenire queunt peccatum et justitia. Sed sanctus vir sibi iniquitatem tribuens, et omnipotenti Domino purgationem suam, et peccatorem se cognoscit ex se, et justum se factum non ignorat ex munere. Qui in recto quoque opere positus ex abundanti gratia meruit flagella sustinere. Jamque se in judicio justum inveniri gaudet, qui se ante judicium percussum vidit. Unde et cum longe post dicat: *Signasti quasi in sacco delicta mea,* statim subdit:

IBID.---**385** *Sed curasti iniquitatem meam.* Qui ergo justum inveniri se in judicio memorat, nequaquam se juste flagellatum negat; quamvis flagello ejus Dominus non peccata studuit tergere, sed merita augere. Sequitur:

CAPUT XXXIX.

VERS. 19.---*Quis est qui judicetur mecum? veniat.*

52. *Nullus peccati cogitationis expers esse potest.*---Sancti viri ita se in operibus suis, Deo auctore, custodiunt, ut omnino unde accusentur exterius non inveniatur; interius vero in cogitationibus suis tanta se cautela circumspiciunt, ut, si fieri valeat, semper irreprehensibiles interni iudicis oculis assistant. Sed quantum agere possunt, ne exterius labantur in opere, tantum interius agere nequaquam possunt, ut nunquam labantur in cogitatione. Humana enim conscientia eo ipso quo ab intimis recedit, semper in lubrico est. Unde fit ut etiam sancti viri frequenter labantur in corde. Beatus ergo Job, tam ex voce sua quam ex voce electorum loquens, dicat: *Quis est qui judicetur mecum? veniat.* Quia enim in exterioribus actibus unde reprehendatur non habet, libere accusatorem quaerit. Quia vero etiam justorum corda semetipsa nonnunquam de stulta cogitatione reprehendunt. propter hoc fortasse subditur:

CAPUT XL.

IBID.---*Quare tacens consumor?*

53. *Cujus in occulto agenda est poenitentia.*---Tacens enim consumitur qui, de stulta se cogitatione reprehendens, apud semetipsum dente conscientiae mordetur. Ac si aperte dicat: Sicut vixi ut accusatorem exterius nullum timerem, utinam sic vixissem ut intra memetipsum accusatricem conscientiam non haberem! Tacens enim consumitur, qui intus in se invenit unde uratur. Sequitur:

VERS. 20.---*Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar.*

54. *A Dei animadversione nemo tutus.*---Hoc loco quid Dei faciem nisi animadversionem debemus accipere, in qua dum peccata respicit punit? A qua videlicet nullus etiam justus absconditur, si duo quae postulat non amoveantur; de quibus subdit:

CAPUT XLI [*Vet. XXII, Rec. XX*].

VERS. 24.---*Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.*

55. *Sancti ante Christum illam legem cupiebant, in qua non timore servirent, sed amore.*---In quibus videlicet duobus, quid aliud per prophetiae vocem quam tempus gratiae et redemptionis inquit? Lex namque sub percussione ultionis populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret protinus morte puniretur. Nec plebs Israelitica ex amore Domino, sed ex timore, serviebat. Nunquam vero impleri justitia per timorem potest, quia, juxta Joannis vocem: *Perfecta charitas foras*

mittit timorem (I Joan. IV, 18). Et Paulus quoque adoptionis filios consolatur, dicens: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater (Rom. VIII, 15).* Ex voce igitur generis humani, legalis percussione duritiam transire concupiscens, atque a formidine pervenire ad dilectionem appetens, quae duo a se omnipotens Deus longe faciat exorat, dicens: *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat;* id est, percussione duritiam remove a me, formidine pondus tolle, sed irradiante gratia dilectionis, spiritum securitatis infunde, quia si **386** longe a percussione et formidine non fuero, scio quia a distractione tui examinis non abscondar, quoniam in conspectu tuo justus esse non valet qui tibi non per dilectionem, sed per timorem servit. Unde et ipsam conditoris sui praesentiam quasi familiariter ac corporaliter quaerit, ut per hanc et audiat quod ignorat, et in his audiatur quae novit. Nam protinus adjungit:

VERS. 22.---*Voca me, et respondebo tibi; aut certe loquar, et tu responde mihi.*

56. *Christus peccata quae latebant manifestavit.*---Qui dum humanis oculis per assumptam carnem apparuit, sua hominibus peccata aperuit, quae et perpetrabant, et nesciebant. Unde subditur.

CAPUT XLII. [Rec. XXI].

VERS. 23.---*Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi.*

57. *Vocat Deus cum nos amando eligit. Ei parendo respondemus. Quid distet inter peccatum et iniquitatem, inter scelera et delicta.* Quamvis vocare ac respondere intelligi et aliter possit. Vocare enim Dei est nos amando et eligendo respicere. Respondere autem nostrum est amoris illius bonis operibus parere. Ubi apte additur: *Aut certe loquar, et tu responde mihi.* Loquimur namque cum ejus faciem per desiderium postulamus. Respondet vero Deus loquentibus cum nobis se amantibus apparet. Sed quia quisquis aeternitatis desiderio anhelat, semetipsum subtiliter reprehendens, facta sua discutit, et ne quid in illo sit in quo auctoris sui faciem offendat quaerit, recte subjungit: *Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi.* Iste in hac vita justorum labor est ut semetipsos inveniant, et invenientes flendo atque corrigendo ad meliora perducant. Et quamvis inter iniquitatem atque peccatum nihil distare perhibeat Joannes apostolus, qui ait: *Iniquitas peccatum est (I Joan. III, 4)*, ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat, et omnis se homo libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicere nonnunquam erubescit. [*Vet. XXIII.*] Inter scelera vero et delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum vero pondus peccati non transit, quia et cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum praecipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto. Et nunquam scelus nisi in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde et per Psalmistam dicitur: *Delicta quis intelligit (Psal. XVIII, 13)?* Quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur; peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur. Quisquis igitur aeternitatis desiderio anxius apparere venturo

judici desiderat mundus, tanto se subtilius nunc examinat, quanto nimirum cogitat, ut tunc terrori illius liber assistat, et ostendi sibi exorat ubi displicet, ut hoc in se per poenitentiam puniat, seque hic dijudicans injudicabilis fiat.

58. *In eam caecitatem venimus per peccatum, ut nosmetipsos ignoremus.*---Sed inter haec intueri necesse est quanta peregrinationis nostrae poena nos perculit, qui in eam caecitatem venimus, ut nos ipsos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen haec celerius deprehendimus vel perpetrata. Exclusa quippe mens a luce veritatis nil in se nisi tenebras invenit, et plerumque in peccati foveam pedem porrigit, et nescit. 387 Quod nimirum de sola exsilii sui caecitate patitur, quia, ab illuminatione Domini repulsa, et semetipsam videre perdidit, quae auctoris sui faciem non amavit. Unde et subditur:

CAPUT XLIII.

VERS. 24.---*Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?*

59. *Ex poenali timore ad amorem est redeundum.*---Humanum genus contemplationem lucis intimae habuit in paradiso; sed sibimetipsi placens, quo a se recessit, lumen conditoris perdidit, ejusque faciem; ad ligna paradisi fugit, quia post culpam videre metuebat quem amare consueverat. Sed ecce post culpam venit in poenam, ex poena autem ad amorem redit, quia quis fuerit culpae fructus invenit; atque illam faciem quam timuit in culpa excitatus requirit ex poena,

ut jam caliginem caecitatis suae fugiat, atque hoc ipsum, quod auctorem suum non videt graviter perhorrescat. Quo videlicet desiderio compunctus sanctus vir clamat: *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* quia si ut amicum aspiceres, tuae me visionis lumine non privares. Qui mobilitatem quoque cordis humani subsequens adjungit:

CAPUT XLIV.

VERS. 25.---*Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris?*

60. *Homo quasi folium et stipula, tentationis vento movetur.* --Quid est enim homo, nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, et desideriorum flatibus levatur? [*Vet. XXIV.*] Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc enim plerumque ira perturbat; cum recedit ira, succedit inepta laetitia. Luxuriae stimulis urgetur, aestu avaritiae longe lateque ad ambienda quae terrena sunt tenditur. Aliquando hanc superbia elevat; aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus elevatur et ducitur, recte folio homo comparatur. Unde bene quoque per Isaiam dicitur: *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos (Isai. LXIV, 6).* Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem levavit. Bene autem post folium etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium a

semetipso factus est in tentatione, sed post stipula apparuit in dejectione. Quia enim de alto cecidit, folium; quia vero per carnem terrae proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, jam stipula sicca est. Consideret itaque vir sanctus, et homo quantae vilitatis sit, et Deus quantae distractionis, et dicat: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris?* Ac si aperte deploret, dicens: Cur tanta rectitudine impetis eum quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis? Sequitur:

CAPUT XLV. [*Rec. XXIII*].

VERS. 26.---*Scribis enim contra me amaritudines.*

61. *Scripta de morte hominis peccatoris sententia mutari non potest.*---Quia omne quod loquimur transit, quod vero scribimus manet, Deus non loqui, sed scribere amaritudines dicitur, cum diu super nos ejus flagella perdurant. Semel quippe peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Et saepe apparentes angeli hominibus praecepta dederunt. Moyses legislator per distractionem peccata coercuit. **388** Ipse Unigenitus summi Patris ad nos redimendos venit, moriendo mortem absorbit; vitam perpetuam denuntiavit nobis, quam ostendit in se. Sed tamen illa quae in paradiso data est de morte carnis nostrae sententia ab ipso initio generis humani usque ad finem saeculi non mutatur. *Quis est enim homo qui vivit, et non videbit mortem* (**Psal. LXXXVIII, 49**)? Quod bene rursum Psalmista

intuens ait: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua* (Psal. LXXV, 8). Qui videlicet peccanti in paradiso homini iratus semel de mortalitate carnis nostrae sententiam fixit, quae nunc et usque ad ultimum mutari nullo modo valebit. Dicat ergo: *Scribis contra me amaritudines*. Unde adhuc subditur:

CAPUT XLVI. [*Vet. XXV, Rec. XXIV*].

IBID.---*Et consumere me vis peccatis adolescentiae meae.*

62. *Sicut corporis, ita mentis aetates sunt variae*.---Ecce vir justus, quia in juventute sua se peccasse non invenit, adolescentiae facta pertimescit. Sed sciendum est quia sicut in corpore, ita sunt etiam incrementa aetatis in mente. Prima quippe hominis aetas infantia est, cum etsi innocenter vivit, nescit tamen fari innocentiam quam habet. Ac deinde pueritia sequitur, in qua jam valet dicere quod vult; cui succedit adolescentia, quae videlicet prima est aetas in operatione; quam juvenus sequitur, scilicet apta fortitudini; ac postmodum senectus, etiam per tempus jam congrua maturitati. Quia igitur primam aetatem aptam bonis actibus adolescentiam diximus, et justii viri, cum in magna mentis maturitate proficiunt, nonnunquam ad memoriam actionum suarum initium reducunt, seque tantum de suis primordiis reprehendunt, quantum ex gravitate mentis altius profecerunt, quia eo indiscretos se fuisse inveniunt, quo discretionis arcem postmodum plenius consequuntur, recte nunc per sancti viri vocem adolescentiae peccata formidantur.

Quod si ad ipsam litteram est tenendum, hinc considerandum est quantum sint gravia peccata juvenum et senum, si et illud sic justi metuunt quod in infirma aetate deliquerunt. Sequitur:

CAPUT XLVII [*Rec. XXV*].

VERS. 27.---*Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti.*

63. *Divini iudicii in puniendis etiam pravis cogitationibus, severitas.*---In nervo Deus pedem hominis posuit, quia pravitatem illius forti districtiois suae sententia ligavit. Cujus omnes semitas observat, quia subtiliter singula ejus quaeque dijudicat. Semita etenim angustior solet esse quam via. Quia autem vias actiones, non immerito semitas ipsas actionum cogitationes accipimus. Deus itaque omnes semitas observat, quia in singulis quibusque nostris actibus etiam cogitationes pensat. Et vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum quam recte ponantur examinat, ne et hoc quod bonum agitur non recto desiderio agatur. Possunt quoque per pedum vestigia quaedam male acta signari. Nam pes in corpore est vestigium in via. Et plerumque dum quaedam prava agimus, intuentibus hoc fratribus, exemplum malum praebeamus; et, quasi inflexo extra viam pede, sequentibus vestigia distorta relinquimus, dum per nostra opera ad scandalum aliena corda provocamus. Valde autem laboriosum est custodire ne mala homo facere audeat, ne in bonis actibus per intentionem titubet, **389** et inter recta opera sinistra eum cogitatio illudat. Quae tamen cuncta

omnipotens Deus subtiliter examinat, atque in iudicio singula repensat. Sed quando homo, qui carnis suae infirmitate constringitur, contra cuncta valeat subtiliter assurgere, atque inconcussa cogitatione rectitudinem tenere? Unde apte subditur:

CAPUT XLVIII.

VERS. 28.---*Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tineae.*

64. *Homo putredine sibi innata consumitur.*---Sicut enim vestimentum a tineae de se exorta comeditur, ita homo in semetipso habet putredinem, de qua consumatur; atque hoc est quod est unde consumatur ut non sit. Quod intelligi et aliter potest, si ex voce tentati hominis dicitur: *Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tineae.* Homo enim quasi putredo consumitur, dum carnis suae corruptione conteritur. Cui quia immunda tentatio non aliunde, sed a semetipso nascitur, more tineae carnem tentatio, quasi vestem de qua exit, consumit. In semetipso quippe habet homo unde tentetur. Quasi ergo tineae vestem consumit, quae ex veste eadem processit. Sciendum quoque quod tineae sine sonitu perforat vestimentum; et plerumque cogitatio ita transfigit mentem, ut mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit ejus aculeo transfixa. Bene ergo dicitur, quod homo tanquam vestimentum a tineae consumitur, quia nonnunquam tentationum nostrarum vulnera non cognoscimus, nisi

postquam ab eis confossi in mente fuerimus. Quam videlicet infirmitatem nostram bene adhuc sanctus vir considerans, adjungit:

CAPUT XLIX [*Vet. et Rec. XXVI*].

CAP. XIV, VERS. 1.---*Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.*

65. *Homo natus ex infirmitate, quia de muliere ortus.*--- In sacro eloquio mulier aut pro sexu ponitur, aut pro infirmitate. Pro sexu quippe sicut scriptum est: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege (Gal. IV, 4).* Pro infirmitate vero, sicut per quemdam sapientem dicitur: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier (Eccli. XLII, 14).* Vir etenim fortis quilibet et discretus vocatur, mulier vero mens infirma vel indiscreta accipitur. Et saepe contingit ut etiam discretus quisque subito labatur in culpam, atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is qui indiscretus atque infirmus est nonnunquam de eo quod bene egerit amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit; discretus vero quisque etiam ex eo quod male se egisse intelligit, ad distractionis regulam arctius se reducit; et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier*, quia nonnunquam etiam culpa fortium occasio virtutis fit, et virtus infirmorum occasio peccati. Hoc igitur loco mulieris nomine quid nisi infirmitas designatur, cum

dicitur: *Homo natus de muliere?* Ac si apertius dicatur: Quid in se habebit fortitudinis, qui natus est ex infirmitate?

66. *Angustatur ad vitam, dilatatur ad miseriam.---Brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Ecce viri sancti vocibus poena hominis breviter est expressa, quia et angustatur ad vitam, et **390** dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne quod hic agitur, poena et miseria est. Ipsi etenim corruptioni carnis servire ad necessaria atque concessa miseria est, ut contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra aestum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis; quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi labore reparatur, et tamen reparata in dubio semper est; quid hoc aliud quam mortalis vitae miseria est? Quod amamus amicos, suspecti ne offendi valeant; formidamus inimicos, atque securi de eis non sumus utique quos formidamus; quod plerumque inimicis sic confidenter quasi amicis loquimur, et nonnunquam pura verba proximorum, et multum nos fortasse diligentium, quasi verba suscipimus inimicorum, et qui falli nunquam vel fallere volumus, ex cautela nostra gravius erramus; quid itaque hoc nisi humanae vitae miseria est? Quod, amissa coelesti patria, repulsus homo delectatur exsilio, gravatur curis, et tamen cogitare dissimulat quam grave sit quia multa cogitantur; quod privatus est interno lumine, et tamen in hac vita diu vult perpeti caecitatem suam; quid hoc aliud quam de poena nostra nata miseria est? Sed quamvis diu hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitae impellitur ut egrediatur. Unde vir sanctus recte subjungit:

CAPUT L [*Vet. XXVII*].

VERS. 2.---*Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.*

67. *Mundus tot floribus brevi siccandis repletur, quot nominibus.*---Quasi flos etenim egreditur, quia nitet in carne; sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi praesentis, et ecce quasi tot floribus quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in feno est. Unde bene per Psalmistam dicitur: *Homo, sicut fenum dies ejus; et sicut flos agri, ita florebit* (**Psal. CII, 15**). Isaïas quoque ait: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos agri* (**Isa. XL, 6**). Homo etenim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus; quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus.

68. *Homo singulis vitae momentis ad mortem pergit. Inde deficit unde proficit.*---Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, recte adjungitur: *Et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Sed cum sol quoque indesinenter cursum suum peragat, et nunquam se in stabilitate figat; cur cursus vitae hominis umbrae potius quam soli comparatur, nisi quia, amisso amore conditoris, calorem cordis perdidit, et in solo iniquitatis suae frigore remansit? Quia juxta Veritatis vocem: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum* (**Matth. XXIV, 12**). Qui igitur in amore Dei cordis calorem non habet, nec tamen vitam quam

diligit tenet, scilicet velut umbra fugit. Unde recte quoque de illo scriptum est: *Quia secutus est umbram* (**Eccli. XXXIV**). Bene autem dicitur: **391** *Et nunquam in eodem statu permanet*, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juvenus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitae praesentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur; et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitae credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus: atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora, eo stante, transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit; et quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum. Quam tamen mutabilitatem non solum exterius, sed interius quoque homo patitur, dum ad meliora opera exsurgere conatur. Mens etenim mutabilitatis suae pondere ad aliud semper impellitur quam est, et nisi in statu suo arcta custodiae disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Quae enim semper stantem deseruit, statum quem habere potuit amisit. Unde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur. Cum vero ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore ad ima reducitur. [*Vet. XXVIII.*] Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium, intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens: *Contendite intrare per angustam portam* (**Luc. XIII, 24**). Dicturus quippe angustae portae introitum, praemisit, *contendite*, quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. Quia igitur homo velut flos nascitur et conteritur,

quia sicut umbra fugit, atque in statu suo nunquam permanet, quid in hac consideratione subjungat audiamus. Sequitur:

CAPUT LI.

VERS. 3.---*Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?*

69. *Duo extrema nomo et creator, pulvis et Deus.*--- Consideravit quippe superius et omnipotentis Dei potentiam, et infirmitatem suam; deduxit ante oculos se et Deum, pensavit quis cum quo ad judicium veniat. Vidit hinc hominem, inde conditorem, id est pulverem, et Deum; et recte ait: *Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos?* Omnipotenti Deo oculos aperire **392** est judicia exercere, quem feriat videre. Nam quasi clausis oculis non vult aspicere quem non vult ferire. Unde mox de ipso quoque judicio adjungitur: *Et adducere eum tecum in judicium?* Sed quia contemplatus est ad judicium venientem Deum, rursum considerat infirmitatem suam. Videt quia mundus per semetipsum esse non possit, qui ut esse possit, de immunditia processit, atque subjungit:

CAPUT LII.

VERS. 4.---*Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?*

70. *Homo propter vitiatam originem immunda patitur etiam nolens.*---Is qui per se solus est mundus mundare praevallet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus conceptio immunditia est. Unde et Psalmista ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (Psal. L, 7)*. Hinc est ergo quod plerumque tentatur et nolens. Hinc est quod immunda quaedam in mente patitur, quamvis ex judicio reluctetur, quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultae tentationis motus atque immunditiam cogitationis evicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat, quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo jam ad locum munditiae mente pervenit, conceptionis suae viam respiciat, per quam venit, atque inde colligat quia ex sua virtute non habet munditiam vivendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi. Potest vero hoc in loco intelligi, quia beatus Job incarnationem Redemptoris intuitus, solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione. Neque enim ex viro et femina, sed ex sancto Spiritu et Maria virgine processit. Solus ergo in carne sua vere mundus exstitit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem huc delectationem venit.

LIBER DUODECIMUS. *In quo, exposito
capite XIV libri Job, a versu quinto,
caput XV ex integro plerumque moraliter
explicatur.*

[*Vet. et Rec. I.*] Mos justorum est tanto sollicitius praesentem vitam quam sit fugitiva cogitare, quanto studiosius noverint coelestis patriae bona aeterna perpendere. Ex his enim quae manentia intus aspiciunt, foris fugam rerum labentium subtilius attendunt. Unde beatus Job, cum de lapsu humani temporis sententiam protulisset, dicens: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore.* Et rursum: *Et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet,* adhuc de brevitate vitae ejus adjungit:

CAPUT PRIMUM.

CAP. XIV, VERS. 5.---*Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.*

1. *Quod tanta velocitate transcurrit velut non est.*---Hoc etenim apud nos velut non esse considerat, quod tanta velocitate transcurrit. Quia vero apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud eum esse numerum nostrorum mensium perhibet. Vel certe in diebus brevitatis temporis, in

mensibus vero quasi multiplicata dierum spatia designantur. Nobis ergo breves dies sunt. Sed quia vita nostra post tenditur, apud Deum numerus nostrorum mensium esse memoratur. Unde et per Salomonem dicitur: *Longitudo dierum in dextera ejus*. Sequitur:

CAPUT II [*Rec. II*].

IBID.---*Constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt.*

393 2. *Nulla fiunt hominibus sine Dei consilio, etsi occulto.* Nulla quae in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt. Nam cuncta Deus secutura praesciens, ante saecula decrevit qualiter per saecula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat. Nam etsi annos quindecim Ezechiae regi ad vitam addidit omnipotens Deus (**IV Reg. XX, 1**), cum eum mori permisit, tunc eum praescivit esse moriturum. Qua in re quaestio oritur, quomodo ei per prophetam dicatur: *Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives*; cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas est vita addita. Sed per prophetam Dominus dixit quo tempore mori ipse merebatur; per largitatem vero misericordiae illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante saecula ipse praescivit. Nec propheta igitur fallax, quia

tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur; nec dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitae crescerent, hoc quoque ante saecula praefixum fuit; atque spatium vitae quod inopinate foris est additum, sine augmento praescientiae fuit intus statutum. Bene ergo dicitur: [*Vet. II.*] *Constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt.*

3. *Deus profectibus spiritualibus modum ponit.*---Quod tamen intelligi etiam juxta spiritum valet, quia nonnunquam in virtutibus proficere conamur, et quaedam dona percipimus, a quibusdam vero repulsi in imis jacemus. Nemo enim est qui tantum virtutis apprehendat quantum desiderat, quia omnipotens Deus, interiora discernens, ipsis spiritualibus provectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, et non valet, in illis se non eleuet quae valet. Unde ille quoque egregius praedicator, qui raptus ad tertium coelum fuerat, paradisi arcana penetraverat, esse post revelationem tranquillius atque intentatus non valebat (**II Cor. XII, 3**). Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui praeteriri non poterunt, et elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, et reduxit iterum ad infirma toleranda, ut modi sui mensuram aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur, et non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 6.---*Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus.*

4. *Sancti vitae praesentis taedio ad aeternam requiem semper anhelant.*---Hoc loco *recede* dicitur vim flagelli amove. Quis enim valet Deo recedente quiescere, cum solus ipse sit requies, et a quo quisque quanto longe fuerit, fit tanto et inquietus? Itaque sic *recede ab eo*, dicitur, ut intelligas *feriendo*. Apte enim subjungitur: *Donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus*. Mercenarius quanto longe est a fine operis, tanto et retributione mercedis. Ita vir quisque sanctus in hac vita positus, dum longe se esse ab exitu vitae praesentis conspicit, longe se esse ab aeternis gaudiis gemit. Quid est ergo dicere: *Recede paululum ab eo, ut quiescat*, nisi: jam flagella vitae praesentis subtrahe, et bona aeternae quietis ostende? Unde etiam de ipsa quiete additur: *Donec* **394** *optata veniat, sicut mercenarii dies ejus*. Tunc namque homini optata sicut mercenarii dies venit, quando aeternam requiem pro recompensatione sui laboris acceperit. Quantum vero ad praesentis vitae speciem spectat, adhuc beatus Job humanum genus multis miseriis repletum quam sit despectum insinuat, quantumque ipsa insensibilia ipsum praeire videantur narrat, cum dicit:

CAPUT IV [*Vet. III, Rec. IV*].

VERS. 7-10.---*Lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. Si senuerit radix ejus in terra, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad*

odorem aquae germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est. Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi, quaeso, est?

*5. Ligni nomine multa significantur: Crux, vir justus, incarnata Dei Sapientia. Ex percussione justi ad amorem coelestis patriae accenduntur.---*Sed quia hoc juxta litteram patet, debemus sensum ad interiora reducere, et qualiter haec juxta spiritum intelligi debeant perscrutari. In Scriptura etenim sacra ligni nomine aliquando crux, aliquando vir justus, aut etiam injustus, aliquando vero incarnata Dei sapientia figuratur. Crux etenim ligno signatur, cum dicitur: *Mittamus lignum in panem ejus (Jerem. XI, 19)*. Lignum quippe in panem mittere est Dominico corpori crucem adhibere. Rursum ligni nomine vir justus aut etiam injustus exprimitur, sicut per prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile (Ezech. XVII, 24)*. Quia juxta ejusdem Veritatis vocem: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (Luc. XIV, 11)*. Salomon quoque ait: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit (Eccle. XI, 3)*. In die etenim mortis suae justus ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem, quia et justus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata angelo, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis (Isai. XIV, 13)*, in frigido suo corde reprobatur. Rursum per lignum incarnata Dei Sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam (Prov. III, 18)*; et sicut ipsa ait: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet (Luc. XXIII, 31)?* Hoc itaque loco cum lignum praefertur homini, quid homo

nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine nisi justi uniuscujusque vita designatur: *Lignum etenim habet spem; si praecisum fuerit, rursum virescit*, quia cum in morte passionis pro veritate justus afficitur, in aeternae vitae viriditate recuperatur. Et qui hic virebat per fidem, illic virescit per speciem. Et rami ejus pullulant, quia plerumque ex passione justi fideles quique ad amorem coelestis patriae multiplicantur, et viriditatem vitae spiritalis accipiunt, dum hic pro Deo fortiter egisse gratulantur. Sequitur:

CAPUT V.

VERS. 8, 9.---*Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquae germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est.*

6. *Sua morte uberes in nobis fructus gignunt justi.*---Quid radix justi nisi sancta praedicatio, quia ab ipsa oritur, et in ipsa subsistit? et quid terrae vel pulveris nomine nisi peccator accipitur? cui voce conditoris dicitur: *Terra es, et in terram ibis*, vel certe, sicut habet nostra translatio: *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (**Genes. III, 19**). Justi igitur radix in terra senescit, et in pulvere truncus emoritur, **395** quia apud corda pravorum ejus praedicatio despecta cunctisque viribus effeta creditur. Et in pulvere truncus emoritur, quia inter manus persequentium corpus illius exanimatur. Juxta Sapientiae etenim vocem: *Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum* (**Sap. III, 2**). Sed iste cujus radix in terra senuit, et in pulvere truncus emortuus est, ad odorem

aquae germinat, quia per afflatum sancti Spiritus in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Aquae etenim appellatione nonnunquam sancti Spiritus irrigatio designari solet, sicut scriptum est: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum (Joan. VII, 37; IV, 13)*. Sequitur: *Et faciet comam quasi cum primum plantatum est*. Succiso trunco comam facere, est extincto corporaliter justo, ipso suae passionis exemplo multorum corda suscitare, et ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur: *Quasi cum primum plantatum est*. Omne quod hic a justis agitur secunda plantatio est, quia prima videlicet plantatio non in opere justorum, sed in praescientia conditoris est. Et quia cuncta quae agunt electi, sicut prius interius conspiciuntur atque disponuntur, ita postmodum exterius perficiuntur, bene dicitur: *Faciet comam quasi cum primum plantatum est*; id est, viriditatem suam ostendit in effectu operis, quam prius habuit in praescientia conditoris.

[Vet. IV.] 7. *Homo ex se deficit, sed adveniente Spiritu sancto renovatur*.---Potest etiam radix justi ipsa natura humanitatis intelligi, ex qua subsistit. Quae videlicet radix senescit in terra cum natura carnis deficit in pulverem redacta. Cujus in pulvere truncus emoritur, quia extinctum corpus a sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquae germinat, quia per adventum sancti Spiritus resurgit: *Et faciet comam quasi cum primum plantatum est*, quia ad illam speciem redit ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset.

8. *Christus arbor in passione succisa, in resurrectione multiplicata*.---Quod fortasse etiam de Domino ipso, scilicet

bonorum omnium capite, valet intelligi; juxta hoc namque quod praediximus, quia de semetipso ait: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet (Luc. XXIII, 31)?* Se esse lignum viride, et nos lignum aridum dixit, quia ipse in se vim divinitatis habuit; nos vero, qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur. Habet ergo lignum spem, si praecisum fuerit, quia rursum virescit, quoniam et si occidi per passionem potuit, per resurrectionis gloriam rursus ad vitae viriditatem venit. Hujus rami pullulant, quia, resurrectione illius multiplicati, longe lateque fideles creverunt. Hujus radix in terra quasi senuit, quia ejus praedicatio Judaeorum perfidiae despecta fuit. Et in pulvere truncus emortuus est, quia in corde persequentium, quod perfidiae suae vento levabatur, contemptibilis et despectus est habitus, quia carne potuit occidi. Sed ad odorem aquae germinavit, quia per virtutem Dei exstincta caro illius ad vitam rediit, juxta quod scriptum est: *Quem Deus suscitavit a mortuis (Act. III, 15).* Quia enim Deus Trinitas est, exstinctam carnem unigeniti Filii sancta Trinitas, **396** id est Pater, et idem Filius, et Spiritus sanctus resuscitavit. Et fecit comam quasi cum primum plantatum est, quia illa apostolorum debilitas, quae in morte illius expavit, et negavit, et negando aruit, per resurrectionis ejus gloriam rursus ad fidem viruit. In cujus ligni comparatione quid omnis homo, nisi pulvis est? Unde et subditur:

CAPUT VI [*Vet. V*].

VERS. 10.---*Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi, quaeso, est?*

9. *Homo peccator moritur in culpa, nudatur a justitia, consumitur in poena.*---Nullus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum non venit ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur, ipsa amissione justitiae morimur; concessa prius in paradiso veste innocentiae nudamur, interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur a justitia, consumitur in poena. Hanc nuditatem peccatoris filii tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit: *Cito proferte stolam primam (Luc. XV, 22).* Prima quippe stola est vestis innocentiae, quam homo bene conditus accepit, sed male a serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur: *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet (Apoc. XVI, 15).* Vestimenta quippe custodimus cum praecepta innocentiae servamus in mente, ut cum nos iudici culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam poenitentia operiat. Bene autem dicitur: *Ubi, quaeso, est?* quia peccator homo illic stare noluit, ubi conditus fuit; hic vero, ubi cecidit, diu esse prohibetur. Patriam volens perdidit, a peregrinatione vero sua quam diligit invitus expellitur. Ubi ergo est, qui in ejus amore non est ubi verum esse est? Sequitur:

CAPUT VII.

VERS. 11, 12.---*Quomodo si recedant aquae de mari, et fluvius vacuefactus arescat, sic homo, cum dormierit, non resurget.*

10. *Mens humana aestuanti mari similis.*---Mare mens hominis, et quasi fluctus maris sunt cogitationes mentis, quae aliquando per iram tumescunt, per gratiam tranquillae fiunt, per odium cum amaritudine defluunt. Sed cum homo moritur, aquae maris recedunt, quia, juxta Psamistae vocem: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. CXLV, 4).* Et rursum de moriente scriptum est: *Amor quoque et odium simul peribunt (Eccle. IX, 6).* Arescit ergo fluvius vacuefactus, quia, subducta anima, vacuum remanet corpus. Quasi enim alveus fluminis vacuus est corpus exanime. Qua in re vigilanter intuendum est quia vita praesens, videlicet quousque anima moratur in corpore, mari comparatur et fluvio. Aqua enim maris amara est, fluminis dulcis. Et quia hic viventes modo quibusdam amaritudinibus afficimur, modo autem dulcedine tranquilli ac mites invenimur, praesentis vitae decursus comparatione exprimitur maris et fluminis.

11. (*Vet. VI, Rec. V.*) *Job resurrectionem non absolute negat, sed tantum futuram ante mundi finem.*---Sed in his durum valde videtur esse quod subditur: *Sic homo, cum dormierit, non resurget.* Cur itaque laboramus, si in resurrectionis retributionem non tendimus? Quomodo autem dicitur: *Non resurget,* cum scriptum sit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (I Cor. XV, 51).* Et rursum: *Si in 397 hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (I Cor. XV, 19).* Et per semetipsam Veritas dicat: *Omnes qui in monumentis sunt*

audient vocem ejus, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae (Joan. V, 28). Sed subjuncta sententia indicat quae discretio in praemissa lateat. Nam subditur:

CAPUT VIII.

VERS. 12.---*Donec atteratur coelum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.*

12. Liquet enim quia non resurget, scilicet donec atteratur coelum, quia nisi mundi hujus finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam non evigilabit. Non ergo quia omnino non resurgat, sed quia ante contritionem coeli, humanum genus minime resurgat, insinuat. Notandum quoque est cur postquam superius hominem mortuum dixit, inferius non mortuum, sed dormientem nominat, eumque de somno suo minime consurgere, donec coelum atteratur narrat, nisi quod patenter datur intelligi quia in comparatione ligni revirentis hominem mortuum peccatorem nominat, a vita scilicet justitiae extinctum. Ubi autem de morte carnis loquitur, non hanc mortem, sed somnum maluit vocare, spem procul dubio resurrectionis insinuans, quia sicut citius homo a somno evigilat, ita concite ad conditoris nutum a morte corporis resurgat. Vehementer enim ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Unde et Paulus discipulos admonens, dicit: *Nolumus autem ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et caeteri qui spem non habent. Si enim*

credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo (I Thess. IV, 12). Quid est quod praedicator egregius mortem Domini mortem vocat, mortem vero servorum Domini, non mortem, sed somnum nominat, nisi quia, infirma corda audientium respiciens, medicamentum praedicationis suae mira arte componit, et illum quem jam resurrexisse noverant, eis mortuum insinuare non dubitat; eos vero qui necdum resurrexerant, ut spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat? Non enim verebatur dicere mortuum quem auditores jam resurrexisse cognoverant, et verebatur dicere mortuos quos resurgere vix credebant. Beatus igitur Job, quia carne mortuos ad vitam rursus evigilare non dubitat, eos dormientes potius quam mortuos appellat. Sequitur:

CAPUT IX [*Vet. VII, Rec. VI*].

VERS. 13.---*Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me?*

13. *Duplex infernus, alius inferior malis cruciandis, alius superior justis usque ad adventum Christi recipiendis destinatus.*---Quia ante adventum mediatoris Dei et hominis omnis homo, quamvis mundaе probataeque vitae fuerit, ad inferni claustra descenderit, dubium non est, quoniam homo, qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille qui suae incarnationis mysterio ejusdem nobis paradisi iter aperiret. Unde et post culpam primi hominis ad paradisi aditum romphaea flammea posita esse memoratur (**Genes. III, 24**), quae et versati lis dicitur, pro eo

quod quandoque veniret tempus ut etiam removeri potuisset Nec tamen ita justorum animas ad infernum dicimus descendisse, ut in locis poenalibus tenerentur. Sed esse superiora inferni loca, esse alia inferiora credenda sunt, ut et in superioribus justī requiescerent, et in inferioribus **398** injusti cruciarentur. Unde et Psalmista propter praevenientem se Dei gratiam dicit: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori (Psal. LXXXV, 13)*. Beatus igitur Job ante Mediatoris adventum ad infernum se descendere sciens, conditoris sui illic protectionem postulat, ut a locis poenalibus alienus existat, ubi, dum ad requiem ducitur, a suppliciis abscondatur. Unde subjungit:

CAPUT X [*Rec. VII*].

IBID.---*Et abscondas me donec pertransent furor tuus.*

14. *Dei furor perturbationis expers, in fine mundi consummatur.*---Furor etiam omnipotentis Dei in hoc quotidie vim suae distictionis peragit, quod viventes indigne dignis suppliciis demergit. Qui furor nunc equidem transit, sed in fine pertransit, quia modo agitur, sed in mundi termino consummatur. Qui tamen iste furor, quantum ad electorum animas, in Redemptoris nostri adventu pertransiit, quia eas ab inferni claustris ad paradisi gaudia mediator Dei et hominum, dum ipse illuc pie descenderet, reduxit. Inter haec vero sciendum est quod furoris nomen Divinitati non congruit, quia naturam Dei simplicem perturbatio nulla confundit.

Unde ei dicitur: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos (Sap. XII, 18)*. Sed quia justorum animae per Mediatoris adventum erant quandoque ab inferni locis, quamvis non poenalibus, liberandae, hoc quoque justus vir praevidet, et petendo subjungit:

CAPUT XI [*Vet. et Rec. VIII*].

IBID.---*Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?*

15. *Christus ab inferno eduxit tantum quos sibi inhaesisse praescivit.---At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (Gal. IV, 4)*. Hanc itaque redemptionem vir Domini praesciens, in qua erant multi etiam ex gentilitate liberandi, sicut ipse ait: *Licet haec celes in cordo tuo, tamen scio quia universorum memineris (Job. X, 13)*, apud omnipotentem Deum tempus sibi constitui suae recordationis petit. Hinc est enim quod in Evangelio Dominus dicit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (Joan. XII, 32)*, omnia videlicet electa. Non enim ab inferno rediens Dominus electos simul et reprobos traxit, sed illa exinde omnia sustulit quae sibi inhaesisse praescivit. Unde etiam per Osee prophetam dicit: *Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne (Osee XIII, 14)*. Quod enim occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo enim quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis exstitit. Quia

vero ex inferno partem abstulit, partemque reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Dicit ergo: *Ero mors tua, a mors*; id est, in electis meis te funditus perimo. *Ero morsus tuus, inferne*, quia, sublatis eis, te ex parte transfigo. Sciens igitur beatus Job hunc adventum ad inferos Redemptoris nostri, petat quod futurum praevidit, et dicat: *Et constituias mihi tempus in quo recorderis mei*. Sequitur:

CAPUT XII.

VERS. 14.---*Putasne mortuus homo rursum vivet?*

16. *Nonnunquam a fortibus infirmitatis verba suscipienda*.--- Solent justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam infirmanti dubietate omnimodo contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur infirmis aliquatenus condescendant, et per hoc quod certam sententiam proferunt, **399** infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Quod nimirum dum faciunt exemplum nostri capitis sequuntur. Passioni quippe Dominus propinquans infirmantium in se vocem sumpsit, dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste* (**Matth. XXVI, 39**), eorumque timorem, ut abstraheret, suscepit; et rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (**Ibid., 39**) ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus ut voluntas conditoris nostri etiam

contra voluntatem nostram fiat. Hoc igitur exemplo nonnunquam a fortibus infirmitatis verba suscipienda sunt, ut per eorum post praedicamenta fortia infirmorum corda gratius roborentur. Unde beatus Job, cum quasi dubitantis verba protulit, dicens: *Putasne mortuus homo rursus vivet?* illico sententiam suae certitudinis adjunxit, qua ait:

CAPUT XIII [*Vet et Rec. IX*].

IBID.---*Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.*

17. *Job, hujus vitae cursu despecto, immutabilitatis statum requirit.*---Qui itaque immutationem suam tanto desiderio exspectat, quam sit de resurrectione certus insinuat; et cursum vitae praesentis quantum despiciat innotescit, qui hunc militiam appellat. Per militiam quippe semper ad finem tenditur, et quotidie conclusionis terminus exspectatur. Cursum itaque vitae hujus despicit, et statum soliditatis requirit, qui per hoc quod mutabiliter militat, ad immutationem suam pervenire festinat. Justo quippe in hac vita ipsa sarcina suae corruptionis onerosa est. Quod vigiliae defatigant, somnus quaeritur, ut vigiliarum labor atque anxietas temperetur. Sed nonnunquam etiam somnus occidit. Fames corpus atterit, atque, ut ejus necessitas repellatur, cibi requiruntur; sed saepe et cibi gravant, qui ad repellendum debilitatis gravamen quaesiti fuerant. Gravis itaque est sarcina corruptionis, quae nisi ita gravis esset, Paulus nequaquam diceret: *Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed*

propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc (Rom. VIII, 20). Sanctus ergo vir incorruptionis statum desiderans, dicat: Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. In qua immutatione quid agatur adjungit:

CAPUT XIV [*Rec. X*].

VERS. 15.---*Vocabis me, et ego respondebo tibi.*

18. *Vocanti Deo respondebimus, cum ad ejus jussum incorruptibiles resurgemus.*---Respondere cuilibet dicimur cum ejus factis congrua ad vicem opera reddimus. In illa igitur commutatione vocat Dominus, et respondet homo, quia ante incorrupti claritatem, incorruptus homo ostenditur post corruptionem. Nunc etenim quousque subditi corruptioni sumus, auctori nostro minime respondemus, quia dum corruptio ab incorruptione longe est, similitudo aptae nostrae responsioni non est. De illa vero immutatione scriptum est: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (Joan. III, 2).* Tunc ergo vocanti Deo veraciter respondebimus, quando ad summae incorruptionis jussum incorruptibiles surgemus. [*Vet. X.*] Et quia hoc percipere creatura ex semetipsa non valet, sed solius **400** omnipotentis Dei dono agitur ut ad tantam incorruptionis gloriam permutetur, recte subjungitur:

CAPUT XV [*Rec. XI*].

IBID.---*Operi manuum tuarum porriges dexteram.*

19. *Quod ex seipso homo consequi non valet.*---Ac si patenter dicat: Idcirco creatura tua corruptibilis persistere ad incorruptionem potest, quia tuae potestatis manu erigitur, et tui respectus gratia, ut persistat, tenetur. Humana namque creatura, eo ipso quod creatura est, in semetipsa habet sub se defluere, sed a conditore suo homo accepit, ut et super se contemplatione rapiatur, et in seipso incorruptione teneatur. Creatura ergo ne sub se defluat, sed in incorruptione persistat, ad incommutabilitatis statum auctoris sui dextera levatur. Potest quoque dexteræ nomine Filius designari: Quia *omnia per ipsum facta sunt* (**Joan. I, 3**). Operi igitur manuum suarum porrexit omnipotens Deus dexteram suam, quia ut abjectum atque in infimis jacens ad summa erigeret genus humanum, incarnatum ad hoc unigenitum misit. Ex cuius nobis incarnatione datum est ut qui ex voluntate propria in corruptionem cecidimus, vocanti nos Deo quandoque ad incorruptionis gloriam respondere valeamus. Qua in re largitatem divinae misericordiae pensare quis valeat, quod ad tantam perducit gloriam hominem post culpam? Pensat Deus mala quae facimus, et tamen per benignitatis suae gratiam ea misericorditer relaxat. Unde et subditur:

CAPUT XVI [*Rec. XII*].

VERS. 16.---*Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parcis peccatis meis.*

20. *Culpaе nostrae, ne Deus eas puniat, poenitentia castigandae.*---Gressus Deus dinumerat, cum singula quaeque nostra opera propter retributionem signat. Quid enim in gressibus, nisi unaquaeque nostra actio designatur? Omnipotens itaque Deus et gressus dinumerat, et peccatis parcit, quia et subtiliter acta nostra considerat, et tamen haec poenitentibus misericorditer relaxat. Qui et duritiam in peccantibus conspicit, sed tamen hanc, praeveniente gratia, ad poenitentiam emollit. Culpas ergo dinumerat, cum nos ipsos ad singula quae fecimus, deflenda convertit. Quas misericorditer relaxat, quia eas dum nos ipsi punimus, ipse nequaquam in extremo examine iudicat, Paulo attestante, qui ait: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur (I Cor. XI, 31).* Unde adhuc subditur:

CAPUT XVII [*Vet. XI*].

VERS. 17.---*Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.*

21. *Peccata, nisi poenitentia diluantur, de sacculo secreti, exhibunt ad publicum iudicii.*---Signantur quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc quod nos exterius agimus, nisi poenitentia interveniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei sub quadam occultatione servatur, ut quandoque etiam de

sacculo secreti exeat ad publicum iudicii. Unde etiam per Moysen dicitur: *Nonne haec congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam illis* (**Deut. XXXII, 34, 35**). Cum vero pro malis quae fecimus disciplinae flagello atterimur, et haec per poenitentiam deflemus, iniquitatem nostram signat et curat, quia nec inulta hic deserit, nec in iudicio punienda reservat. Signat igitur delicta, quia ea hic subtiliter attendit ut feriat; curat vero, quia haec per flagellum funditus relaxat. Unde iniquitatem quoque illius persecutoris sui, quem in terra **401** prostraverat, signando curavit, cum de illo ad Ananiam dixit: *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati* (**Act. IX, 15**). Cui enim adhuc pro transactis excessibus venturas passiones minatur, profecto hoc quod deliquerat in corde signatum tenebat. Sed procul dubio delicta ejus signando curaverat, quem Vas electionis vocabat. Vel certe peccata nostra signantur in sacculo cum mala quae fecimus sollicito semper corde pensamus. Quid namque est cor hominis, nisi sacculus Dei? Ubi dum studiose conspicimus per quanta delinquimus, peccata nostra quasi in Dei sacculo signata portamus. An non peccatum suum David signatum tenebat in sacculo, qui dicebat: *Iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum coram me est semper* (**Psal. L, 5**)? Et quia culpas, quas non intuendo et poenitendo cognoscimus, pius nobis conditor relaxat, recte post signata in sacculo delicta subjungitur: *Sed curasti iniquitatem meam*. Ac si aperte dicat: Quae modo signas ut poenitendo videam, agis procul dubio ne in retributione videantur. Sequitur:

CAPUT XVIII [Rec. XIII].

VERS. 18, 19.---*Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur, et homines ergo similiter perdes.*

22. *Alii subitis, alii lentis ac blandis tentationibus evertuntur.* --Hoc crebro agitur ut, cadentibus rupibus, saxum ad loca alia transferatur; ut aquae lapides excavent, et paulatim terra alluvionibus consumatur. Sed magna nobis intentione discutiendum est quod infertur: *Et homines ergo similiter perdes.* Quid est enim hoc, quod cadenti monti et saxo translato, quod excavato lapidi et per alluvionem terrae consumptae perditio humana comparatur, nisi hoc, quod patenter datur intelligi, quia duo sunt genera tentationum? Unum, quod in mente etiam justi hominis per repentinum eventum agitur, quatenus sic subito tentetur, ut hunc inopinato proventu concutiat et prosternat, casumque suum nonnisi postquam ceciderit videat. Aliud vero, quod paulatim venit in mentem, et resistentem animum lenibus suggestionibus inficit, et omnes in eo vires justitiae non nimietate sua, sed assiduitate consumit. Quia ergo alia est tentatio quae justos plerumque subita invasione prosternit, dicatur: *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo*; id est, mens sancta, cujus locus justitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursum quia alia est tentatio, quae se cordi hominis leniter infundit, omnemque duritiam fortitudinis corrumpit atque consumit, dicatur: *Lapides excavant aquae*, quia videlicet duritiam mentis absorbent assidua et

mollia blandimenta libidinis, et lentum atque subtile vitium corrumpit durum et forte propositum mentis. Unde subditur: *Et alluvione paulatim terra consumitur. [Vet. XII.]* Sicut enim influente aqua paulatim terra consumitur, sic leniter subrepente vitio mens etiam fortis absorbetur. Unde bene subjungitur *Et homines ergo similiter perdes*. Id est, quia cum tentationem justo iudicio ejus menti qui stare in alto cernitur repente dominari permittis, cadere ac defluere montem facis; et cum voluntas ad vitium commutatur, quasi ad locum alium transfertur saxum; **402** cum vero tentationem lentam atque subtilem, sed tamen assiduam, eorum qui fortes esse creduntur praevalere mentibus sinis, quasi lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur, quia nimirum suggestionem leni subacta mentis duritia mollitur.

23. David mons altus repentino casu cecidit. Salomon subrepente paulisper peccati lenocinio.---Videamus David ille quantum mons altus fuerit, qui tanta Dei mysteria prophetico spiritu valuit contemplari; sed aspiciamus quam subito casu defluxit, qui dum, in solario deambulans, alienam conjugem concupivit et abstulit, ejusque virum cum damno sui exercitus interemit (**II Reg. XI, 4, seq.**), repentino casu mons cecidit, cum mens illa mysteriis coelestibus assueta, inopinata tentatione devicta est, tamque immanissimae turpitudini subacta. Saxum itaque de loco suo translatum est, cum prophetae animus, a prophetiae mysteriis exclusus, ad cogitandas turpitudines venit. Videamus etiam qualiter lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur. Salomon quippe (**32, q. 4, c. Salomon**) immoderato usu atque assiduitate mulierum ad hoc usque perductus est, ut templum idolis fabricaret (**III**

Reg. XI, 7); et qui prius Deo templum construxerat, assiduitate libidinis, etiam perfidiae substratus, idolis construere templa non timuit. Sicque factum est ut ab assidua carnis petulantia usque ad mentis perfidiam perveniret. Quid itaque aliud quam aquae excavarunt lapidem, et alluvione paulatim terra consumpta est, quia subripiente paulisper infusione peccati, terra cordis illius ad consumptionem defluxit? Consideret ergo beatus Job utrasque tentationes, vel subitam et immensam, vel lentam atque longiorem; consideret casus hominum, et ex his quae exterius accidunt rapiat interius contemplationem, dicens: *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur; et homines ergo similiter perdes;* id est, sicut haec insensibilia modo subito corruunt, modo paulisper infusa aquarum mollitie consumuntur, ita etiam eum quem rationabilem condidisti, vel subita tentatione dejicis, vel longa ac lenta consumi permittis. Atque mox eandem rationabilem creaturam verbis sequentibus explicat, dicens:

CAPUT XIX.

VERS. 20.---*Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret.*

24. *Vitae brevi succedit aeternitas.*---Paululum roboratus est homo, quia hic vivendi vires ad modicum accepit ut in perpetuum transeat ubi ejus vitam terminus non concludat. Sed in hac brevitate ubi roboratus est colligit unde in

perpetuitate inveniatur, vel ut semper gaudeat, vel ut suscepta supplicia non evadat. Qui pro eo quod paululum roboratus est ut in perpetuum transeat, apte mox subditur:

CAPUT XX [*Rec. XIV*].

IBID.---*Immutabis faciem ejus, et emittes eum.*

25. *Hominis in morte quanta mutatio.*---Facies hominis immutatur cum ejus species morte atteritur. Emittitur vero, quia ab his quae volens tenuit transire ad aeterna cogitur nolens; dumque ad illa perducitur, haec quae diu cogitata tenuit qualiter sese habitura sint relictata nescit. Unde et additur.

CAPUT XXI [*Vet. XIII*].

VERS. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelligit.*

26. *Animae sanctorum Deum videntes, nihil eorum quae extra se sunt ignorant; secus aliae.*---Sicut enim hi qui adhuc viventes sunt **403** mortuorum animae quo loco habeantur ignorant, ita mortui vita in carne viventium post eos qualiter disponatur nesciunt, quia et vita spiritus longe est a vita carnis; et sicut corporea atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quia quae intus omnipotentis Dei

claritatem vident nullo modo credendum est quia foris sit aliquid quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem praecipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit quod hic vehementer amaverunt, ut sive nobiles, sive ignobiles sint filii nesciant, quorum eos semper cura fatigabat. Quod tamen si intelligi spiritaliter debet, non incongrue filiorum nomine opera designantur; sicut de muliere Paulus dicit: *Quia salva erit per filiorum generationem (I Tim. II, 15)*. Neque enim mulier quae, continentiae studens, nequaquam filios generat salva non erit, sed per generationem filiorum salvari dicitur, quia per effectum bonorum operum perpetuae saluti sociatur. Nobiles ergo sunt filii recta opera, ignobiles autem facta perversa. Et saepe homo agere quaelibet bona intentione nititur; sed tamen pro multis, quae subrepunt, ejus acta apud omnipotentem Deum qualiter habeantur, incertum est. Sive itaque nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelligit, quia, subtili examine discussa, utrum approbentur ejus opera an reprobentur ignorat. Et hic ergo homo in dolore laboris est positus, et illuc ducitur in timore suspicionis. Unde adhuc de ipso praesentis vitae labore subjungitur:

CAPUT XXII.

VERS. 22.---*Attamen caro ejus, dum vivit, dolebit, et anima ejus super semetipso lugebit.*

27. *Qui carnis voluptatibus delectantur, majores ex carne tribulationes experiuntur.*---De conjugibus Paulus

dicit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi (I Cor. VII, 28)*. Sed tribulationem carnis hic pati possunt, etiam jam qui spiritaliter vivunt. Cur ergo inesse conjugibus carnis tribulatio quasi specialiter dicitur, quae etiam a vita spiritalium longe non est, nisi quod hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt qui carnis voluptatibus delectantur? Bene autem dicitur: *Et anima ejus super semetipso lugebit*, quia quisquis gaudere in se appetit, eo ipso jam in luctu est quo a vera laetitia recessit. Vera quippe laetitia mentis creator est Dignum itaque est ut in se semper homo moerore inveniatur, qui, derelicto creatore, in se gaudium quaerebat. Sequitur.

CAPUT XXIII [*Vet. XIV, Rec. XV*].

CAP. XV, VERS. 1, 2.---*Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum?*

28. *Mali bonorum verba non rationis sententias, sed furoris stimulos censent.*---Crebro jam diximus beatum Job typum sanctae universalis Ecclesiae, amicos vero illius haereticorum speciem tenere, qui, quasi ex defensione Domini, occasionem stultae locutionis inveniunt, et contumeliosa contra bonos verba jaculantur. Quibus cuncta quae a fidelibus sentiuntur quasi in ventum prolata displicent. Unde nunc dicitur: *Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens?* Nec bonorum verba dicta rationis, sed stimulos

furoris existimant. Unde et subditur. *Et implebit ardore stomachum suum.* Quia ea etiam quae se sciunt contumeliose dicere, student semper, ut dictum est, ex Domini defensione palliare. Unde **404** Eliphaz subdit:

CAPUT XXIV.

VERS. 3.---*Arguis verbis eum qui non est aequalis tibi, et loqueris quod tibi non expedit.*

29. *Dum vera quae exprobrent non inveniunt, falsa fingunt haeretici.*---Nullum vero existimant timorem Domini habere, nisi eum quem potuerint ad suae confessionis stultitiam trahere. Unde adjungit:---VERS. 4---*Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Deo.* Tulisti dicitur abstulisti, ac si aperte dicat: De tua justitia praesumens, Creatoris tui gratiam despicias deprecari. Cum enim vera mala haeretici contra bonos non inveniunt, fingunt quae redarguant, ut justii esse videantur, et fit plerumque ut ad aperta contumeliarum verba perveniant. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXV.

VERS. 5.---*Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.*

30. *Dei honori specie caventes, bonitati detrahunt.* --- Iniquitas os docet quando ex mala vita concipitur quod pejus

dicatur. Quia autem beatus Job tanto in ore liber fuerat quanto justus in opere, ab amicis suis haereticorum typum tenentibus, et de iniqua vita, et de audaci ore reprehenditur, ut dicatur: *Docuit enim iniquitas tua os tuum*. Ac si aperte ei diceretur: Quod perverse loqueris, ex perversiore didicisti vita. Saepe vero haeretici dum quasi venerantur Deum, ejus mysteriis contradicunt, et humilitatem putant si veritatem denegant. Sunt namque nonnulli qui Deo se injuriam irrogare existimant si eum veram carnem assumpsisse fateantur, aut si hunc veraciter pro nobis carne mori potuisse crediderint. Cumque Deo quasi plus honoris conantur tribuere, coguntur laudes veras bonitatis illius negare. Quid enim est in charitatis suae laude potentius quam ut illa sibi pro nobis digna ad susceptionem faceret, quae ei videntur indigna? Sancta autem Ecclesia veram carnem, veram mortem illius confitetur; sed haec dicens, ab haereticis irrogare Deo contumeliam creditur. Unde nunc dicitur: *Et imitaris linguam blasphemantium*. Cui si quid in hoc mundo adversitatis evenierit, hoc ei contingere ex ipsa hac injuria suae confessionis dicunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXVI.

VERS. 6.---*Condemnabit te os tuum et non ego, et labia tua respondebunt tibi*.

31. *Rectae fidei confessionem adversitatis flagellis puniri delirant*.---Quia enim ex errore confessionis existimant mala adversitatis erumpere, labia sua ei asserunt respondere, ut

culpa eloquii sit causa flagelli. Aliquando vero eam comprimere quasi ratiocinantes volunt. [*Vet. XV.*] Unde Eliphaz beatum Job reprehendere quasi ex ratione conatur, dicens:

CAPUT XXVII.

VERS. 7, 8.---*Nunquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus? Nunquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia?*

32. *Dum divinam gloriam defendere videntur, suae prospiciunt.*---Ac si verbis apertioribus dicat: Qui de aeterno loqueris pensa quia temporalis es, qui de ejus sapientia disputas, pensa quia ejus consilium ignoras. Sed quia ad hoc haeretici verba dominicae defensionis assumunt, ut docti esse videantur, et dum divinam gloriam defendere videntur, suam scientiam hominibus innotescant, ipsa hoc Eliphaz subjuncta verba testantur, qui loqui quidem de sapientia Dei coepit, sed statim ad suam elationem cecidit, dicens:

VERS. 9.---*Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?*

405 Quae videlicet dicta patenter ostendunt ex qua mentis elatione prodeat quidquid quasi ad Dominicam defensionem sonat. Sequitur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 10.---*Et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui.*

33. *De antiquorum patrum magisterio et consensu falso sibi blandiuntur.*---Quia omnes haeretici a sancta universali Ecclesia sunt egressi, testatur Joannes, qui ait: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis (I Joan. II, 19).* Sed ut ea quae asserunt commendare stultis mentibus hominum quasi de antiquitate possint, antiquos patres se habere testantur, atque ipsos doctores Ecclesiae suae professionis magistros dicunt. Cumque praesentes praedicatores despiciunt de antiquorum Patrum magisterio falsa praesumptione gloriantur, ut ea quae ipsi dicunt, etiam antiquos patres tenuisse fateantur, quatenus hoc quod rectitudine astruere non valent quasi ex illorum auctoritate confirment. Quia vero scriptum est: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit (Hebr. XII, 6).* Saepe sancta Ecclesia multis in hac vita adversitatibus laborat, et reproborum vita tanto sine flagello dimittitur, quanto ad nulla praemia servatur. Sed afflictiones sanctae Ecclesiae videntes haeretici, eam despiciunt, et tot illam flagellis atteri ex pravae professionis merito suspicantur. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXIX.

VERS. 11.---*Nunquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.*

34. *Afflictam Ecclesiam despiciunt.*---Ac si ei patenter dicat: Si professionem fidei corrigeres, jamdudum consolationem a flagellis habere potuisses. Sequitur:

CAPUT XXX.

VERS. 12.---*Quid te elevat cor tuum, et, quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?*

35. *Sanctorum contemplationem irrident nunquam experti.*---Saepe justorum mens ita ad altiora contemplanda suspenditur, ut exterius eorum facies obstupuisse videatur. Sed quia hanc contemplationis vim in occulto agere haeretici ignorant, hoc a justis et recta sapientibus fieri magis per hypocrisim quam per veritatem putant, quia hoc quod ipsi habere nequeunt inesse veraciter aliis non suspicantur. Sequitur:

CAPUT XXXI [*Vet et Rec. XVI*].

VERS. 13.---*Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujusmodi sermones?*

36. *Justorum et iniquorum verba saepe similia, sed cor dissimile. Haeretici falsis quaedam vera permiscent, non rejicienda.*---Plerumque justis aliquibus necessitatibus afflicti

sua opera coguntur fateri, quod beatus Job fecerat, quem post justitiam flagella deprimebant; sed cum eorum dicta injusti audiunt, haec per elationem potius quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba justorum pensant, et dici humiliter posse verba bona non existimant. Sicut enim gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat quod est. Unde saepe contingit ut justis et injustis habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile, et ex quibus dictis Dominus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur. Nam Phariseus ingressus templum, dicebat: *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quae possideo* (**Luc. XVIII, 12**); sed justificatus magis publicanus, quam ille exiit. Ezechias quoque rex cum, molestia corporis afflicto, ad extremitatem pervenisset vitae, in oratione compunctus dixit: *Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto* (**Isai. XXXVIII, 3**). Nec tamen Dominus **406** hanc confessionem perfectionis ejus despexit, aut renuit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce Phariseus se justificavit in opere, et Ezechias justum se esse asseruit etiam in cogitatione, atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, et in ejus auribus superba non sunt quae humili corde proferuntur? Unde beatus Job, cum sua opera protulit, contra Deum nullo modo tumuit, quia ea quae veraciter fecerat humiliter dixit. Sed solent haeretici errorum suorum dictis vera aliqua permiscere, et amici beati Job quamvis in reprehensione ejus omnimodo fallantur, possunt tamen et quaedam vera dicere, quae ex illius assiduitate didicerunt. Quorum dicta si omnia refutanda

essent, Eliphaz sententiam Paulus apostolus minime protulisset, dicens: *Apprehendit sapientes in astutia eorum (I Cor. III, 19)*. Quia igitur et ea quae recta dicunt contra beatum Job recte non dicunt, nos in eorum dictis et calcemus vitium indiscretionis, et discutiamus vires rectitudinis. Sequitur:

CAPUT XXXII.

VERS. 14.---*Quid est homo, ut immaculatus sit?*

37. *Homo ex humo et ex muliere ortus, qui possit esse sine macula?*---Eo enim ipso quo dicitur homo, terrenus exprimitur et infirmus: homo enim ab humo appellatus est. Et quomodo esse valet sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra? Ubi et additur,---IBID.--*Et ut justus appareat natus de muliere*. Primam quippe viro injustitiam mulier propinavit in paradiso. Quomodo ergo justus apparebit, qui de illa natus est quae injustitiae propinatrix exstitit? Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Vet. et Rec. XVII*].

VERS. 15.---*Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et coeli non sunt mundi in conspectu ejus*.

38. *Solus Deus mutabilitatis expers*.---Hoc coelorum nomine repetiit quod sanctorum prius appellatione signavit. Nam de eisdem sanctis scriptum est: *Coeli enarrant gloriam*

Dei (Psal. XVIII, 1). Qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent; sed dum immutabili veritati studiose semper inhaerere desiderant, inhaerendo agunt, ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc toto affectu se tenent, quandoque accipiunt ut super semetipsos ducti vincant hoc quod in semetipsis mutabiles exstiterunt. Quid enim mutabilitas nisi mors quaedam est? Quae dum rem quamlibet in aliam immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Et de auctore omnium scriptum est: *Qui solus habet immutabilitatem (I Tim. VI, 16)*, quia videlicet in semetipso solus immutabilis est. De quo per Jacobum dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. I, 17)*. Ipsa enim mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit. Bene autem dicitur: *Coeli non sunt mundi in conspectu ejus*, quia per semetipsos ante districtum Dei iudicium nec ipsi esse mundi ad perfectum possunt qui munditiae praedicatores fiunt, Joanne attestante, qui ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus (I Joan. I, 3)*. Si igitur inter sanctos illius nemo immutabilis est, et coeli in conspectu ejus non sunt mundi, quis apud se de justitiae opere praesumat? Unde et subditur:

407 CAPUT XXXIV [*Rec. XVIII*].

VERS. 16.---*Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquas iniquitatem?*

39. *Mala opera nostra nequissima esse, sed bona imperfecta et inutilia.*---Qui immaculatum prius hominem et justum per se posse esse negaverat, hunc abominabilem et inutilem appellat: abominabilem scilicet propter immunditiam maculae, inutilem vero propter injustitiam imperfectae vitae. Qui tamen abominabilis et inutilis intelligi et aliter potest. Aliquando enim homo perversus quaedam recte agere videtur, sed per ea quae iniqua sunt etiam ea quae ejus recta sunt destruuntur. Et quia multum Deo displicent mala, neque illa placent quae videntur bona. Qui ergo in malis suis Deo abominabilis est, in bonis est inutilis, quia dum se per prava opera Deo execrabilem exhibet, nec illud de eo quod rectum videtur placet. Bene autem dicitur: *Qui bibit quasi aquas iniquitatem.* Hoc namque quod comeditur cum mora glutitur, quia manditur ut glutatur. Quod autem bibitur, tanto ad glutendum moram non habet, quanto nullam et ad mandendum necessitatem habet. Culpa ergo, quia a stulto homine sine ulla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Quia enim illicita sine timore facit, quasi potum injustitiae sine obstaculo glutit. Sequitur:

CAPUT XXXV [*Vet. XVIII*].

VERS. 17.---*Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi.*

40. *Superbi quo altius per intelligentiam assurgunt, per elationem gravius cadunt.*---Habent hoc omnes arrogantes

proprium, ut cum rectum quid vel parvum senserint, in usum hoc elationis inflectant; atque unde per intellectum sibimetipsis altiores fiant, inde per tumorem in foveam elationis cadant, seque doctis doctiores existiment, reverentiam sibi a melioribus exigant, et docere sanctiores quasi ex auctoritate contendant. Unde nunc dicitur: *Ostendam tibi, audi me*. Et quia cum minore auctoritate docet is qui audita quam is qui ea quae viderit loquitur, ut fortiores sibimet auctoritatem Eliphaz arroget, dicit: *Quod vidi narrabo tibi*. Quia vero nonnunquam haeretici de damnatis suis patribus confunduntur, et tamen eorum sententias quasi cum auctoritate ad medium proferunt, ex quorum stultitia jure reprobantur, recte ipsa haeticorum audacia subinfertur, cum dicitur:

CAPUT XXXVI.

VERS. 18.---*Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos.*

41. *Quos erroris magistros habuerunt haeretici, quam insulse jactitent sapientes.*---In quorum et laudem prosiliunt, et eos velut solos Ecclesiae praefuisse gloriantur. Unde adhuc subditur:---VERS. 19:---*Quibus solis data est terra, et non transivit alienus per eos*. Solis suis patribus datam terram existimant, quia solos errorum suorum magistros rexisse veraciter Ecclesiam putant. Quis vero alienus nisi apostata angelus vocatur? Unde et per Psalmistam de cunctis simul malignis spiritibus dicitur: *Quoniam alieni insurrexerunt in*

me, et fortes quaesierunt animam meam (Psal. LIII, 5). Haeretici igitur, quia doctorum suorum corda apostatae angelo existimant non fuisse subjecta, transisse per eos alienum denegant. Cui videlicet alieno per unumquemque transire est iniquas in corde ejus cogitationes immittere. Unde et per prophetae vocem de malignis spiritibus contra stantem animam dicitur: *Et dixerunt animae tuae: Incurvare 408 ut transeamus (Isai. LI, 23).* Sed Eliphaz Themanites quia quaedam narraturus audiri vult, quamvis multa quae dicenda sunt sciat, sed quia beato Job dicenda non erant nesciat, audiamus sententias quas contra beatum Job protulit. Nec enim debemus cui, sed solum pensare quid dixit. Sequitur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XIX*].

VERS. 20.---*Cunctis diebus suis impius superbit.*

42. *Electi in humilitate, reprobi in superbia vitam finiunt.*--- Solent etiam electi in quibusdam suis cogitationibus atque actibus superbire. Sed quia electi sunt, cunctis diebus suis superbire non possunt, quia priusquam vitam finiant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant. Impius vero diebus suis omnibus superbit, quia sic vitam terminat, ut ab elatione minime recedat. Circumspicit quod temporaliter floret, et pensare negligit quo in aeternum ducitur. In vita carnis fiduciam ponit, eaque diu permanere existimat quae ad praesens tenet. Solidatur in elatione animus, in despectum

adducitur omnis propinquus; quam repentina mors subrepat nunquam considerat; quam sit ejus incerta felicitas nunquam pensat. Qui si incertitudinem fugacis vitae conspiceret, incerta pro certo nequaquam teneret. Unde et bene subditur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XX*].

IBID.---*Et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.*

43. *Mors timeri debet, quod praevideri nequeat.*---

Superbire enim minime debuisset, etiam si annorum suorum numerum certum habere potuisset, ut sciens quantum viveret, praesciret quando se ab elatione removeret. At postquam praesens vita semper incerta est, tanto semper mors subrepens timeri debet, quanto nunquam praevideri valet. Bene autem superbiam impii tyrannidem vocat. Proprie enim tyrannus dicitur qui in communi republica non jure principatur. [*Vet. XIX.*] Sed sciendum est quia omnis superbus juxta modum proprium tyrannidem exercet. Nam quod nonnunquam alius in republica, hoc est, per acceptam dignitatis potentiam, alius in provincia, alius in civitate, alius in domo propria, alius per latentem nequitiam hoc exercet apud se in cogitatione sua. Nec intuetur Dominus quantum quisque mali valeat facere, sed quantum velit. Et cum deest potestas foris, apud se tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus, quia etsi exterius non affligit proximos, intrinsecus tamen habere potestatem appetit, ut affligat. Et quia omnipotens Deus corda pensat, jam in ejus oculis impius egit quod cogitavit. Ad hoc autem

conditor noster latere nos voluit finem nostrum, ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati inveniamur. Unde recte postquam dictum est: *Cunctis diebus suis impius superbit*, adjungit: *Et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus*. Ac si aperte diceretur: Cur quasi de certo extollitur, cujus vita sub poena incertitudinis tenetur? Sed omnipotens Deus prave agentibus non solum ventura supplicia reservat, sed eorum corda hic etiam ubi delinquant poenis implicat, ut eo ipso quo peccant semetipsos feriant, ut semper trepidi semperque suspecti mala ab aliis pati metuant, quae se aliis fecisse meminerunt. Unde adhuc de hoc impio subditur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXI*].

VERS. 21.---*Sonitus terroris semper in auribus illius; et cum pax sit, ille insidias suspicatur.*

44. *Simplicitas cordis arx munitissima*.---Nil autem simplici corde felicius, quia quo **409** innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit. Unde bene per Salomonem dicitur: *In timore Domini fiducia fortitudinis* (**Prov. XIV, 26**). Qui et rursum ait: *Secura mens, quasi juche convivium* (**Prov. XV, 15**). Quasi enim continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis. At contra mens prava semper est in laboribus, quia aut molitur mala quae inferat, aut metuit ne haec sibi ab aliis inferantur. Et quidquid contra proximos

excogitat, hoc contra se excogitari a proximis formidat. Fit undique suspecta, undique trepida. Omnis qui ad memoriam venit exquirere contraria creditur. Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic procul dubio terroris sonitus semper in auribus est. Et saepe contingit ut illi quilibet proximus suus simpliciter loquatur, nil adversum cogitet. Sed cum pax sit, ille insidias suspicatur, quia qui semper dolose agit, simpliciter erga se agi non aestimat. Et quia scriptum est: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (**Prov. XVIII, 3**), involutus iniquitatis suae tenebris jam de luce desperat. Unde et sequitur:

CAPUT XL [*Vet. XX*].

VERS. 22.---*Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.*

45. *Impius desperata salute, ad nequitiam semper excrescit.* --Quia dum feriri se undique insidiis credit, salute desperata, semper ad nequitiam excrescit. Aliquando vero iste perversus etiam superna judicia attendit, et super se haec venire metuit. Sed cum stipendium vitae praesentis quaerit, haec eadem judicia quae metuere coeperat avaritiae devictus insania contemnit. Et quidem mori se posse in peccato existimat, sed tamen a peccato non cessat. Unde et subditur:

CAPUT XLI.

VERS. 23.---*Cum se moverit ad quaerendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.*

46. *Etsi feriri metuat, semper auget quo feriat.*---Panis etenim, stipendium vitae praesentis; tenebrarum vero dies tempus ultionis accipitur. In actu itaque suo aliquando iste perversus iram superni judicis perpendit praesentem; sed a malo non avertitur, ut etiam ipsa quoque ab ejus interitu valeat averti. Accusante se autem conscientia feriri metuit, sed tamen semper auget quo feriat. Contemnit reditum suum, desperat veniam, superbit in culpa; sed tamen testem suae nequitiae intus habet timorem. Et quamvis prava videatur foris audacter agere, de his tamen apud semetipsum cogitur trepidare. Unde scriptum est: *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi* (**Sap. XVII, 10**), quia cum illicita quisquis perpetrat, pavet quod facit; et apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis, quia et timetur quod agitur, et tamen malum non vincitur quod timetur. De quo et adhuc subditur:

CAPUT XLII.

VERS. 24.---*Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui praeparatur ad praelium.*

47. *Quot angustis vallatur, qui securitatis sociam, viam veritatis relinquit. Plana est veritatis via; asperum iter mendacii.*---In omne quod iniquus agit tribulatione et angustia vallatur, quia cor ejus anxietate et suspicione confunditur. Alius occulte appetit vi aliena diripere, qui laborat in

cogitationibus, ne **410** deprehendi valeat. Alius, relictā veritate, mentiri deliberat, ut audientium animum fallat. Sed quantus labor est sollicitē custodire ne ipsa ejus fallacia deprehendi queat? Ponit quippe ante oculos quid sibi a veritatem scientibus responderi possit, et cum magno cogitatu pertractat quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exsuperet. Hinc inde se circumtegit, et contra hoc, ubi deprehendi potuerit, veritati similem responsionem quaerit, qui si vellet verum dicere, utique sine labore potuisset. Plana quippe veritatis via, et grave est iter mendacii. Unde et per prophetam dicitur: *Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt* (**Jerem. IX, 5**). Bene ergo dicitur: *Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum*, quia apud semetipsum in labore timoris deficit, qui securitatis sociam viam veritatis relinquit. Qui bene regi praeparato ad praelium comparatur, quia in eo ipso malo quod agit, et terretur, et festinat, et ex conscientia trepidat, et ex desiderio anhelat, metuit et superbit, pavescit suspicionibus, et mentem per audaciam erigit. [*Vet. XXI.*] Sciendum quoque est quia rex qui praeparatur ad praelium sic de hoste suspectus est, ut eidem quoque quem ducit exercitui metuat, ne labefactetur, ne per destitutionem militum jaculis pateat inimicorum. Iniquus ergo angustia vallatur, sicut rex qui praeparatur ad praelium, quia videlicet falsa agens, falsa loquens, formidat ne suos amittat milites, id est, argumenta falsitatis, et veritatis jaculis pateat, si ei fortasse defuerit quod ex fallacia opponat. Sed quamvis animus trepidet, quamvis conscientia accuset, cupiditate tamen sua iniquus vincitur, et suppresso pavore audaciam de iniquitatibus sumit. Et saepe etiam ultione menti proposita, se contra Deum erigit, quaelibet

ab eo adversa perpeti deliberat, dummodo hic, dum valet, omne quod placet agat. Unde et subditur:

CAPUT XLIII [*Rec. XXII*].

VERS. 25, 26.---*Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est.*

48. *Pravorum voluntati quandoque Deus per misericordiam obsistit, quam iratus aliquando sinit impleri.* ---Haec de ipso iniquorum capite, scilicet Antichristo, apertius sentiuntur qui contra Deum manum erigens, roborari dicitur, quia parvo tempore permittitur exaltari, ut quo ad modicum gloriari sinitur, eo in perpetuum atrocius puniatur. Sed quia ejus membra sunt omnes iniqui, hoc quod in fine mundi ille tunc singulariter acturus est unus, videamus modo qualiter a malis agatur singulis. Sunt namque nonnulli qui et si qua aliquando agere contra omnipotentis Dei judicium nituntur, ipsa impossibilitate explendae suae voluntatis fracti, ad semetipsos respiciunt, atque ad eum quem contemnere voluerant convertuntur; et qui discedere longe potuerant, si quod vellent implere valuissent, per hoc aliquando salvantur, quia quod nequiter voluerunt, implere nequiverunt. Unde ad se reducti, cujus sint conditionis aspiciunt, et plangunt se contraria veritati voluisse. Et sunt nonnulli **411** qui hoc quod perverse contra Deum appetunt justo Dei judicio implere nequius permittuntur. Et cum eos malitia accendit, potentia roborat, tanto jam semetipsos in errore cognoscere nequeunt,

quanto in rebus affluentibus extra se semper per potentiam trahuntur. De quorum nunc intentione dicitur: *Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.* Contra Deum quippe manum tendere est in operatione prava, despectis Dei judiciis, perseverare. Et quia tunc magis irascitur Deus, quando permittit impleri quod saltem concipi in cogitatione non debuit, contra Omnipotentem iniquus iste roboratur, quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus et perversa faciat, et tamen feliciter vivat. De quo adhuc subditur: *Cucurrit adversus eum erecto collo.*

49. *Opulentorum superborum quanta in pravis operibus audacia.*---Erecto collo contra Deum currere est ea quae Creatori displicent cum audacia perpetrare. De quo recte dicitur: *Cucurrit*, id est, in malo opere obstaculum de adversitate non habuit. [*Vet. XXII.*] De quo adhuc, additur: *Et pingui cervice armatus est.* Pinguis cervix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui cervice contra Deum armatur, qui, rebus temporalibus tumens contra praecepta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur. Quid enim paupertas nisi quaedam macies, et quid rerum abundantia nisi pinguedo est vitae praesentis? Pingui ergo cervice se contra Deum erigit qui temporalem abundantiam in superbiam assumit. Habent enim hoc potentes et iniqui proprium, ut, fallacibus divitiis occupati, veras Dei opes negligant; et quanto minus quod verum est inquirunt, tanto amplius falsis divitiis extollantur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excaecat. Unde adhuc apte subjungitur:

CAPUT XLIV.

VERS. 27.---*Operuit faciem ejus crassitudo.*

50. *Terrenarum rerum abundantia oculos claudente.*---Visus quippe in facie est, in qua et prima corporis honorabilior pars est. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus, illuc videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit, et hoc quod in eis esse honorabile debuit, ante Dei oculos foedat, quia curis multiplicibus aggravat. Quibus tamen nec solum sufficit ut ipsi superbiunt, nisi et hi qui eis conjuncti sunt de eorum pinguedine etiam ipsi gloriantur. Nam sunt nonnulli qui patronis majoribus adjuti superbiunt, et de eorum potentia contra inopes extolluntur. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XLV.

IBID.---*Et de lateribus ejus arvina dependet.*

51. *Qui iniquo potenti adhaerent, de ejus potentia tument.*---Quia arvina pinguedo carnis est, et latera dicere divitum solemus hos quos eis conjunctos cernimus, arvina de ejus lateribus dependet, quia quisquis potenti et iniquo adhaeret, ipse quoque de ejus potentia, velut ex pinguedine rerum, tumet, ut, patroni perversi iniquitatem sequens, Deum non

timeat, quos valet, et quantum valet, **412** pauperes affligat, de gloria temporali cor eleuet. Cum ergo talis est qui iniquo potenti adhaeret, de ejus profecto latere arvina dependet. De quibus adhuc subditur:

CAPUT XLVI [*Vet. XXIII*].

VERS. 28.---*Habitabit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae.*

52. *Ille vicissim dum sibi conjunctorum laudibus extollitur, ad prava opera vehementius rapitur.*---Quia enim a conversatione conviventium civitas appellatur, civitates desolatae sunt ipsi obsequentium cunei perversorum, quorum clamoribus perversus iste laudatur cum ad prava opera per nequitiam rapiatur. Unde scriptum est: *Laudatur peccator in desiderio animae suae, et qui iniqua agit benedicatur* (**Psal. X, 3, sec. Hebr.**). Domus vero desertae sunt cogitationes pravae, quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit iniquorum hominum placere cogitationibus appetit. Quae civitates desolatae, et domus desertae recte nominantur, quia nisi omnipotens Deus, talium conversationes cogitationesque, praecedentibus eorum culpis, relinqueret, ad graviora perpetranda minime pervenirent. Bene autem dicitur: *Quae in tumulos sunt redactae.* Ruentia namque domorum atque civitatum aedificia tumulos faciunt, quoniam dum pravi quique confusis actionibus sibimetipsis ad perversa opera junguntur, ostendunt procul dubio quia de aedificio vitae ceciderunt. Sequitur:

CAPUT XLVII.

VERS. 29.---*Non habitabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terram radicem suam.*

53. *Virtutibus non ditatur nisi cujus mentem Deus inhabitat. Sine radice stat superbus, leni flatu statim prostrandus.*---
Quod hic *Non habitabitur* dictum est in quibusdam Codicibus reperi *Non ditabitur*; sed sensus non discrepat, quamvis a se sermo discordet. Ille enim virtutibus ditatur, cujus mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab auctoris sui gratia non inhabitatur, profecto per hoc virtutibus non ditatur. Propter hoc ergo quod interius est vacuus, dicatur: *Non inhabitabitur*; propter hoc vero quod transitorium foris tumet, recte subjungit: *Nec perseverabit substantia ejus*. Ac si aperte dicatur: Hoc quod habere videtur exterius transit, et illud quod transire non poterat interius non habet. Unde et apte subjungitur: *Nec mittet in terra radicem suam*. Quod si de hac terra dictum accipimus, liquet procul dubio quia arbor quae in terra radicem non habet, vel tenuissimis commota flatibus cadit. Et superbus quisque dum contra omnipotentem Dominum roboratur, dum currit erecto collo, et pingui cervice contra auctorem erigitur, stare quasi arbor videtur. Sed status ejus sine radice est, quia velut ad lenem flatum, sic ad motum occultae sententiae vita ejus eruitur. Sin vero hoc loco terram aeternae vitae retributionem accipimus, de qua Propheta ait: *Portio mea in terra viventium* (**Psal. CXLI, 6**), iniquus iste in terra radicem suam non mittit, quia nunquam ad aeternae vitae desiderium

cordis sui cogitationes plantat. [*Vet. XXIV.*] Quod enim radix arbori, hoc unicuique hominum cogitatio sua est, quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod exterius non videtur. Unde et per prophetam dicitur: *Mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum (Isai. XXXVII, 31)*. Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, **413** quasi radicem deorsum mittimus, ut retributionis fructum superius faciamus. Sequitur:

CAPUT XLVIII.

VERS. 30.---*Non recedet de tenebris.*

54. *Quia lucem justitiae non quaerit, de tenebris non recedit.*---Si superbus iste a culpa ad justitiam redire voluisset, de tenebris recederet. Sed quia lucem justitiae non quaerit, de tenebris non recedit. Cujus etiam exemplo hi qui ei adhaerent in terrenis profectibus anhelant, avaritiae facibus accenduntur, desideriorum carnalium ignibus uruntur. Unde et subditur:

CAPUT XLIX.

IBID---*Ramos ejus arefaciet flamma.*

55. *Desideriorum carnalium facibus cum sibi conjunctis uritur.*---Si enim sibi quosdam aeternam patriam quaerentes adjungeret, ramos in se virides haberet. Sed quia ipsi quoque qui ei conjuncti sunt terrenis desideriis aestuant, et dum

desideriorum flamma clientium ejus animos accendit, scilicet ramos ejus arefacit, ut fructum boni operis non ferant, quia ad appetenda infima per nequitiam anhelant. Bene autem subditur:

CAPUT L.

IBID.---*Et auferetur spiritu oris sui.*

56. *Propter laxata linguae frena gravissime torquendus.*--- Superbus etenim quisque quo in hac vita plus valet, eo sibi linguae frena audacius relaxat, ut loquatur perversa quaelibet, nullum de verbis suis metuat, istos contumeliis feriat, illos maledictionibus jaculetur. Nonnunquam vero in blasphemiam contra conditorem rapitur, sicut de talibus per Psalmistam dicitur: *Posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum transivit super terram* (**Psal. LXXII, 9**): Unde et dives in igne positus, stillari sibi aquam ex digito Lazari in linguam postulat (**Luc. XVI, 24**). Qua ex re intelligitur quia ubi amplius peccaverat, ibi atrocius ardebat. Recte ergo nunc dicitur: *Et auferetur Spiritu oris sui*, quia eo percussionis sententiam accepit, quo oris sui spiritum sub divina formidine non restrinxit. Sequitur:

CAPUT LI [*Rec. XXIII*].

VERS. 31.--- *Non credat frustra deceptus, quod alio pretio redimendus sit.*

57. *Tunc solum eleemosynae nobis prosunt cum peccata plangimus et abdicamus.*---Quoties post culpam eleemosynas facimus, quasi pro pravis actibus pretium damus. Unde et per Prophetam de eo qui haec non agit dicitur: *Non dabit Deo propitiationem suam, nec pretium redemptionis animae suae (Psal. XLVIII, 8, 9).* Nonnunquam vero divites elati inferiores opprimunt, aliena rapiunt, et tamen quasi quaedam aliis largiuntur; et cum multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis ferunt, et pro iniquitatibus quas nunquam deserunt dare pretium videntur. Sed tunc eleemosynae pretium nos a culpis liberat, cum perpetrata plangimus, et abdicamus. Nam qui et semper peccare vult, et quasi semper eleemosynam largiri, frustra pretium tribuit, quia non redimit animam, quam a vitiis non compescit. Unde nunc dicitur: *Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* Quia eleemosyna superbi divitis eum redimere non valet, quam perpetrata simul rapina pauperis ante Dei oculos ascendere non permittit. [*Vet. XXV.*] Quod fortasse intelligi aliter potest, quia saepe superbi divites cum eleemosynam tribuunt, non hanc pro aeternae vitae desiderio, sed pro extendenda vita temporali largiuntur, mortem se posse differre donationibus credunt, sed *non credat frustra errore deceptus quod aliquo pretio redimendus sit*, quia obtinere ex impenso munere non valet ut finem debitum evadat, 414 cuius etiam nequitia intercidit vitam. Unde et subditur:

CAPUT LII.

VERS. 32.---*Antequam dies ejus impleantur peribit, et manus ejus arescent.*

58. *Praefixi dies singulis, nec augeri possunt nec minui. Qui longiores sperat, antequam impleantur, perit.*---Praefixi dies singulis ab interna Dei praescientia nec augeri possunt, nec minui, nisi contingat ut ita praesciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breviores, sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lacrymarum; et sicut de perversis scriptum est: *Indisciplinatis obviat mors*. Sed saepe iniquus, quamvis in occulta Dei praescientia longa vitae ejus tempora non sint praedestinata, ipse tamen quia carnaliter vivere appetit, longo animo dies proponit. Et quia ad illud tempus pervenire non valet quod exspectat, quasi antequam dies illius impleantur perit. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Plerumque enim quosdam cernimus et perverse agere, et usque ad senectutem ultimam pervenire. Quomodo ergo dicitur: *Antequam dies ejus impleantur peribit*, cum in quibusdam saepe videamus quia aetate longa jam membra deficiunt, et tamen pravitatem suam eorum desideria exsequi non desistunt?

59. *Post conversionem exteriora repetens ab omni boni operis statu eradicatur.*---Sunt namque nonnulli qui post vitam perditam ad semetipsos redeunt, et, accusante se conscientia, perversa itinera relinquunt, commutant opera, antiquae suae pravitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur; sed priusquam in eisdem sanctis desideriis solidentur, per torporem mentis ad ea quae dijudicare coeperant redeunt, atque ad mala quae fugere disposuerant

recurrunt. Quia enim saepe contingit ut pro utilitate multorum etiam sancti viri exterioribus actibus serviant, et populorum gubernationibus occupentur, hoc infirmi aspicientes, et per vetustam adhuc superbiam quaerentes imitari, exterioribus se actionibus inserunt; sed quanto ad eas non eruditi spiritalibus veniunt, tanto eas carnaliter exsequuntur. Nisi enim prius cor longo studio et diutina conversatione in desideriis coelestibus convalescat, cum ad exteriora agenda refunditur, ab omni statu boni operis eradicatur. Unde recte quoque de hoc iniquo dicitur: *Antequam dies ejus impleantur peribit*. Quia et si quid boni fortasse coeperit agere, priusquam in eo per longitudinem temporis convalescat, ad exteriora relabitur, et perverse deserit quae recte inchoasse videbatur. Unde et apte subditur: *Et manus ejus arescent*. Quia dum exterioribus actibus intempestive involvitur, ab omni nimirum bona operatione siccatur. Unde adhuc bene subditur:

CAPUT LIII [*Rec. XXIV*].

VERS. 33, 34.---*Laedetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum. Congregatio enim hypocritae sterilis.*

60. *Hypocritae bona opera cur arefiant. Quam periculose qui in virtute infirmi sunt, praesint.*---Notandum quod sic de hoc iniquo generaliter loquitur, ut tamen divinus sermo ad specialem ejus nequitiam derivetur. Qui enim dicens: *Laedetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et*

quasi oliva projiciens florem suum, protinus subdit: *Congregatio enim hypocritae sterilis*, patenter indicat quia in hoc iniquo reprobationis sententiam contra ejus hypocrisim ferat. [*Vet. XXVI.*] Sed **415** nunc pensandum nobis est qualiter hypocrita sicut vinea in primo flore, vel sicut oliva florem projiciens laedatur. Si florentem vineam per inaequalitatem aeris immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viriditatis arefacit. Et sunt nonnulli qui post perversa itinera sanctas vias sectari appetunt, sed priusquam in eis, ut diximus, desideria bona roborentur, quaedam illos praesentis saeculi prosperitas accipit, quae eos rebus exterioribus implicat, et eorum mentem dum a calore intimi amoris retrahit, quasi ex frigore exstinguit, et quidquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. In terrenis quippe actibus valde frigescit animus, si necdum fuerit per intima dona solidatus. Unde necesse est ut loca majora vel exteriora opera, quae humanis sunt necessitatibus profutura, illi exercenda suscipiant, qui haec dijudicare, atque sub semetipsis premere ex virtute intima noverunt. Nam cum infirmus quisque vel ad locum regiminis, vel ad exteriora agenda retrahitur, quo quasi extra se ducitur, eradicatur, quia et arbor quae radices in altum prius non mittit, citius ventorum impetu sternitur, si se ad altum vertice extollit; eoque citius ad ima corruit, quo altius in aere sine radicibus excrevit. Nonnunquam vero florentem vineam non frigus, sed aestus arefacit. Cumque immoderato calore tangitur, discusso flore botrus tabescit. Et plerumque contingit ut hi qui ad bona opera recta intentione non veniunt, cum placere se hominibus vident, ad exercenda haec eadem opera vehementius accendantur, humanis placitura oculis agere anxie studeant, et quasi in sancto studio fervescent. Quis itaque istos nisi in

flore aestus contigit, quos humanae laudis appetitio a fructu alienos fecit? Unde et bene subditur: *Et quasi oliva projiciens florem suum*. Oliva quippe cum in flore est, si immoderata nebula tangitur, a plenitudine fructuum vacuatur. Et quoties inchoantes quique bona opera laudari ab aspicientibus coeperint, atque in suis laudibus delectari, fit caligo intelligentiae in cogitatione, ut jam discernere nequeant qua intentione quid faciant, et fructum perdant operis, velut ex nebula favoris. Unde bene per Salomonem dicitur: *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt* (**Cant. II, 12**). Florent quippe vineae cum mentes fidelium bona opera proponunt. Sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerint aliquibus victi erroribus infirmantur.

[*Vet. XXVII.*] 61. *In bonis operibus attendi non debet initium, sed finis.*---Non ergo intuendum est si vineae floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant, quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valde mirabile est si intentione recta in bono opere perduret. Unde fit plerumque ut si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus quod bonum creditur amittatur. Nam quosdam saepe vidimus terrena quae possederant reliquisse, et nil jam transitorium quaerere, nullis pro hac vita jurgiis immisceri. Cum itaque hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliva florem protulit. Sed cum quidam ex talibus rursus coeperint mundi gloriam quam contempserant quaerere, et terrenis rebus quas sprevisse videbantur insatiabiliter inhiare, vacare jurgiis, proximorum laesiones exquirere, nimirum projecit **416** oliva florem quem proposuit, quia rudimenta boni studii ad perfecta opera non perduxit. Sed sciendum est quia haec semper eis eveniunt qui

Deum puro ac simplici studio non sequuntur. Unde recte subditur: *Congregatio enim hypocritae sterilis*. Coepta enim bona non amitteret, si hypocrita non fuisset. Congregant vero et hypocritae bona opera, sed eorum sterilis est ipsa congregatio, quia per hoc quod agunt fructum recipere in aeterna retributione non appetunt. Fecundi ac virides in suis operibus humanis oculis videntur, sed in conspectu occulti iudicis infecundi et aridi apparent. Saepe vero, aestu avaritiae accensi, eo maiora de se opera humanis oculis ostendunt, quo ampliora sibi ab hominibus offerri munera appetunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT LIV [*Rec. XXV*].

VERS. 34.---*Et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

62. *Parum est munus a manu non recipere nisi munus ab ore respuamus*.---Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens habitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula devorat cum aestus avaritiae cogitationes devastat. Et fit plerumque ut hypocrita aurum vel quaeque bona corporalia ab hominibus accipere contemnat, sed quia haec non accipit, majores ab eis recipere laudes quaerat; et fortasse munus se accepisse non aestimat, quia bona corporalia recipere recusat. Unde sciendum est quia aliquando munus a manu, aliquando vero ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit; qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Hypocrita itaque etsi exteriora dona, quae terrenae

forsitan necessitati congruunt, accipere recusat, plus est quod sibi retribui appetit, cum, ultra meritum laudari desiderans, munus ab ore quaerit. Et quia in ipso laudis appetitu nimio cor ardore succenditur, dicatur recte: *Et ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.*

[*Vet. XXVIII.*] 63. *His muneribus delectantes ignis devorabit.*--Sin vero eorum tabernacula corpora debemus accipere, in quibus illorum animae habitant, ignis eorum tabernacula devorat, quia qui hic in mente ardent igne avaritiae, illic etiam in carne concremantur ignibus gehennae, et quia mens hypocritae nunquam vacat a malitiae cogitatione; nam sive terrena quaeque, seu laudem appetat, haec aliis invidet quae sibi tribui anhelat; et tanto caeteros ostendere perversos molitur, quanto videri sanctior omnibus appetit, ut ex eo quod alii despicabiles fiunt, ipse reverentior semper appareat. Unde fit ut de opinione proximi ante humana judicia, linguae suae laqueos praetendat, ut eorum quibus placere appetit solus aestimationem capiat. Unde et sequitur:

CAPUT LV.

VERS. 35.---*Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus praeparat dolos.*

64. *Dolorem concipit qui perversa cogitat, iniquitatem pariturus.*---Dolorem quippe concipit cum perversa cogitat. Iniquitatem parit cum explere coeperit quod cogitavit. Invidendo dolorem concipit, derogando iniquitatem parit. Gravis quippe est iniquitas quando is qui perversus est

ostendere alios perversos molitur, ut inde ipse quasi sanctus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. Sciendum vero quod in sacro eloquio ventris vel uteri nomine mens solet intelligi. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: *Lucerna Domini 417 spiraculum hominis, quae investigat omnia secreta ventris (Prov. XX, 27)*. Lux enim gratiae, quae desuper venit, spiraculum homini praestat ad vitam. Quae videlicet lux omnia secreta ventris investigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, ut ea quae de seipsa latebant animam, ante ejus oculos flendo reducat. Hinc Jeremias ait: *Ventrem meum, ventrem meum doleo (Jerem. IV, 19)*. Qui ut ventrem suum quid dixisset ostenderet, adjunxit: *Sensus cordis mei turbati sunt*. Uteri itaque nomine recte mens accipitur, quia sicut proles in utero concipitur, sic cogitatio 418 in mente generatur; et sicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes. Uterus itaque hypocritae praeparat dolos, quia tanto semper majorem malitiam contra proximos in mente concipit, quanto solus prae omnibus videri innocentior quaerit. Haec idcirco Eliphaz protulit, quia beatum Job tanto percussum verbere propter hypocrisim putavit. Sed ejus verba etsi multis congruunt, ab ipso solo aliena sunt pro quo solo dicebantur, quia sanctus vir nihil in suis actibus duplicitatis habuit, quem testis veritas de cordis simplicitate laudavit.

LIBER DECIMUS TERTIUS. *In quo
capitulum XVI et XVII libri Job brevis expositio
moralis et typica continetur.*

CAPUT PRIMUM.

417 1. *Sancti quos admonendo corrigere non possunt, patiando tolerant.*---Esse hoc perversorum proprium solet, quod sua mala per convicium bonis ingerant, priusquam de eis ipsi veraciter accusentur; et dum metuunt increpari de his quae faciunt, adversantes suis pravitatibus justos haec facere testantur. Sancti autem viri patienter audiunt etiam quae se nunquam fecisse meminerunt, quamvis ea mala quae sibi ingeri conspiciunt ab ipsis suis criminatoribus noverint perpetrata; et cum eos praedicando corrigere non possunt, patiando tolerant, quatenus si fructum conversionis eorum non valent, ex ipsis tamen praemium longanimitatis acquirant. Unde et sancta Ecclesia David prophetae vocibus dicit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (**Psal. CXXVIII, 3**), quia videlicet dum haereticos vel quoslibet reprobos, quos corrigere non valet, tolerat, facta peccantium supra dorsum portat. Beatus itaque Job videns Eliphaz amicum suum multa contra se de hypocrisi conquerentem, qui ex consolationis verbis ad amaritudinem increpationis eruperat, et simulatus consolator apparebat, per patientiam suam typum servat Ecclesiae, quae novit talia audiendo tolerare, et, cum ejus sermo admittitur, ratiocinando destruere, et dicit:

CAPUT II. [*Rec II*].

CAP. XVI, VERS. 2.---*Audivi frequenter talia.*

2. Job typus Ecclesiae a fictis amicis oppressae, consolatores simulantibus. A consolatoriis verbis ad increpatoria amici Job eruperant.---Electi quippe frequenter aliena mala quasi sua audiunt, et ab his eis crimen impingitur a quibus crimina impacta perpetrantur. Hac autem responsione beatus Job illud Ecclesiae tempus significat quo, oppressa ab adversariis, temporali eorum potentia quasi dejecta creditur. Unde sequitur:---IBID.---*Consolatores onerosi omnes vos estis.* Sive enim haeretici, seu pravi quilibet, cum laborare bonos in adversitate conspiciunt, in eo quod illos consolari appetunt, mala eis persuadere conantur. Unde non immerito bonorum mentibus onerosa fit eorum consolatio, quia inter verba dulcedinis virus propinare cupiunt erroris; et dum dictis lenibus dolores quasi levigant, peccati onus imponere festinant. Sed electi viri etiam cum temporali gloria privantur, interni vigorem iudicii non amittunt. Nam sciunt et foris adversa perpeti, et tamen interius infracti recta sine pavore defendere, **418** Unde subjungitur:

CAPUT III

VERS. 3.---*Nunquid habebunt finem verba ventosa?*

3. Verba sana, propter elationem eorum a quibus proferuntur aliquando ventosa. Lugens non increpandus.---Ventosa enim verba sunt quae inflationi temporali potius quam rectitudini

serviunt. Saepe autem mali etiam bona dicunt; sed quia bene non dicunt, ventosa verba proferunt. Nam dicta eorum et si quando sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt per elationem. [*Vet. II.*] In hoc vero quod dictum est: *Consolatores onerosi omnes vos estis*, quid aliud beati Job magisterio docemur, nisi ut quisque perpendere sollicite sciat ne luctus tempore verba increpationis inferat? Si enim sunt quaedam quae increpari jure debeant, in afflictione postponenda sunt, ne consolator increpando dolorem augeat, quem lenire proposuerat. Sequitur:

CAPUT IV.

IBID.---*Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?*

4. *Justi convicia non reddunt.*---Mali viri cum aliis sibi similibus conviciosa verba proferunt, eo citius obmutescunt, quo de se talia mox audiunt qualia suis auditoribus dicunt. Cum autem bonos viros per conviciosa verba jaculantur, nil eis molestiae ex convicio nascitur, quia contra tacentes loquuntur, nec compelluntur audire quod sunt, quia justii convicia non reddunt, etiam dum coguntur audire quod non sunt. Bene ergo dicitur: *Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?* Ac si ei aperte diceretur: Eo plus loqueris quo a me molestum aliquid de tua actione non audis. Unde et subditur,--VERS. 4.---*Poteram et ego similia vestri loqui.* [*Rec III.*] Narrat justus quid facere potuit; sed ne justitiam deserat, quod facere potuit declinat. Sequitur:

CAPUT V.

VERS. 4-6.---*Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, et moverem labia mea, quasi parcens vobis.*

5. *Malis divina flagella quandoque debent optari.*--- Aliquando necesse est ut pravis mentibus quae humana praedicatione corrigi nequeunt divina flagella optari benigne debeant. Quod cum magno fit amoris studio, videlicet non errantis poena, sed correptio quaeritur, et oratio potius quam maledictio esse monstratur. In his autem verbis hoc beatus Job monstratur intendere, ut amici, qui dolori illius per charitatem compati nesciebant, ab experimento **419** discerent alienae afflictioni qualiter misereri debuissent; atque, edomiti doloribus, a sua passione traherent consolationem aliis qualiter inferrent; et tunc salubrius intrinsecus viverent, cum aliquid extrinsecus de infirmitate sentirent. Notandum, quod non ait: *Utinam esset anima mea pro anima vestra!* sed *Utinam esset anima vestra pro anima mea!* quia profecto sibi malediceret, si se illis fieri similem optaret. Illis vero meliora voluit quos sibi fieri similes quaesivit. Consolamur vero pravos in flagellis constitutos cum de exteriori percussione interiori in eis convalescere salutem indicamus. [*Vet. III.*] Caput etiam movemus cum mentem, quae principale nostrum est, ad compassionem inflectimus. Eosque inter flagella roboramus cum doloris eorum vim verbis mitibus lenimus. Sunt namque nonnulli qui

dum interna nesciunt de malis exterioribus desperabiliter affliguntur, de quibus per Psalmistam dicitur: *In miseriis non subsistent* (Psal. CXXXIX, 11). Ille etenim bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit semper de spe interna gaudere.

6. *Aliquando malis quasi parcens non parcit, et quasi non parcens parcit Ecclesia.*---Quod vero non ait *Parcens*, sed *Quasi parcens vobis*, nequaquam hoc negligenter praetereundum puto, quia sancta Ecclesia disciplinae vigorem cum permistione mansuetudinis servans, aliquando malis et quasi parcens non parcit, aliquando vero et quasi non parcens parcit. Quod melius ostendimus, si ipsa quae plerumque accidunt proferamus. Ponamus itaque ante oculos mentis duos pravos in sancta Ecclesia esse constitutos, quorum sit unus potens et protervus, alter mitis et subditus. Si qua miti et subdito culpa subriperit, hanc protinus increpando praedicator insequitur et corripit, eumque corripiendo, a culpa liberat, atque ad viam rectitudinis reformat. Quid itaque huic nisi non parcens pepercit, quia dum correptionis verbum non distulit, citius hunc a culpa liberavit? Libere enim arguens non pepercit, sed in eo quod correxit pepercit. At contra potens et protervus, cum aliquid perpetrasse cognoscitur, tempus quaeritur ut de malo quod fecit increpetur. Nisi enim praedicator sustineat quando ferre congrue correptionem possit, auget in eo malum quod insequitur. Saepe enim contingit ut talis sit qui nulla increpationis verba suspiciat. Quid itaque in hujus culpa praedicatori agendum est, nisi ut in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat quales eum perpetrasse considerat

qui et praesto est, et de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat? Et cum generaliter contra culpam invectionio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens pravus ignorat quod sibi hoc specialiter dicatur. Quid itaque isti praedicator suus nisi parcens minime pepercit, cui et specialiter correptionis verba non intulit, et tamen vulnus illius sub communi admonitione percussit? Unde fit plerumque ut eo vehementius perpetrata culpam lugeat, quo reatum suum et cum se percussum sentiat nesciri putat.

[*Vet. IV.*] 7. *Protervi qua discretione corripiendi.*---Magna itaque praedicationis arte agendum est **420** ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt quodam temperamento correptionis ad salutem redeant. Unde etiam Paulus dicit: *Quae putamus ignobilia membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus; et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorum honestatem habent; honesta autem nostra nullius egent* (**I Cor. XII, 23**). Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita quidam, sunt intra sanctam Ecclesiam potentes et protervi, qui dum aperta invectione feriri nequeunt, quasi honore tegminis velantur. Sed haec de occultis potentium delictis loquimur. Nam quando et aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt, ne si praedicator taceat, culpam approbasse videatur, atque haec crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secatur. Sancta ergo Ecclesia, cum per praedicatores suos quaedam facta malorum sub dispensatione invectionis increpat, labia quasi parcens movet; sed tamen parcendo non parcat, quia ab invectione culpae generaliter non tacet, quam specialiter tacet. Sequitur:

CAPUT VI.

VERS. 7.---*Sed quid agam? Si locutus fuero non quiescet dolor meus; et si tacuero, non recedet a me.*

8. *Dolor Ecclesiae cum pravos frustra corripi conspicit.*--- Hoc personae beati Job qualiter congruat nullus ignorat. Sed si ad sanctae Ecclesiae typum trahatur, haec et cum loquitur, dolor minime quiescit, quando locutione sua perversos minime corrigi conspicit. Et cum tacet, dolor minime recedit, quia etsi aversata conticuerit, hoc ipsum amplius quod tacet gemit, quia se tacente perversorum culpas excrescere conspicit. Sequitur:

CAPUT VII. [*Rec. IV*].

VERS. 8.---*Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.*

9. *Dolor Ecclesiae dum ad malorum exempla infirmos pertrahi conspicit.*---Dolore suo sancta Ecclesia premitur quando in malitia sua crescere perversos intuetur. Et quia dum pravi crescunt etiam infirmi qui in ea sunt ad sequenda studia pravitatis irritantur, recte additur: *Et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Sicut enim per ossa fortes, sic per artus infirmi quique designari solent. Membra ergo Ecclesiae ad nihilum rediguntur quando ex imitatione pravorum in hoc

mundo crescentium infirmi quique deterius infirmantur. Videntes etenim felicitatem malorum, saepe ab ipso fidei statu dilabuntur, bona temporalia appetunt, et veluti in nihilum rediguntur, quia dum manentem Dei essentiam deserunt, diligentes transitoria, quasi ad non esse tendunt. Bene autem dicitur: *Nunc autem oppressit me dolor meus*, quia videlicet tempus doloris Ecclesiae modo est, et tempus gaudii postmodum sequetur. Saepe vero contingit ut sancta Ecclesia non solum infideles atque extra positos adversarios toleret, sed eorum quoque insidias atque adversitatem vix ferat, quos intus habet. Unde beati viri voce apte mox subditur:

CAPUT VIII. [*Vet. V.*]

VERS. 9.---*Rugae meae testimonium dicunt contra me.*

10. *Rugae Ecclesiae sunt mali Christiani.*---Quid per rugas nisi duplicitas designatur? Rugae itaque sunt sanctae Ecclesiae omnes qui in ea dupliciter vivunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Hi nimirum pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus eandem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur. Sed cum **421** sanctam Ecclesiam subita adversitatis procella turbaverit, illico ostendunt quid in perfida mente moliuntur. Has autem rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet, quia videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, et intus aliud habere. Unde recte egregius praedicator dicit: *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut*

rugam (**Ephes. V, 27**). Maculam quippe et rugam non habet, quae et turpitudine operis et duplicitate sermonis caret. Sed quia nunc intra sinum fidei multos etiam reprobos tenet, cum tempus persecutionis exarserit, ipsos hostes patitur quos praedicationis verbis alere ante videbatur. Dicat itaque quia: *Rugae meae testimonium dicunt contra me*, id est ipsi me insequendo increpant, qui nunc, in meo corpore positi, duplicitatis suae in se malitiam non mendant. Unde bene adhuc subditur:

IBID.---*Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.*

11. *Per malos saevit diabolus*.---Etiam pacis suae tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi qui de aeternitatis promissione diffidunt, et tamen se fideles esse mentiuntur. Qui dum praedicationi ejus aperte contradicere non praesumunt, falsiloquium non contra faciem, sed quasi post dorsum patitur. Sed cum malitiae tempus eruperit, is qui nunc metuens derogat, ad contradicendum ante faciem venit, quia verbis verae fidei apertis vocibus obsistit. Sciendum vero est quia cum haec a carnalibus patimur, non tam ipsi sunt qui in nostra morte saeviunt quam malignus spiritus qui eorum mentibus principatur, sicut per Paulum dicitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum* (**Ephes. VI, 12**). Unde cum hic quoque de falsiloquio loqueretur, apte mox ad describendum ejus falsiloquii principem verba convertit dicens:

CAPUT X [*Rec. V*].

VERS. 10.---*Collegit furorem suum in me, et, comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis; hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.*

12. *Per malos saevit diabolus, modo occulta, modo aperta persecutione.*---Quid aliud omnes iniqui quam membra sunt diaboli? Ipse itaque per eos agit quidquid in eorum cordibus ut agere debeant immittit. [*Vet. VI*]. Habet autem etiam nunc diabolus contra sanctam Ecclesiam furorem, sed sparsus ejus furor est, quia occultas tentationes per singulos movet. Cum vero contra eam in aperta persecutione proruperit, furorem sum in eam colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Membra autem ejus hoc pacis tempore idcirco contra electos collectum furorem non habent, quia malitiam suam minus se sentiunt posse implere quam volunt. Cum vero sibi suppetere licentiam pravitatis aspexerint, tanto hanc audacius feriunt, quanto et contra illam ex unanimitate glomerantur. Recte itaque nunc dicitur: *Collegit furorem suum in me.* Cujus adhuc furor ut latius exponatur dicitur: *Et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.* De quo et subditur: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Ille quippe antiquus hostis Ecclesiae contra hanc dentibus fremit, **422** eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, et per alios quae exerceat providet.

13. *Diaboli dentes, persecutores; oculi, qui eos consiliis suis regunt.*---Dentes namque hujus hostis sunt bonorum persecutores atque carnifices, qui ejus membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi vero hujus

hostis sunt hi qui contra eam provident mala quae faciant, suisque consiliis persecutorum ejus crudelitates inflammant. Antiquus ergo ejus adversarius fremit contra eam dentibus suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum. Intuetur hanc terribilibus oculis, qui pravorum consiliis non cessat mala exquirere, in quibus hanc semper deterius affligat. Nam sicut incarnata Veritas in praedicatione sua pauperes idiotas et simplices elegit, sic e contrario damnatus ille homo, quem in fine mundi apostata angelus assumet, ad praedicandam falsitatem suam, astutos ac duplices atque hujus mundi scientiam habentes electurus est. [Vet. VII]. Unde et per Isaiam dicitur: *Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumina Aethiopiae, quae mittit in mari legatos, et in vasis papyri super aquas* (Isai. XVIII, 1). Terra quippe cui vae dicitur ille principaliter homo damnatus est, qui alarum cymbalum vocatur, quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis evolant, eundem perversum hominem praedicando sonant. Quae scilicet terra recte trans flumina Aethiopiae esse perhibetur. Aethiopia etenim nigrum populum mittit, et omnem hominem mundus iste, quia peccatorem profert, quasi nigrum Aethiopia populum parit. Sed terra cui vae dicitur trans flumina Aethiopiae esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, ut omnium peccantium peccata transcendat. Qui mittit in mari legatos, quia praedicatores suos in saeculum spargit. De quibus recte subditur qualiter mittantur, dum dicitur: *In vasis papyri super aquas*. Ex papyro quippe charta est. Quid itaque per papyrus nisi saecularis scientia designatur? Vasa ergo papyri sunt corda doctorum saecularium. In vasis igitur papyri super aquas legatos mittere est praedicationem suam in sapientum carnalium sensibus

ponere, et defluentes ad culpam populos vocare. Qui ergo illic per vasa papyri, ipsi hic, quia carnaliter vident, per oculos designantur. De quibus et adhuc subditur:

CAPUT XI.

VERS. 11.---*Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes.*

14. *Os diaboli qui errores praedicant.*---Ora sua reprobi exprobrantes aperiunt cum et erroris sui mala praedicare non metuunt, et praedicamenta rectae fidei irrident. De quibus sciendum est quia illos praecipue in sancta Ecclesia persequuntur quos multis conspiciunt esse profuturos, qui vitam carnalium verbo correptionis conterunt, eosque in Ecclesiae corpore spiritaliter vertunt. Unde et subditur.

CAPUT XII. [*Rec. VI*].

IBID.---*Percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis.*

15. *Maxilla Ecclesiae sancti praedicatores.*---Maxilla quippe Ecclesiae sancti praedicatores sunt, sicut sub Judaeae specie per Jeremiam dicitur: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus* (**Thren. I, 2**), quia in adversitatibus Ecclesiae illi amplius plangunt qui vitam carnalium confringere **423** praedicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutens in

sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo praedicatori velut maxillae Ecclesiae dicitur: *Occide et manduca* (**Act. X, 13**). (*Vet. VIII*). Hinc est etiam quod Samson maxillam asini tenuit, et hostes peremit (**Judic. XV, 16**), quia Redemptor noster simplicitatem atque patientiam praedicantium suae manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit, quia data morti praedicatorum corpora magna populis monstravere miracula. Maxillam ergo Ecclesiae perversi feriunt, cum bonos praedicatores insequuntur. Et quia tunc reprobi grande se aliquid fecisse aestimant cum vitam praedicatorum necant, post percussione maxillae apte subjungitur:---IBID.--- *Satiati sunt poenis meis*. Illa quippe eos poena satiat quae mentem Ecclesiae praecipue castigat. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 12. *Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.*

16. *Electi persecutionibus antiqui hostis temporaliter permissi.*---Electorum populus apud iniquum concluditur cum ejus caro antiqui hostis persecutionibus temporaliter datur. Qui non spiritui, sed manibus impiorum traditur, quia quo hunc in mente capere nequeunt, eo contra carnem illius crudelius inardescunt. Sed sanctae Ecclesiae populus cum adversa perpeti graviter coeperit, et infirmos suos conspexerit ad deteriora delabi, pacis suae tempora ad mentem revocat,

quando fideles suos praedicationis suae opulentia pascebat. Unde apte subjungitur:

CAPUT XIV.

VERS. 13.---*Ego ille quondam opulentus repente contritus sum.*

17.---*Firmis mentibus nulla adversa repente adveniunt.*---In eo quod se repente contritum asseruit infirmorum mentem improvidam designavit. Qui dum mala quae ventura sunt praevidere nesciunt; tanto eis graviora fiunt quanto et ab eis inopinata tolerantur. Firmis autem mentibus repente adversa non veniunt, quia priusquam veniant praevidentur. Quod tamen nunc quoque sancta Ecclesia in quibusdam retro labentibus patitur, qui post doctrinae opulentiam subitis aliquando vitiis conteruntur, ut sic in quibusdam malis corruant, ac si verbi pabulum nunquam habuissent. Sequitur:

CAPUT XV.

IBID.---*Tenuit cervicem meam, confregit me, posuit me sibi quasi in signum.*

18. *Infirmi, urgente persecutione, veritatem praedicare trepidant.*---Sicut in malis cervix superbiam, sic in bonis libertatis erectionem signat. Unde nonnunquam ipsa quoque superbia pro erectionis auctoritate ponitur, sicut per

prophetam Dominus sanctae Ecclesiae pollicens dicit: *Ponam te in superbiam saeculorum (Isai. LX, 15)*. Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quae sentiunt praedicare libere non praesumunt, recte de hoc hoste dicitur: *Tenuit cervicem meam, confregit me. [Vet. IX.]* Fortasse autem hi cervicis appellatione signati sunt qui pacis ejus tempore plusquam decet eriguntur, et sub occasione defendendae rectitudinis vitio deserviunt elationis. Qui persecutionis tempore idcirco adversa plus sentiunt, quia de prosperis extolluntur. De quibus bene dicitur: *Tenuit cervicem meam, confregit me*. Id est, elationem quam in infirmis habuit, districtione suae percussione inclinavit. *Et posuit me sibi quasi in signum*. Constat nimirum quia idcirco signum ponitur, ut sagittarum emissionem feriat. Fidelis itaque populus in signum hosti suo est positus, quia **424** eum semper suis ictibus impetit, eumque suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita assidua mala tolerat, velut in signum positus, ictus excipit ferientis. Unde et praedicator egregius cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione adversariorum gerneret, teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consolans, ait: *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus (I Thess. III, 3)*. Ac si eis aperte dicat: Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si aeterna gaudia quaerimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur? Sequitur:

CAPUT XVI.

VERS. 14.---*Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terram viscera mea.*

19. *Hostis tentationum jaculis ab omni parte nos impetit.*--- Haec juxta litteram beato Job congruere posse videbantur, per hoc quod dicitur: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit*, nisi subderetur quod de eo minime scriptum legitur: *Effudit in terram viscera mea*. Ex qua re necesse est ut dum hoc juxta litteram invenire non possumus, ea quae in verbis ejus secundum historiam sonant juxta spiritum inquiramus. Sancta Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum jaculis impetitur. Bene autem circumdari lanceis dicimur, quia antiquus hostis tentationis suae vulnere ab omni parte nos impetit. Saepe enim dum gula restringitur, ut libido subigatur, inanis gloriae aculeus mentem pulsat. Si autem corpus abstinenciae afflictione non atteritur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Saepe dum servare parcimoniam nitimur, ad tenaciam labimur. Et saepe dum possessa effuse tribuimus, ad avaritiam ducimur, quia rursum colligere quaerimus quod tribuamus. Dum ergo antiqui hostis jacula ubique nos impetunt, recte non dicitur: *Circumdedit me lanceis suis*. Et quia omne peccatum hostis quidem callidus suadet, sed nos ejus suasionibus consentiendo perpetramus, apte subjungitur: *Convulneravit lumbos meos*. In lumbis quippe luxuria est. Unde et is qui cupiebat voluptatem libidinis a corde extinguere, praedicavit dicens: *Succincti lumbos mentis vestrae (I Pet. I, 13)*. Cum ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc procul dubio in lumbis ferit. Ubi notandum quoque est quod non ait: *Vulneravit*, sed *Convulneravit lumbos meos*. Sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui vero duorum, vel fortasse multorum, sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra

voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus, et quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur. Sequitur: *Non pepercit*. Ac si dicat Non destitit [*Vet. X*]. *Et effudit in terram viscera mea*. Quid aliud sanctae Ecclesiae viscera debemus accipere, nisi eorum mentes qui ejus quaedam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deserviunt? Sed antiquus adversarius cum fideles quosdam, qui interioribus sacramentis deservire videbantur, ad saecularia negotia pertrahit, ejus procul dubio viscera in terram fundit, quia illos in rebus infimis conculcat qui prius in occultis ac spiritalibus actibus latebant. Sequitur:

CAPUT XVII.

VERS. 15.---*Concidit me vulnere super vulnus*.

425 20. *Ut vulnere super vulnus nos concidat*.---In infirmis suis sancta Ecclesia vulnere super vulnus conciditur quando peccatum peccato additur, ut culpa vehementius exaggeretur. Quem enim avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, ut, perpetrata culpa, ex falsitate etiam defendatur, quid iste nisi super vulnus concisus est vulnere? Unde bene quoque per prophetam dicitur: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem letigit* (**Osee. IV, 2**). Solet enim sanguinis nomine signari peccatum. Unde is qui a peccatis liberari desiderat per

poenitentiam clamat: *Libera me de sanguinibus (Psal. L, 16)*. Sanguis ergo sanguinem tangit cum culpa culpam cumulaverit. Et quia cum vulnus vulneri additur vires contra nos antiqui hostis vehementius excrescunt, recte subjungitur:

CAPUT XVIII.

IBID. *Irruit in me quasi gigas.*

21. *Qui non reluctantur, eum ut gigantem secum pugnantem experiuntur.*---Facile quippe inimico resistitur si non ei vel in multis lapsibus, vel in uno, diutius consentiatur. Sin vero ejus suasionibus anima subesse consueverit, quanto se ei crebrius subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat, quia nimirum malignus adversarius contra hanc ex prava consuetudine devictam quasi more gigantis pugnat. Sed tamen plerumque sancta Ecclesia etiam post perpetratas culpas mentes fidelium ad poenitentiam revocat, et peccata operis virtute spontaneae afflictionis mundat. Unde bene subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 16.---*Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.*

22. *Afflictione spontanea peccata mundare docet Ecclesia.* Quid in sacco et cinere nisi poenitentia, quid in cute

et carne nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis, ad poenitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, et cinere caro operitur, quia culpa carnis per poenitentiam tegitur, ne in districti judicis examine ad ultionem videatur. Infirma autem membra sua sancta Ecclesia cum a peccatis retrahit, atque ad poenitentiae remedium ducit, haec procul dubio fletibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris sui gratiam convalescant, et per fortes plangit quod non fecit, quod in membris suis debilibus quasi ipsa fecit. Unde bene adhuc subditur:

CAPUT XX [*Vet. XI, Rec. VII*].

VERS. 17.---*Facies mea intumuit a fletu.*

23. *Filios suos poenitentes fletibus suis adjuvat. Praelati de alienis tanquam de propriis lapsibus se affligant.* Facies quippe sanctae Ecclesiae sunt hi qui, in locis regiminum positi, apparent primi, ut ex eorum specie sit honor fidelis populi, etiam si quid in corpore latet deforme. Qui nimirum praelati plebibus plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus ac si de propriis affligunt. Et saepe dum quosdam vident ad veniam post culpas redire, quosdam vero in iniquitate persistere, occulta omnipotentis Dei judicia mirantur, sed penetrare nequeunt. Obstupescunt enim quae non intelligunt. Unde et apte subditur:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et palpebrae meae caligaverunt.*

24. *Subditorum vias vice oculorum dirigant.*---Palpebrae enim recte appellati sunt qui ad praevidenda pedum itinera vigilant. Sed cum occulta Dei judicia nec praepositi vigilantes intelligunt, palpebrae sanctae Ecclesiae caligant. Sed ut saepe jam me dixisse memini, beatus Job sanctae Ecclesiae **426** typum tenens, modo voce corporis, modo autem voce capitis utitur; et dum de membris ejus loquitur, repente ad verba capitis levatur. Unde hic quoque subjungitur:

CAPUT XXII [*Rec. VIII*].

VERS. 18.---*Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces.*

25. *Solus prae omnibus mundas ad Deum preces Christus habuit.*---Absque iniquitate enim manus suae pertulit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (**I Pet. II, 22, seq.**), et tamen dolorem crucis pro nostra redemptione toleravit. Qui solus prae omnibus mundas ad Deum preces habuit, quia et in ipso dolore passionis pro persecutoribus oravit, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (**Luc. XXIII, 34**). Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest quam cum et illis misericordia intercessionis tribuitur a quibus toleratur dolor? Unde factum est ut Redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores saevientes fuderant, postmodum

credentes biberent, eumque esse Dei Filium praedicarent. De quo videlicet sanguine apte subjungitur:

CAPUT XXIII.

VERS. 19.---*Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniatur in te latendi locus clamor meus.*

26. *Sanguis ejus Abelis sanguine melius loquitur; hic enim ultionem, ille veniam exorat.*---Peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Quae scilicet terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia unusquisque peccator redemptionis suae pretium sumens, confitetur ac laudat, et quibus valet proximis innotescit. Terra etiam sanguinem ejus non operuit, quia sancta Ecclesia redemptionis suae mysterium in cunctis jam mundi partibus praedicavit. [*Vet. XII.*] Notandum quod subditur: *Neque inveniatur in te latendi locus clamor meus* (**Genes. III, 19**). Ipse enim sanguis redemptionis qui sumitur clamor nostri Redemptoris est. Unde etiam Paulus dicit: *Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (**Heb. XII, 24**). De sanguine Abel dictum fuerat: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (**Genes. IV, 10**). Sed sanguis Jesu melius loquitur quam Abel, quia sanguis Abel mortem fratricidae fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Ut ergo in nobis sacramentum dominicae passionis non sit otiosum, debemus imitari quod sumimus, et praedicare caeteris quod veneramur. Locum enim latendi

clamor ejus in nobis invenit, si hoc quod mens credidit lingua tacet. Sed ne in nobis clamor ejus lateat, restat ut unusquisque juxta modulum suum vivificationis suae mysterium proximis innotescat. Libet mentis oculos ad dominicae passionis horam reducere, cum Judaei persequentes saevirent, discipuli timentes fugerent. Qui enim carne mori videbatur nequaquam Deus esse credebatur. Unde hic apte subditur:

CAPUT XXIV [*Rec. IX.*].

VERS. 20.---*Ecce enim in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis.*

27. *Hominibus Christum nescientibus, conscius et testem habuit Patrem in coelo.*---Cum enim Filius labefactaretur in terra, erat ei testis in coelo. Testis quippe Filii Pater est, de quo ipse in Evangelio dicit: *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me (Joan. V, 37).* Qui recte etiam conscius dicitur, quia una voluntate, uno consilio Pater cum Filio semper operatur. Cujus etiam testis est, quia nemo novit Filium nisi Pater (**Matth. XI, 27**). Tunc ergo in coelo testem et conscius in excelsis habuit, quando hi qui eum morientem in carne cernebant divinitatis ejus **427** potentiam considerare nesciebant. Et cum ignorarent homines, in morte tamen Mediator Dei et hominum noverat quod cum ipso operabatur Pater. Quod fortasse etiam ad vocem ejus corporis referri valet. [*Vet. XIII.*] Sancta namque Ecclesia idcirco adversa vitae praesentis tolerat, ut hanc superna gratia

ad praemia aeterna perducatur. Carnis suae mortem despicit, quia resurrectionis intendit gloriae. Et transitoria sunt quae patitur, perpetua quae praestolatur. De quibus nimirum bonis perpetuis dubietatem non habet, quia fidele jam testimonium Redemptoris sui gloriam tenet. Carnis quippe ejus resurrectionem mente conspicit, atque ad spem fortiter convalescit quia, quod in suo videt jam factum capite, sperat in ejus quoque corpore, quod videlicet ipsa est absque dubietate secuturum. Quam scilicet Ecclesiam Psalmista conspiciens in perpetua perfectione mansuram, sub appellatione lunae describit, dicens: *Luna perfecta in aeternum* (Psal. LXXXVIII, 38). Quam quia ad resurrectionis spem dominica resurrectio roborat, recte subjunxit: *Et testis in coelo fidelis*, quia ut de sua resurrectione non trepidet, jam eum in coelo, qui resurrexit a mortuis, testem habet. Fidelis itaque populus cum adversa patitur, cum duris tribulationibus fatigatur, ad spem sequentis gloriae mentem erigat, et, de Redemptoris sui resurrectione confidens, dicat: *Ecce enim in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis*. Qui recte conscius dicitur, quia naturam nostram non solum creando novit, sed etiam assumendo. Scire enim ejus est nostra suscepisse. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Ipse enim scit figmentum nostrum* (Psal. CII, 13). Quid enim mirum si figmentum nostrum dicatur specialiter scire, dum constet nihil esse quod nesciat? Sed figmentum nostrum scire ejus est hoc in seipso ex pietate suscepisse.

28. *Idem testis nobis quaerendus*. Quae tamen vox cum beato Job congruere nobis etiam singulis potest. Omnis enim qui ex eo quod agit humanas laudes appetit, testem in terra quaerit. Qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere

festinat, testem se in coelo habere considerat. Et saepe contingit ut ipsa quoque in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in coelo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXV [*Vet. XIV*].

VERS. 21.---*Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus.*

29. *Non ab hominibus quaerendum testimonium.*---Quid enim per oculum nisi cordis intentio designatur? sicut scriptum est: *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit (Matth. VI, 22).* Quia cum bona intentione quid agitur, ejus intentionis actio apud Deum minime fuscatur. Cum ergo verbosi amici sunt, id est cum et ipsi derogant qui in fide sociantur, ad Deum necesse est ut oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, et tanto subtilius se ad interiora erigat, quanto et per exteriora opprobria repulsa intus redire cogitur, ne foras evanescat. Sequitur.

CAPUT XXVI.

VERS. 22.---*Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo!*

30. *Quoa peccatum in nobis flagellis suis puniat Deus incertum.*---Peccatores quidem nos esse semper agnoscimus; sed tamen saepe in flagello positi, pro quo magis peccato flagellemur ignoramus; et nos ipsos **428** subtili inquisitione discutimus, ut, si quo modo possimus, causam percussione nostrae investigare valeamus. Quae dum plerumque nos latet, fit nobis oneri caecitas nostra, et de eo quod patimur plus dolemus. Quisquis vero cum collega suo ad iudicium accedit, et quod sentit dicit, et quidquid contradicatur agnoscit, et quo voluerit pulsatur, et novit unde pulsatur. Qui autem divina animadversione percutitur, dum novit quidem quia vapulat, sed cur vapulet ignorat, quasi dicit ipse quod sentit, sed quid contra se dicatur nescit, quia ipse quidem ingemiscit in verberare, sed Deus aperte non declarat pro qua eum feriat ultione. Itaque nunc dicitur: *Atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo!* Ac si aperte diceretur: Sicut in omni quod dico audior, sic omne quod de me dicitur audirem. Quod tamen in hac vita fieri nullatenus potest, quia magna est interpositio oculis cordis nostri ad contemplandam subtilitatem Dei, ipsa videlicet infirmitas nostra. Sed tunc ad purum intuebimur eum a quo nunc subtiliter intuemur, cum, hac infirmitate deposita, ad contemplationis internae gratiam venerimus, de qua Paulus dicit: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum (I Cor. XIII, 12).* Unde beatus Job videns eandem cognitionem plenissime hic perfici nullatenus posse, de caecitate quidem vitae praesentis gemit, sed tamen se de ejus brevitate consolatur, dicens:

CAPUT XXVII.

VERS. 23.---*Ecce enim breves anni transeunt, et semitam per quam non revertar ambulo.*

31. *Vitae misérias ejus brevitás mitigat et sotatur.*---Omne quod transit breve est, etiam si tardius terminari videatur. In mortis autem semita, per quam non revertimur, ambulamus, non quod ad vitam carnis minime resurgendo reducimur, sed quod ad labores hujus vitae mortalis, vel ad conquirenda laboribus praemia, iterum non venimus.

CAPUT XXVIII [*Vet. XV, Rec. X*].

CAP. XVII, VERS. 1.---*Spiritus meus attenuabitur.*

32. *Boni brevem vitam, longam vero mali sibi pollicentur.*---Attenuatur spiritus timore judicii, quia electorum mentes quo amplius extremo judicio propinquare se sentiunt, eo ad discutiendas semetipsas terribilius contremiscunt, et si quas in se carnales unquam cogitationes inveniunt, poenitentiae ardore consumunt, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo semetipsos dijudicantes subtilius feriunt, quo districtum judicem praestolantur vicinum. Unde fit ut propinquum sibi semper exitum suspicentur. Nam reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia hic se vivere diutius arbitrantur. Justorum ergo attenuatur spiritus, sed crassescit iniquorum. Quo enim per elationem tument, eo attenuationem spiritus non habent. Justi vero dum brevitatem suae vitae considerant, elationis et immunditiae culpas declinant. Unde et subditur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum.*

33. *Hinc elationis et immunditiae culpas declinant illi, isti multiplicant. Perfecta vita est mortis imitatio.* ---Qui enim considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione; atque unde in oculis suis jam quasi non vivit, inde veraciter in oculis sui conditoris vivit. Nil quod transeat appetit, cunctis praesentis vitae desideriis contradicit; et pene mortuum se considerat, quia morituum **429** minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. Unde scriptum est: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli. VII, 40).* Unde et beatus Job, quia dies suos considerat breviari, et solum sibi superesse sepulcrum pensat, apte subjungit:

CAPUT XXX.

VERS. 2.---*Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.*

34. *Non pro corrigenda culpa, sed pro augenda gratia Job percussus.*---Ac si aperte dicat: Culpam non feci, et flagella suscepi. Sed hac in re animum movet, quia in multis se hujus

historiae locis peccasse confitetur, qua ratione peccasse se nunc abneget? Sed ad haec ratio celeriter occurrit, quia nec tantum peccavit ut flagella mereretur, nec tamen esse sine peccato potuit. Nam quia non pro corrigenda culpa, sed pro gratia augenda percussus est, iudex ipse testatur, qui laudat et ferit. Et rursum quia sine peccato non fuerit, nec ipse negat qui a iudice laudatur, atque ideo laudatur, quia non negat. Sed credo quod melius haec verba discutimus, si dicta ex voce capitis sentiamus. [*Vet. XVI.*] Redemptor etenim noster ad redemptionem nostram veniens, et non peccavit, et amaritudinem pertulit, quia poenam culpaе nostrae sine culpa suscepit, de cuius voce subditur:

CAPUT XXXI.

VERS. 3.---*Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.*

35. *Christus in amaritudine fuit per passionem, liberatus est per resurrectionem.*---Ipse etenim non peccavit in cogitatione, vel opere, ipse in amaritudine moratus est per passionem, ipse liberatus est per resurrectionem, ipse juxta Patrem positus est per ascensionem, quia profectus in coelum sedet a dextris Dei. Et quia post ascensionis ejus gloriam Judaea in discipulorum ejus persecutione commota est, recte nunc dicitur: *Et cujusvis manus pugnet contra me.* Tunc quippe in membris illius furor persequentium saeviit, tunc contra fidelium vitam flamma crudelitatis exarsit. Sed quo irent iniqui, aut quid agerent, dum

is quem persequabantur in terra jam sedebat in coelo? De quibus adhuc subditur:

CAPUT XXXII [*Rec. XI*].

VERS. 4.---*Cor eorum longe fecisti a disciplina.*

36. *Pravorum cor longe esse a disciplina Deus tantum permittendo facit.*---Si enim disciplinae custodiam nossent, et nequaquam Redemptoris nostri praecepta contemnerent, ipsa eos carnis suae mortalitas ad amorem vitae immortalis excitasset. Hoc ipsum namque in hac vita corruptioni nos esse subjectos, jam de flagello disciplinae est. Aestu enim et frigore, fame sitique turbari, morbis affici, quandoque etiam exstingui, quid sunt haec aliud quam flagella peccati? Sed sunt nonnulli qui et flagella tolerant, et tamen mentem ad flagellantis metum minime reformant. Unde recte nunc dicitur: *Cor eorum longe fecisti a disciplina.* Quia etsi corpus sub disciplina est, cor sub disciplina non est, dum et flagellatur quisque, et tamen ad humilitatem mentis non reducitur. Neque ita hoc dicitur ac si omnipotens et misericors Deus longe cor hominis a disciplina faciat, sed quod sponte delapsus ibi remanere ubi cecidit iudicando permittat, sicut ei in oratione quoque dicimus. *Et ne nos inducas in tentationem* (**Matth. VI, 13**); id est, induci minime permittas. Sequitur:

CAPUT XXXIII.

IBID.---*Propterea non exaltabuntur.*

430 37. *Disciplinae expertes ab infimis ad coelestia nunquam sublevantur.*---Cor enim si sub disciplina esset, superiora appeteret, adipiscendis bonis transeuntibus non inhiaret. Quorum igitur cor sub disciplina non est, recte de illis dicitur: *Propterea non exaltabuntur*, quia dum in infimis voluptatibus dimissi terrena bona semper desiderant, cor ad superna gaudia nunquam levant. Exaltarentur quippe si mentem ad spem patriae coelestis erigerent. Sed qui per disciplinam custodire vitam minime student, semper per desideria in imis jacent, et, quod est gravius, jacendo se erigunt, quia de rebus transitoriis extolluntur. Extolli autem possunt, sed exaltari nequeunt, quia inde profundius in imo sunt, unde apud se altiores fiunt. Cor itaque, quod sine disciplina est, exaltari non valet, quia humana mens sicut male elevata in infimis premitur, sic bene pressa in sublimibus levatur. Sequitur:

CAPUT XXXIV [*Rec. XII*].

VERS. 5.---*Praedam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus deficient.*

38. *Unum corpus sunt diabolus et iniqui. Ejus socii, angeli apostatae; filii, perversi homines.*---Postquam de multitudine iniquorum, id est de antiqui hostis corpore, beatus Job sententiam protulit, mox ad ipsum eorum principem, id est

caput omnium perditorum, sententiam vertit, atque a plurali numero ad singularem redit. [*Vet. XVII.*] Ita quippe unum corpus sunt diabolus et omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, et nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine censetur corpus cum de perverso homine dicitur: *Ex vobis unus diabolus est* (**Joan. VI, 71**). Et rursum nomine corporis appellatur caput cum de ipso apostata angelo dicitur: *Inimicus homo hoc fecit* (**Matth. XIII, 28**). Iste igitur princeps omnium perversorum alios socios habet atque alios filios. Qui namque sunt ejus socii, nisi illi apostatae angeli qui cum eo de coelestis patriae sede ceciderunt? Vel quos alios filios habet, nisi perversos homines, qui de ejus prava persuasione in malitiae operatione generantur? Unde etiam Veritatis voce infidelibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis* (**Joann. VIII, 44**).

39. *Quam praedam sociis polliceatur diabolus.*---Perversus itaque iste auctor erroris praedam sociis pollicetur, quia malignis spiritibus pravorum promittit animas in eorum fine rapiendas. *Et oculi filiorum ejus deficient*, quia dum intentiones hominum ad sola terrena speranda excitat, hoc illos amare facit quod diu tenere non possunt. Neque enim valet amoris pravi intentio permanere, quando et hoc quod amat ipsumque qui amat constat sub celeritate deficere. Possunt quoque et per socios fortasse intelligi crudelissimi quique et omni malitia jam repleti; per filios vero hi qui adhuc deceptoriiis promissionibus illusi, augendae pravitati nutriuntur, ut illos jam velut ex merito malitiae diabolus quasi socios habeat qui jam non habent in perditione quo crescant, istos autem quasi filios quos promissionibus lactat ut ad pejora proficiant. Sed oculi filiorum ejus deficient, quia

pravorum intentiones cadunt cum omne quod hic appetunt deserunt, et illic quod doleant sine fine patiuntur. Sequitur:

CAPUT XXXV.

VERS. 6.---*Posuit me quasi in proverbium vulgi: et exemplum sum coram eis.*

40. *De electorum flagellis stulta vulgi opinio.*---Haec beatus Job dicat ex se, dicat ex vocibus omnium electorum. Omnis quippe qui flagello percutitur quasi in proverbium ponitur vulgi, quia **431** stultus quisque dum cuiquam maledicere appetit, ex illius similitudine maledictionem sumit, quem percussum temporaliter videt, eamque poenam suo optat adversario quam evenisse conspicit justo. Sicque fit ut non recte sapientibus in exemplum deducatur rectus, dum et poena justi esse damnatio creditur, et quae illi maneat gloria nulla spe fidei praevidetur. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Vet. XVIII, Rec. XIII*].

VERS. 7.---*Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.*

41. *Ad flagella sanctis obstupescantibus et caligantibus, infirmi aliquando corruunt.*---Ad indignationem oculus

caligat quando ipsi quoque qui in dominico corpore, id est in Ecclesia, lumen veritatis habent, dum se diutius a pravis despici ac dedignari conspiciunt, de occulti iudicii admiratione turbantur, et secretum Dei penetrare nequeunt, cur praevalere perversi contra bonorum innocentiam permittuntur. Quis etenim non obstupescat cum Herodias apud temulentum regem saltatu filiae obtinet ut caput amici Sponsi, prophetae et plusquam prophetae, ante ora convivantium in disco deferatur (**Marc. VI, 27**)? Sed cum justi ad indignationem caligant, infirmi plerumque usque ad infidelitatem corruunt. Unde subditur: *Et membra mea quasi in nihilum sunt redacta*. Membrorum quippe nomine teneritudo exprimitur infirmorum, qui dum perversos prospiciunt florere justosque cruciari, ad hoc nonnunquam perveniunt, ut se bona vel inchoasse poeniteant; atque ita ad agenda mala citius recedunt, ac si eorum vitae nocuerit bonum quod inchoaverunt. Hoc autem quod ait: *Caligavit ad indignationem oculus meus*, verbis planioribus aperit, adjungens:

CAPUT XXXVII [*Rec. XIV*].

VERS. 8. *Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur.*

42. *Imperfectorum est gloriae perversorum invidere.* ---Hoc loco innocens necdum perfectus justus accipitur, qui bona adhuc inchoans, etsi nocere aliis non novit, perfecta tamen ipse agere nequaquam valet. Et quia corda parvulorum, dum

perversos florere in praesenti vita conspiciunt, invidiae facibus succenduntur; tanto enim quisque plus invidet aliis bona praesentia, quanto ea ipse minus contempserit. Nam quod haberi ab omnibus non valet simul totum, huic desit quod alter habuerit. Succenditur vero contra hypocritam innocens, dum gloriae simulatoris invidet etiam qui nulli nocere solet. Sin vero hoc in loco innocens quilibet in bono perfectus accipitur, contra hypocritam innocens suscitatur quando hunc et florere conspicit, et tamen cum suo eum flore contemnit; et praedicando quae recta sunt, tanto eum despiciendum caeteris esse denuntiat, quanto eum conspicit illa anxie quaerere quae cum eo diu non valeant permanere. In quo adhuc sensu subjungitur:

CAPUT XXXVIII [*Vet. XIX*].

VERS. 9.---*Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.*

43. *Deus qui malis temporalia bona concedit, justis aeterna non denegabit.*---Considerato quippe hypocrita, justus viam suam tenet, quia dum illum ex perversa voluntate obtinere ea quae mundi sunt intuetur, ipse ad amorem coelestium robustius stringitur, sciens quia bonis desideriis praemia aeterna non deerunt, dum et pravis et duplicibus cordibus bona temporalia non negantur. Qua ex re mundis quoque manibus addit fortitudinem, quia conspiciens perversos obtinere terrenam gloriam, bona sua opera provehit **432** ad

perfectionem; et tanto altius temporalia despicit, quanto haec abundare etiam malis cernit. Quam enim sint despicienda considerat quae Deus omnipotens etiam perversis praestat. Si enim principaliter magna essent, nequaquam haec conditor adversariis suis tribueret. Unde et indignum sibi esse perpendit ut illa bona appetat quae abundare conspicit et malis, sed ad percipienda coelestia mentem suam dirigit, quae sibi cum reprobis communia esse non possunt. Igitur postquam exteriores profectus malorum, bonorum vero interiores intulit, exhortationis verba protulit, dicens:

CAPUT XXXIX.

VERS. 10.---*Igitur omnes vos convertimini, et venite.*

44. *Ad Deum converti fide, et venire opere debemus.* ---Quae videlicet exhortationis verba proprie ad electos format, quos ad aeternitatem vocat. Qui duobus modis invitantur, scilicet ut convertantur, et veniant: convertantur nimirum fide, veniant opere. Vel certe convertantur deserendo mala, et veniant bona faciendo, sicut scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum* (**Psal. XXXVI, 27**). Mirandum vero quod subditur:

CAPUT XL.

IBID.---*Et non inveniam in vobis ullum sapientem.*

45. *Apud semetipsos sapientes, ad veram sapientiam pervenire nequeunt.*---Quid est enim quod eos ad sapientiam vocat, et tamen optat ne illos sapientes inveniatur, nisi quod ad veram sapientiam venire non possunt qui falsae suae sapientiae fiducia decipiuntur? de quibus scriptum est: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Isai. V, 21).* Et quibus rursum dicitur: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos (Rom. XII, 16).* Unde idem praedicator egregius hos quos carnaliter sapientes invenerat, ut sapientiam veram perciperent, prius fieri stultos quaerebat, dicens: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens (I, Cor. III, 18).* Et per semetipsam Veritas dicit: *Confiteor tibi, Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (Matth. XI, 25).* Quia ergo hi qui apud semetipsos sapientes sunt ad veram sapientiam pervenire non possunt, recte beatus Job, conversionem auditorum desiderans, exoptat ne in eis ullum sapientem inveniatur. Ac si eis aperte dicat: *Stulti esse apud vosmetipsos discite, ut in Deo vere sapientes esse valeatis. Sequitur:*

CAPUT XLI [*Vet. XX, Rec. XV*].

VERS. 11.---*Dies mei transierunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum.*

46. *Dies Ecclesiae prosperitas, noctes adversitas. Sancti ad terrena dispensanda coacti torqueri se sentiunt.*---Sancta electorum Ecclesia per diurna et nocturna tempora conspicit

vitae suae spatia transire, quia noctem in adversitatibus, diem vero in prosperitatibus habere consuevit. Quasi enim lux ei oritur ex tranquillitate pacis, et nox ex dolore persecutionis. Sed cum post quietis otia ad excrescentis contra se persecutionis laborem redit, dies suos transisse testatur. In quibus tamen diebus solet tanto gravioribus curis premi, quanto a se de ipsa tranquillitate pacis subtiliores a iudice rationes cogitat exquiri. In tranquillitate enim pacis modo animarum lucra cogitat, modo terrenarum rerum dispensationes curat. Quae videlicet terrenorum actuum dispensationes tanto bonis mentibus graviores sunt, quanto earum intuitu ab intuendis coelestibus vel ad modicum avelluntur. Unde bene beatus Job sive sua, sive voce universalis Ecclesiae, postquam dies suos transisse testatur, illico subjunxit: *Cogitationes meae dissipatae sunt, 433 torquentes cor meum*. Quia dum bonis mentibus temporalis felicitas transit, etiam cura eis terrenae dispensationis subtrahitur, quae eas in cogitationibus torquere videbatur. Dum enim erectae semper esse ad percipienda coelestia appetunt, eo ipso quo aliquando ex dispensatione terrena ad ima cogitanda descendunt, torqueri se sentiunt. Unde fit ut ipsa quoque adversitas persecutionis vertatur in magnam exultationem laetitiae, propter adeptam quietem cordis. Unde et apte subditur:

CAPUT XLII.

VERS. 12.---*Noctem verterunt in diem.*

47. *Sancti malunt perpeti mala, quam bonorum cura fatigari.* --Dissipatae etenim cogitationes noctem in diem vertunt, quia nonnunquam justis amplius placet ex adversitate mala perpeti quam ex prosperitate terrenae dispensationis cura fatigari. Sed quia noverunt cautius, et adversa transire, et prospera rursus illucescere, apte subjungitur:

CAPUT XLIII.

IBID.---*Et rursum post tenebras spero lucem.*

48. *Sancti post mortem statim coelestibus praemiis donantur.* --Lux enim post tenebras speratur, quia vel post noctem vitae praesentis aeternum lumen percipitur, vel ita hic adversitas atque prosperitas alternant, ut sibi succedere vicissim non desinant. Unde fit ut et in luce nox in suspitione sit, et in nocte lux in praesumptione, sicut scriptum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum (Eccl. XI, 27)*. Sed ecce quia auctoris nostri gratia redempti sumus, hoc jam coelestis muneris habemus, ut cum a carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, mox ad coelestia praemia deducamur, quia dum conditor ac Redemptor noster, claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit. Hi vero, qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt, quantamlibet justitiae virtutem haberent, ex corporibus educti in sinu coelestis patriae statim recipi nullo modo poterant, quia necdum ille venerat qui inferni claustra sua descensione solveret, et justorum animas

in perpetua jam sede collocaret. Unde beatus Job et afflictionem sentiens, et adhuc differri retributionem justorum sciens, apte subjungit:

CAPUT XLIV [*Vet. XXI, Rec. XVI*].

VERS. 13.---*Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum.*

49. *Ante Christum justorum animae in inferno tormentorum expertes tenebantur.*---Priores etenim sancti et sustinere adversa poterant, et tamen, e corporibus educti, adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat qui illuc sine culpa descenderet, ut eos qui ibi tenebantur ex culpa liberaret. Tunc vero homo suum lectulum in tenebris stravit, quando lucem justitiae persuasori callido consentiendo deseruit. Et quia in ipsis quoque inferni locis justorum animae sine tormento tenebantur, ut et pro originali culpa adhuc illuc descenderent, et tamen ex propriis actibus supplicium non haberent, quasi in tenebris lectulum stravisse est in inferno sibi requiem praeparasse. Grave etenim taedium electis fuit post solutionem carnis adhuc speciem non videre Creatoris. Quod taedium non immerito beatus Job tenebras vocat. Sed quia hoc ex poena infirmitatis venit, recte eandem mox infirmitatem subdit dicens:

CAPUT XLV [*Rec. XVII*].

434 VERS. 14.---*Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus.*

50. *Ex origine vitiata concupiscentiae curarumque vermes trahimus.*---Quid est hoc quod dixit putredini: *Pater meus es*, nisi quod omnis homo ab origine jam vitiata descendit? Unde et additur: *Mater mea, et soror mea, vermibus*, quia videlicet et ab ipsa putredine et cum ipsa in hunc mundum venimus. Quantum enim ad materiam corruptibilis carnis, mater nostra ac soror vermes sunt, quia et de putredine processimus, et cum putredine venimus, quam portamus. Quod si intelligi spiritaliter potest, et mater natura, et consuetudo non immerito soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus. Quae videlicet mater et soror vermes sunt, quia ex natura corruptibili et consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus, sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. Carnis enim natura vitiata et consuetudo perversa, quia innumeras curas in corde infirmitatis nostrae generant, bene mater et soror vermes vocantur. Mordent enim animum curae, dum inquietant. Non enim cessant justi viri vel sollicite cogitare et pertractare quid agant, vel provide inspicere quo post praesentem vitam ducendi sint. Quia ergo tunc electi ante adventum Domini et in labore vitae praesentis se esse cernebant, et tamen post praesentem vitam necdum coelestia bona percipere, multis cogitationibus urebantur. Exspectabant enim gratiam Redemptoris sui, nec tamen ad eam poterant in carne vivendo pervenire. Unde et apte subditur:

CAPUT XLVI.

VERS 15.---*Ubi est ergo nunc praestolatio mea?*

51. *Justorum tot in malis, sola spes Christus.*---Quae esse potuit praestolatio justorum, nisi justos justificans Deus, qui ad poenas humani generis sponte descenderet, et captivos mortis justitiae suae virtute liberaret? Hujus enim praesentiam minime cessabant intenta cogitatione praestolari: esse venturam noverant, sed venire citius quaerebant. Unde non ait: *Ubi est ergo praestolatio mea?* sed ait: *Ubi est ergo nunc praestolatio mea?* [*Vet. XXII.*] Dum enim addit *nunc*, ostendit quia quod quandoque venturum erat venire citius desiderabat. Sequitur:

CAPUT XLVII.

IBID.---*Et patientiam meam quis considerat?*

52. *Ardentibus desideriis ab illis expetitus.*---Expressit desiderium quo festinat in carne positus redimi et ab inferis ad superna revocari. Et quidem paucorum hominum ista fuit perpendere, ut scirent de praesentis vitae laboribus vel de subsequenti post mortem dilatione cogitare. Quod utrumque justis ante adventum Redemptoris nostri se perpeti dolebant. Unde et recte dicitur: *Et patientiam meam quis considerat?* Equidem non deest qui patientiam consideret; sed cum citius non exaudit, quasi minus

considerare Deus dicitur. Ipsa enim humani generis quae venit in mundi fine redemptio ab his qui a mundi initio praecesserunt tarda credebatur, quia longo temporis spatio a coelestium remuneratione disjuncti sunt, Veritate attestante, quae ait: *Multi prophetae et reges voluerunt vos videre quae vos videtis, et non viderunt (Luc. X, 24)*. Itaque quod nunc dicitur: *Patientiam meam quis considerat?* ardentis desiderii vota panduntur. Neque enim, ut praediximus, justorum patientiam **435** non considerat Deus, sed quasi non considerare dicitur ad votum desiderii minus citius apparere, et per prolixiora tempora dispensationis suae gratiam differre. Dicat ergo: *Patientiam meam quis considerat?* quia quod disponenti breve est, longum est amanti. Unde adhuc dilationis suae damna considerans, hoc quod jam praedixerat repetit, et, descensurus ad ima, vocem doloris ingeminat, dicens:

CAPUT XLVIII.

VERS. 16.---*In profundissimum infernum descendent omnia mea.*

53. *Qui profundissimus infernus, dicantur eorum receptacula.*---Cum constet, quod apud inferos iusti non in locis poenalibus, sed in superiori quietis sinu, tenerentur, magna nobis oboritur quaestio, quidnam sit quod beatus Job asserit, dicens: *In profundissimum infernum descendent omnia mea*. Qui et si ante adventum mediatoris Dei et hominum in infernum descensurus erat, liquet tamen quia in

profundissimum infernum descensurus non erat. An ipsa superiora loca inferi profundissimum infernum vocat? Quia videlicet, quantum ad sublimitatem coeli, jam hujus aeris spatium non immerito dici infernus potest. Unde cum apostatae angeli a coelestibus sedibus in hoc caliginoso aere sint demersi, Petrus apostolus dicit: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in judicio cruciandos reservari* (II Petr. II, 4). Si itaque, quantum ad celsitudinem coeli, aer iste caliginosus infernus est, quantum ad ejusdem aeris altitudinem, terra quae inferius jacet, et infernus intelligi et profundus potest; quantum vero ad ejusdem terrae altitudinem, et illa loca inferi quae superiora sunt aliis receptaculis inferni, hoc loco non incongrue inferni profundissimi appellatione signantur, quia quod aer ad coelum, terra ad aerem, hoc ille est superior infernorum sinus ad terram.

[Vet. XXIII.] 436 54. *Job solam animam totum hominem esse sentit.*---Sed mirum valde est quod adjungit: *Descendent omnia mea.* Cum enim sola anima descensura esset ad inferni loca, quid est quod sanctus vir illuc perhibet omnia sua descendere, nisi quod ibi se esse totum vidit, ubi pondus suae remunerationis intelligit? Quia hoc quod ex se insensibile in terra deserit, quousque ad incorruptionem resurrectionis redeat, se esse non sentit. Omnia itaque sua in infernum profundissimum descensura perhibet, quo solam suam animam descensuram videt, quia ibi totus est, ubi sentire possit quod receperit. Vel certe in infernum omnia ejus descendunt, quia laborum omnium retributio adhuc in sola inferni quiete recipi praestolabatur. Et quasi illuc descendit omne quod egit, quia ibi quietem retributionis suae ex

omnibus invenit. Unde etiam ipsa quies praestolata subjungitur, cum illico subinfertur:

CAPUT XLIX.

IBID.---*Putasne saltem ibi erit requies mihi?*

55. *Job de sua salute trepidante, nemo securus sit.*---

In quibus nimirum verbis et innotescit quod desiderat, et tamen esse se adhuc de suscipienda requie dubium designat, ne cujus sancta opera tot flagella secuta sunt, occulto judicio superni judicis, post flagella temporalia etiam mansura tormenta sequerentur. Qua in re cum magno nobis timore pensandum est quis nostrum jam de requie aeterna securus sit, si de ea adhuc et ille trepidat cujus virtutis praeconia et ipse judex qui percutit clamat: *Si enim justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt (I Pet. IV, 18)?* Beatus etenim Job ad requiem se post flagella perventurum noverat; sed ut nostra timore corda concuteret, ipse visus est de aeternae quietis retributione dubitare cum dicit *Putasne?* ut nos videlicet perpendamus quanta debemus formidine venturum judicium semper expavescere, quando et ille qui a judice laudatus est adhuc de retributione judicii in suis vocibus securus non est.

LIBER DECIMUS QUARTUS, *In quo sanctus
Gregorius XVIII et XIX capitum libri Job
sensem historicum, allegoricum et moralem
aperit.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Superius dictorum anacephalaeosis.*---Superiori hujus operis parte (**Maxime praefat., c. 2**) tractavimus quod omnipotens Deus, ut mentes corrigeret sub lege positorum, beati Job vitam ad testimonium adduxit, qui legem non novit, et tamen tenuit, qui praecepta vitae quae scripto non acceperat custodivit. Hujus prius actio Deo attestante laudatur, et probari postmodum diabolo insidiante permittitur, ut per tentamenta tribulationis ostenderet quantum prius in tranquillitate profecisset. Hujus vitam inimicus generis humani more suo improbus, et laudari Deo attestante cognovit, et tamen ad tentandum expetiit. Quem cum tot damnis rerum, tot orbitatibus percussum sternere nequivisset, uxorem ei in stimulum malae suasionis excitavit, ut saltem per familiaria verba corrumperet quem per tot sternere nuntiorum tormenta minime valeret. Sed cum adjutorio feminae, quod contra Adam prius in paradiso obtinuit, contra hunc secundum in sterquilinio positum roborari non potuit, ad alia se tentandi argumenta convertit, ut amicos ejus quasi consolantes adduceret, et tamen eorum mentes in asperitatem increpationis excitaret; quatenus eum, cujus patientiam

flagella non vicerant, inter flagella saltem aspera verba superarent. Sed inimicus callide insidians fraudem quam contra sanctum virum paraverat pertulit, quia sancto viro quot occasiones perditionis intulit, tot causas victoriae ministravit. Contra tormenta quippe patientiam, contra verba sapientiam tenuit, quia et dolores verberum aequanimiter sustinuit, et stultitiam male suadentium sapienter frenavit. Sed quia in ipsis passionibus doctisque 437 locutionibus sanctae Ecclesiae typum tenet, amicis ejus, ut saepe jam diximus, quaedam recta, et quaedam stulta loquentibus, non immerito haeretici figurantur, qui pro eo quod sancto viro amici sunt, multa de reprobis recta dicunt; sed pro eo quod speciem haeticorum tenent, plerumque in oris sui excessu dilabuntur, et verborum suorum jaculis sancti viri pectus feriunt, sed contra mentem inexpugnabilem ipsa sua percussione fatigantur. Nos igitur subtili debemus discretionem distinguere, et quid sit in eorum verbis quod vere de reprobis sentiunt, et quid quod contra beatum Job fatuum sonant.

CAPUT II.

CAP. XVIII, VERS. 1, 2.---*Respondens autem Balda: Suhites, dixit: Usque ad quem finem verba jactabis? Intellige prius, et sic loquamur.*

2. *Haeretici Ecclesiam superbiae et ignorantiae insimulant.--*
-Omnes haeretici sanctam Ecclesiam in quibusdam cognitis superbire putant, quaedam vero nec intelligere suspicantur. Unde Baldad Suhites beatum Job quasi in superbiam astruit

erupisse, quem fatetur verba jactare. Sed signat ipse quanta elatione tumuerat, qui beatum Job loqui quae non intelligeret putabat. Et quia omnes haeretici in aestimatione sua a sancta Ecclesia despici conqueruntur, apte subjungitur:

CAPUT III.

VERS. 3.---*Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te?*

3. *Haeticorum in Ecclesiam suspensiones et contumelias.*--- Humanae mentis est proprium hoc sibi fieri suspicari quod facit. Arbitrantur enim se despici, qui bonorum mores despiciere consueverunt. Et quia in his quae comprehendere valent ratione contra haeticos ostendit Ecclesia rationabile non esse quod astruunt, aestimari se ab ejus judicio velut jumenta suspicantur. Ex qua despectus sui suspensione protinus ad dedignationem prosiliunt, atque ad ejusdem Ecclesiae contumelias excitantur. Unde subditur:

CAPUT IV.

VERS. 4.---*Quid perdis animam tuam in furore tuo?*

4. *Ecclesiae zelum, furorem et insaniam vocant haetici.*--- Haetici vel zelum rectitudinis, vel spiritalem gratiam sanctae praedicationis, non virtutis pondus, sed insaniam furoris aestimant. Quo furore videlicet perire fidelium animas

arbitrantur quia inde interire Ecclesiae vitam credunt, unde eam contra se infervere conspiciunt. Sequitur:

CAPUT V.

IBID.---*Nunquid propter te derelinquetur terra?*

5. *Deus extra veram Ecclesiam vere non colitur.*---Se enim ubique Deum colere, se totum mundum existimant occupasse. Quid est ergo dicere: *Nunquid propter te derelinquetur terra*, nisi hoc quod saepe fidelibus dicunt, quia si hoc est verum quod vos dicitis, omnis a Deo terra derelicta est, quam jam prae multitudine nos tenemus; sancta autem universalis Ecclesia praedicat Deum veraciter nisi intra se coli non posse, asserens quod omnes qui extra ipsam sunt minime salvabuntur. At contra haeretici, qui etiam extra ipsam salvari se posse confidunt, in quolibet loco sibi divinum adjutorium adesse profitentur. Unde dicunt: *Nunquid propter te derelinquetur terra?* id est, ut quisquis extra te fuerit minime salvetur? Unde etiam subditur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et transferentur rupes de loco suo.*

6. **438** *Haeretici doctores suos rupes vocant.*---Haeretici rupes vocant eos quos sublimibus in humano genere excedere sensibus aestimant, quos profecto doctores se habere

gloriantur. Cum vero sancta Ecclesia perversos quosque praedicatores intra sinum rectae fidei colligere studet, quid aliud quam de locis propriis rupes movet, ut intra eam recta sentientes humiliter jaceant, qui in perversis suis sensibus prius rigidi stabant? Sed hoc fieri haeretici omnino contradicunt, et propter ejus vocem rupes de loco proprio transferri renituntur, quia videlicet nolunt ut ad eam venientes vera humiliter sentiant hi qui apud eos elati sensibus falsa sapiebant.

[*Vet. et Rec. III.*] 7. *Contra Ecclesiam propter flagella quae patitur, insaniunt.*---Plerumque vero haeretici, cum quosdam intra sanctam Ecclesiam vel inopia, vel flagellis laborantes aspiciunt, semetipsos mox in arrogantiam justitiae extollunt; et quidquid adversum fidelibus evenisse considerant, hoc factum pro eorum iniquitatibus putant, nescientes nimirum quia actionum meritum praesentis vitae qualitas nullatenus probat. Nam plerumque et bona malis, et mala bonis eveniunt, pro eo quod et vera bona bonis, et vera mala malis in aeterna retributione servantur. Baldad itaque typum haeticorum de prosperitate vitae praesentis sese extollentium tenens, adversus beati Job flagella quasi ex eorum voce contra justorum opprobria inflatur, ac diserte quidem contra impios disputat; sed quam perverse contra justum talia dicat ignorat, nam subjecit, dicens:

CAPUT VII.

VERS. 5.---*Nonne lux impii exstinguetur, nec splende-
bit flamma ignis ejus?*

8. *Saepe mala bonis, et bona malis in vita eveniunt.* ---Haec si in praesentis vitae definitione denuntiat, fallitur; quia plerumque et impiis inesse lumen prosperitatis cernitur, et pios tenebrae ignobilitatis ac paupertatis abscondunt. Sin vero ad hoc ejus sermo dirigitur, ut ostendat quid impii in suo fine patiantur, veraciter dicitur: *Nonne lux impii exstinguetur, nec splende-
bit flamma ignis ejus?* Quod si dici de impio recte potuit, contra sanctum tamen virum in flagellis constitutum dici non debuit. Sed nos vires brachiorum illius in suis sentiis perpendentes, pensemus quam valide jacula intorquet, et desinamus aspicere intorquendo quem impetit, nimirum scientes, quia frustratis ictibus lapidem feriat. Dicat ergo: *Nonne lux impii exstinguetur?* [Rec. IV.] Quia habent et impii lucem suam, prosperitatem scilicet vitae praesentis. Sed lux impii exstinguetur; quia fugitivae vitae prosperitas cum ipsa citius vita terminatur. Unde apte subditur: *Nec splende-
bit flamma ignis ejus?*

9. *Mali quod appetunt, plerumque ad cumulum perditionis obtinent.*---Omnis namque impius habet flammam ignis proprii, quem in corde suo ex fervore desideriorum temporalium accendit, dum modo istis, modo illis cupiditatibus aestuat, et cogitationes suas per multiplicia blandimenta saeculi amplius inflammat. Ignis autem si flammam non habet, nequaquam fuso lumine splendet. Flamma itaque ignis ejus est decor, vel potestas exterior, quae de interno ejus ardore procedit, quia quod anxie in hoc mundo **439** adipisci desiderat, plerumque ad cumulum perditionis suae obtinet, et sive in potestate culminis, sive in

divitiis multiplicationis, quasi per exteriorem gloriam lucet. Sed non splendet flamma ignis ejus; cum in die exitus, omnis exterior decor subtrahitur, et solo suo intrinsecus ardore concrematur. Flamma ergo ab igne subtrahitur cum gloria exterior ab interno ejus ardore separatur. Habent etiam et justi flammam ignis sui, sed nimirum quae resplendeat, quia videlicet eorum desideria in bonis operibus lucent. Iniquorum vero flamma minime splendet, quia per hoc quod mala appetunt; ad tenebras pertrahuntur. Unde et sequitur:

CAPUT VIII.

VERS. 6.---*Lux obtenebrescet in tabernaculo illius.*

10. *Iniquorum gaudium cito deficit. Supra ipsos est gaudium; justorum infra.*---Si plerumque tristitiam tenebras accipimus, non immerito lucem accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo illius tenebrescit, quia in ejus conscientia, quam male inhabitat, gaudium quod de temporalibus rebus fuerat deficit. Unde et apte subjungitur:

IBID.---*Et lucerna quae super eum est exstinguetur.*

[*Vet. IV.*] Ut enim de usu multorum loquar, lucerna lumen in testa est, lumen vero in testa est gaudium in carne. Lucerna ergo quae super eum est exstinguitur, quia cum malorum suorum retributio impium sequitur, in ejus mente gaudium carnale dissipatur. Bene autem de lucerna hac non dicitur quae apud eum est, sed quae super eum est, quia iniquorum mentem terrena gaudia possident, sicque eam in voluptatibus

absorbent, ut super ipsam sint, non apud ipsam. Justi autem etiam cum prosperitatem vitae praesentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt, ut hoc quod apud se in bonis hilaescunt, gravitatis consilio transeant, et virtutis regimine excedant. Lucerna ergo impii quae super eum est exstinguitur, quia citius ejus gaudium deficit, quod eum totum in hac vita possedit. Et qui nunc male se in voluptatibus dilatat, eum post in suppliciis poena coangustat. Unde adhuc subditur:

CAPUT IX.

VERS. 7.---*Arctabuntur gressus virtutis ejus.*

11. *Qui nunc in deliciis vagantur, in suppliciis arctabuntur.*--
-Nunc enim quasi toties virtutis suae gressus exerit, quoties potestatis suae violentias exercet. Sed gressus virtutis ejus arctabuntur, quia vires malitiae illius, quas nunc in voluptate sua exhibet, postmodum poena constringit. Sequitur:

CAPUT X [*Rec. V*].

IBID.---*Et praecipitabit eum consilium suum.*

12. *Suo unusquisque impius consilio in praeceps ruit.*---Habet nunc consilium suum omnis iniquus praesentia

appetere, aeterna deserere, injusta agere, justa deridere; sed cum iudex justorum injustorumque venerit, suo unusquisque impius consilio praecipitatur, quia per hoc quod hic appetere pravis cogitationibus elegit, in aeterni supplicii tenebras mergitur. Quem enim hic gloria temporalis extollit, illic sine termino poena premit. Qui hic in voluptate laetatus est, illic perpetua ultione cruciatur. Et fit plerumque ut ipsa huius mundi prosperitas, quae ab impiis inhianter appetitur, eorum gressus ita obliget, ut etiam cum ad bona opera voluerint redire, vix possint, quia recta agere non valent cum mundi huius amatoribus **440** displicere timent. Unde agitur ut per gloriam quam impius ex peccato assequitur ejus adhuc peccata amplius multiplicentur, quod bene Baldad exprimit cum subjungit:

CAPUT XI [*Rec. VI*].

VERS. 8.---*Immisit enim in rete pedem suum, et in maculis ejus ambulat.*

13. *Peccator cum a peccati laqueis expediri nititur, cognoscit quam duris nexibus teneatur, maxime in fine vitae.*---Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit ejicit, sic qui in peccata se dejicit non mox ut voluerit surgit; et qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, et cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Saepe namque contingit ut quis, huius mundi delectatione persuasus, in eo ad honoris gloriam pertingat, ut ad desideriorum suorum effectum perveniat, et pervenisse se ad hoc quod expetiit

laetetur. Sed quia bona mundi non habita in amore sunt, et plerumque habita vilescent, percipiendo discit quam sit vile quod expetiit. Unde revocatus ad mentem exquirat qualiter sine culpa fugiat, quod se cum culpa conspiciat adeptum; sed ipsa eum dignitas quae implicavit tenet, et sine culpis aliis fugere non valet hoc ubi non sine culpa pervenit. Immisit ergo in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat, quia cum expediri nititur, tunc veraciter conspiciat quam duris nexibus tenetur. Neque enim vere obligationem nostram cognoscimus, nisi cum evadere nitentes, quasi levare pedes conamur. Unde et hanc eandem obligationem aperit subjungens:

VERS. 9.---*Tenebitur planta illius laqueo.*

[*Vet. V.*] Quia videlicet stringetur finis in peccato. Et quia hostis generis humani, cum uniuscujusque vitam in culpa obligat, ad ejus mortem anxius anhelat, recte subjungitur:

CAPUT XII.

IBID.---*Et exardescet contra eum sitis.*

14. *Cum se obligatum experitur, concupiscentia acrius aestuat peccator.*---Antiquus quippe noster inimicus, cum in peccato vitam illaqueat, sitit, ut mortem peccatoris bibat. Quod tamen et aliter intelligi potest. Nam perversa mens, cum in peccatum se venisse conspiciat, quadam cogitationis superficie evadere peccati laqueos quaerit; sed vel terrores, vel opprobria hominum timens, eligit in aeternum mori,

quam ad tempus aliquid adversitatis perpeti. Unde totum se vitiis deserit, quibus jam se semel obligatum sentit. Cujus ergo usque ad finem vita in culpa constringitur, ejus planta laqueo tenetur. Sed quia se quo malis obligatum pensat, eo de suo reditu desperat, ipsa jam desperatione acrius ad hujus mundi concupiscentias aestuat, fit desideriorum fervor in mente, et peccatis praecedentibus irretitus animus ad majora etiam delicta succenditur. Unde et subditur: *Et exardescet contra eum sitis*. In ejus quippe animo contra eum sitis exardescit, quia quo agere perversa consuevit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire est hujus mundi bona concupiscere. Unde et Redemptor noster ante Pharisei domum hydropicum curat, et cum contra avaritiam disputaret, scriptum est: *Audiebant autem omnia haec Pharisei, qui erant avari, et deridebant illum* (**Luc. XIV, 12; XVI, 4**). Quid est ergo quod ante Pharisei domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius aegritudinem corporis, in altero exprimitur aegritudo cordis? Hydropicus quippe 441 quo amplius biberit, amplius sitit, et omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quae appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, hujus sitis ex potu crescit. Sequitur:

CAPUT XIII [*Vet. VI, Rec. VII*].

VERS. 10.---*Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.*

15. *Diaboli quanta in decipiendo astutia. Qualitates morum certis vitiis affines.*---In terra pedica absconditur cum culpa sub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippe insidians ostendit humanae menti in terreno lucro quid appetat, et occultat peccati laqueum, ut ejus animam stringat, quatenus videat quidem quod concupiscere valeat, et tamen nequaquam videat in quo culpa laqueo pedem ponat. Decipula vero a decipiendo vocata est. Et tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione hujus mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur; quae videlicet non facile deciperet, si videri potuisset. Sic quippe decipula ponitur, ut dum esca ostenditur, nequaquam ipsa a transeunte videatur. Quasi esca quippe in laqueo est lucrum cum culpa, et hujus mundi prosperitas cum iniquitate. Dum itaque a concupiscente lucrum appetitur, quasi pedem mentis apprehendit decipula, quae non videtur. Saepe ergo proponuntur animo cum culpa honores, divitiae, salus, et vita temporalis; quae mens infirma dum quasi escam videt, et decipulam non videt, per escam quam videns appetit, in culpa constringitur quae non videtur. Existunt etenim qualitates morum, quae certis vitiis sunt vicinae. Nam mores asperi, aut crudelitati, aut superbiae solent esse conjuncti; mores autem blandi, et quam decet paulo amplius laetiores, nonnunquam luxuriae et dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuscujusque mores cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante faciem ad quae cognoscit facilius inclinari mentem, ut blandis ac laetis moribus saepe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; asperis vero mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit, quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenerit propinquae cogitationis. Et

quia perversus homo omne quod facit etiam pati metuit, atque hoc sibi ab omnibus fieri aestimat quod ipse omnibus quibus valet parat, recte sequitur:

CAPUT XIV.

VERS. 11.---*Undique terrebunt eum formidines.*

16. *Peccator pravis desideriis ad malam actionem tractus timore irretitur.*---Tales enim contra se omnes esse suspicatur, qualis ipse esse contra omnes nititur. Quae nimirum formidines quid in ejus actione faciant, subinfertur cum dicitur:

IBID.---*Et involvent pedes ejus.*

[*Vet. VII.*] Pedes quippe si involuti fuerint, gressus liberos habere non possunt, et nullum carpere iter valent, quia sua eos involumenta retinent. Prava itaque desideria ad pessimam actionem trahunt, sed pessima actio restringit in formidine. Quae videlicet formido involvit pedes, ne in rectam exire valeant actionem. Et saepe contingit ut idcirco quisque bonus esse metuat, ne hoc a pravis ipse patiatur quod se bonis fecisse reminiscitur; dumque hoc pati quod fecit metuit, undique territus, undique suspectus, quasi pedes involutos habet, qui timore irretitur, nil libere agere praevallet, quia in bono opere quasi inde gressum perdidit, unde ad mala **442** quae concupierat excessit. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 12.---*Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius.*

17. *Iniquus fame tabescit, quia nulla cibi interni refectione pascitur.*---Scripturae sacrae more, optare videtur quod futurum praevidet, scilicet non maledicentis animo, sed praedicentis. Omnis itaque homo, quia ex anima et carne consistit, quasi ex robore et infirmitate compositus est. Ex ea enim parte qua spiritus rationalis est conditus, non incongrue dicitur robustus; ex ea vero qua carnalis, infirmus est. Robur ergo est hominis anima rationalis, quae impugnantibus vitiis resistere per rationem valet. Unde et superius per beatum Job dictum est: *Roborasti eum paululum, ut in perpetuum pertransiret (Job. XIV, 20).* Ex rationali quippe anima habet homo ut in perpetuum vivat. Hujus ergo iniqui robur fame attenuatur, quia ejus anima nulla interni cibi refectione pascitur. De qua scilicet fame Deus per prophetam loquitur: *Emittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini (Amos VIII, 11).*

18. *Hinc sensus mentis deficiunt.*---Bene autem subditur: *Et inedia invadat costas illius.* Costae enim viscera constringunt, ut latentia intrinsecus earum soliditate muniantur. Costae ergo uniuscujusque sunt sensus animi, qui latentes cogitationes muniunt. Inedia igitur invadit costas, quando, omni spiritali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt, et cogitationes suas regere vel tueri non possunt. Inedia invadit iniqui costas, quia fames interna sensus mentis extenuat, ut cogitationes suas nullatenus regant. Nam dum sensus mentis obtusi fuerint, cogitationes ad exteriora prodeunt, et, quasi costis

infirmantibus, ea quae in occulto sana latere potuerant foras viscera funduntur. Unde fit ut, cogitationibus exterius sparsis, exterioris gloriae speciem deceptus appetat animus, nihilque diligat, nisi quod pulchrum foris viderit. Contra quem adhuc apte subjungitur:

CAPUT XVI [*Vet. et Rec. VIII*].

VERS. 13.---*Devoret pulchritudinem cutis ejus, et consumat brachia illius primogenita mors.*

19. *Primogenita mors est superbia quam cavere vix possunt divites.*---Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quae dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur, quia corporale opus brachiis agitur. Quid autem mors nisi peccatum est, quod ab interiore vita animam occidit? unde scriptum est: *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima* (**Apoc. XX, 6**), quia ille post in carne feliciter resurget, qui, in hac vita positus, a mentis suae morte resurrexerit. Si igitur peccatum mors, non incongrue primogenita mors superbia valet intelligi, quia scriptum est: *Initium omnis peccati superbia* (**Eccli. X, 15**). Pulchritudinem igitur cutis ejus et brachia illius primogenita mors devorat, quia iniqui gloriam vel operationem superbia supplantat. Potuit enim etiam in hac vita sine culpa gloriosus existere, si superbus minime fuisset; potuit auctoris sui iudicio quibusdam suis operibus commendari, nisi haec ipsa opera ante ejus oculos elatio supplantaret. Saepe enim quosdam

divites videmus, qui opes et gloriam habere sine culpa potuissent, si haec habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur caeteros, omnemque vitae suae fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt. Unde et quidam dives dicebat: **443** *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare (Luc. XII, 19)*. Quas eorum cogitationes dum supernus iudex aspicit, de hac ipsa eos sua fiducia evellit. Unde hic quoque apte subditur:

CAPUT XVII [*Rec. IX*].

VERS. 14.---*Evellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum quasi rex interitus.*

20. *Quos diabolus blandis persuasionibus decipit, violentis nexibus ad supplicium rapit.*---Hoc loco interitus nomine ipse hostis generis humani, qui interitum intulit, designatur; qui per suum quemdam satellitem exprimitur, de quo ad Joannem dicitur: *Nomen illi mors (Apoc. VI, 8)*. Iste itaque interitus in die exitus quasi rex super impium calcet, quia quem prius blandis persuasionibus decepit, ad extremum violentis nexibus ad supplicium rapit, tantoque eum durius deprimit, quanto in pravis actibus vehementius astringit. Qui hic quoque reprobi mentem dum possidet calcet, quia quoties eam delectationibus pressit, quasi toties super eam pedes suae tyrannicae dominationis posuit.

[*Vet. IX.*] 21. *Non peccati tentationem, sed dominationem effugere possumus.*---Si vero interitus nomine non aperte

diabolus, sed peccatum debet intelligi, ex quo contingit reprobos ad interitum trahi, talis nimirum interitus quasi rex calcat mentem, cum eam non resistantem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito tentatio deesse peccati, sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud dominanti servire. Iniquus autem quisque, quia resistere peccati suasionibus nescit, subjugari autem ejus dominio non pertimescit, recte de eo dicitur: *Calcet super eum quasi rex interitus*. Hujus quippe interitus regnum a discipulorum cordibus repellebat. Apostolus cum dicebat: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (**Rom. VI, 12**). Non enim ait: *Non sit*, sed *Non regnet*, quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest. Quia ergo cum quaelibet culpa cor iniqui pulsaverit, resistens illud non invenit, sed suo dominio substernit, dicatur recte: *Evellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum quasi rex interitus*. De terra ergo fiducia ejus evellitur, quando perversus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita paraverat, repentina morte dissipatur. Et calcat super eum quasi rex interitus, quia vel hic vitiis premitur, vel mortis suae tempore per hoc quod ad supplicia rapitur potestati daemoniacae subjugatur. Quod idcirco ita in reproborum mentibus agitur, quia et cum occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt. Et cum semper diabolus sequantur in opere, valde tamen se illi obligant in cogitatione. Prius ergo culpa in cogitatione est, postmodum vero in opere. Unde filiae Babylon dicitur: *Descende in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra* (**Isai. XLVII, 1**). Cum enim semper pulvis terra sit, non tamen terra semper est pulvis. Quid ergo per pulverem nisi cogitationes debemus accipere, quae dum importune ac silenter in mente evolant, ejus oculos excaecant?

Et quid per terram nisi terrena actio designatur? Et quia reproborum mens prius ad prava cogitanda dejicitur, et postmodum ad facienda, recte filiae Babylon, quae ab internae rectitudinis iudicio descendit, per ferientem sententiam 444 dicitur ut prius in pulvere, et post in terra sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhaesisset. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Rec. X*].

VERS. 15.---*Habitent in tabernaculo illius socii ejus, quia non est.*

22. *Satan non esse dicitur, quia bene esse amisit.*---Id est, in mente ejus apostatae angeli per cogitationes nequissimas conversentur, ejus videlicet socii, qui idcirco jam non est, quia a summa essentia recessit, et per hoc, quotidie excrescente defectu, quasi ad non esse tendit, quo semel ab eo qui vere est cecidit; qui recte quoque non esse dicitur, quia bene esse perdidit, quamvis naturae essentiam non amisit. [*Vet. X.*] Adhuc tamen easdem iniqui cogitationes subtilius exprimens subjungit, dicens:

CAPUT XIX.

IBID.---*Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.*

23. *Peccata carnis sulphuri fetenti et ardenti recte comparantur.*---Sulphur quid aliud quam fomentum ignis est? Quod tamen sic ignem nutrit, ut fetorem gravissimum exhalet. Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? Quod dum perversis cogitationibus quasi quibusdam fetoribus mentem replet, aeterna ei incendia praeparat; et dum fetoris sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat. Nam quia per sulphur fetor carnis accipitur, ipsa sacri eloquii historia testatur, quae contra Sodomam ignem ac sulphur pluisse Dominum narrat (**Genes. XIX, 24**). Qui cum carnis ejus scelera punire decrevisset, in ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fetorem habet, ignis ardorem. Quia itaque ad perversa desideria ex carnis fetore arserant, dignum fuit ut simul igne et sulphure perirent, quatenus ex justa poena discerent ex injusto desiderio quid fecissent. Hoc ergo in tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quoties perversa carnis delectatio in ejus mente dominatur. Quem quia indesinenter pravae cogitationes possident, eumque ferre boni operis fructum vetant, recte subjungitur:

CAPUT XX.

VERS. 16.---*Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.*

24. *Iniquorum ariditas et streilitas.*---Quid namque radicum nomine, quae in occulto sitae sunt, et germen in apertum ferunt, nisi cogitationes accipimus, quae dum non videntur in

corde, visibilia opera producant? Unde et messis nomine eadem aperta operatio signatur quae videlicet ex latenti radice producitur. Et quia omnis iniquus prius in cogitationibus tentationum arescit, et postea a bonis actibus deficit, recte per Baldad dicitur: *Deorsum radices ejus siccantur, sursum autem atteratur messis ejus*. Quia dum pravus quisque cogitationes suas in infimis rebus ponit et sempiternae viriditatis gaudia appetere negligit, quid aliud quam radices suas deorsum siccari permittit? Cujus sursum messis atteritur, quia omnis ejus operatio a superno judicio quasi nihilum deputatur, etiam si ante humanos oculos bona videatur. In imo itaque radices sunt, et superius messis, quia hic prius bonas cogitationes mittimus, ut quandoque bonorum operum fructum percipere in aeterna retributione mereamur. Sed iniquus quisque, cum **445** bonas cogitationes deserit, et ad ea quae sunt exterius semetipsum fundit, deorsum siccantur radices ejus. Sursum vero messis ejus atteritur, quia qui hic sterilis persistit, post hanc vitam ad nulla praemia vocatur. Sequitur:

CAPUT XXI [*Vet. et Rec. XI*].

VERS. 17.---*Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis.*

25. *Antichristi et iniquorum omnium quam brevis gloria.*---
Intuendum est nobis quia sic Baldad Suhites de unoquoque iniquo loquitur ut latenter ad caput omnium iniquorum ejus verba vertantur. Caput quippe iniquorum diabolus est. Ipse

quippe, in ultimis temporibus, illud vas perditionis ingressus, Antichristus vocabitur, qui nomen suum longe lateque diffundere conabitur, quod nunc unusquisque imitatur cum de memoria terreni nominis gloriam laudis suae extendere nititur, atque opinione transitoria laetatur. Sic ergo haec verba intelligantur de unoquoque iniquo, ut referri quoque debeant ad ipsum specialiter caput iniquorum. Dicat itaque: *Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis*. Plateae quippe appellatione graeca a latitudine sunt vocatae. Memoriam vero suam in terra statuere Antichristus conatur, cum in terrena gloria appetit, si esset possibile, in perpetuum permanere. Nomen suum in plateis celebrari gaudet, cum longe lateque operationem suae iniquitatis extendit. Sed quia diu haec ejus iniquitas non sinitur extolli, dicatur: *Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis*; id est, et citius laudem terrenae potestatis amittat, et omne gaudium sui nominis perdat, quod longe lateque in brevi temporis prosperitate diffuderat. Sequitur:

CAPUT XXII.

VERS. 18.---*Expellet eum de luce in tenebras.*

26. *Iniquorum gloriam supplicium aeternum excipit.* ---De luce ad tenebras ducitur cum de honore vitae praesentis ad supplicia aeterna damnatur. Unde et apertius subditur:

IBID.---*Et de orbe transferet eum.*

De orbe quippe transfertur cum, superno apparente iudice, de hoc mundo tollitur, in quo perverse gloriatur. Qui pro eo quod cum omnibus sequacibus suis, fine mundi interveniente, damnatur, recte subjungitur:

VERS. 19.---*Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullae reliquiae in regionibus ejus.*

Scriptum quippe est, quia *Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (II Thess. II, 8)*. Dum ergo ejus iniquitas cum mundi statu terminatur, progenies ejus in populo suo non relinquetur, quia et ipse et ejus populus cum ea ad supplicium pariter urgetur, et omnes iniqui, qui de ejus perversa persuasione in pravis actionibus nati sunt, illustratione adventus Domini aeterno interitu cum eodem suo capite ferientur. Ac nulla ejus progenies in mundo remanet, quia districtus iudex iniquitates illius cum ipso mundi fine concludit. Quod vero haec aperte de Antichristo intelligi debeant, demonstratur cum subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XII*].

VERS. 20.---*In diebus ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror.*

27. *Antichristi saeva persecutio. Tunc sanctis aderit et constantia ex virtute, et pavor ex carne.*---Tanta enim tunc contra justos iniquitate effrenabitur, ut etiam electorum corda non parvo pavore 446 feriantur. Unde scriptum est: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Matth.*

XXIV, 24). Quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sunt, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc vero contra eum certamen justitiae, et novissimi electi habere narrantur et primi, quia scilicet et hi qui in fine mundi electi reperientur in morte carnis prosternendi sunt, et illi etiam qui a prioribus mundi partibus processerunt, Enoch scilicet et Elias, ad medium revocabuntur, et crudelitatis ejus saevitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Hujus vires in tanta potestate laxatas novissimi obstupescunt, et primi metuunt, quia licet juxta hoc quod spiritu superbiae sublevatur, omnem temporalem ejus potestatem despiciunt, juxta hoc tamen quod ipsi adhuc in carne mortali sunt, in qua cruciari temporaliter possunt, ipsa quae fortiter tolerant supplicia perhorrescunt; ita ut in eis uno eodemque tempore et constantia ex virtute sit, et pavor ex carne, quia etsi electi sunt, ut tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quod homines sunt, et ipsa metuunt tormenta quae vincunt. Dicatur ergo: *In diebus ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror*, quia videlicet tanta tunc signa monstraturus, et crudelia ac dura facturus est, ut ad stuporem perducatur quos in fine mundi invenerit, et priores patres qui in ejus expugnationem servati sunt carnalis mortis dolore transfigat. Igitur quia de iniquis omnibus, vel de ipso iniquorum capite multa narravit, generali mox definitione subjungit:

CAPUT XXIV.

VERS. 21.---*Haec sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.*

28. *Antichristi locus tenebrae sunt, in quas cum iniquis omnibus detrudetur.*---Superius enim dixerat: *Expellet eum de luce ad tenebras, et de orbe transferet eum.* Cujus cum mala subjungeret, adjunxit: *Haec sunt tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum,* videlicet indicans quia is qui nunc Deum ignorando extollitur, tunc ad propria tabernacula pervenit, quando eum sua iniquitas in supplicia demergit; et locum suum quandoque invenit tenebras, qui dum hic de falsa gauderet luce justitiae, locum tenebat alienum. Perversi enim in omne quod per simulationem faciunt nomen gloriae justorum quasi locum occupare alienum nituntur. Sed ad locum suum tunc perveniunt, cum iniquitatis suae merito perpetuo igne cruciantur. Hic namque per omne quod agunt percipiendae laudis desiderio serviunt, et per imaginem bonorum operum sinum mentis ad avaritiam extendunt. Eat igitur nunc iniquus, et, multis apparatus tumidus, sua hic habitacula construat, nomen gloriae extendat, rura multiplicet, seque abundantibus opibus delectet; cum vero ad supplicia aeterna pervenerit, profecto cognoscet quia haec sunt tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum. Recte vero haec Baldad dixerat, sed cui diceret ignorabat. Vehementer autem justi cor affligitur, quando contra illum sententiae ex injusta aestimatione proferuntur. Unde beatus Job protinus respondit, dicens:

CAPUT XXV [*Vet. XIII, Rec. XII*].

CAP. XIX, VERS. 2.---*Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus?*

447 29. *Quid a malis patiantur justi.*---Sancti viri eloquia, ut saepe jam diximus, aliquando ex persona propria, aliquando vero ex voce capitis, aliquando autem ex typo sunt universalis Ecclesiae sentienda. Valde vero affligitur anima justorum quando illi contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene vivere ignorant; et ex voce sibi justitiam vindicant, quam moribus impugnant. Unde amicis beati Job, ut saepe jam diximus, haereticorum typum tenentibus, recte ab eodem respondetur: *Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus?* Atteruntur enim boni sermonibus iniquorum, quando contra eos illi in verbis tument, qui aut in perversa fide, aut in pravis moribus jacent. Sequitur:

CAPUT XXVI.

VERS. 3.---*En, decies confunditis me.*

30. *Sive sileant justi, sive loquantur, malos semper experiuntur adversarios.*---Numeratis vicibus locutionum amicorum Job, adhuc nisi quinques locutos eos cognoscimus. Sed propter hoc quod ab eis quinques increpationes audierat, quorum increpationibus quinques ipse respondit, decies se perhibet esse confusum, quia et in eo graviter laboravit quod frustra increpatus est, et in eo confusionem pertulit quod verba doctrinae non audientibus dixit. Itaque et cum audiens taceret, et cum loquens non audiretur, ipse laborem pertulit, qui et tacendo patienter, et eis loquendo inutiliter, cordis dolorem sensit. Unde et superius dicit: *Quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus;*

et si tacuero, non recedet a me (Job. XVI, 7). Sin vero ad typum sanctae Ecclesiae haec verba referimus, liquet quod magnum ejus est gaudium servare Decalogi praecepta. Sed hanc perversi decies confundunt, quia per omne quod peccant pravis suis moribus Decalogi praecepta relinquunt, et toties bonis confusionem faciunt, quoties in suis actibus divinis vocibus obsistunt. Sequitur:

CAPUT XXVII.

IBID.---*Et non erubescitis opprimentes me.*

31. *Hostes Ecclesiae nec timore Dei, nec hominum pudore refrenantur.*---Sunt nonnulli quos ad perpetrandam nequitiam oborta subito malitia invitat, sed tamen humana verecundia revocat. Et plerumque per hoc quod exterius erubescunt, ad interiora sua redeunt, et contra se internum judicium sumunt, quia si propter hominem mala facere metuunt, quanto magis propter Deum, qui cuncta inspicit, nec appetere mala debuerunt? In quibus fit ut mala majora corrigant per bona minima, scilicet per exteriorem verecundiam interiorem culpam. Et sunt quidam qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt, atque omne malum quod appetunt, audacter peragere non erubescunt. Quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas invitat, et nulla aperta verecundia retardat; sicut et de quodam iniquo iudice dicitur: *Deum non timebat, et hominem non verebatur (Luc. XVIII, 2).* Hinc est etiam quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est: *Et*

peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt (Isai. III, 9). Plerumque ergo tales sunt adversarii sanctae Ecclesiae, qui a perpetrandis malis nec timore Domini, nec hominum pudore refrenantur. Quibus bene per beatum Job dicitur: *Et non erubescitis opprimentes me*, quia etsi pravum fuit mala voluisse, pejus est male appetita non erubescere. Sequitur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 4.---*Nempe et si ignoravi, mecum erit ignorantia mea.*

448 32. *Ecclesiae humilitati haeretici arrogantiam opponunt.*---Habent hoc haeretici proprium, ut de inani scientiae suae arrogantia inflentur, et recte credentium simplicitatem saepe derideant, et nullius esse meriti vitam humilium ducant. [*Vet. XIV.*] At contra sancta Ecclesia in omne quod veraciter sapit sensum suum humiliter deprimit, ne scientia infletur, ne in requisitione occultorum tumeat, et perscrutari aliqua quae ultra vires sunt illius praesumat. Utilius etenim studet nescire quae perscrutari non valet quam audacter definire quae nescit. Scriptum quippe est: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria (Prov. XXV, 27).* Dulcedo etenim mellis, si plus quam necesse est sumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque est requisitio majestatis; sed qui plus hanc scrutari appetit quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc ejus gloria opprimit, quia velut immoderate mel sumptum, perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit. Nobiscum vero esse dicitur, quod

pro nobis est; et rursum non nobiscum esse dicitur quod contra nos est (**Luc. XI, 13**). Quia ergo scientia sua haeretici cor inflat, fideles autem cognitio ignorantiae suae humiliat, dicat beatus Job voce sua, dicat etiam confessione universalis Ecclesiae: *Nempe et si ignoravi, mecum erit ignorantia mea*. Ac si aperte haeticis dicatur: Omnis vestra scientia vobiscum non est, quia contra vos est, dum stulta elatione vos erigit. Mea vero ignorantia mecum est, quia pro me est; quoniam dum perscrutari de Deo aliquid superbe non audeo, in veritate me humiliter servo. Et quia haec ipsa haeretici quae scire quaerunt ad usum solius elationis arripiunt, ut contra fideles et humiles docti videantur, recte subjungitur:

CAPUT XXIX [*Rec. XIII*].

VERS. 5.---*At vos contra me erigimini.*

33. *Ordo postulat ut primum contra nos, et postmodum contra malos erigamur. Hanc correctionis rationem ignorant mali.--*
-Sed haec fortasse melius verba perpendimus, si ipsis specialiter amicis beati Job quemadmodum congruant demonstramus. Ipsi etenim percussum justum videntes, ad sua intima redire debuerunt, et nequaquam beatum Job verbis increpationis premere, sed se deflere, quia si sic percussus fuerat qui ita serviebat, qua ultione feriri merebantur qui non ita servierant? Quibus bene dicitur: *At vos contra me erigimini*. Ac si eis apertius dicatur: Qui erigi contra vosmetipsos ex mea percussione debuistis [*Vet. XV*]. Ordo

quippe erectionis in bono iste est, ut primum contra nos et postmodum contra malos erigamur. Nam qui contra bonos erigitur per superbiam inflatur. Contra nosmetipsos enim erigimur quando, mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos poenitentiae ultione ferimus, quando nequaquam nobis in peccatis parcimus, et nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur. Qui si districte prius nostra in nobis mala insequimur, justum quoque est ut etiam contra aliena mala utiliter erigamur; et ea quae in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus.

34. Sed hanc erectionem mali nesciunt, quia se relinquunt, et bonos impetunt. Sibi se intra conscientiam suam mollitie blandae adulationis inclinant, et contra bonorum vitam distractione asperitatis eriguntur. Unde amicis beati Job in ejus flagello tumentibus recte nunc dicitur: *At vos contra me 449 erigimini*; id est, vosmetipsos redarguendos relinquitis, et me districtis sententiis increpatis. Qui enim semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiae propriae nullam judicii regulam praebeat. Hinc est enim quod insidiantibus quibusquam, et puniendam adulteram deducantibus dicitur (**Joan. VIII, 7**). *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat (3, q. 7, cap. 3)*. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, et sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant. Hinc est quod cum tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israel ulcisci iniquitatem voluit, sed tamen semel et iterum in belli

certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad ulciscendum ire debuissent, jussum est. Qui juxta divinae vocis imperium perrexit, et semel et secundo cecidit, et tunc demum peccatricem tribum valde feriens pene funditus exstinxit. Quid est quod in ultionem sceleris inflammatur, et tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt per quos aliorum culpaeferuntur, ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant? Unde necesse est ut cum contra nos ultio divini examinis cessat, nostra se conscientia ipsa reprehendat, atque ad lamenta poenitentiae ipsa se contra semetipsam erigat, nec contra bonos elata et sibi humilis, sed contra se rigida sit, bonis vero omnibus submissa [*Vet. XVI*]. Superbis ergo corripientibus recte nunc dicitur: *At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis*. Omnes elati grave esse opprobrium deputant mala temporalia; et tanto unumquemque esse a Deo despectum credunt, quanto hunc afflictum percussione flagello conspiciunt. Nil etenim in moribus, nil in actibus quaerunt; sed quoslibet in hac vita percussos viderint, esse jam divino judicio damnatos arbitrantur. Unde bene nunc beati Job voce dicitur:

CAPUT XXX.

IBID.---*Et arguitis me opprobriis meis*.

35. *Falsa reproborum de justorum flagellis judicia*. ---Quia hi qui eum justum ante flagella noverant, injustum esse ex ipsa jam sua percussione judicabant. Unde et saepe haeretici, quia

affligi quosdam intra sanctam Ecclesiam vident, scriptum quippe de Deo est: *Flagellat omnem filium quem recipit* (**Hebr. XII, 6**), tribulationes fidelium non nisi ex peccato esse suspicantur, seque ideo justos credunt, quia, in pravitatis suae sensu dimissi, sine flagello duruerunt. Sequitur:

CAPUT XXXI [*Rec. XIV*].

VERS. 6.---*Saltem nunc intelligite quia Deus non aequo judicio afflixerit me.*

36. *Quaedam Scripturae sacrae verba prava censentur, quia ad interiorum sui intelligentiam non exiguntur.*---O quam durum sonat vox justi verberibus afflicti; quam tamen non elatio, sed dolor expressit! Sed justus non est qui justitiam in dolore deserit. Beatus autem Job, quia mite cor habuit, nec in dura voce peccavit. Nam si hunc peccasse in hac voce dicimus, implere diabolum astruimus quod proposuit, dicens: *Tange os ejus et carnem, si non in faciem benedixerit tibi* (**Job. II, 5**). Gravis itaque quaestio oritur. Si etenim non peccavit in eo quod dicit: *Saltem nunc intelligite, quia Deus non aequo judicio afflixerit me*, Deum (quod dici nefas est) injuste aliquid egisse consentimus. Si vero **450** peccavit, diabolus de illo quod promisit exhibuit. Astruendum est igitur quia et Deus recte circa beatum Job egerit, et tamen beatus Job ex eo quod dicit se non justo Dei judicio afflictum mentitus non sit, et antiquus hostis in eo quod de beati viri promiserat culpa mentitus sit. Nonnunquam namque ideo prava creduntur

verba bonorum, quia interiori sua intelligentia minime pensantur. Beatus enim Job vitam suam attenderat, et ea quae patiebatur flagella pensabat, et videbat aequum non esse ut ad talem vitam talia flagella reciperet. Et cum dicit non aequo se iudicio afflictum, hoc libera voce locutus est, quod in secreto suo Dominus de illo adversario ejus dixerat: *Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra (Ibid., 3)*. Quod enim dicit Deus, quia frustra beatum Job afflixerit, hoc rursum beatus Job asserit, quia non aequo iudicio a Domino sit afflictus. In quo itaque peccavit qui a sententia auctoris sui in nullo discrepavit.

[*Vet. XVII.*] 37. *Bona de se dicere, modo vera sint, aliquando licet. Quod exemplo Pauli et Job confirmatur.*---Sed fortasse aliquis dicat id nos de nobis bonum dicere quod de nobis in occulto iudex dixerit sine peccato esse non posse. Nam quem justus iudex laudat, esse hunc jure laudabilem non dubitatur. Ad vero si se ipse laudaverit, jam ejus justitia laude digna esse non creditur. Quod videlicet recte dicitur, si quod iudex justus per aequam sententiam perhibet, hoc de se is de quo agitur, praesumat post dicere per elatam mentem. Nam si ipse quoque in humili cogitatione permanens, exigente causa vel dolore, bona de se veracia dixerit, in tantum à justitia non recessit, in quantum à veritate nullo modo discrepavit.

38. Unde Paulus quoque apostolus multa de se fortia pro discipulorum suorum aedificatione narravit; sed haec narrando minime deliquit, quia a veritatis tramite et attestatione certa et corde humili non recessit. Justam itaque beatus Job vitam suam sentiens, dicat non se esse justo iudicio afflictum. Nec peccat in hac voce in qua non discrepat ab auctore, quia is quem Deus frustra percussit, ipse quoque

semetipsum asserit non justo iudicio afflictum. Sed rursus alia quaestio oritur quam jam in huius operis memini exordio solutam (**Lib. III, cap. et num. 3**), cum omnipotens Deus frustra nil faciat, cur beatum Job frustra se afflixisse testetur? Justus enim conditor noster tot verberibus in beatum Job, non vitia illius curavit extinguere, sed merita augere. Aequum ergo fuit quod fecit per augmentum boni meriti; non tamen videbatur aequum, quod causas credebatur punire peccati. Beatus autem Job peccata sua illis flagellis deleri credidit, non merita augeri; et idcirco non aequum iudicium vocat, quia vitam suam cum flagellis examinat. Ergo si vita et flagella pensantur, non aequum fuit quod beatus Job, sicut dixi, per iram districtiois sibi fieri credidit. Si vero misericordia iudicis attenditur, quia per poenam iusti viri vitae ejus merita cumulantur, aequum vel potius misericors iudicium fuit. Igitur et vera Job dixit, dum vitam cum flagello pensavit; et Deus non injusto iudicio Job afflixit, quia merita ex flagello cumulavit; et diabolus quod promiserat non implevit, quia beatus Job inter verba quae durum sonant et a vera sententia et a mente humili non recessit. Sed haec afflictivi verba minus fortasse intelligimus, nisi sententiam iudicis cognoscamus. Qui **451** cum inter utrasque partes sententiam daret, dicit amicis Job: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job* (**Job. XLII, 8**). Quis ergo stulta mente beatum Job in locutione sua peccasse fateatur, dum ipsa voce iudicis recte locutus asseritur? Quam quidem vocem si ad personam sanctae Ecclesiae referamus, infirmis ejus membris non incongrue aptamus quae, persecutionis ejus tempore, dum et merita illius et flagella considerant, quia injustos florere conspiciunt, et justos interire, hoc justum esse nullatenus suspicantur. Bene autem beati viri voce subditur:

CAPUT XXXII [*Vet. XVIII*].

IBID.---*Et flagellis suis me cinxerit.*

39. *Infirma Ecclesiae membra ex assiduis flagellis turbantur.* --Aliud quippe est flagellis percuti, aliud cingi. Flagellis namque percutimur cum consolationem et in doloribus ex rebus aliis habemus. Nam cum tanta nos afflictio depremat, ut ex nullius rei consolatione respirare animus possit, non jam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur, quia tribulationum verbera ex omni parte circumdamur. Cinctus enim flagellis Paulus fuerat, cum dicebat: *Foris pugnae, intus timores (II Cor. VII, 5)*. Cinctus flagellis fuerat, cum dicebat: *Periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine (II Cor. XI, 26)*, et caetera, quae ita enumerat, ut nusquam se habuisse requiem ostendat. Sancta vero Ecclesia cum tribulationum suarum flagellis cingitur, in ea infirmi quique in pusillanimitatis casu rediguntur, ita ut se eo jam despectos existiment, quo exaudiri se tardius vident. Recte adhuc etiam ex eorum typo sancti viri voce subjungitur:

CAPUT XXXIII.

VERS. 7.---*Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet; vociferabor, et non est qui iudicet.*

40. *Dolentium querelas dissimulat Deus, ut utilitatem augeat.*---Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per poenam, et quietis tranquillitas, quae hic inveniri non valet, alibi quaeratur. Sed hanc dispensationis gratiam nonnulli etiam fidelium ignorant. Ex quorum etiam persona nunc dicitur: *Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet; vociferabor, et non est qui judicet.* Non est enim qui judicet dicitur quando judicare dissimulat ipse qui est, quia causam nostram contra adversarium, praeter eum, qui judicet non est. Nec tamen hoc sine iudicio est, quod iudicium differtur, quia cum haec beatus Job diceret, et sancti viri merita, et adversarii poena crescebat. Hoc ipsum ergo iudicium differre iudicis est. Sed aliud est quod iuste intrinsecus disponit Deus, aliud quod foris flagellis attritus expetit animus. Unde adhuc de ipsa verberum depressione subjungit:

CAPUT XXXIV [*Rec. XV*].

VERS. 8.---*Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit.*

41. *Ex ignorantia et infirmitate peccantibus adest Deus illuminatio et salus nostra.*---Circumseptam verberibus semitam suam vidit cum, transire ad securitatem cupiens, evadere flagella non potuit. Et quia se percuti aspexit, nec tamen percussione dignam vitam in semetipso reperit, quasi in calle cordis ignorantiae suae tenebras invenit, qui cur ita

flagellaretur penetrare non potuit. Quod ad infirma quoque membra sanctae Ecclesiae non incongrue refertur, quando per hoc quod prave se egisse meminerunt, a **452** bono quoque opere retardantur; et ex infirmitate propria timidi, bona contra haec fortia aggredi non praesumunt. Timent enim magna bona incipere, qui se in suis actibus infirmos esse meminerunt. Et cum plerumque etiam bonum quod eligant nesciunt, quasi in calle suo positas tenebras perhorrescunt. Nam saepe ita de suo opere fit animus incertus, ut ignoret omnino quid virtus, quid culpa sit. In calle ergo suo tenebras invenit, qui in his quae agere appetit quid eligere debeat nescit. [*Vet. XIX.*] Quia igitur saepe infirmitate, nonnunquam vero ignorantia peccatur, ex infirmantibus membris dicitur: *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum.* Ex eis vero quid ad ipsum opus bonum quod eligant caligant subditur: *Et in calle meo tenebras posuit.* Ex poena etenim culpae est videre bonum quod agere debeat, et tamen implere non posse, et rursum ex graviore poena culpae est quod agere debeat nec videre. Unde et contra haec utraque Psalmistae voce dicitur: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo (Psal. XXVI, 1)?* Contra ignorantiae enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando et ostendit quid debeat ad agendum appeti, et vires praebet ut quod ostenderit possit impleri. Sequitur:

CAPUT XXXV [*Rec. XVI.*]

VERS. 9.---*Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.*

42. *Infirma Ecclesiae membra aliquando justitia spoliantur ad tempus.*---Quod cuncta haec beati viri in afflictione positi personae conveniant, dubium non est. Sed quia historiae verba patent, juxta litteram expositione non indigent. Oportet ergo ut per sensus debeant mysticos investigari. Ait namque: *Spoliavit me gloria mea.* Gloria quippe uniuscujusque justitia est. Sicut vero vestimentum tegit a frigore, ita justitia munit a morte. Unde non immerito justitia vestimento comparatur, cum per Prophetam dicitur: *Sacerdotes tui induantur justitia* (**Psal. CXXXI, 9**). Quia vero afflictionis suae tempore hoc justitiae vestimentum, quod apud Deum protegit, sancta Ecclesia in membris suis infirmantibus amittit, dicatur recte: *Spoliavit me gloria mea*; id est, justitia ab infirmis ablata est, quae ab eis auferri non posset si medullitus inhaesisset; sed idcirco tolli potuit, quia more vestimenti exterius adhaesit. Qua in re quaerendum est quomodo sanctae Ecclesiae membra dici valeant qui potuerunt justitiam perdere, quam tenere videbantur. Sed sciendum est quod plerumque a membris ejus infirmantibus justitia ad tempus amittitur; sed cum per cognitionem culpae postmodum ad poenitentiam redeunt, sese ad eandem justitiam quam perdiderant fortius quam credebatur astringunt. Ubi adhuc subditur: *Et abstulit coronam de capite meo.* Sicut caput corporis prima pars est, ita principale interioris hominis mens est. Corona vero victoriae praemium est, quod desuper potitur, ut qui certaverit remuneretur. Quia ergo multi adversitatibus pressi minime in certamine perdurant, in eis sancta Ecclesia quasi coronam de capite amittit. Corona quippe in capite est superna remuneratio in mente. Et sunt plerique qui, dum adversitatibus affliguntur, superna praemia cogitare negligunt, et ad perfectionem

victoriae pervenire non possunt. In his itaque corona de capite aufertur, quia **453** supernum et spiritale praemium de mentis cogitatione tollitur, ut exteriora jam tranquilla appetant, et aeterna praemia, quia cogitare consueverant, non requirant.

43. *Corona de capite Ecclesiae aufertur, cum praelati bona spiritualia negligunt.*---Vel certe caput fidelium non immerito sacerdotes accipiuntur, quia pars membrorum Domini prima sunt. Unde et per prophetam caput et cauda exterminari dicitur, ubi videlicet et capitis nomine sacerdotes, et caudae appellatione prophetae reprobi designantur. Corona ergo de capite aufertur cum supernae remunerationis praemia etiam ipsi deserunt qui in hoc Ecclesiae corpore praeesse videbantur. Et plerumque ducibus cadentibus, latius succumbit exercitus qui sequebatur. Unde mox post damna majorum de multimoda labefactione Ecclesiae subsecutus adjunxit:

CAPUT XXXVI [*Vet. XX*].

VERS. 10.---*Destruxit me undique, et pereo, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam.*

44. *Praepositis corruentibus infirmi cadunt.*---Quasi undique enim Ecclesia destruitur, atque in infirmis membris deperit, quando ipsa quae videbantur fortia corruunt, quando corona de capite abstrahitur, id est quando aeterna praemia etiam a praepositis negliguntur. Bene autem de infirmis cadentibus subditur: *Et quasi avulsae arbori abstulit spem meam.* Arbor

quippe vento impellitur ut cadat. Et quem minae terrent, ut ad injustitiam corruat, quid aliud quam arbor flatum venti pertulit, et statum suae rectitudinis amisit? Quasi enim ex vento spem perdidit, qui, pravorum minis ac persuasionibus devictus, aeterna quae sperabat praemia reliquit. Et quia plerumque contingit ut poenas quis metuens justitiam deserat, fit, judicante Deo, ut etiam justitiam deserens poenas quas timuit non evadat, et qui mentis interitum minime timuit, etiam carnis mala toleret, quae timebat. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXXVII [*Rec. XVII*].

VERS. 11.---*Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum.*

45. *Quosdam ferit Deus tanquam filios, alios tanquam hostes.*---Praedicatore quippe egregio attestante dicimus quia fidelis est Deus, et non patietur nos tentari supra id quod possumus ferre, sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere (**I Cor. X, 13**). Per prophetam quoque Dominus dicit: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (**Jerem. XXX, 14**). Qui ergo ita percutitur, ut vires illius a percussione superentur, non hunc Dominus jam quasi filium per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. Cum ergo virtutem nostrae patientiae flagella transeunt, valde metuendum est ne, peccatis nostris exigentibus, non jam quasi filii a patre, sed quasi hostes a Domino feriamur. Et quia fit plerumque ut etiam maligni spiritus afflictorum cordibus

multa suadeant, atque inter flagella quae exterius feriunt cogitationes noxias in mentibus fundant, post furorem Domini recte subjungitur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XVIII*].

VERS. 12.---*Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me.*

46. *Afflictos maligni spiritus irrumpentes obsident. In eis voluntas injuste est, et potestas justa.*---Latrones namque ejus maligni sunt spiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur. Quia viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, quando inter adversa quae exterius tolerantur cogitationes quoque pravas immittere non desistunt. De quibus adhuc dicitur:

Et obsederunt in gyro tabernaculum meum.

In gyro enim tabernaculum obsident quando **454** ex omni latere suis tentationibus mentem cingunt. Quam modo lugere de temporalibus, modo desperare de aeternis, modo in impatientiam ruere, atque in Deum blasphemiae verba jaculari, pessima suggestionem persuadent. Quae tamen verba, ut jam praediximus, beato Job etiam juxta historiam congruunt, qui dum mala quae pertulit ante oculos congescit, non quasi corrigendum filium, sed quasi hostem percussum se esse judicavit. Per quem sibi etiam latrones ejus viam fecerunt, quia maligni contra eum spiritus licentiam percussione acceperunt. Cujus in gyro tabernaculum

obsederunt, quia, sublati rebus et filiis, etiam corpus ejus omne vulneribus attriverunt. [*Vet. XXI.*] Sed mirum valde est, cum latrones diceret, cur addidit *ejus*? ut videlicet eosdem latrones Dei esse monstraret. Qua in re si voluntas ac potestas malignorum spirituum discernatur, cur latrones Dei dicantur aperitur. Maligni quippe spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant; sed cum pravam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat. Et cum ipsi quidem injuste nos laedere appetunt, quemlibet tamen laedere, non nisi juste a Domino permittuntur. Quia ergo in eis voluntas injusta est, et potestas justa, et latrones dicuntur, et Dei, ut ex ipsis sit quod inferre mala injuste desiderant, et ex Deo, quod desiderata juste consummant. Sed quia, ut saepe jam diximus, sanctus vir positus in dolore poenarum, modo suis, modo Ecclesiae, modo Redemptoris nostri vocibus utitur, et plerumque sic sua narrat, ut tamen per typum ea quae sunt sanctae Ecclesiae ac Redemptoris nostri proferat, postposita paulisper cura historiae, in his quae subjungit qualiter Redemptoris nostri vocibus congruat demonstramus. Sequitur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XIX*].

VERS. 13, 14.---*Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei.*

ALLEGORICUS SENSUS.---47. *Judaei Christi fratres, noti et propinqui, quem incarnandum praedixerant, incarnatum negarunt.*---Hoc melius ostendimus, si Joannis ad medium testimonium proferamus, qui ait: *In propria venit, et sui eum non receperunt (Joan. I, 11).* Ab eo quippe fratres longe facti sunt, et noti recesserunt, quem tenentes legem prophetare Hebraei noverunt, et praesentem minime recognoscebant. Unde recte dicitur: *Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei.* Judaei etenim propinqui per carnem, noti per legis instructionem, quasi obliti sunt quem prophetaverant, dum eum et incarnandum verbis legis canerent, et incarnatum verbis perfidia negarent. Sequitur:

CAPUT XL.

VERS. 15.---*Inquilini domus meae et ancillae sicut alienum habuerunt me.*

48. *A sacerdotibus et levitis pro alieno habitus fuit Christus.*---*Inquilini domus Dei fuerunt sacerdotes, quorum origo in Dei servitio deputata jam per officium in conditione tenebatur. Ancillae autem non immerito intelliguntur Levitarum animae, ad secreta tabernaculi, quasi ad interiora cubiculi, familiariter servientes. Dicat ergo de sacerdotibus sedula cura servientibus, dicat de Levitis ad interiora domus Dei obsequentibus: Inquilini domus meae et ancillae sicut alienum habuerunt me, quia incarnatum Dominum, quem dudum per legis verba praedixerant, cognoscere ac venerari*

noluerunt. **455** Qui adhuc apertius quod ab eorum perversa voluntate non sit cognitus manifestat cum subdit:

CAPUT XLI.

IBID.---*Et quasi peregrinus fui in oculis eorum.*

49. *Christus in propria domo peregrinus.*---Redemptor etenim noster, dum a synagoga cognitus non est, in domo sua quasi peregrinus exstitit. Quod aperte propheta testatur, dicens: *Quare sicut colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum (Jerem. XIV, 8)?* Quia enim ut Dominus auditus non est, non possessor agri, sed colonus est creditus. Qui quasi viator ad manendum tantummodo declinavit, quia paucos ex Judaea abstulit, et ad vocationem gentium pergens, iter coeptum peregit. Peregrinus ergo in eorum oculis fuit, quia dum sola quae videre poterant cogitabant, non valuerunt intelligere in Domino quod videre non poterant. Dum enim despiciunt carnem visibilem, non pervenerunt ad invisibilem majestatem. Dicatur igitur recte: *Et quasi peregrinus fui in oculis eorum.* De quo adhuc populo apte subjungitur:

CAPUT XLII.

VERS. 16.---*Servum meum vocavi, et non respondit.*

50. *Christus a suo servo, nimirum a Judaico populo contemptus.*---Quid enim Judaicus populus nisi servus fuit, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili? Quo contra nobis per Paulum dicitur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater (Rom. VIII, 15).* Hunc igitur servum vocavit Dominus, quia, collatis muneribus, quasi emissis eum vocibus ad se ducere studuit. Sed non respondit, quia digna opera donis ejus reddere contempsit. Vocat enim nos Deus cum muneribus praevenit, respondemus vero vocationi ejus cum digne juxta percepta munera deservimus. Quia ergo tot muneribus Judaicum populum praevenit, dicat: *Servum meum vocavi.* Sed quia etiam post tot munera eum contempsit, subjungat: *Et non respondit.* Sequitur:

CAPUT XLIII (*Vet. XXII, Rec. XX*).

IBID.---*Ore proprio deprecabar illum.*

51. *Christus jussis reluctantem deprecatus est, nec exauditus.*---Ac si apertius diceret: Ego ille qui ante incarnationem meam tot ei praecepta facienda per prophetarum ora mandaveram, incarnatus ad eum veniens, ore eum proprio deprecabar. Unde et Matthaeus, cum praecepta ab eo dari in monte describeret, ait: *Aperiens os suum, dixit (Matth. V, 2).* Ac si patenter dicat: Tunc os suum aperuit, qui prius aperuerat ora prophetarum. Hinc est etiam quod de illo a sponsa praesentiam ejus desiderante dicitur: *Osculetur me osculis oris sui (Cant. I, 1).* Sancta

quippe Ecclesia quot praecepta ex ejus praedicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. Bene autem dicitur: *Deprecabar*, quia in carne monstratus, dum mandata vitae humiliter dixit, quasi superbientem servum, ut veniret, rogavit. Ubi et apte subditur:

CAPUT XLIV (*Rec. XXI*).

VERS. 17.---*Halitum meum exhorruit uxor mea.*

52. *Christum exhorruit sponsa synagoga.*---Quid uxor Domini nisi Synagoga accipitur, in legis foedere carnali ei intelligentia subjecta? Halitus vero ex carne est. Sed infidelis populus carnem Domini carnaliter intellexit, quia purum hunc hominem credidit. Halitum ergo ejus uxor exhorruit, quia Synagoga eum quem videbat hominem Deum credere expavit. Cumque ab ejus ore verba corporaliter audiret, in eo intelligere divinitatis arcana **456** recusavit, et Creatorem esse non credidit quem creatum vidit. Carnis ergo halitum carnalis uxor exhorruit, quia, carnalibus sensibus dedita, incarnationis ejus mysterium non agnovit. Sequitur:

CAPUT XLV (*Rec. XXII*).

IBID.---*Et orabam filios uteri mei.*

53. *Qui Deus membra corporea habere dicatur.*---In Deo, qui corporis forma non circumscribitur, membra corporis, id est manus, oculus, uterus ita nominantur, ut ex membrorum vocabulis effectus ejus potentiae designentur. Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt; manus habere describitur, quia cuncta operatur; in utero autem proles concipitur, quae in hac vita profertur. Quid ergo uterum Dei nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante saecula per praedestinationem concepti sumus, ut creati per saecula producamur? Deus ergo qui manet ante saecula uteri sui filios oravit, quia eos quos potenter per divinitatem condidit, incarnatus veniens humiliter rogavit. Sed quia in ipsa carne qua apparuit ab eorum aestimatione despectus est, subjungitur:

CAPUT XLVI.

VERS. 18.---*Stulti quoque despiciebant me.*

54. *Sapientibus a veritate cadentibus, etiam stulti defecerunt.*--Sapientibus a veritatis fide cadentibus, recte de stultis quoque additur, quia dum Dominum Pharisei ac legisperiti despicerent, eorum incredulitatem etiam populi turba secuta est, quae in eo quod hominem vidit, Redemptoris mundi praedicamenta despexit. Nam saepe stultorum nomine hi qui sunt in plebe pauperes designantur. Unde et per Jeremiam dicitur: *Dixi, forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, et judicium Dei sui (Jerem. V, 4).* Relictis autem mundi sapientibus atque divitibus, Redemptor noster quaerere pauperes et stultos venerat. Unde nunc quasi

in augmentum doloris dicitur: *Stulti quoque despiciebant me*. Ac si aperte diceretur: Ipsi etiam me despexerunt, pro quibus sanandis stultitiam praedicationis assumpsi. Scriptum quippe est: *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (I Cor. I, 21)*. Verbum quippe Dei sapientia est, sed stultitia hujus sapientiae dicta est caro Verbi; ut quia carnales quique per carnis suae prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei, per stultitiam praedicationis, id est per carnem Verbi sanarentur. Ait ergo: *Stulti quoque despiciebant me*. Ac si aperte diceretur: et ab ipsis despectus sum pro quibus stultus aestimari veritus non sum. Et quia Judaeorum plebs cum miracula nostri Redemptoris cerneret, hunc ex signis honorabat, dicens: *Hic est Christus (Marc. XIII, 21)*; cum vero humanitatis ejus infirma conspiceret, eum creatorem credere dedignabatur, dicens: *Non, sed seducit turbas (Joan. VII, 12)*; recte subjungitur:

CAPUT XLVII (*Vet. XXIII*).

IBID.---*Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.*

55. *Christo a miraculis quiescenti detraxerunt.*---Quasi accedebat quippe ad corda populorum Dominus cum eis miracula demonstraret, et quasi recedebat cum nulla signa ostenderet. Sed recedenti Domino detrahebant cum a miraculis quiescenti praebere fidem nolebant. Sed quid mirum eum perpeti ista a plebibus, cum ipsi quoque qui legis doctores

esse videbantur, qui eum **457** verbis propheticis incarnandum esse perhibebant, et incarnatum viderunt, et ab eo tamen perfidiae interruptione divisi sunt? De quibus subditur:

CAPUT XLVIII.

VERS. 19.---*Abominati sunt me quondam consiliarii mei et quem maxime diligebam aversatus est me.*

56. *Abominati sunt eum legis doctores et Pharisei.*---Cunctis liquet quia Deus consiliariis non eget, qui ipsis quoque consiliariis hominum sapientiae consilium praebet. De quo etiam scriptum est: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit* (**Rom. XI, 34, ex Isai. XL, 13**). Sed quemadmodum cum panis vel vestimentum egenti tribuitur, hoc se Dominus accepisse testatur (**Matth. XXV, 40**), ita cum nescienti cuilibet rectum consilium datur, hoc ipse accipit, cujus ille membrum est qui eruditur. Omnes etenim fideles membra nostri Redemptoris sumus; et sicut ipse in nobis per misericordiam largitatis pascitur, ita ipse in nobis per doctrinae consilium juvatur. Scribae itaque et legis doctores, qui erudire populos ad vitam consueverant, quid aliud quam venturi Redemptoris consiliarii fuerunt? Qui tamen dum incarnatum Dominum conspicerent, consiliis suis multos ab ejus fide diviserunt, quamvis prius ad credendum incarnationis ejus mysterium per prophetarum verba multos docuisse viderentur. Et quia ille apud Deum magis in amore est, qui ad ejus amorem plurimos trahit, adhuc de eodem legis doctorum atque Pharisaeorum ordine subditur: *Et quem*

maxime diligebam aversatus est me. Ipse enim ordo, suadente perfidia, a fide veritatis aversus est, qui prius in labore praedicationis serviens, maxime diligebatur; quem non solum ad non credendum, sed usque ad persequendum quoque Dominum populorum turba secuta est, et usque ad passionem illius saevitiae facibus accensa. In qua videlicet passione discipulorum corda turbata sunt. Unde et nunc subditur:

CAPUT XLIX [*Rec XXIII*].

VERS. 20.---*Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum.*

57. *Christo patienti, fugientibus apostolis, sanctae mulieres tanquam pellis adhaeserunt.*---In osse fortitudo, in carnibus vero infirmitas corporis designatur. Quia igitur Christus et Ecclesia una persona est, quid per os nisi ipse Dominus designatur? Quid per carnem nisi discipuli, qui passionis ejus tempore infirma sapuerunt? Per pellem vero, quae exterior carne manet in corpore, quid nisi illae sanctae feminae figurantur, quae ad praeparanda subsidia corporis exterioribus Domino ministeriis serviebant? Nam cum ejus discipuli quamvis necdum firmi veritatis fidem populis praedicarent, ossi suo inhaerebant carnes. Et cum sanctae mulieres ea quae necessaria erant exteriora praepararent, quasi pellis exterius manebant in corpore. Sed cum ad crucis horam ventum est, ejus discipulos gravis ex persecutione Judaeorum timor invasit: fugerunt singuli, mulieres adhaeserunt. Quasi ergo

consumpta carne, os Domini pelli suae adhaesit, quia fortitudo ejus, passionis tempore, fugientibus discipulis, juxta se mulieres invenit. Stetit equidem aliquandiu Petrus, sed tamen post territus negavit (**Matth. XXVI, 70**). Stetit etiam Joannes, cui ipso crucis tempore dictum est: *Ecce mater tua* (**Joan. XIX, 27.**) Sed perseverare minime potuit, quia de ipso quoque scriptum est, quod *adolescens quidam sequebatur illum* **458** *amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum; at ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis* (**Marc. XIV, 51**). Qui etsi post, ut verba Redemptoris sui audiret, ad horam crucis rediit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solum non timuisse, neque fugisse, sed etiam usque ad sepulcrum stetisse memorantur. Dicat ergo: *Pelli mea, consumptis carnibus, adhaesit os meum*. Hoc est, hi qui meae fortitudini propinquius inhaerere debuerant, passionis meae tempore timore consumpti sunt, et eas, quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sine formidine inhaerere mihi fideliter inveni. Ubi et aperte subintelligitur, quod haec verba per mysterium dicantur, dum sequitur:

CAPUT L [*Vet. XXIV*].

IBID.---*Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*

58. *Christi dentes apostoli, eo patiente virtutem omnem amiserant.*---Quid enim circa dentes aliud quam labia habemus, etiam si nulla flagella patiamur? Sed quid per labia nisi locutio, quid per dentes, nisi sancti apostoli designantur?

Qui in hoc Ecclesiae corpore idcirco sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a suae pertinaciae durtia confringant. Unde et eidem primo apostolorum quasi denti in ejus corpore posito dicitur: *Macta, et manduca* (**Act. X, 13**). Sed quia passionis ejus tempore isti dentes prae timore mortis amiserunt morsum correptionis, amiserunt fiduciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodae operationis, ita ut duo ex illis ambulantes, post ejus mortem ac resurrectionem, in via loquerentur et dicerent: *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* (**Luc. XXIV, 21**), recte nunc dicitur: *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*. Confabulabantur adhuc de illo, sed jam in illum minime credebant. Tantummodo ergo labia circa dentes ejus remanserant, quia virtutem bonae operationis amiserant, et sola de illo confabulationis verba retinebant. Perdiderant morsum correptionis, et habebant motum locutionis. Labia itaque tantummodo circa dentes relictas sunt, quia adhuc quidem confabulari noverant, sed praedicare jam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant. Peractis itaque his quae in voce capitis dixit, ad propria beatus Job verba revertitur, dicens:

CAPUT LI.

VERS. 21.---*Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

59. *Piorum mens in adversis, ad preces, non ad iram movetur.*---Hoc habere solet proprium mens piorum, quod

cum injusta ab adversariis patitur, non tam ad iram quam ad preces moveatur, ut si moderari eorum pravitas placide valeat, plus deprecari eligant quam irasci. Unde recte nunc dicitur: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Ecce eos a quibus semper contumeliis se affligi considerat amicos vocat, quia bonis mentibus etiam ipsa fiunt prospera, quae videntur adversa. Nam perversi quique bonorum dulcedine aut convertuntur, ut redeat, et eo ipso amici sunt quo boni fiunt; aut in malitia perseverant, et in hoc quoque etiam nolentes amici sunt, quia si qua bonorum delicta sunt, ea suis persecutionibus etiam nescientes purgant. Notandum quoque, quod eis **459** quae secreto apud Deum gesta sunt, beati viri in publico verba concordant. A Satan quippe percussus fuerat, nec tamen percussione suam Satanae tribuit, sed tactum se manu Domini appellat, sicut ipse quoque Satan dixerat: *Mitte manum tuam et tange os ejus et carnem, si non in faciem benedixerit tibi (Job. II, 5)*. Sciebat quippe vir sanctus quia et per hoc ipsum quod perversa voluntate contra se Satan egerat, potestatem non a semetipso, sed a Domino habebat. Sequitur:

CAPUT LII [*Vet. XXV, Rec. XXIV*].

VERS. 22.---*Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?*

60. *Deus non saeviendo nos persequitur*.---Non abhorret a locutione pietatis quod a Deo se perhibet persequi. Est namque persecutor bonus, sicut de semetipso ore prophetico

Dominus dicit: *Detrahentem occulte adversus proximum suum, hunc persequabar*. Cum vero sanctus quisque flagellari permittitur, scit quod persecutionem contra commissa vitia ex interna dispensatione patiatur. Crudeles autem persecutorum mentes cum potestatem ferendi appetunt, contra bonorum vitam non studio purgationis, sed livoris facibus accenduntur. Et quidem hoc faciunt quod Deus omnipotens fieri permittit. Sed dum una causa cum Deo etiam per eos agitur, non tamen voluntas una in eadem causa servatur, quia cum omnipotens Deus amando purgationem exhibet, injustorum pravitas saeviendo malitiam exercet. Quod ergo dicitur, *quare persequimini me sicut Deus?* ad exteriorem hoc percussione retulit, non ad intimam intentionem, quia etsi hoc agunt exterius quod Deus agi disposuit, non tamen hoc quod Deus in sua actione appetunt, ut boni ex afflictione purgentur. Quod intelligi et aliter potest. Tanto enim omnipotens Deus justius aliena vitia percutit, quanto in semetipso nihil habet vitiorum. Homines vero cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad suam noverint oculos revocare, ut ex semetipsis considerent quantum aliis feriendo parcant, cum se quoque ipsos dignos percussione non ignorant. Itaque nunc dicitur: *Quare persequimini me sicut Deus?* Ac si aperte diceretur: Ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac si ipsi more Dei de infirmitate nihil habeatis. Unde considerandum est quod si qui fortasse sint qui asperitate correptionis indigeant, tunc eis dura correptio a nobis admovenda est, cum Dei manus cessat a verbere. Cum vero superna flagella insunt, non a nobis jam correptio, sed consolatio debetur, ne dum in dolore increpationem jungimus, percussione percussioni sociemus.

61. *Detractores belluarum more, homines devorant.*---Bene autem subditur: *Et carnibus meis saturamini?* Quorum mens proximorum poenas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quaerit. Sciendum quoque est quia hi etiam qui alienae vitae detractone pascuntur, alienis procul dubio carnibus satiantur. Unde per Salomonem dicitur: *Noli esse in conviviis potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt* (**Prov. XXIII, 20**). Carnes quippe ad vescendum conferre est in colloctione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum illic poena mox subditur: *Quia vacantes potibus et dantes symbolum consumentur, 460 et vestietur pannis dormitatio* (**Ibid.**). Potibus vacant, qui de opprobrio alienae vitae se debriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractationis verba conferre. Sed vacantes potibus et dantes symbolum consumentur, quia sicut scriptum est (**Fortasse, Proverb. XV, 5**): *Omnis detractor eradicabitur*. Vestietur autem pannis dormitatio, quia despectum et inopem a cunctis bonis operibus mors sua invenit, quem hic ad alienae vitae exquirenda crimina detractationis suae languor occupavit. [*Vet. XXVI.*] Sed tot dura quae beatus Job sustinet, dignum non est ut per silentium transeant, eaque a notitia hominum ignorantiae obscuritas tegat. Tanti quippe aedificari ad servandam patientiam valent, quanti, implente se superna gratia, ejus patientiae facta cognoverint. Unde et idem beatus Job in exemplum vult pertrahi flagella quae sentit, qui statim subjungit dicens:

CAPUT LIII [Rec. XXV].

VERS. 23, 24.---*Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice?*

62. *Per plumbi laminam Judaeorum, per silicem gentilium corda designantur.*---Cuncta quae beatus Job pertulit, quia forti patrum sententia edoctus gravis ille Judaeorum populus agnovit, stylo ferreo et plumbi lamina scripta sunt. Quia vero haec etiam dura gentilium corda cognoverunt, quid ea nisi in silice sculpta videmus? Et notandum quia in plumbo quod scribitur ipsa metalli mollitie citius deletur; in silice vero tardius quidem valent litterae imprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immerito per plumbi laminam Judaea exprimitur, quae praecepta Dei et sine labore percepit, et cum celeritate perdidit. Recte per silicem gentilitas figuratur, quae verba sacri eloquii vix custodienda suscipere potuit; sed tamen fortiter suscepta servavit. Per stylum vero ferreum quid aliud quam fortis Dei sententia designatur? Unde et per prophetam dicitur: *Peccatum Judae scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino (Jerem. XVII, 1)*. In ungue finis est corporis. Ita vero lapis durus est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum vero ferreum fortis sententia, per unguem vero adamantinum finis signatur aeternus. Peccatum itaque Judae stylo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judaeorum per fortem Dei sententiam in finem servatur infinitum.

63. *Plumbum avaritiam significat.*---Recte quoque per plumbi laminam eos accipimus quos avaritiae pondus gravat, quibus per increpantem Prophetam dicitur: *Filii hominum,*

*usquequo graves corde (Psal. IV, 3)? Per plumbum namque, cuius natura gravis est ponderis, peccatum avaritiae specialiter designatur, quod mentem quam infecerit ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli nequaquam possit. [Rec. XXVI.] Hinc enim in Zacharia scriptum est: *Leva oculos tuos, et vide. Quid est hoc quod egreditur? Et dixi: Quidnam est? Et ait: Haec est amphora egrediens, et dixit: Haec est oculus eorum in universa terra. (Vet. XXVII.) Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphorae, et dixit: Haec est impietas. Et projecit eam in medio amphorae, et misit massam plumbeam in os ejus (Zach. V, 5, seq.).* Qui de hac visione amphorae, et mulieris, et plumbi, ut latius quid cognovisset ostenderet, **461** adhuc secutus adjunxit: *Et levavi oculos meos, et vidi; et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt amphoram inter terram et coelum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istae deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut aedificetur ei domus in terra Sennaar (Ibid., 9, seq.).* Quod prophetae testimonium inutiliter pro documento plumbi protulimus, si non etiam repetentes exponamus. Ait enim: *Leva oculos, et vide. Quid est hoc quod egreditur? Et dixi: Quidnam est? Et ait: Haec est amphora egrediens (Ibid.).* Volens Deus prophetae ostendere humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphorae quasi patens os avaritiae designavit. Avaritia quippe velut amphora est, quae os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: *Haec est oculus eorum in universa terra (Ibid.).* Multos obtusi sensus homines cernimus, et tamen eos in malis actibus astutos videmus; propheta quoque attestante, qui ait: *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem**

facere nesciunt (Jerem. IV, 22). Hi itaque sensu torpent, sed in his quae appetunt avaritiae stimulis excitantur; et qui ad bona videnda caeci sunt, excitantibus praemiis, ad peragenda mala vigilantes fiunt. Unde recte de hac eadem avaritia dicitur: *Haec est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur (Ibid.).* Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? *Et ecce mulier una sedens in medio amphorae.* Quam mulierem, ne fortassis quae esset dubitare possemus, illico angelus innotuit. Nam illic mox sequitur: *Et dixit: Haec est impietas. Et projecit eam in medio amphorae.* Impietas in medio amphorae projicitur, quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus.* Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiae peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quae deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximum impia nequaquam existeret.

[*Vet. XXVIII.*] 64. *Superbia et inanis gloria duo principalia vitia. His sublevatur avaritia.---Et levavi oculos meos, et vidi; et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum.* Quid aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet, et gloriam inanem, quae impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt? Quae et in alis suis spiritum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanae voluntati deserviunt. Ipsum quippe propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris (Eccle. X, 4).* Et de quo in Evangelio Dominus dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa (Matth. XII, 43).* Spiritus in alis earum est, quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt

Satanae voluntati famulantur. *Et habebant alas, quasi alas milvi.* Milvus semper naturae studet insidiari pullorum. Ista ergo mulieres alas habent, quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitae parvulorum. *Et levaverunt amphoram inter coelum et terram.* Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint in cogitatione sua super caeteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum quem semel captum tenuerint quasi in honoris altitudinem **462** elevent. Qui autem inter coelum et terram est, et ima deserit, et superiora minime attingit.

65. Levant ergo istae mulieres amphoram inter coelum et terram, quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevat, ut quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter terram et coelum dicitur, quia avari quique per superbiam atque inanem gloriam et proximos juxta se despiciunt, et superiora quae ultra ipsos sunt nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et coelum feruntur, quia nec aequalitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo praevalent. *Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istae deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut aedificetur ei domus in terra Sennaar.* Eidem amphorae aedificatur domus in terra Sennaar. Sennaar quippe fetor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante, qui ait: *Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo* (**II Cor. II,**

14). Ita e contrario fetor ex vitio. *Radix enim est omnium malorum cupiditas (I Tim. VI, 10)*. Et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiae in fetore construatur. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris a superbientibus aedificari coeperat, quae, linguarum facta diversitate, destructa est. Quae scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immerito ibi avaritiae amphora ponitur, ubi Babylon, id est confusio aedificatur, quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exsurgere, recte haec ipsa avaritia atque impietas in confusione perhibentur habitare.

66. *Ecclesia sermones suos cordibus avaritia gravibus, et duris insculpi postulat.*---Haec paucis per excessum diximus, ut peccati pondus exprimi per plumbi laminam monstraremus. Quae tamen beati Job verba sanctae quoque Ecclesiae congruunt, quae duo sacri eloquii Testamenta custodiens, quasi secundo sermones suos scribi expetit, dicens: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro?* Quae quia forti sententia modo per pondus avaritiae gravibus, modo autem duris cordibus loquitur, stylo ferreo in plumbi lamina vel certe in silice scribit. Sed jure beatum Job Redemptoris nostri ejusque Ecclesiae uti vocibus dicimus si quid de eodem Redemptore nostro quod aperte loquitur invenimus. [*Vet. XXIX.*] Quo etenim pacto credendum est quia ex eo aliquid per figuram insinuat, si eum nobis apertis vocibus non demonstrat? Sed jam quid de eo sentit aperiat, omnesque nobis ambages cogitationum tollat. Sequitur:

CAPUT LIV.

VERS. 25.---*Scio enim quod Redemptor meus vivit.*

67. *Job Christum Redemptorem aperte praenuntiavit.*---Qui enim non ait conditor, sed Redemptor, aperte eum denuntiat qui, postquam omnia creavit, ut nos de captivitate redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos a perpetua morte liberavit. Et notandum quanta fide se in virtute ejus divinitatis astringat, de quo per Paulum dicitur: *Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed 463 vivit ex virtute Dei (II Cor. XIII, 4).* Ait namque: *Scio enim quod Redemptor meus vivit.* Ac si apertis vocibus dicat: Infidelis quisque illum flagellatum, derisum, palmis caesum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum noverit; ego illum post mortem vivere certa fide credo, libera voce profiteor, quia Redemptor meus vivit, qui inter impiorum manus occubuit. Sed quid, beate Job, per resurrectionem illius etiam de tuae carnis resurrectione confidis, aperta, quaeso, voce profiteri. Sequitur:

CAPUT LV [*Rec. XXVIII*].

IBID.---*Et in novissimo die de terra surrecturus sum.*

68. *Christus mortuus est ut mori non timeremus; resurrexit ut nos resurgere posse confidamus.*---Quia videlicet

resurrectionem quam in se ostendit in nobis etiam quandoque facturum est. Resurrectionem quippe quam in se ostendit nobis promisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Unde et eandem mortem non plusquam triduanam esse voluit, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnimodo desperaretur. Quod bene de illo per Prophetam dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (**Psal. CIX, 7**). Quasi enim de quodam flumine nostrae passionis non in mansione bibere, sed in via dignatus est, quia mortem transitorie, id est ad triduum contigit, atque in ea morte quam contigit, nequaquam sicut nos usque ad finem saeculi remansit. [*Rec. XXVIII.*] Dum ergo die tertio resurrexit, quid in ejus corpore, id est Ecclesia, sequatur ostendit. Exemplo quippe monstravit quod promisit in praemio, ut sicut ipsum resurrexisse fideles agnoscerent, ita in seipsis in fine mundi resurrectionis praemia sperarent. Ecce nos per mortem carnis usque ad finem mundi remanemus in pulvere, ille autem die tertia ab ariditate mortis viruit; ut divinitatis suae nobis potentiam ipsa innovatione suae carnis ostenderet. Quod bene per Moysen virgis duodecim in tabernaculo positis demonstratur (**Num. XVII, 2**). Nam cum Aaron sacerdotium, qui de tribu Levi fuerat, despiceretur, nec digna tribus quae offerret holocausta crederetur, duodecim virgae, juxta duodecim tribus, in tabernaculo poni praeceptae sunt; et ecce virga Levi viruit, et quid virtutis in munere Aaron haberet, ostendit (**Ibid., 8**). Quo videlicet signo quid innuitur, nisi quod omnes qui usque ad finem mundi jacemus in morte, quasi virgae reliquae in ariditate remanemus? Sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Levi ad florem redit,

quia corpus Domini, veri scilicet sacerdotis nostri in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit. Quo flore recte Aaron sacerdos esse cognoscitur, quia hac resurrectionis gloria Redemptor noster, qui de tribu Juda ac Levi ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo jam virga Aaron post ariditatem floret; sed virgae duodecim tribuum in ariditate remanent, quia jam quidem corpus Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque ad finem mundi a resurrectionis gloria differuntur. Unde caute hanc eandem dilationem intulit, dicens: *Et in novissimo die de terra surrecturus sum.*

[*Vet. XXX.*] **464** 69. *Fiduciam nostram roborat multorum mortuorum resurrectio.*---Habemus ergo spem resurrectionis nostrae, considerata gloria capitis nostri. Sed ne quis vel cogitatione tacita forsitan dicat quod idcirco ille resurrexit a morte, quia unus idemque Deus et homo mortem, quam ex humanitate pertulit, ex divinitate superavit, nos vero, qui puri homines sumus, a mortis surgere damnatione non possumus, recte in resurrectionis ejus tempore etiam multorum sanctorum corpora resurrexerunt, ut et in se nobis exemplum ostenderet, et de aliorum qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt nos resurrectione roboraret, quatenus cum se homo desperaret percipere quod in se ostenderat Deus homo, hoc in se fieri posse praesumeret, quod in ipsis factum cognosceret quos puros fuisse homines non dubitaret.

70. *Fides resurrectionis astruitur.*---Sunt vero nonnulli qui, considerantes quod spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis ita in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; et dum

arida ossa inspiciunt, haec vestiri carnibus rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt. Qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum, supervenientibus noctis tenebris, ea quae aspiciebatur subtrahitur, et quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem redivivo decore vestiri. Indesinenter cernimus parva arborum semina terrae humoribus commendari, ex quibus non longe post aspicimus magna arbusta surgere, folia pomaque proferre. Consideremus ergo parvum cujuslibet arboris semen, quod in terram jacitur, ut arbor ex illo producat, et comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta brevitate seminis tam immensa arbor latuit, quae ex illo processit, ubi lignum ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Nunquidnam in semine tale aliquid cernebatur cum in terram jaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, et in mollitie seminis latuit asperitas corticis, et in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, et in siccitate ejus ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem, nostris oculis in elementis redactum, cum vult, in hominem roformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationales sumus conditi, spem resurrectionis nostrae ex ipsa debemus rerum specie et contemplatione colligere, Sed

quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia Redemptoris. Venit namque conditor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem, ut qui resurrectionis spem ex ratione tenere **465** noluimus, hanc ex ejus adjutorio et exemplo teneremus. Dicat igitur beatus Job: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Et quisquis resurrectionis in se virtutem fieri posse desperat, verba in gentilitate positi viri fidelis erubescat, et penset quanto poenae sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui jam resurrectionem Domini cognovit factam, si et ille suam credidit, qui adhuc Domini Jesu sperabat esse faciendam.

[*Vet. XXXI.*] *1. Qualitas corporum post resurrectionem.*---Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sim, sed volo ut audiam qualis. Sciendum quippe mihi est utrum in quodam alio subtili fortasse, vel aereo, an in eo quo moriar corpore resurgam. Sed si in aereo corpore surrexero, jam ego non ero qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit quia si vera caro non fuerit, procul dubio resurrectio vera non erit. Nec enim recte resurrectio dici potest, ubi non resurgit quod cecidit. Sed has nobis beate Job dubietatis nebulas tolle, et quia per acceptam sancti Spiritus gratiam de spe nobis loqui nostrae resurrectionis coepisti, aperte indica, si caro nostra veraciter resurgat. Sequitur:

CAPUT LVI [*Rec XXIX*].

VERS. 26.---*Et rursum circumdabor pelle mea.*

72. *Error Eutychii, corpus impalpabile aereque subtilius futurum asserentis refellitur.*---Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio verae resurrectionis aufertur, quia non, sicut Eutychius Constantinopolitanae urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae. Unde etiam redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis, ostendit manus et latus, palpanda ossa carnemque praebuit, dicens: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. XXIV, 39).* Qui cum eidem Eutychio in Constantinopolitana urbe positus, hoc evangelicae veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, ut dubitationem resurrectionis suae de discipulorum cordibus amoveret. Cui inquam: Mira est res valde quam astruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim non hoc habuisse astruitur quod ostendit, unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur. Qui adjungebat etiam, dicens: Corpus palpabile habuit quod ostendit; sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit in subtilitatem est aliquam redactum. Ad haec ipsa respondi, dicens: Scriptum est: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom. VI, 9).* Si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra

veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Dominus rediit in mortem. **466** Quod quis dicere vel stultus praesumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem denegat? Tunc mihi objecit, dicens: Cum scriptum sit: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (**I Cor. XV, 50**), qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui inquam: in sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam, vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (**Genes. II, 23**); et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (**Joan. I, 14**). Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eo quod sunt caro* (**Genes. VI, 3**). Et sicut Psalmista ait: *Memoratus est quia caro sunt: spiritus vadens, et non rediens* (**Psal. LXXVII, 39**). Unde et discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (**Rom. VIII, 9**). Neque enim in carne non erant, quibus epistolas trans mittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus apostolus dicit: *Quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*. In illa ergo coelestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo, in aeterna incorruptione regnabit.

[*Vet. XXXII.*] 73. *Eutychii responsiones et effugia diluuntur.* --Quibus dictis idem Eutychius consentire se protinus respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse

denegabat. Qui etiam in libello quem de resurrectione scripserat Pauli quoque apostoli testimonium indiderat dicentis: *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur; et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum (I Cor. XV, 36)*. Hoc nimirum ostendere festinans, quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum est seminari dixerit. Sed ad haec citius respondetur. Nam Paulus apostolus dicens: *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, hoc insinuat quod videmus, quia granum cum culmo et foliis nascitur, quod sine culmo et foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriae resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat. Iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat, sed deesse quod erat.

74. Eutychii librum flammis addicere cogitat imperator. Moritur Eutychius, abjurato errore.---Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, gravissima a nobis coepimus simulatione resilire, cum piae memoriae Tiberius Constantinus imperator secreto me et illum suscipiens, quid inter nos discordiae versaretur agnovit, et utriusque partis allegationem pensans, eundem librum, quem de resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me aegritudo valida, eundem vero Eutychium aegritudo et mors protinus est secuta. Quo mortuo, **467** quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur, dissimulavi coepta persequi, ne in favillas viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret, et ego validissimis febribus aegrotarem, quicumque noti mei ad

eum salutationis gratia pergebant, ut eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem manus suae tenebat, dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus. Quod, sicut ipsi fatebantur, omnino prius negare consueverat.

75. *Ex verbis Job resurrectio probatur.*---Sed nos ista postponentes in beati Job sermonibus subtiliter exquiramus si vera erit resurrectio verumque corpus in resurrectione. [*Vet. XXXIII.*] Ecce enim jam de spe resurrectionis dubitare non possumus, dum ait: *Et in novissimo die de terra resurrecturus sum.* Dubietatem quoque de reparatione vera corporis abstulit, qui ait: *Et rursum circumdabor pelle mea.* Qui adhuc ad auferendas ambages nostrae cogitationis subdit:

VERS. 26.---*Et in carne mea videbo Deum.*

76. *Reducendam carnem in integrum statum credidit Job.*---Ecce resurrectionem, ecce pellem, ecce carnem apertis fatetur vocibus. Quid ergo remanet unde possit mens nostra dubitare? Si itaque iste vir sanctus ante effectum resurrectionis dominicae reducendam carnem in integrum statum credidit, quis erit reatus nostrae dubitationis, si vera carnis resurrectio nec post exemplum creditur Redemptoris? Si enim post resurrectionem corpus palpabile non erit, profecto alius surgit quam moritur, quod dictu nefas est credere, quia ego morior, et alius resurgat. Unde quaeso te, beate Job, subjunge quae sentis, et hujus nobis questionis scrupulum tolle. Sequitur:

CAPUT LVII [*Rec. XXX*].

VERS. 27.---*Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.*

77. *Caro nostra post resurrectionem eadem futura est per naturam, et diversa per gloriam.*---Si enim, sicut quidam errorum sequaces arbitrantur, post resurrectionem corpus palpabile non erit, sed invisibilis corporis subtilitas caro vocabitur, quamvis substantia carnis non sit, profecto alius est qui moritur, et alius qui resurgit. Sed beatus Job hanc eis sententiam veridica voce destruit, qui ait: *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Nos autem beati Job fidem sequentes, et Redemptoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram et eandem, et diversam: eandem per naturam, diversam per gloriam; eandem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque subtilis, quia et incorruptibilis. Erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturae. Sed sanctus vir eandem resurrectionis fiduciam qua spe teneat, quanta certitudine praestoletur, **468** adjungit. Sequitur:

CAPUT LVIII.

IBID.---*Reposita est haec spes mea in sinu meo.*

78. *Job de resurrectione sua certissimus.*---Nil nos habere certius credimus quam hoc quod in sinu tenemus. In sinu ergo suo spem repositam tenuit, quia veram certitudinem de spe resurrectionis praesumpsit. Sed quia venturum diem resurrectionis innotuit, jam nunc seu voce sua, seu typo

sanctae et universalis Ecclesiae pravorum facta redarguit, et iudicium quod in resurrectionis die sequitur praedicat. Nam protinus subdit:

CAPUT LIX.

VERS. 28, 29.---*Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum? Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse iudicium.*

79. *Ex iudicio quod resurrectionem excepturum est, urget iniquos ad poenitentiam.*---Priori quippe sententia iniquorum facta reprehendit, sequenti autem ex divino iudicio poenas innotuit. Ait enim: *Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum?* Perversi quilibet quia malo studio bene prolata audiunt, et in lingua iusti accusationis aditum invenire appetunt, quid aliud quam contra eum verbi radicem quaerunt, ex qua videlicet loquendi originem sumant, et ramos pravae loquacitatis in accusatione dilatent? Sed vir sanctus cum a pravis talia sustinet, non contra eos, sed magis pro ipsis dolet, et male cogitata redarguit, ac mala eis quae fugiant ostendit, dicens: *Fugite ergo a facie gladii, quia ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse iudicium.* Omnis qui perversa agit, eo ipso quo hoc timere despicit, esse Dei iudicium nescit. Si enim hoc timendum sciret, quae in illo sunt punienda non ageret. Nam sunt plerique qui extremum esse iudicium verbo tenus sciunt, sed

perversae agendo testantur quia nesciunt. Quia enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit cum quanto turbine terroris adveniat. Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, irae diem utique timendo praecaveret. Faciem quoque gladii fugere est animadversionis districtae sententiam prius quam appareat placare. Vitari namque terror judicis non nisi ante iudicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit, et videri potest, et placari jam non potest, quia facta pravorum, quae diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Unde necesse est nunc timere iudicem, cum necdum iudicium exercet, cum diu sustinet, cum mala adhuc tolerat quae videt, ne cum semel manum in retributione ultionis excusserit, tanto in iudicio districtius feriat, quanto ante iudicium diutius expectavit.

LIBER DECIMUS QUINTUS. *In*
quo XX et XXI capitum libri Job explicatio
brevi absolvitur.

469 [*Vet. et Rec. I.*] Quia amici beati Job nequaquam perversi esse potuerunt, Sophar Naamathitis verba testantur, qui de ore ejus terrorem venturi iudicii audiens, protinus adjungit:

CAPUT PRIMUM.

CAP. XX, VERS. 2.---*Idcirco cogitationes meae varie succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.*

1. *Quanto terrore ex assidua ejus consideratione affici debeamus.*---Ac si apertis vocibus dicat: Quia extremi judicii terrorem considero, idcirco cogitationum tumultibus in timore confundor. Tanto se quippe animus amplius, in cogitatione dilatat, quanto illud esse terribile, quod imminet, pensat. Et in diversa mens rapitur, quando modo mala quae egit, modo bona quae agere neglexit, modo reprehensibilia in quibus est, modo recta quae sibi adhuc deesse conspicit, sollicito pavore perpendit. Sed amici beati Job cum assiduitate vitae illius edocti bene vivere noverint, pensare tamen subtiliter Dei judicia nescientes, mala hic justorum quempiam posse recipere non credebant. Unde et eundem sanctum virum iniquum esse suspicati sunt, quem flagellatum viderunt, atque ex hac suspicione agebatur ut in ejus quoque increpationem dilaberentur; ad quam tamen increpationem quasi sub quadam reverentia descendunt. Unde Sophar subjicit dicens:

CAPUT II.

VERS. 3.---*Doctrinam qua me arguis audiam, et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi.*

2. *Multi monita audiunt, ut judicent, non ut sequantur.*---Ac si aperte dicat: Tua quidem verba audio, sed an recte prolata sint,

spiritu meae intelligentiae discerno. Nam qui docentis verba despiciunt, doctrinam ejus non ad adjutorium, sed ad occasionem certaminis sumunt, ut audita potius judicent quam sequantur. His itaque sub quodam moderamine praemissis, in apertam jam beati viri exprobrationem prosilit, cum subjungit:

CAPUT III [*Rec. II*].

VERS. 4, 5.---*Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti.*

3. *Breve est quidquid finitur.*---Liquet nunc quia, suae intelligentiae spiritu inflatus, eas quas contra impios sententias profert in beati Job redargutionibus inflectit. Quem enim prius justa agere et postmodum poenas tolerare conspexit, omne in illo hypocrisim aestimat fuisse quod vidit, quia videlicet a justo Deo justum famulum affligi posse non credidit. Sed nos easdem ejusdem sententias, quas non recte rectas protulit, sollicita intentione pensantes exsequamur; et contemnentes quod falsum contra beatum Job loquitur, intueamur quam vera dicat si haec contra impios loqueretur. Ait itaque: *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit.* [*Vet. II.*] Dicturus brevitatem vitae praesentis, cordis oculum ad exordium reduxit originis, ut ex anteactis colligat quam nulla sint quae videntur aliqua esse dum sunt. Si enim ab ipso humani generis exortu usque ad hoc tempus in quo sumus mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit **470** quam

breve fuerit videmus. Ponamus enim quemlibet hominem a primo die mundi conditi usque ad hodiernum diem vitam ducere, hodie tamen eandem vitam quam sic longam ducere videbatur finire, ecce finis adest, praeterita jam nulla sunt, quia cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nullum ad vitam vel brevissimum restat momentum. Ubi est ergo longum tempus quod inter initium finemque deprehensum ita consumitur, ac si nec breve unquam fuisset?

4. *Multi non esse, sed dici boni curant. Hypocritae gaudium transit, poena manet.* Impii itaque, quia praesentem vitam diligunt, in ea procul dubio elati percipere laudem quaerunt. Linguae favoribus extolluntur, nec esse boni, sed dici appetunt. Quam videlicet laudem longam esse existimant dum assequuntur, sed brevem intelligunt fuisse dum amittunt. In fine quippe eis ostenditur quam nihil fuerit quod amaverunt. Unde recte contra eosdem impios dicitur: *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit.* Ubi apte subjungitur: *Et gaudium hypocritae ad instar puncti.* Saepe hypocrita dum sanctum se simulat, et iniquum exhibere minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab iis qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Unde fit ut gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, infletur in prima salutatione, elevetur in reverenti voce obsequentium, et superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum, sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias suas. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus, Rabbi (Matth.*

XXIII, 5). Sed hoc eorum gaudium aeternitati comparatum quid erit, quando, irruente mortis articulo, ita consumitur ac si omnino non fuerit? Cujus nimirum gaudii laetitia pertransiit, et poena permanet, et cum res amittitur, causa durat. Bene autem dicitur: *Gaudium hypocritae ad instar puncti*. In puncto enim stylus mox ut ponitur levatur, nec mora ulla agitur ut per exprimendam lineam trahatur. Gaudium ergo hypocritae ad similitudinem puncti est, quia apparet ad momentum, sed disparet in perpetuum; et sicut stylus in puncto dum ponitur levatur, sic hypocrita praesentis vitae gaudia dum tangit amittit. De quo et subditur:

CAPUT IV [*Rec. III*].

VERS. 6, 7.---*Si ascenderit usque ad coelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur.*

5. *Gaudia vitae praesentis, quae iniqui tanti faciunt, justis arbitrantur stercora.*---Superbia hypocritae usque ad coelum ascendere dicitur, quando ejus elatio coelestem agere vitam videtur. Cujus etiam caput quasi nubes tangit **471** quando principalis pars, videlicet intellectus illius, sanctorum praecedentium coaequari meritis creditur. Sed quasi sterquilinum in fine perditur, quia in morte sua cum ad tormenta ducitur, stercoribus vitiorum plenus, a malignis spiritibus conculcatur. [*Vet. III.*] Gaudia etenim vitae praesentis, quae injusti aestimant magna bona, justis stercora deputant. Unde scriptum est: *De stercore bonum lapidatus est*

piger (Eccli. XXII, 2). Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore aeternae vitae pigrescit. Et quoties rerum temporalium damno percutitur ex his nimirum affligitur, quae justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenarum rerum percussione atteritur, quid aliud quam de boum stercore lapidatur? Et recte hypocrita sterquilinio similis dicitur, quia dum temporalem gloriam habere appetit, modo per cogitationem apud semetipsum tumet, modo eandem gloriam aliis invidet, eamque alios veraciter habentes irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu aeterni iudicis illius pectus fetet. Dicatur igitur: *Si ascenderit usque ad coelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur*. Qui etsi coelestem vitam se agere simulat, etsi intellectum suum esse similem veris praedicatoribus ostentat, quasi sterquilinium tamen in fine perditur, quia mens illius pro vitiorum suorum fetore damnatur. Sequitur:

CAPUT V.

VERS. 7.---*Et qui eum viderant dicent: Ubi est?*

6. *Hypocritarum vita in fine detegitur*.---Plerumque hypocritarum vita etiam ab omnibus reprobis in fine cognoscitur, ut signis jam apertioribus qui fuerint ostendatur. Qui ergo nunc elatum viderunt, de extincto dicent: *Ubi est?* Quia neque hic ubi elatus fuerat apparet, neque in aeternitatis requie, de qua esse putabatur. De cujus brevitate vitae adhuc apte subjungitur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 8.---*Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.*

7. *Vita hypocritae phantasmati similis.*---Quid est vita hypocritae, nisi quaedam visio phantasmatis, quae hoc ostendit in imagine, quod non habet ex veritate? Unde recte quoque somnio comparatur, quia ab eo omnis laus et gloria quasi dum tenetur amittitur. Saepe namque in nocturna visione nonnulli pauperes factos se divites admirantur, deferri sibi honores aspiciunt, divitiarum moles, obsequentium multitudinem, pulchritudinem vestium, abundantiam ciborum sibimet adesse considerant; gaudent se evasisse penuriam, quam cum gemitu tolerabant; sed repente, cum evigilant, inveniunt quam falsum fuerit quod gaudebant, eosque evigilasse poenitet, quia vigilantes inopia vera tenet. Sic hypocritarum mentes, dum aliud est quod agunt, atque aliud quod hominibus ostendunt, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt, in aestimatione hominum multis melioribus praeferuntur, et cum intus apud se tacita cogitatione superbiant, foris se humiles demonstrant. Cumque ab hominibus immoderate laudantur, tales esse se quoque apud Deum existimant, quales se gaudent hominibus innotuisse. Unde fit ut etiam aeternae vitae percepturos se praemia praesumant, et qui hic de humanis favoribus exsultant, illic se habituros requiem omnino non dubitent. Sed **472** inter haec occulta vocationis hora subrepat, et cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, moxque ut supplicia

aeterna receperint, ibi vident quia virtutum aestimatione divites in somnis fuerunt. Bene ergo de hoc hypocrita dicitur: *Transiet velut visio nocturna*. Quia hoc quod se ad momentum divitem humanis aestimationibus videt, de ostensione est phantasmatis, non de soliditate virtutis. Nam cum mens ejus in morte carnis evigilat, cognoscit procul dubio quia favores circa se hominum dormiens videbat. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. V*].

VERS. 9.---*Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.*

8. *Linguae adulantium ei nihil prosunt in judicic.*---Quis est locus hypocritae, nisi cor adulantium? Ibi quippe requiescit, ubi favores invenerit. Oculus ergo qui eum viderat, non videbit, quia, subtractus morte, stultis amatoribus suis absconditur, qui eum consueverant admirando conspicere. Nec ultra eum locus suus intuebitur, quia linguae adulantium hunc ad judicium favoribus non sequuntur. Sed tamen quousque vivit, ea quae ipse agit etiam sequaces suos docere non desinit, et per erroris sui pravitatem alios quoque ad eam quam exhibet generat simulationem. De quibus hic apte subditur:

CAPUT VIII.

VERS. 10.---*Filii ejus atterentur egestate.*

9. *Exterius multiplicati hypocritae, interius inanes fiunt.*---Scriptum est: *In malevolam animam non introibit sapientia* (**Sap. I, 4**). Et per Psalmistam dicitur: *Divites eguerunt, et esurierunt* (**Psal. XXXIII, 11**). Si enim de exteriori fame egestas eorum et esuries diceretur, profecto divites non essent, qui pane corporis indigerent. Sed quia dum exterius multiplicantur, interius inanes fiunt, et divites pariter et egentes esse memorantur, quia videlicet pane sapientiae satiari minime merentur. Filii itaque hujus hypocritae atteruntur egestate, quia hi qui in hypocrisi ex ejus imitatione nascuntur, dum veritatis soliditatem non tenent, in cordis egestate deficiunt.

CAPUT IX [*Vet. IV*].

IBID.---*Et manus illius reddent ei dolorem suum.*

10. *Aeternum hypocritis supplicium quasi quoddam debitum solvetur.*---Quid per manus nisi opera designantur? Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem justam ex iniqua recipiet operatione. Bene autem non dabunt, sed *reddent*, dicitur, quia perversae ejus actiones aeternum ei supplicium quasi quoddam debitum solvent. Sed priusquam ad aeterna supplicia perveniat, qualem se hic exhibeat plenius adjungat. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 11.---*Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiae ejus, et cum eo in pulvere dormient.*

11. *Hypocritas vitia nunquam deserunt.*---Origo pravae inchoationis causas culpae etiam praesumendo multiplicat. Dum enim mala agere quisque coeperit, usu jam deterius in hoc quod inchoaverat excrescit. Quid itaque adolescentia hujus hypocritae nisi inchoatio pravitatis est? In adolescentia quippe jam libido fervere inchoat. Et tunc adolescentiam hypocrita habet, cum appetere et amplecti libidinem gloriae coeperit. Quam in eo dum adulantium blanda fomenta multiplicant, robustiorem reddunt, et quasi in ossa convertunt. Hoc enim quod male coepit, pejus quotidie per consuetudinem roborat. Dicatur itaque: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiae ejus*, quia durae in eo pravitatum consuetudines a vitio sumptae sunt pessimae inchoationis. Unde 473 scriptum est in Proverbiis: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (**Prov. XXII, 6**). Quae nimirum ossa cum eo in pulvere dormient, quia eousque in illo iniquae consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis pulverem pertrahant. Cum eo enim in pulvere ossa vel vitia dormire est usque ad pulverem eum non deserere, id est usque ad mortem ab iniquitate minime cessare. Tenent igitur illum pravae consuetudines, quae semel coeperunt, atque quotidie duriores existunt. Et cum illo in pulvere dormiunt, quia non nisi cum ejus vita finiuntur. Sed haec intelligi et aliter possunt.

[*Vet. V.*] 12. *Multa simulantes habere quae non habent, perdunt etiam quae habent hypocritae.*---Habet namque

hypocrita nonnunquam forte ac validum aliquid in operatione; sed dum multa bona se simulat habere quae non habet, perdit etiam ea quae habet. Unde bene nunc dicitur: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiae ejus*. Quia cum levis ac mobilis multa pueriliter facit, etiam in iis quae fortia egerit in vitio mollescit. Quae videlicet ejus ossa cum eo in pulvere dormient, quia scilicet sicut pulvis est omnis simulatio illa, quam agit, ita et in illo si quid habet validum, omni soliditate vacuatur, ut per virtutis arrogantiam hoc quoque perdat, quod in eo potuit esse virtutis. Ossa ergo cum eo in pulvere dormire est cum pravis ejus actibus etiam si qua sunt bene acta deperire. Sequitur:

CAPUT XI.

VERS. 12.---*Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum abscondet illud sub lingua sua.*

13. *Hypocritae est sermonibus dulcia praetendere, cogitationibus perversa moliri.*---In ore hypocritae malum dulce est, quia ei est iniquitas suavis in mente. Os quippe cordis cogitatio est, de qua scriptum est: *Labia dolosa in corde, et corde locuta sunt mala* (**Psal. XI, 3**). Sed hoc malum, quod in ore hypocritae dulce est, sub lingua ejus absconditur, quia asperitas malitiae quae latet in mente, sub tegmine blandae locutionis operitur. Malum namque in lingua, et non sub lingua esset, si loquens hypocrita malitiam suae pravitatis aperiret. Sed sicut plerique justorum, cum quosdam agere perverse conspiciunt, qui duris sunt

increpationibus feriendi, in lingua asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis suae benignitatem contegunt. Unde et sanctae Ecclesiae sponsi voce dicitur: *Mel et lac sub lingua tua* (**Cant. IV, 11**). Qui enim mentis suae dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, et tamen inter verba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem, quia inter dura quae proferunt emittunt quaedam blanda et dulcia, quibus contristati mens possit ex benignitate refoveri. Ita perversi quique, quia malum non in lingua, sed sub lingua habent, sermonibus dulcia praetendunt, et cogitationibus perversa moliuntur. Hinc est enim quod Joab Amasae mentum dextera tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, ejus viscera effudit (**II Reg. XX, 9**). Dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri. Sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Hinc de ipso quoque eorum capite scriptum est: *Sub lingua ejus labor et dolor* (**Psal. X, 7**). Qui enim non aperte mala quae cogitat ostendit, laborem ac dolorem eorum quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. Bene autem de hoc hypocrita subditur:

CAPUT XII [*Rec. VI*].

VERS. 13.---*Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit* 474 *in gutture suo.*

14. *Hypocritae est perpetrata nunquam confiteri.*---Malo enim quod diligit, parcit, quia non hoc in

semetipsum poenitendo persequitur. Unde et additur: *Non derelinquet illud*. Si enim vellet relinquere, nequaquam parceret, quia persequeretur. Sed hoc celat in gutture, quia sic servat in cogitatione, ut nunquam proferat in voce. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 14.---*Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.*

15. *Hypocritae qua delectatur gloria, convertitur in fel aspidum.*---Quod panis in utero, hoc est satietas temporalis delectationis in mente. Satiatur ergo nunc hypocrita illata laude, delectetur honoribus; panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, quia satietas transitoriae delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertetur; et fel aspidum, id est malignorum, spirituum, persuasio fuisse cognoscitur, quod hic laus gloriae esse credebatur. Tunc enim iniqui vident quod antiqui serpentis veneno infecti sunt, dum, flammis ultricibus traditi, cum eodem suo persuasore cruciantur. Panis itaque iste aliud in ore sapit, sed aliud in utero, quia transitoriae delectationis laetitia dulcis est, cum hic quasi mandendo agitur; sed amarescit in utero, quia peracta laetitia deglutitur ad poenam.

[*Vet. VI.*] 16. *Scripturae sacrae mysteriis erudiri cupit hypocrita, non ut ex eis vivat, sed ut extollatur.*---Vel certe, quia panis, Scripturae sacrae intelligentia non inconvenienter accipitur, quae mentem reficit eique boni operis vires praebet, et plerumque hypocrita etiam sacri eloquii erudiri mysteriis

studet; non tamen ut ex eisdem vivat, sed ut caeteris hominibus quam sit doctus appareat; panis ejus utero illius in fel aspidum intrinsecus vertetur, quia dum de sacrae legis scientia gloriatur, vitae potum convertit sibi in veneni poculum; et inde reprobus moritur, unde ad vitam erudiri videbatur. Neque hoc autem inconvenienter accipitur, quod nonnunquam hypocrita, dum doctrinae verbo ad ostensionem studet, divino judicio caecatus, hoc ipsum verbum prave intelligit quod male quaerit. Cum vero in errorem haereseos labitur, contingit ei ut sicut de felle aspidum, sic infelix de pane moriatur; et in doctrina sua mortem invenit, quia in verbis vitae vitam minime quaesivit. Saepe vero evenit ut divinae admonitionis eloquia, etiamsi recte hypocrita intelligat, quia in opere nequaquam servat, haec etiam prius quam praesentis vitae cursum finiat amittat, ut perdat scire quod sciendo noluit agere. Unde et subditur:

CAPUT XIV [*Vec. VII.*]

VERS. 15.---*Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.*

17. *Contempto bono opere, saepe etiam scientiam perdit hypocrita.*---Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere. Vult docte loqui, nec vivere. Pro eo ergo quod non agit quae novit, etiam hoc quod novit amittit, ut quia scientiae suae puram operationem non sociat, contempta puritate boni operis et scientiam perdat. Divitias igitur sacrae legis, quas legendo devoravit, obliviscendo evomit, easque de ventre

illius Deus extrahit, quia quod observare noluit, justo iudicio de eius memoria evellit, ne praecepta Dei saltem in lingua teneat, quae non servavit in vita. Unde per Prophetam dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (Psal. XLIX, 16)?* Quae etiam verba doctrinae, si quando contingit, ut hypocrita usque ad finem videatur in ore retinere, **475** inde magis damnabitur, unde bono Dei munere etiam malus minime privatur. Scriptum quippe est: *Memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea (Psal. CII, 18).* Qui ergo mandata illius memoria retinet, sed nequaquam facit, hic in doctrinae verbis sententias, quibus damnetur, tenet.

[*Rec. VIII.*] 18. *Sacra eloquia ad aeternam damnationem sunt eis qui ea aut scire nolunt, aut sciendo contemnunt.*---Hinc quippe in Zacharia scriptum est: *Quid tu vides, Zacharia? Et dixi: Ego video volumen volans, longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me: Haec est maledictio quae egredietur super faciem universae terrae, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur (Zach. V, 2).* Quid namque est volumen volans, nisi Scriptura sacra? Quae dum de coelestibus loquitur, ad superiora mentis nostrae levat intentionem, quia dum illam super nos esse aspicimus, ima attendere, id est concupiscere devitamus [*Vet. VII.*] Quae latitudinem decem cubitorum, longitudinem vero viginti habere perhibetur, quia latitudo operationis nostrae simpla est, et longanimitas spei in duplum tenditur, quoniam pro bono nostro opere et hic nobis mentis requies, et illic gaudia aeterna praeparantur, Veritate attestante, quae ait: *Si quis reliquerit domum, aut agros, et caetera, centuplum in hoc saeculo recipiet, et in futuro vitam*

aeternam possidebit (**Matth. XIX, 29; Luc. XVIII, 30**). Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nihil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc saeculo habere nihil quaerit. Quia ergo per hanc duplum nobis pro simplo redditur, recte hoc volumen per viginti cubitos in longum tenditur, quod per decem dilatatur. Sed quia haec ipsa sacra eloquia ad aeternam damnationem sunt eis qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt, recte de hoc volumine dicitur: *Haec est maledictio, quae egredietur super faciem universae terrae* (**Zach. V, 3**). Et cur maledictio dicatur, adjungit: *Quia omnis fur sicut ibi scriptum est, judicabitur*. Hypocrita igitur, quia secundum verba legis quae novit vivere contemnit, et de doctrina favores quaerit, fur judicabitur, quia per hoc quod justa loquitur, laudem sibi vitae justorum rapit. De quo adhuc bene subditur:

CAPUT XV [*Rec. IX*].

VERS. 16.---*Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperae.*

19. *Diabolus in tentatione prius leniter subrepat, postea violenter trahit.*---Aspis parvus est serpens, vipera vero prolixioris est corporis; et aspides ova gignunt, atque ex ovis eorum filii procreantur, viperae autem cum conceperint, filii earum in ventre saeviunt, qui ruptis lateribus matrum ex earum ventribus procedunt. Unde et vipera, eo quod vi pariat, nominatur. Vipera itaque sic nascitur ut violenter exeat, et

cum matris suae extinctione producat. Quid ergo per aspides parvos nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius persuasione subripiunt? Quid vero per linguam viperae, nisi violenta diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter subripit, postmodum vero etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum sugit, quia initium suggestionis occultae parvum prius in corde nascitur, sed occidit eum lingua viperae, quia postmodum capta mens veneno violentae tentationis necatur. Primum subtilibus consiliis ad cor hominis immundi spiritus loquuntur, qui dum leniter persuadent, quasi venenum aspidum 476 fundunt. Unde scriptum est: *Ova aspidum ruperunt et telas araneae texuerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum* (Isai. LIX, 5). [Vet. VIII.] Ova quippe aspidum pravis hominibus rumpere est malignorum spirituum consilia, quae in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque araneae texere est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quaelibet operari. Quae dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitae mortalis rapit. Bene autem additur: *Qui comederit de ovis eorum morietur* (Ibid.), quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animae occidit. *Et quod confotum est erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque serpentum rex dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum fuerit, erumpet in regulum, quia is qui in se enutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus in corpus Antichristi accrescit. De hoc itaque hypocrita dicitur: *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperae*, quia cum iniquam suggestionem antiqui

hostis libenter suscipit, violentis se postmodum ejus tentationibus devictus tradit. Unde et in paradiso quoque, stanti homini verba blandae persuasionis intulit (**Genes. III, 5 seq.**); sed quem semel rapuit ad consensum, jam nunc etiam renitentem trahit, et corruptionis suae delectationibus devictum pene violenter interficit. Sed fortasse haec ipsa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia veneno suo aspis concite, vipera autem tardius occidit, per aspidem violenta et subita, per viperam vero lenis et diuturna tentatio designatur. Unde et illi mors in suctione capitis, viperae autem in lingua esse perhibetur, quia repentina tentatio saepe inopinatam mentem mox ut surgit interficit; longa vero tentatio, quia prava diutius persuadendo suggerit, velut ex lingua vipera occidit. Et quia omnis hypocrita, immundorum suggestionem spirituum, quasi serpentum veneno, penetratus, quae sint superna sancti spiritus dona nequaquam considerat, dum intentionem cordis in exterioribus favoribus divulgat, recte subjungitur:

CAPUT XVI [*Rec. X*].

VERS. 17.---*Non videat rivulos fluminis torrentis mellis et butyri.*

20. *Hypocrita fidei, spei, et charitatis exors.*---In Evangelio Dominus dicit: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae* (**Joan. VII, 38**). Ubi Evangelista subjungit, dicens: *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Rivuli ergo sunt

fluminis dona Spiritus sancti. Rivulus est fluminis charitas, rivulus fluminis fides, rivulus fluminis spes. Sed quoniam omnis hypocrita nec Deum, nec proximum diligit, cum transitoriam mundi gloriam quaerit, rivulos fluminis non videt, quia irrigatione non infunditur charitatis. Hypocrita, dum praesentia lucra quaerit, munera futura despicit, et fidem non habens, rivulum fluminis mente non videt, quia *est fides rerum argumentum non apparentium* (**Hebr. XI, 1**). Et dum retinet hypocrita quae videntur, spem negligit eorum quae non videntur. Rivulum ergo fluminis per desiderium non videt, quia solis visibilibus intendit. Et scriptum est: *Quod enim videt quis, quid sperat* (**Rom. VIII, 24**)? Rivulos ergo fluminis vidisset, si a 477 praesentis mundi gloria oculos clauderet, eosque ad coelestis patriae amorem aperiret. Et notandum quod non rivos, sed rivulos dicit. Accipi enim rivuli fluminis possunt ea dona spiritualia, quae in amantis mentem ita de coelestibus subtiliter currunt, ut per os carnis expleri non possint. Saepe namque amantis animus tanto contemplationis munere repletur, ut videre valeat, quod loqui non valet. Fluvius autem torrens est ipsa inundatio Spiritus sancti, quae in contemplantis animum exuberanti infusione colligitur, cum mens plus quam intelligere sufficit, repletur. [*Vet. IX.*] Et sciendum quia cum nos Spiritus sancti gratia infundit, melle nos pariter et butyro replet. Mel enim desuper cadit, butyrum vero ex animalium lacte colligitur. Mel itaque ex aere, butyrum vero ex carne est. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suae et mysterio incarnationis replevit, melle nos pariter et butyro satiavit. Quia ergo spiritus Christi mentem quam repleverit, et divinitatis ejus dulcedine, et incarnationis fide laetificat, isti

rivuli torrentis fluminis mellis simul et butyri esse memorantur, quia et de cognitione Dei alta mentem suavitate reficiunt, et de incarnationis gratia charismatis hanc mysterio perungunt. Sed iste hypocrita quia, in exterioribus favoribus fusus, haec interna dona non percipit, ad quae post supplicia tendat adjungit, cum subditur:

CAPUT XVII [*Rec. XI*].

VERS. 18.---*Luet quae fecit omnia, nec tamen consumetur.*

21. *Damnati semper moriuntur nunquam morte consumendi.* --Persolvit enim in tormento ea quae hic illicite servavit desideria; et, flammis ultricibus traditus, semper moritur, quia semper in morte servatur. Non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam poena finiretur. Sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in poena compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in poena. Dicat ergo: *Luet quae fecit omnia, nec tamen consumetur*, quia cruciatur, et non exstinguitur; moritur, et vivit; deficit, et subsistit; finitur semper, et sine fine est. Haec solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passione! Sed quia multitudo iniquitatis ejus exigit ut carere suppliciis nunquam possit, apte subjungitur:

CAPUT XVIII.

IBID.---*Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.*

22. *Novis inventis cruciantur ad poenam, qui multa invenerunt ad culpam.*---Quia enim multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in poena. Nam quod hic suspicari non potuit, hoc illic ultioni traditus sentit. Sicut enim exercitati in bonis operibus electi nonnunquam plus student agere quam eis dignatus est Dominus jubere (carnis enim virginitas nequaquam jussa est, sed tantummodo laudata; nam si illa juberetur, nimirum conjugium jam culpa crederetur, et tamen multi virtute virginitatis pollent, ut videlicet plus impendant obsequio quam acceperunt praecepto), sic plerumque perversi quique in pravis actibus exercentur, ut plus inveniant in perversa operatione quod faciant, quam ex usu reproborum iniquitatis accipere exempla **478** potuerunt. Unde et amplioris retributionis tormento feriuntur, quia et ipsi ex semetipsis amplius actiones pravas, de quibus feriri debeant, invenerunt. [*Vet. X, Rec. XII.*] Bene itaque dicitur: *Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.* Non enim inveniret iniquitatem novam, nisi et quaereret; et non quaereret, nisi ex studio perpetrare festinaret. Pensatur ergo in tormento ejus nimietas malae cogitationis, et dolorem recipit dignae retributionis. Et quamvis damnatorum omnium sit dolor infinitus, graviora tamen tormenta recipiunt, qui multa in iniquitatibus ex suis quoque desideriis invenerunt. Sed quia Sophar hujus hypocritae intulit poenam, protinus adjungit culpam, nec unam quamlibet narrat, sed eam de qua omnes oriuntur. Scriptum quippe est: *Radix omnium malorum est cupiditas* (**I Tim. VI, 10**). Cui ergo cupiditas

dominari dicitur, subjectus procul dubio malis omnibus demonstratur. Nam subjungit:

CAPUT XIX.

VERS. 19, 20.---*Quoniam confringens nudavit pauperis domum, rapuit, et non aedificavit eam, nec est satiatus venter ejus.*

23. *Aeterna poena multatur qui sua non erogavit; quanto magis qui rapuit aliena. Avaritia obtentis bonis desideratis crescit, non exstinguitur.*---Domum pauperis confringit et nudat, qui eum quem per potentiam conterit spoliare quoque per avaritiam non erubescit. Rapit eam, et non aedificat. Ac si aperte diceretur: Qui hanc aedificare debuit insuper rapit. Venturus namque in iudicio Dominus dicturus est reprobis: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non operuistis me, et caetera (Matth. XXV, 42).* Ex qua culpa subjungitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Ibid.).* Si igitur tanta poena multatur, qui non dedisse sua convincitur, qua poena feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse? Rapuit ergo, et non aedificavit eam, quia non solum de suo nil tribuit, sed etiam quod erat alienum tulit. Bene autem subditur: *Nec est satiatus venter ejus.* Venter quippe iniqui avaritia est, quia in ipsa colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus

non exstinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna quae consumat acceperit, accrescit; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari. Et saepe omnipotens Deus cum avarae menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, et post hanc per ultionem subtrahit, ut pro eis debeat supplicia aeterna tolerare. Unde et subditur:

CAPUT XX.

VERS. 20.---*Et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit.*

24. *Majoris irae signum est, cum hoc tribuitur quod male desideratur.*---Majoris quippe iracundiae est cum hoc tribuitur quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupivit. Unde et per Psalmistam dicitur, cum escam carnis male populus desiderasse perhibetur: *Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, et occidit plurimos eorum (Psal. LXXVII, 31).* Solent namque tardius apparere divina judicia, cum praepediuntur, ne impleri **479** debeant mala vota. Nam quanto citius malum votum impleri permittitur, plerumque tanto celerius punitur. Unde ergo hypocrita festine multiplicatur ut potens sit, inde agitur cum celeritate ne sit, quia et arbusta quae tardius crescunt annosa perdurant; et quae in temporis brevitae proficiunt celerius

arescunt, et quasi cum festinant esse tendunt ad non esse.
Sequitur:

CAPUT XXI [*Vet. XI*].

VERS. 21.--- *Nec remansit de cibo ejus.*

25. Cibus ejus est omne hoc quod perverso desiderio concupivit. Sed percusso hypocrita, de cibo suo nil remanet, quia cum ipse ad aeterna supplicia ducitur, a cunctis bonis quae hic possederat alienatur. Unde et adhuc subditur:

IBID.---*Propterea nihil permanebit de bonis ejus.*

Si enim de bonis suis ei aliquid permaneret, secum quae habuerat tolleretur. Sed quia omnia ambiens timere judicem noluit, ex hac vita subtractus, ad judicem nudus vadit. Cui tamen iniquo ad retributionem minus est quod in subsequenti poena cruciatur, si in hac saltem vita liber esse permittitur. Sed nulla est libertas in culpa, quia scriptum est: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. III, 17). Et plerumque perversae menti ipsa sua culpa fit poena. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXII [*Rex. XIII*].

VERS. 22.---*Cum satiatus fuerit, arctabitur.*

26. *Divitum ex satietate angustia.*---Prius quippe anhelat per avaritiam concupita congregare; et cum quasi in quodam ventre avaritiae multa congesserit, satiatus arctatur, quia dum anxietur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes fructus ager attulerat, sed quia ubi eos tantos reponeret non habebat, dixit: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, et majora aedificabo (Luc. XII, 17).* Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat: *Quid faciam?* quasi multo cibo pressus aestuabat. Pensemus quot votis appetiit ut uberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt, quia fructus uberes ager attulerat. Sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata! De ubertate agri angustatur animus avari. Dicens namque: *Quid faciam?* profecto indicat quia, votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat. Bene ergo dicitur: *Cum satiatus fuerit, arctabitur.* Quia mens avari, quae prius ex abundantia requiem quaesierat, post ad custodiam gravius laborabat. Unde hic quoque adhuc subditur:

CAPUT XXIII.

IBID.---*Aestuabit, et omnis dolor irruet in eum.*

27. *In acquirendis et custodiendis divitiis anxietas aeternis suppliciis praeludit.*---Prius namque dolorem habuit in ipsa suae concupiscentiae fatigatione, qualiter concupita raperet,

quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret; at postquam acquisitis rebus pervenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum sollicito timore custodiat quod cum gravi labore meminit acquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque se hoc perpeti quod ipse fecit aliis pertimescit. Formidat potentiorum alterum, ne hunc sustineat violentum; pauperem vero cum conspicit, suspicatur furem. Ipsa quoque quae congesta sunt curat magnopere, ne ex naturae propriae defectu **480** per negligentiam consumantur. In his itaque omnibus quia timor ipse poena est, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Post hoc quoque ad gehennam ducitur, et aeternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor super eum irruit, quem et hic prius poena concupiscentiae, postmodum vero cura custodiae, et illic quandoque poena ultionis cremat.

[*Vet. XII.*] 28. *Mira cordis, avaritiae non expositis securitas.* --Mira autem est securitas cordis, aliena non quaerere, sed uniuscujusque diei victu contentum manere. Ex qua videlicet securitate etiam perennis requies nascitur, quia a bona et tranquilla cogitatione ad gaudia aeterna transitur. Quo contra reprobi et hic fatigantur in desideriis, et illic in tormentis; eisque de labore cogitationis labor doloris nascitur, dum ab aestu avaritiae trahuntur ad ignem gehennae. Et quia, ut supra jam diximus, saepe perversus quisque quanto citius pervenit ad desiderium, tanto facilius rapitur ad tormentum, optando subjungitur:

CAPUT XXIV.

VERS. 23.---*Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum!*

29. *Super divitem avarum pluunt Dei jacula.*---Super hunc hypocritam bellum suum Dominus pluit cum judiciorum suorum gladiis ejus opera percutit. Bellum namque Deo pluere est iniqui vitam districtis sententiis desuper ad interitum urgere. Bellum Deo pluere est superbientia contra se corda percutere, et mentem aridam, quasi quibusdam guttis pluviae densescentibus, judiciorum suorum jaculis ferire, ut cum jam ad iudicium rapitur, modo meminerit quia male concupivit, et concupita pejus congregare studuit, modo doleat quod congregata deserit, quandoque autem et ultionis ignem sentiat, quem, ne bene viveret, praevidere contempsit. Sequitur:

CAPUT XXV [*Rec. XIV*].

VERS. 24.---*Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum.*

30. *Temporalem inopiam cavens, perpetuae, simulque aeternis suppliciis addicitur avaritia.*---Sciendum quod avaritia aliquando per elationem subrepat, aliquando vero per timorem. Sunt namque nonnulli qui dum potentiores videri appetunt, ad alienarum rerum ambitum succenduntur. Et sunt nonnulli qui dum sibi subsidiorum necessaria deesse timent, mentem ad avaritiam relaxant, et aliena ambiunt, cum sua sibi sufficere non posse suspicantur. Omnis vero necessitas non

incongrue ferrum vocatur, quia vitam inopis moeroris vulnere cruciat, sicut de ejus quoque necessitatibus scriptum est qui a fratribus venditus afflictam vitam ducebat: *Ferrum pertransivit animam ejus (Psal. CIV, 18)*. Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitae praesentis, quae dure premunt, et vitam inopis insequuntur? Ferrum quippe aerugo consumit, aes autem consumere difficilius solet. Ferro ergo necessitas praesens, quae transitoria est, aere autem sententia aeterna figuratur. Et quia judicium supernum ab iniqui mente non attenditur, juste arcui comparatur, quoniam velut ex insidiis percutit, dum illud is qui percutitur non attendit. Fugiet ergo arma ferrea, et irruet in arcum aereum, quia dum, praesentes necessitates metuens, multa per avaritiam rapit, extremi judicii districtis se percussionebus anteponit. Et cum fugit arma ferrea, ab arcus aerei sagittis invenitur, quia, mala temporalia stulte praecavens, sententia aeterna **481** percutitur. Qui enim hic inopiae duritiam cum culpa fugit, illic perpetuitatem justae ultionis invenit. [*Vet. XIII.*] Sed priusquam ad judicium rapiatur, adhuc quae iniquus iste hic operetur insinuat. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XV*].

VERS. 25.---*Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua.*

31. *Ad peccatum a diabolo tracti, propria voluntate egredimur.*---Iniquus iste insidiatur depredationibus

proximorum; sed dum prava in cogitationibus machinatur, quasi adhuc gladius in vagina est; dum vero malum quod cogitavit inique perficit, de vagina sua egreditur, quia de occultatione cogitationis suae per iniquitatem malae operationis aperitur. Ostenditur in opere qualis latuit in cogitatione. Et notandum quod ait: *Eductus, et egrediens de vagina sua*; eductus scilicet per seductorem, egrediens vero per propriam voluntatem. Nam is qui ducitur ducentem procul dubio sequitur; qui autem egreditur, secundum suam pergere voluntatem videtur. Qui ergo ad mala quaeque opera et ab antiquo hoste trahitur, et tamen suo libero arbitrio in eorum desideriis obligatur, de vagina sua eductus et egrediens dicitur, quoniam hoc quod ex prava cogitatione exit ad pessimam operationem, et illius est spiritus qui suggessit, et ejus nequitiae qui ex propria voluntate consensit.

32. *Iniqui quo magis splendent, eo acrius punientur.* Cujus adhuc potentiae terror ostenditur cum protinus subinfertur: *Et fulgurans in amaritudine sua.*---Fulgur quippe cum repente desuper venit, cum terrore ante oculos clarescit, claritatem ostendit, et anteposita percutit. Sic sic videlicet iniquus cum gloriam vitae praesentis assumpserit, unde in hoc mundo per potentiam clarus ostenditur, inde agitur ut in ultimo feriat. Quasi enim fulgurare iniqui est in hujus vitae honore clarescere. Sed quia splendor gloriae illius aeternis gehennae suppliciis mancipatur, recte nunc dicitur: *Fulgurans in amaritudine sua.* Qui enim modo quasi ex terrore et claritate feriens gaudet, inde post supplicia in perpetuum sustinet. Et quidem de quodam divite scriptum est (**Luc. XVI, 19**) quia epulabatur quotidie splendide. Sed aliud est splendere, atque aliud fulgurare. Nonnunquam quippe splendor sine

percussione est, fulguris vero nomine splendor exprimitur cum percussione. Qui itaque in potestate positus aliis nocet, non incongrue fulgurans dicitur, quia unde ipse contra bonos quasi ex luce gloriae extollitur, inde bonorum vita cruciatur. Sequitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XVI*].

IBID.---*Vadent, et venient super eum horribiles.*

33. *Quot vitiis sibi succedentibus premitur peccator, tot malignis spiritibus euntibus ac redeuntibus devastatur.*---Qui hoc loco horribiles, nisi maligni spiritus appellantur, bonis videlicet mentibus pavendi atque fugiendi? Et quia iidem maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credendi, cum perversus iste alia quidem vitia ad momentum deserere videtur, sed alia agere incipit, super hunc profecto horribiles vadunt et veniunt, quia perversi mentem, etsi alia mala deserunt, alia occupant. Saepe namque videas iniquum in terrena potestate constitutum, gravi furore commoveri, quidquid ira suggesserit exsequi; et cum furor abscesserit, mox **482** ejus mentem luxuria devastat; cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quasi de continentia in ejus cogitatione subrogatur, atque ut a caeteris timeatur, appetit videri terribilis. Sed cum res exigit ut loqui quid dupliciter debeat, quasi postposito terrore superbiae, remissa locutione blanditur; et cum superbus videri desierit, duplex effici non pertimescit. In cujus ergo mentem vitia vitiis

succedunt, recte de eo dicitur: *Vadent, et venient super eum horribiles*, quia quot vitiis decedentibus et succedentibus premitur, tot malignis spiritibus ejus animus quasi euntibus ac redeuntibus devastatur. Sed haec quae agit extrinsecus per partes prodeunt; nam menti ejus simul omnia mala colligantur. Unde et subditur:

CAPUT XXVIII.

VERS. 26.---*Omnes tenebrae absconditae sunt in occultis ejus.*

34. *Omnia vitia in hypocritae mente sunt colligata.*--- Quamvis enim hypocrita actiones bonas in superficie ostendat, quaedam tamen in eo malorum operum tenebrae apparent; sed tamen minus prodit in opere quam in ejus latet cogitatione. Nam qui cuncta simul in effectu non explet, cuncta quae noceant in mente tacitus tenet. Omnes ergo tenebrae in occultis ejus absconditae dicuntur, quia etsi in se mala omnia non ostendit, omnia tamen inferre proximis appetit. [*Vet. XIV, Rec. XVII.*] Sed mens ista sic reproba qua ultione sit ferienda subjungat. Sequitur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Devorabit eum ignis, qui non succenditur.*

35. *Ignis gehennae mire fovetur, et animam et corpus cruciat.*---Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennae. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur; nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennae ignis, cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inexstinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*, quia Omnipotentis justitia, futurorum praescia, ab ipsa mundi origine gehennae ignem creavit, qui in poena reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum vero est quod omnes reprobi, quia ex anima simul et carne peccaverunt, illic in anima pariter et carne cruciantur. Unde per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis (Psal. XX, 10).* Clibanus namque intrinsecus ardet, is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente. Unde hic quoque cum de hoc impio diceretur: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur*, protinus de ejus spiritu additur:

CAPUT XXX [*Rec. XVIII*].

IBID. *Affligetur relictus in tabernaculo suo.*

36. *Mali qui de corpore nunc nolentes educuntur, in corpore tenebuntur inviti.*---Iniqui enim tabernaculum caro est, quia ipsam laetus inhabitat, et si sit possibile, optat ut eam nunquam relinquat. Justi vero, quia gaudium suum in spe coelestium **483** ponunt, eorumque conversatio in coelis est (**Philip. III, 26**), cum adhuc in carne sint quasi in carne jam non sunt, quia nulla carnis delectatione pascuntur. Unde et quibusdam dicitur: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (**Rom. VIII, 9**). Neque enim in carne non erant qui per magistri epistolas exhortationis eloquia suscipiebant; sed quasi jam non in carne esse est de amore carnalium nihil habere. At contra iniquus iste, quia omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitavit. Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennae igni traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit, tunc ejus tormenta evadere, si valeat, quaerit; tunc incipit velle vitare quod amavit. Sed quia eandem carnem Deo praeposuit, judicante Deo agitur, ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur; illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. Quia ergo ejus spiritus carnem quam sibi male amando praeposuit evadere in tormento volet et non valet, recte nunc dicitur: *Affligetur relictus in tabernaculo suo.* De cujus accusatione mox dicitur:

CAPUT XXXI [*Vet. XX, Rec XIX*].

VERS. 27.---*Revelabunt coeli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.*

37. *Iniqui in judicio accusatores experientur justos et injustos.*---Quid per coelos nisi justos, et quid per terram nisi peccatores accipimus? Unde et in Dominica oratione petimus: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra* (**Matth. VI, 10**), ut videlicet voluntas nostri conditoris sicut in omnibus justis perficitur, ita et in omnibus quoque peccatoribus impleatur. De justis quoque scriptum est: *Coeli enarrant gloriam Dei* (**Psal. XVIII, 1**). Et peccanti homini sententia infertur, qua dicitur: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Hujus itaque impii ad illud terribile judicium deducti revelant coeli iniquitatem, et terra consurgit adversus eum, ut qui hic nec bonis unquam nec malis pepercit, in illo eum tremendo examine et justorum vita et peccatorum pariter accuset. Et gravius quidem est si quis justis potius quam peccatoribus noceat. Unde et per prophetam dicitur: *Sanguis ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum; non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere* (**Ezech. XXIV, 7**). Per terram videlicet et pulverem peccatores, per petram vero limpidissimam justum signans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentae mentis in afflictione justae animae grassatur. Cum ergo sit gravius justos quam injustos injuste affligere, multo tamen est gravius et justis pariter et injustis nocere. Quia ergo hic iniquus et justis pariter nocuit et injustis, in accusatione condemnationis revelabunt coeli iniquitatem ejus,

et terra consurget adversus eum, quia et illis obstitit qui coelestia, et eos pressit qui ima sapuerunt. Possunt vero per terram non peccatores et reprobi, sed hi qui, terrenis actibus occupati, eleemosynarum et lacrymarum ope ad aeternam vitam perveniunt designari, de quibus per Psalmistam dicitur, cum venire Dominus ad iudicium nuntiaretur: *Advocavit coelos sursum* **484** *et terram, ut discerneret populum suum* (**Psal. XLIX, 4**). Coelos quippe sursum advocat cum hi qui, sua omnia relinquentes, conversationem coelestis vitae tenuerunt ad consedendum in iudicio vocantur, atque cum eo iudices veniunt. Terra etiam sursum vocatur cum hi qui terrenis actibus obligati fuerant, in eis tamen plus coelestia quam terrena lucra quaesierunt, quibus dicitur: *Hospes eram et collegitis me; nudus, et operuistis me* (**Matth. XXV, 43**). Hypocritae itaque huius coeli iniquitatem revelant, atque adversus eum terra consurgit, dum et hi qui cum Deo iudices veniunt, et hi qui per iudicium liberantur pravitatis illius testes existunt. Nihil ergo de his quae egit in tempore damnationis ejus absconditur, et si quidem acta illius modo hominibus per duplicitem multa celantur, sed in damnationis die quidquid in eo intrinsecus latebat ostenditur. Unde apte subjungitur:

CAPUT XXXII [*Vet. XVI*].

VERS. 28.---*Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.*

38. *In iudicio mala intus latentia revelabuntur.*---Tunc germen domus illius aperitur, cum omne malum quod in conscientia illius nascebatur ostenditur. Modo quippe germen domus hypocritae manet occultum, quia etsi bona in imagine apparet ejus operatio, sed latet intentio. Aliud est namque quod agit, aliud quod intendit. Sed cum, adveniente iudice, uniuscujusque conscientia ad testimonium fuerit deducta, unde scriptum est: *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus (Rom. II, 15)*, in hoc hypocritae germen domus aperitur, quia in ejus mente cogitatio perversa detegitur. Et in die furoris Dei detrahitur, quia, ostensa ira iudicis, flammis ultricibus traditus, ab ejus conspectu separatur. Qui enim summa cogitare dum viveret noluit, peccatorum suorum pondere depressus, a facie iudicis in ima suppliciorum cadet. Nunc autem et peccantem considerat iudex et tolerat, atque ad conversionem singulos, quia dies patientiae, et necdum est dies furoris, exspectat. Sed in hoc die patientiae quasi immobilis manet hypocrita, dum et multa mala perpetrat, et hunc flagella nulla castigant. Sed in furoris die detrahetur, quia, vindictae tempore raptus ad supplicia, ab aeterni iudicis vultu separatur. Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Rec. XX*].

Haec est pars hominis impii a Deo, et haereditas verborum ejus a Domino.

39. *In iudicio vel minima mala punientur.*---Si enim bene agere in hac positus vita voluisset, partem apud Dominum

coelestis regni consortium haberet. Sed quia pravis subdi desideriiis elegit, partem suam a Domino in tormentis invenit, quia ejusdem Domini participare gratiam non quaesivit. Bene autem dicitur: *Et haereditas verborum ejus a Domino*. Qui enim pro magnis malis in supplicium mergitur, fortasse credebatur quod pro verbis quae male dixerat minime judicaretur. Sed cum districta Dei omnipotentis justitia supplicium a reprobis pro perversis actibus exigit, eis mala usque ad verborum retributionem reddit, ut qui de magnis malis debitores sunt, suppliciis traditi, etiam novissimum quadrantem solvant. Illis enim minima parcuntur qui majora in se districte male defleverunt. Nam quos magna premunt, etiam mala minima in gehenna pariter affligunt. **485** Sancti autem viri non partem a Domino accipere, sed partem suam ipsum Dominum habere desiderant. Unde Propheta deprecatur, dicens: *Portio mea Dominus* (**Psal. LXXII, 26**) Iniquus vero quia portionem suam habere ipsum Dominum non quaesivit, partem suam extra Dominum ignem invenit, ut ab ejus facie exclusus, quia gaudere in ipso non appetiit, sub ipso crucietur. Haec Sophar ita intulit, ut per ea quae contra hypocritam dixerat beati Job vitam feriret, existimans quod is qui a Domino percussus esset cuncta bona quae egerat mente simplici non egisset. Quem enim percussum vidit, Deo displicuisse credidit. Sed amici beati Job etiam in hac re haereticorum speciem tenent, qui in sancta Ecclesia dum quosdam bene agentes aspiciunt sub flagellis gemere, eos existimant bona merita in bonis actibus non habere, et malos credunt quos affligi verberare divino conspiciunt, videlicet nescientes quia *multae tribulationes justorum* (**Psal. XXXIII, 20**); et *flagellat omnem filium quem recipit* (**Hebr. XII, 6**). Sed beatus Job more sanctae et

universalis Ecclesiae, quae a perversis verborum jacula aequanimiter tolerat, et cum superbiorum dicta audit, humilitatis suae tramitem non relinquit, cum magna cordis humilitate subjunxit, dicens:

CAPUT XXXIV [*Vet. XXII, Rec. XXI*].

CAP. XXI, VERS. 2.---*Audite quaeso sermones meos, et agite poenitentiam.*

40. *Sancti dum recte docent, irrideri non metuunt.*---Qui enim cum diceret *Audite*, addidit *Quaeso*, cum quanta humilitate loquatur insinuat, dum contra se superbientes rogat, ut eorum sensum ad salutis doctrinam reducat. Sancti autem viri dum intra universalem Ecclesiam non solum docere recta, sed etiam perversa tolerare parati sunt, irrideri non metuunt. Unde et subditur:

CAPUT XXXV.

VERS. 3.---*Sustinete me, ut et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete.*

41. *Sancti in verbis suis quaerunt auditoribus suis, et sibi prodesse. Superbis auditoribus grave onus est doctrina humilitatis.*---Boni etenim, cum loquuntur, duo sunt quae in

suis locutionibus attendunt, ut videlicet aut sibi et auditoribus suis, aut sibimet solis prosint, si auditoribus prodesse non possunt. Cum enim bene audiuntur bona quae dicunt, sibi simul et auditoribus prosunt. Cum vero ab auditoribus deridentur, sibi procul dubio profuerunt, quos a culpa silentii liberos fecerunt. Beatus itaque Job ut sibi et suis auditoribus prosit, dicat: *Audite quaeso sermones meos, et agite poenitentiam.* Ut autem ipse quod debet exsolvat, etiam si auditoribus prodesse non valeat, adjungit: *Sustinete me, ut et ego loquar, et post, mea, si videbitur, verba ridete.* Et notandum quia dum subjungeret *Agite poenitentiam*, praemisit *Audite*; cum vero subderet: *Post mea, si videbitur, verba ridete*, praemisit *Sustinete me*. Audire quippe volentis est, sustinere nolentis. Amici ergo ejus si doceri appetunt, audiant; si autem irridere parati sunt, sustineant quae dicuntur, quia videlicet superbis mentibus pondus grave est oneris doctrina humilitatis. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXII*].

VERS. 4.---*Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?*

42. *Job ex flagellis humilior, Deo displicuisse tantum timuit.* --Omnis qui Deo placens hominibus displicet, causas tristitiae nullas habet. Qui autem aut hominibus placens Deo displicet, aut simul Deo et hominibus **486** displicere se credit, si hunc tristitia non afficit, a virtute sapientiae alienus existit. Beatus autem Job displicuisse Deo inter flagella se credidit, et idcirco

animum ad tristitiam revocavit, quia despiciendus non erat cui se displicuisse formidabat. Si autem de vitae suae meritis contra hominem disputaret, nequaquam contristari debuisset; sed quia per flagella praesentia anceps factus de anteacta vita fuerat, in flagello tristitiam jure requirebat. Unde etiam subdit:

CAPUT XXXVII.

VERS. 5.---*Attendite me, et obstupescite.*

43. *Ex Job percussionibus discendum quid formidare debeamus.*---Id est, considerate quae egi, et admiramini in hac percussione quae patior. Qui adhuc recte subinfert, dicens:

IBID.---*Et superponite digitum ori vestro.*

Ac si aperte dicat: Scientes bona quae egi, et considerantes mala quae patior, vosmetipsos etiam a verborum culpa compescite, atque in meis percussionibus vestra damna formidate. Vel certe quia digitis quaeque discernimus, non incongrue per digitum discretio designatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum* (**Psal. CXLIII, 1**). Per manus videlicet operationem, per digitos vero discretionem designans. [*Vet. XVIII.*] Digitus ergo ori superponitur cum per discretionem lingua refrenatur, ne per hoc quod loquitur in stultitiae culpam delabatur. Ait ergo: *Superponite digitum ori vestro*, id est, locutioni vestrae discretionis virtutem adjungite, ut per haec quae recta contra hypocritam dicitis quibus sint dicenda videatis. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

VERS. 6.---*Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.*

44. *Quaedam ironice et per irrisionem a sanctis dicuntur.*--- Quia beatus Job actuum suorum oblitus non fuerit, extrema locutio ejus ostendit. Qua ex re hoc quod ab eo nunc amicis dicitur: *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor*, constat nimirum quod per irrisionem dicatur. Ac si aperte diceretur: Si me aliquid hypocritae habuisse meminero, in poenitentiae mox fletu contremisco. Carmen vero suum, si recordatus fuerit, tremore perhibet concuti, id est infirmitatem operis ultionis pavore fatigari. Sed quia multa Sophar de subita damnatione impii, in quibus beati Job potentiam momordit, asseruit, sanctus vir contra ejus dicta subjungit, dicens:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXIII*].

VERS. 7.---*Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?*

45. *Expenditur hujus vitae felicitas, in dignitatibus et divitiis, in liberis et propinquis; in pacata domo; in armentorum fecunditate; in familiae multitudine et exultatione.*---Nisi enim eos patientia divina toleraret, nequaquam diu vitam in

peccatis ducerent. Sublevantur namque divitiis cum esse potentes incipiunt, confortantur vero cum diu in hac vita subsistere permittuntur. Quos enim substantia elevat, in suae fastu potentiae dierum longitudo confortat. Vel certe sublevati et confortati referuntur, quia sublevantur honoribus, confortantur rebus. Sed sunt plerique qui et honoribus sublevati, et divitiis confortati, ea quae in hac concupiscunt vita accipiunt, successione autem sobolis privantur. Istis nimirum ipsa sua potentia poena est, cum et magnam se habere haereditatem considerant, et haeredes non habent quibus relinquant. Quid itaque prodest **487** si adsint omnia, et desint filii qui successores fiant? Sequitur:

CAPUT XL.

VERS. 8.---*Semen eorum permanet coram eis.*

46. In augmentum magnae felicitatis, cum magno patrimonio dantur et haeredes; ac ne qua necessitas saltem temporalis ab oculis subtrahat eos in quibus animus exsultat, de hoc eorum semine dicitur: *Permanet coram eis*. Quid autem si filii dati sunt, sed ipsi sterilitate feriuntur? Sic in eis genus exstinguitur, sicut parentum sterilitate exstingui timebatur. Sequitur:

IBID.---*Propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.*

Ecce adest vita, adsunt honores et divitiae, adsunt filii, adsunt nepotes. Quid si qua mentem intestina cogitatio exurat, et

securitatis gaudia domestica rixa transverberet? Quae est mundi hujus felicitas, si laeta non est? Sequitur:

CAPUT XLI.

VERS. 9.---*Domus eorum securae sunt et pacatae, et non est virga Dei super illos.*

47. Securae et pacatae sunt, quia peccantes vivunt, lugenda agunt, et gaudia non relinquunt. Virga eos supernae disciplinae non percutit, et tanto amplius in culpa proficiunt, quanto minus ex culpa feriuntur. Sed quia intus quae prosperantur audivimus, in agris quoque quae prosperitas arrideat videamus. Sequitur:

VERS. 10.---*Bos eorum concepit, et non abortivit; vacca peperit, et non est privata fetu suo.*

Vulgaris locutionis usus est ut bovem masculum et vaccam feminam vocet, sed litteraturae (*Id est*, grammaticae), locutio bovem communis generis appellat. Unde nunc dicitur: *Bos eorum concepit, et non abortivit; vacca peperit, et non est privata fetu suo.* Dominis gregum prima felicitas est, si grex sterilitatem non habens concipit; secunda, si conceptus ad partum venit; tertia autem, si hoc quod partum est per nutrimenta ad provectum ducatur. Ut ergo tota simul adesse impiis demonstraret, eorum greges beatus Job asserit concepisse, et non abortisse; peperisse, et fetu proprio non esse privatos. Minor autem est felicitas, si cum greges crescunt, custodes quoque gregum non proficiunt. Unde et ad

fecunditatem gregum mox fecunditas familiae subrogatur.
Nam dicitur:

CAPUT XLII.

VERS. 11.---*Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et
infantes eorum exsultant lusibus.*

48. Ut sicut majora ad habendum concessa sunt, ita multi
germinant ad custodiendum. Sed quia dixit *Exsultant
lusibus*, ipsum quoque infantium lusum in domo iniquorum ne
vilem valde esse crederemus, subjungens, ait:

VERS. 12.---*Tenent tympanum et citharam, gaudent ad
sonitum organi.*

Ac si patenter dicat: Cum domini honoribus et rebus tument,
subjecti in ludicris actibus gaudent. Sed, o beate vir, quid tam
multa nobis de iniquorum voluptatibus narras? Jam diu est
quod in eorum descriptione loqueris, post multa breviter
distingue quae sentis. Sequitur:

CAPUT XLIII [*Vet. XIX, Rec. XXIV*].

VERS. 13.---*Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad
inferna descendunt.*

49. *Quidquid finem habet, momentaneum. Prosperitas innocentiae, adversitas iniquitatis non est argumentum.*---
Ecce, beate vir, eorum gaudia diu narraveras; quomodo nunc asseris quod in puncto ad inferna descendant, nisi quod omnis longitudo temporis **488** vitae praesentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur? Cum enim ad extremum quisque perducitur, de praeterito jam nil tenet, quia tempora cuncta delapsa sunt; in futuro nil habet, quia unius horae momenta non restant. Vita ergo quae sic angustari potuit punctus fuit. Ut enim praediximus, in puncto stylum ponimus, et levamus. Quasi ergo in puncto vitam tetigit, qui hanc accepit et amisit. Potest in puncto hoc quoque intelligi, quod saepe hi qui diu in iniquitate tolerati sunt subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat quae peccaverunt. Sed quia nonnunquam etiam vita justorum subito fine terminatur, melius illud accipimus, si hoc de eorum temporali vita sentiamus, quia quidquid transire potuit subitum fuit. Amicis autem beati Job, qui idcirco hunc injustum esse crediderunt, quia flagellatum viderunt, recte ejusdem sancti viri voce de iniquorum flore et perditione ostensum est quia praesentis vitae prosperitas innocentiae testis non est, quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, et plerique ad infinita supplicia perducendi sine flagello moriuntur. De quibus adhuc subditur:

CAPUT XLIV [*Rec. XXV*].

VERS. 14.---*Qui dixerunt Deo: Recede a nobis.*

50. *Qui Dei mandatis non obsequuntur, eum a se abigunt.*--- Haec verbis dicere vel stulti minime praesumunt; sed tamen perversi omnes Deo *Recede*, non verbis, sed moribus dicunt. Qui enim illa agunt quae Deus omnipotens prohibet, quid aliud faciunt quam suum animum contra Omnipotentem claudunt? Sicut enim ejus praecepta cogitare eum ad se introducere est, ita ejus mandatis obsistere eum a cordis in habitatione repellere est. Dicunt ergo: *Recede a nobis*, qui ei ad se aditum praebere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiam si verbis laudare videantur. Dicunt etiam:

CAPUT XLV.

IBID.---*Scientiam viarum tuarum nolumus.*

51. *Aliud est nescire vias Dei, aliud scire nolle.*---Eo ipso quo ejus scientiam apprehendere contemnunt. Sunt namque nonnulli qui ex eo quod Veritas dicit: *Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit paucis; et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, vapulabit multis* (**Luc. XII, 47, 48**); nolunt scire quod faciant, et quasi minus se vapulatueros existimant, si nesciant quod operari debuerunt. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, et non valet. Qui autem ut nesciat aurem a voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur. [*Vet XX.*] Via autem Dei pax, via Dei humilitas, via Dei patientia est. Sed quia haec omnia iniqui despiciunt, dicunt: *Scientiam viarum tuarum*

nolumus. Dum enim in praesenti vita superbiunt, dum honoribus inflantur, dum etiam si non habent appetunt, vias Dei in sua cogitatione contemnunt. Quia enim via Dei in hac vita humilitas fuit, ipse hic Deus et Dominus redemptor noster ad probra, ad contumelias, ad passionem venit, et adversa hujus mundi aequanimiter pertulit, prospera fortiter vitavit, ut et prospera doceret aeternae vitae appeti, et adversa praesentis vitae non formidari. Sed quia iniqui gloriam vitae praesentis appetunt, ignominiam fugiunt, dicere memorantur: *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Scire quippe nolunt quod facere contemnunt. **489** Quorum adhuc verba subduntur, cum dicitur:

CAPUT XLVI [*Rec. XXVI*].

VERS. 15.---*Quis est Omnipotens, ut serviamus ei?*

52. *Carnales, aut Deum non esse suspicantur, aut ei servire contemnunt*.---Mens enim hominis male exterius fusa, sic in rebus corporeis sparsa est, ut neque ad semetipsam intus redeat, neque eum qui est invisibilis cogitare sufficiat. Unde carnales viri jussa spiritalia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perveniunt, ut etiam non esse suspicentur. Unde scriptum est: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus (Psal. XIII, 1)*. Unde nunc quoque dicitur: *Quis est Omnipotens, ut serviamus ei?* Plerumque enim plus appetunt homines servire hominibus, quos corporaliter vident, quam servire Deo, quem non vident. Per

omne enim quod faciunt, ad finem oculorum tendunt; et quia in Deum oculos corporis tendere non possunt, ei obsequia praebere vel despiciunt, vel si coeperint, fatigantur. Esse enim, sicut dictum est, non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui si auctorem omnium Deum humiliter quaerent, id quod non videtur, ei rei quae videtur, esse melius, in semetipsis invenirent. Ipsi quippe ex anima invisibili et corpore visibili subsistunt; sed si hoc ab eis quod non videtur, abstrahitur, illico corrui quod videtur. Et patent quidem carnis oculi; sed videre quidquam vel sentire non possunt. Sensus enim visionis perit, quia habitator recessit; et domus carnis remanet vacua, quia abscessit ille invisibilis spiritus, qui per ejus respicere fenestras solebat. Quia ergo rebus visibilibus invisibilia praestantiora sunt, carnales quique ex semetipsis pensare debuerunt, atque per hanc, ut ita dixerim, scalam considerationis tendere in Deum: quia eo est, quo invisibilis permanet, et eo summus permanet quo comprehendi nequaquam potest. Sunt vero nonnulli qui Deum et esse et incomprehensibilem esse non ambigunt; qui tamen ab eo non ipsum, sed dona exteriora quaerunt. Quae cum ei servantibus deesse conspiciunt, ipsi servire contemnunt. De quorum adhuc verbis adjungitur:

CAPUT XLVII [*Rec. XXVII*].

IBID.---*Et quid nobis prodest, si oraverimus illum?*

53. *Ordo rerum in oratione postulandarum.*---Cum Deus in oratione non quaeritur, citius in oratione animus lassatur: quia

cum illa quisque postulat, quae fortasse juxta occultum
judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in
fastidium, qui non vult dare quod amatur. Sed se magis
Dominus quam ea quae condidit, vult amari, aeterna potius
quam terrena postulari, sicut scriptum est: *Quaerite primum
regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur
vobis* (Matth. VI, 33). Qui enim non ait, dabuntur,
sed *adjicientur*: profecto indicat aliud esse quod principaliter
datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione
aeternitas, in usu vero temporalitas esse debet, et illud datur,
et hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen saepe
homines, cum bona temporalia postulant, aeterna vero
praemia non requirunt, petunt quod adjicitur, et illud non
desiderant ubi adjiciatur. Nec lucrum suae esse petitionis
deputant, si hic sint temporaliter pauperes, et illic beatitudine
divites in aeternum vivant; sed solis, ut dictum est, visibilibus
intenti, labore postulationis renuunt invisibilia
mercari. 490 Qui si superna quaerent, jam cum
fructu laborem exhiberent: quia cum mens in precibus ad
auctoris sui speciem anhelat, divinis desideriis inflammata,
supernis conjungitur, ab inferioribus separatur, amore
fervoris sui se aperit ut capiat, et capiens inflammat; et
superiora amare jam sursum ire est; dumque magno desiderio
ad coelestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere
quaerit degustat. Sequitur:

CAPUT XLVIII [*Vet. XXI, Rec. XXVIII*].

VERS. 16.---*Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit a me.*

54. *Justi bona sua possident, non ab eis possidentur; secus iniqui.*---Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit. Nam quisquis ea nimie diligit, se magis illis quam sibi ipsa supponit. Multi etenim justorum in hoc mundo divites fuerunt, rebus et honoribus fulti habere multa videbantur, quorum mentem quia eorum quae aderant delectatio nimia non possidebat, bona illorum in manu erant: quia potestati animi subjecta tenebantur. At contra iniqui ita se totis desideriis in exteriorum rerum appetitionibus fundunt, ut non magis ipsi habita teneant, sed ab his quae habent, captiva mente teneantur. Quia igitur non sunt in manu eorum bona sua, recte subjungitur: *Consilium eorum longe sit a me.* Quid namque est iniquorum consilium nisi terrenam gloriam quaerere, aeternam negligere, salutem temporalem cum damno interiori appetere, et dolores transitorios ad aeternos gemitus commutare? Vir igitur sanctus has iniquorum cogitationes intuens aspernetur, et dicat: *Consilium eorum longe sit a me.* Quia nimirum esse bonum incomparabiliter videt, ad breve tempus eligit hic sub flagello gemere quam aeternae ultionis supplicia tolerare. Sed neque in hac vita hi qui in ea prosperari appetunt, continue prosperantur. Nam plerumque eorum gaudia, suborti gemitus interrumpunt. Unde subditur:

CAPUT XLIX [*Rec. XXIX*].

VERS. 17.--- *Quoties lucerna eorum exstinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui.*

55. *Quot et qualibus poenis afficiuntur mali.*---Saepe impius lucernam suam, filiorum vitam aestimat; sed cum filius qui nimie amatur, subtrahitur, lucerna impii, quae videbatur, exstincta est. Saepe impius praesentis honoris gloriam lucernam putat; sed dum, sublata dignitate, dejicitur, lucerna exstincta est, quae ei juxta desiderium lucebat. Saepe impius opes terrenae substantiae adesse sibi, quasi magnam luminis lucernam putat; sed cum, irruente damno, divitias, quas plus se amabat, perdiderit, quid iste aliud quam lucernam, in cujus lumine gaudebat, amisit? Qui ergo gaudere de aeternis non appetit, neque hic ubi solidari vult, potest continue laetari. Nam quoties lucerna impiorum exstinguitur, et supervenit eis inundatio, et dolores dividit furoris sui. Inundatio impiis supervenit, cum dolorum fluctus ex aliqua adversitate patiuntur. Omnipotens enim Deus cum se despici et in terrena videt concupiscentia laetari, hoc quoque doloribus percutit quod sibi videt in cogitatione impii praeferrari. Bene autem dicitur: *Et dolores dividet furoris sui.* Qui enim aeternos dolores impio per retributionem servat, et aliquando ejus mentem etiam **491** temporali dolore transverberat: quia hic quoque et illic percutit, furoris sui super impium dolores dividit. Neque enim poena praesens, quae injusti animam a pravis desideriis non immutat, ab aeternis suppliciis liberat. Unde et per Psalmistam dicitur: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum (Psal. X, 7).* Dicendo enim laqueos, ignis, sulphur et spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab eis doloribus peccator, qui non corrigitur, ad aeterna

supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit: quia videlicet eorum passio hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur. De quorum adhuc fine subjungitur:

CAPUT L [*Vet. XXII, Rec. XXX*].

VERS. 18.---*Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit.*

56. *Tanquam paleae ab irae divinae flatu ad ignem asportantur.*---Iniquus cum in potestate conspicitur, cum valde in oppressionibus et violentiis effrenatur, ab infirmorum cogitationibus gravis nimium, et quasi in hoc mundo radicans aestimatur. Sed cum districti iudicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleae ante ventum erunt: quia, ut ita dicam, irae flatu subito levantur atque asportantur ad ignem, quos hic in suis quondam praejudiciis quasi duri ponderis superjacentem molem indigentium lacrymae movere non poterant. Et ad rapientis iudicii manus leves sunt, qui per injustitiam proximis graves fuerunt. *Et sicut favilla, quam turbo dispergit.* Ante omnipotentis Dei oculos iniqui vita favilla est: quia, etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen iudicio jam consumpta cernitur; quia consumptioni est aeternae deputata. Hanc favillam turbo dispergit: quia *Deus manifestus veniet; Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. XLIX, 3).* Hujus enim tempestatis turbine ab aeterni conspectu iudicis iniqui rapiuntur; et qui hic mentem

desiderio perverso solidaverant, ibi paleae et favilla videbuntur: quia eos ad aeterna supplicia turbo rapiens asportat. Sequitur:

CAPUT LI [*Rec. XXXI*].

VERS. 19.---*Deus servabit filiis illius dolorem patris: et cum reddiderit, tunc sciet.*

57. *Qui Deus peccata parentum puniat in filiis.*---Scriptum novimus: *Qui reddis peccata patrum in filios ac nepotes, in tertiam et quartam generationem (Exod. XXXIV, 7).* Et rursum scriptum est: *Quid est (De Poenit., dist. 4, c. 13) quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis ultra parabola haec in proverbium in Israel. Ecce omnes animae, meae sunt; ut anima patris, ita et anima filii, mea est. Anima quae peccaverit, ipsa morietur (Ezech. XVIII, 2; Jerem. XXXI, 29).* In utraque igitur hac sententia dum dissimilis sensus invenitur, auditoris animus ut discretionis viam subtiliter requirat instruitur. Peccatum quippe originale a parentibus trahimus; et nisi per gratiam baptismatis solvamus, etiam parentum peccata portamus: quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit parentum peccata **492** in filios: quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur, jam non parentum culpas, sed quas

ipsi committimus, habemus. Quod tamen intelligi etiam aliter potest: quia quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. Unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua quae addidit, sed etiam patris peccata persolvat; cum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat. Et justum est, ut qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita praesenti etiam culpas parentis iniqui persolvere. Unde et illic dictum est: *Anima patris mea est, et anima filii mea est. Anima quae peccaverit, ipsa morietur*: quia in carne nonnunquam filii etiam ex patris peccato perimuntur. Deleto autem originali peccato, ex parentum nequitia in anima non tenentur. Quid enim est quod parvuli filii plerumque a daemonibus arripiuntur, nisi quod caro filii ex patris poena multatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, et percussione vim sentire contemnit. Plerumque percutitur in filiis, ut acrius uratur; et dolor patris carni filiorum redditur, quatenus per filiorum poenas mens patris iniqua puniatur. Cum vero non parvuli, sed jam proveciores filii ex parentum culpa feriuntur, quid aliud aperte datur intelligi, nisi quod illorum etiam poenas luunt, quorum facta secuti sunt? Unde et recte dicitur: *Usque ad tertiam et quartam progeniem*. Quia enim usque ad tertiam et quartam progeniem, eam quam imitantur filii parentum vitam possunt videre, usque ad eos ultio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur.

[*Vet. XXIII.*] 58. *Impiorum oculos culpa claudit, aperit poena.*---Et quia impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum poena aperit, recte subjungitur: *Et cum reddiderit,*

tunc sciet. Nescit enim impius mala quae fecit, nisi cum pro eisdem malis puniri jam coeperit. Unde et per prophetam dicitur: *Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui* (Isai. XXVIII, 19). Tunc namque intelligit quod audivit, cum se jam pro contemptu vexari doluerit. Hinc per Balaam de semetipso dicitur: *Dixit homo, cujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadet: et sic aperientur oculi ejus* (Num. XXIV, 3, 4). Consilium quippe contra Israelitas prae-buit, sed post in poena vidit quid prius ex culpa commiserit. Electi autem quia ne peccare debeant praevident: eorum videlicet oculi ante casum patent. Iniquus vero post casum oculos aperit: quoniam post culpam jam in poena sua conspicit, quia malum debuit vitare, quod fecit. De cujus inutili jam tunc scientia subinfertur:

CAPUT LII.

VERS. 20.---*Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet.*

59. *Post casum inutiliter aperiuntur oculi.*---Qui si in hac vita positus, culpam suam videre voluisset, de Omnipotentis postmodum furore non biberet. Sed qui hic avertit oculos a respectu criminis, illic declinare non valet sententiam damnationis. Saepe vero hi qui supplicia aeterna non metuunt, prava agere pro temporali saltem **493** percussione pertimescunt. Sed sunt nonnulli qui ita in iniquitate duruerunt, ut nec in ipsis metuant feriri quae amant, dummodo quae

perversae cogitaverint expleant. Unde hoc in loco de iniqui obduratione subjungitur:

CAPUT LIII.

VERS. 21.---*Quid enim ad eum pertinet de domo tua post se? aut si numerus mensium ejus dimidietur?*

60. *Stupenda quorundam malorum, etiam dum feriuntur, obduratio et caecitas.*---Neque enim sic debemus accipere, ut iniquus iste postea quam damnatus aeternis suppliciis fuerit de domo sua, id est de cognatis quos reliquerit, minime cogitavit, cum per semetipsam Veritas dicat quia dives qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus quos reliquerat etiam in supplicio positus curam gerebat (**Luc. XVI, 28**). Omnis namque peccator prudens erit in poena qui, stultus fuit in culpa (**Dist. 38, c. 10**), quia ibi jam dolore constrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clausit; et poena torquente exigitur ut sapiat, qui hic excaecante se superbia desipiebat. Cui tamen sua sapientia jam tunc minime proderit, quia hic ubi operari juxta sapientiam debuit, tempus amisit. Pro summo hic namque bono concupiscit germen generis habere, domum familia et opibus replere, et diu in hac carnis corruptione vivere. Sed si fortasse aliquid ad ejus desiderium veniat, quod tamen obtinere non possit nisi cum offensione conditoris ejus animus ad paululum perturbatus cogitat, quia si hoc egerit hic, unde offensam sui conditoris incurrat, in domo, in filiis, in vita percutitur. Sed superbia sua protinus instigatus obdurescit; et quamlibet in domo,

quamlibet in vita percussione sentiat, nequaquam curat, dummodo quae cogitaverit expleat; et quousque vivit, voluptates suas perficere non desistit. Ecce enim domus ejus pro culpa percutitur; sed *quid ad eum pertinet de domo sua post se?* Ecce pro ultione pravi operis ea quae esse potuit vitae longitudo breviatur; sed quid ad eum pertinet, *Si numerus dierum ejus dimidietur?* Et in hoc ergo se peccator contra Deum erigit, ubi Deus omnipotens ejus erectionem frangit; et nec illata percussio mentem humiliat, quam in deliberatione contra Dominum obstinatio obdurat. Et notandum quam gravis culpa reatus sit, et poenam pro culpa menti proponere, et tamen nec tormenti metu sub jugo conditoris cervicem cordis inclinare. [*Vet. XXIV, Rec. XXXII.*] Sed ecce cum haec audimus, cordi nostro quaestio oritur, cur omnipotens et misericors Deus in tantam caecitatem cadere rationem mentis humanae permiserit? Ne vero quisquam ultra quam debet occulta Dei judicia discutere praesumat, recte subjungitur:

CAPUT LIV.

VERS. 22.---*Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos judicat?*

61. *Occulta Dei judicia curiosius non scrutanda.*--- Cum in his quae de nobis aguntur ambigimus, debemus alia quae nobis sunt certa conspiciere, et eam quae de nostra nobis incertitudine surrexerat cogitationis querelam placare. Ecce enim quod electos ad vitam flagella revocant, et a malis actibus reprobos nec flagella compescunt, omnipotentis Dei

judicia super nos valde occulta sunt, et injusta non sunt. Sed si tendamus oculum mentis ad superiora, in illis aspicimus quia de nobis quid juste conqueri non habemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita discernens, **494** alios in aeterna luce sine lapsu permanere constituit, alios sponte lapsos a statu suae celsitudinis in aeternae damnationis ultione prostravit. Nobiscum igitur injuste nil agit, qui et subtiliorem nobis naturam juste judicavit. Dicat ergo: *Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui excelsos judicat?* Qui enim super nos mira facit, constat procul dubio quia de nobis scienter omnia disponit. His itaque praemissis, adjungitur ubi humanus animus in requisitione fatigatur. Nam subditur:

CAPUT LV.

VERS. 23-25.---*Iste moritur robustus et sanus, dives et felix, viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur; alius vero moritur in amaritudine animae suae absque ullis opibus.*

62. *Electorum et reproborum vita dispar, at mors carnis eadem. Iniqui laetitia transit ad poenam, innocentis poena ad laetitiam.*---Ista cum ita sint, quis omnipotentis Dei secreta discutiat cur haec ita esse permittat? Sed electis et reprobis vita quidem dispar est, carnis autem in morte corruptio dispar non est. Unde subjungitur:

VERS. 26.---*Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.*

Quid ergo mirum, si prosperitate vel adversitate praesentis saeculi dissimiliter ad momentum currunt, qui per corruptionem carnis ad terram similiter redeunt? [*Vet. XXV.*] Illa est ergo solummodo vita cogitanda, in qua cum resurrectione carnis ad finem dissimilem pertingitur retributionis. Quae est enim iniquis salus aut robur, qui adeps et divitiae, dum totum hic cum celeritate relinquitur, et illic retributio, quae nunquam relinqui possit, invenitur? Sicut autem huius iniqui laetitia transit ad poenam, ita afflicti innocentis poena transit ad laetitiam. Nec divitiae ergo debent mentem extollere, nec inopia perturbare. Unde beatus Job inter damna rerum nulla admittit ad animum damna cogitationum, sed ad eos qui se in percussione despiciunt redarguendo subjungit, dicens:

CAPUT LVI [*Rec. XXXIII*].

VERS. 27, 28.---*Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas. Dicitis enim: Ubi est domus principis, et ubi tabernacula impiorum?*

63. *Job infractus, quia amissis caeteris Deum non amiserat.* --Impium enim crediderant quem, ablatis rebus, temporaliter destructum videbant. Sed sanctus vir tanto eos alta consideratione dijudicat, quanto inter damna quae pertulerat infracta rectitudine stabat. Quid enim ei foris rerum damna nocuerant, qui illum non amiserat quem interius amabat?

Allegoricus sensus.---64. *Ex copia superbia nascitur.*---Hoc vero quod dicitur: *Simul in pulvere dormient, et vermes*

operient eos, si quis forsitan accipere per allegoriam velit, explere breviter possumus, si de iniquo hoc divite ea quae sunt jam dicta replicemus. Dicitur namque: *Viscera ejus plena sunt adipe*. Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quae impinguat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quaedam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (Psal. LXXII, 7)*. Sequitur: *Et medullis ossa illius irrigantur*. Amatores hujus saeculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. **495** Sed si in exteriori dignitate desint terrenae et domesticae divitiae, quantum ad iudicium suum ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus saeculi exteriori potestate fulcitur, ut etiam interiori terrenae domus abundantia saginetur, dicitur: *Et medullis ossa illius irrigantur*. Vel certe ossa sunt hujus divitis pravae et durae consuetudines, medullae vero in ossibus sunt ipsa desideria male vivendi, quae neque ex pravitatis satisfactione satiantur. Quae medullae quasi ossa irrigant, cum prava desideria perversas consuetudines suas in voluptatum delectatione conservant.

[*Vet. XXVI, Rec. XXXIV.*] 65. *Unde dives inaniter gaudet, inde pauper inanius affligitur. Bona quae dives cum metu habet, pauper cum anxietate appetit.*---Et sunt nonnulli qui in hoc mundo divitias non habent, sed habere concupiscunt, elati esse appetunt; quamvis in hoc mundo quod cupiunt obtinere non possunt; et cum nullis rebus vel honoribus fulti sint, per mala tamen desideria in conspectu interni iudicis reos conscientia addicit. Talis etenim quisque plerumque ideo affligitur, quia

ditescere ac superbire non praevalet. De quo et subditur: *Alius vero moritur in amaritudine animae suae absque ullis opibus*. Ecce unde dives superbo corde inaniter gaudet, inde pauper alius superbo corde inanius affligitur. Bene autem de utrisque subjungitur: *Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos*. In pulvere enim dormire est in terrenis desideriis oculos mentis claudere. Unde unicuique peccanti et in culpa sua dormienti dicitur: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Ephes. V, 14)*. Vermes vero qui de carne nascuntur eos simul operiunt, quia sive divitis, sive pauperis superbientis animum curae carnales premunt. In rebus etenim terrenis pauper et dives reprobis, quamvis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille jam cum metu habet, iste cum anxietate appetit; et quia habere non valet, dolet. Dicatur ergo: *Simul in pulvere dormient, et vermes operient eos*, quia etsi non simul rebus temporalibus sublevantur, simul tamen in cura rerum temporalium mentis torpore sopiuntur. Simulque eos vermes operiunt, quia vel istum ut concupita habeat, vel illum, ne habita amittat, carnales cogitationes premunt.

66. *Job nec habitis rebus elatus, nec amissis anxius.*---Beatus autem Job, qui nec habitis rebus elatus fuerat, nec amissas cum anxietate requirebat, quia nullis exterioris damni cogitationibus mordebatur, eum vermes cordis non operuerant. Et quia in terrena cura mentem suam non dejecerat, nequaquam in pulvere dormiebat. Sequitur: *Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas*. Cum scriptum sit: *Quis scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est (I Cor. II, 11)?* qua ratione nunc dicitur: *Certe novi cogitationes vestras*. Sed

tunc spiritus hominis ignoratur ab altero cum verbis vel operibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (**Matth. VII, 20**), per hoc quod foris agitur quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus* (**Prov. XXVII, 19**). Proinde beatus Job, cum amicorum colloquentium cogitationes nosse se diceret, adjunxit: *Et sententias contra me iniquas*, ut ex patenti re ostenderet quia hoc quod in eis latebat **496** invenisset. Unde ipsas quoque eorum iniquas sententias adjungit, dicens: *Dicitis enim: Ubi est domus principis, et ubi tabernacula impiorum?*

[*Rec. XXXV.*] 67. *Falsa eorum opinio qui culpas ex flagellis metiuntur.*---Infirmi quique, qui in hoc mundo florere appetunt, et sicut magna mala, sic flagella pertimescunt, in eis quos flagellatos aspiciunt, culpas ex poena metiuntur. Quos enim percussos cernunt, Deo displicuisse suspicantur. Unde amici beati Job, quem percussum viderunt, impium fuisse crediderunt, videlicet aestimantes quia si impius non fuisset, ejus tabernacula permanerent. Sed ista non cogitat nisi qui adhuc infirmitatis taedio laborat, qui in praesentis saeculi delectatione gressum cogitationis figit, qui transire ad aeternam patriam perfectis desideriis nescit. Unde bene subjungitur:

CAPUT LVII [*Vet. XXVIII*].

VERS. 29, 30.---*Interrogate quemlibet de viatoribus, et haec eadem illum intelligere cognoscetis. Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducitur.*

68. *Consulendi sunt, qui vitam sibi viam esse, non patriam cogitant.*---Saepe etenim diu divina patientia tolerat quos jam ad supplicia praescita condemnat, permittit florere quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foveam tendant, hoc eis pro nihilo esse existimat, quod hic perversi relinquenda multiplicant. Sed quisquis praesentis vitae gloriam diligit, magnam esse felicitatem deputat hic secundum votum florere, quamvis cogatur postmodum supplicia aeterna tolerare. Solus ergo ille conspicit nil esse quod iniquus floret, qui jam gressum cordis ab amore praesentis saeculi amovit. Unde recte cum de subsequenti damnatione impii diceretur, praemittitur: *Interrogate quemlibet de viatoribus, et haec eadem illum intelligere cognoscetis.* Viator quippe dicitur qui praesentem vitam viam sibi esse et non patriam attendit, qui in dilectione praetereuntis saeculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad aeterna pervenire concupiscit. Qui enim in hac vita viator esse non appetit, hujus vitae prospera minime contemnit, et ea quae ipse desiderat, cum abundare aliis viderit, miratur. Unde David propheta quoniam a dilectione praesentis saeculi jam corde transierat, iniqui gloriam describens, dicebat: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani (Psal. XXXVI, 35).* Sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc jure despexit, dicens: *Transivi, et ecce non erat (Ibid., 36).* Esset quippe aliquid in ejus aestimatione impius, si ipse ab hoc saeculo per intentionem minime transisset. Sed is cui non

transeunti magnum aliquid esset, transeunti animo quam nihil esset apparuit, quia dum aeterna retributio cogitatur, praesens gloria quam sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses, cum supernae contemplationis gloriam quaereret, dixit, *Transiens videbo visionem* (**Exod. III, 3**). Nisi enim gressum cordis a saeculi amore removisset, nequaquam intelligere superna potuisset. Hinc Jeremias luctum cordis sui considerari deposcens, ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus* (**Thren. I, 12**). Qui enim praesentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt. Illos ergo ut dolorem suum considerent propheta exquirat, quos in hoc mundo contigit **497** animum non fixisse. Hinc per Salomonem dicitur: *Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt* (**Prov. XXXI, 8**). Muti enim dicuntur qui praedicatorum verbis contradicendo minime resistunt. Qui etiam pertranseunt sunt, quia intentionem mentis in amore vitae praesentis figere dedignantur. Igitur quia malus ad diem perditionis servatur, et ad diem furoris ducitur, hoc non nisi qui est viator intelligit, quoniam qui cor in praesentibus fixit, quae iniquum sequuntur supplicia non deprehendit. De quo adhuc subditur:

CAPUT LVIII [*Rec. XXXVI.*]

VERS. 31.---*Quis arguet coram eo viam ejus? et quae fecit, quis reddet illi?*

69. *Antichristum tantis signis, ostensione sanctitatis tanta elatum, solus Christus debellaturus est.*---Saepe malus indignationem conditoris sui, quam in aeternum passurus est, et in hac quoque vita positus experitur, dum prosperitatem quam amat amittit, et adversitatem quam formidat invenit. Et quamvis increpari de suis pravitatibus a justorum lingua etiam in prosperis valeat, scimus tamen quod cum facta sua perversum quemque dejiciunt, justorum increpatio convalescat. Qua autem ratione nunc dicitur: *Quis arguet coram eo viam ejus?* dum etiam, justis tacentibus, hoc quoque notum sit, quia toties hic iniqui via arguitur, quoties ejus prosperitas interveniente adversitate turbatur [*Vet. XXVIII*]. Sed beatus Job dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput verba convertit. Vidit enim quod in fine mundi Satan hominem ingrediens, quem sacra Scriptura Antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis et prodigiis in sanctitatis ostensione elevatur, ut argui ab homine ejus facta non valeant quia cum potestate terroris adjungit etiam signa ostensae sanctitatis, et ait: *Quis arguet coram eo viam ejus?* Quis videlicet hominem illum increpare audeat, cujus visum ferre pertimescit? Sed tamen ejus viam non solum Elias et Enoch, qui in ejus exprobrationem ad medium deducuntur, sed etiam omnes electi arguunt, dum contemnunt, dum virtute mentis ejus malitiae resistunt. Sed quia hoc ex divina gratia, et non suis viribus faciunt, recte nunc dicitur: *Quis arguet coram eo viam ejus?* Quis etenim, nisi Deus, cujus adjutorio electi, ut resistere valeant, fulciuntur? Aliquando enim in Scriptura sacra cum interrogando *Quis* ponitur, Omnipotens designatur. Unde scriptum est: *Quis suscitabit eum* (**Genes. XLIX, 9**)? De quo per Paulum dicitur: *Quem*

Deus suscitavit a mortuis (Gal. I, 1). In eo ergo quod sancti viri ejus iniquitati contradicunt, non ipsi sunt qui viam ejus arguunt, sed ille est ex cujus gratia confortantur. Et quia praesentia ejus, qua in homine venturus est, multo atrocior in persecutione erit quam nunc, cum minime cernitur, quia specialiter adhuc illo vase suo proprio non gestatur, bene dictum est: *Coram eo.* Multi enim nunc vias Antichristi dijudicantes corripunt, sed hoc quasi in ejus absentia faciunt, dum illum arguunt quem adhuc specialiter non intuentur. Cum vero **498** in illo damnato homine venerit, quisquis ejus praesentiae resistit, coram eo viam ejus arguit, cujus vires et conspicit et contemnit. Vel certe viam ejus arguere est prosperitatem cursus ejus aeterno supplicio interveniente turbare. Quod quia solus Dominus propria virtute facturus est, de quo scriptum est. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (II Thess. II, 8.),* recte dicitur: *Quis arguet coram eo viam ejus?* Unde et sequitur: *Et quae fecit, quis reddet illi?* Quis nimirum, nisi Dominus? Qui solus illi perduto homini quae fecit reddet, dum potestatem ejus tam validam per adventum suum aeterna damnatione contriverit. Sed elatus iste princeps malorum, in hac vita quandiu est positus, quid agat, audiamus. Sequitur:

CAPUT LIX [*Vet. XXIX, Rec. XXXVII*].

VERS. 32.---*Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.*

70. *In multitudine peccantium tanquam in congerie mortuorum, et in sepulcris Satan vigilat.*---Quia sepulcra mortuos tegunt, quid aliud per sepulcra quam reprobi designantur, in quibus extinctae a vita beatitudinis animae velut in sepulcris latent? Iniquus ergo iste ad sepulcra ducetur, quia in pravorum cordibus recipietur, quoniam soli eum illi suscipiunt, in quibus mortuae a Deo animae reperiuntur. De quo recte etiam, dum ejus supplicia describuntur, per prophetam dicitur: *In circuitu illius sepulcra ejus, omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio (Ezech. XXXII, 22).* Illi quippe in inferno juxta illum sunt, in quibus idem malignus spiritus mortuus jacet. Qui iniquitatis ejus gladio percussi ceciderunt. Unde scriptum est: *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno (Psal. CLIII, 10).* Recte autem dicitur: *Et in congerie mortuorum vigilabit,* quia nunc in congregatione peccantium astutiae suae insidias exerit. Pro eo autem quod in mundo raritas bonorum est, et multitudo malorum, recte mortuorum congeries nominatur, ut ipsa iniquorum multitudo signetur. *Lata enim via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam (Matth. VII, 13).* Satanae itaque in congerie mortuorum vigilare est in reproborum cordibus malitiae suae astutias exercere. De quo adhuc subditur:

CAPUT LX [*Rec. XXXVIII*].

VERS. 33.---*Dulcis fuit glareis Cocyti.*

71. *Ut amarus est electis, ita reprobis vitia suggerendo dulcis est.*---Graeca lingua cocytus luctus dicitur, qui tamen luctus feminarum vel quorumlibet infirmantium solet intelligi. Sapientes vero hujus saeculi, a luce veritatis exclusi, quasi umbras quasdam veritatis inquisitione tenere conati sunt. Unde Cocytum fluvium currere apud inferos putaverunt, videlicet designantes quod hi qui digna doloribus opera faciunt, in infernum ad luctum decurrunt. Sed nos despiciamus umbram carnalis sapientiae, qui jam de veritate lucem tenemus et cognoscamus voce beati viri Cocyton luctum infirmantium dici. Scriptum quippe est: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (Psal. XXX, 25)*. Qui enim in Deo confortari renuunt, ad luctum per animi infirmitatem tendunt. Glareas vero lapillos fluminum appellare, consuevimus, quos aqua defluens trahit. 499 Quid ergo per glareas Cocyti nisi reprobi designantur, qui, suis voluptatibus dediti, quasi semper a flumine ad ima detrahuntur? Qui enim contra voluptates hujus saeculi stare fortiter nolunt, glareae Cocyti fiunt qui suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt, ut in aeternum post lugeant, qui modo se in suis voluptatibus delectabiliter relaxant. Et quia antiquus hostis suum vas illum reprobum hominem ingressus, dum dona perversis tribuit, dum eos in hoc mundo honoribus extollit, dum eorum oculis prodigia ostendit, fluxae mentes hunc in suis prodigiis admirantur et sequuntur, bene de eo dicitur: *Dulcis fuit glareis Cocyti*. Cum enim hunc electi despiciunt, cum mentis calce contemnunt, illi eum sequentes diligunt, qui velut ab aqua voluptatis ad perpetuum luctum trahuntur, qui per terrenam concupiscentiam more glareae quotidianis lapsibus ad ima dilabuntur. Aliis namque gustum suae dulcedinis per superbiam, aliis per avaritiam, aliis per invidiam, aliis per

fallaciam, aliis per luxuriam porrigit; et ad quanta vitiorum genera pertrahit, quasi tot suae dulcedinis potus propinat. Nam cum aliquid superbum in mente persuadet, fit dulce quod dicit, quia videri praelatus caeteris homo perversus appetit. Dum menti avaritiam infundere molitur, fit dulce quod occulte loquitur, quia per abundantiam necessitas vitatur. Dum aliquid de invidia suggerit, fit dulce quod dicit, quia perversa mens dum alium deterescere viderit, exultat se eo minorem minime videri. Cum aliquid de fallacia persuadet, fit dulce quod suggerit, quia eo ipso quo fallit caeteros, prudens videtur sibi. Cum luxuriam deceptae menti loquitur, fit dulce quod suadet, quia in voluptate animum resolvit. Quot ergo vitia carnalium cordibus inserit, quasi tot potus suae dulcedinis eis porrigit. Quam tamen, ut praedixi, ejus dulcedinem non percipiunt, nisi qui, praesentibus voluptatibus dediti, ad perpetuum luctum trahuntur. Bene ergo dicitur: *Dulcis fuit glareis Cocyti*, quia amarus electis, et suavis est reprobis. Illos enim solummodo suis delectationibus pascit, quos quotidianis lapsibus ad gemitum impellit. Sequitur:

CAPUT. LXI [*Vet. XXX, Rec. XXXIX*].

IBID.---*Et post se omnem hominem trahit, et ante se innumerabiles.*

72. *Per Antichristum, urgente mundi fine, carnales omnes ad se trahet, nunc tantum plurimos.*---Hoc loco homo humana sapiens dicitur. Sed cum plus sint omnes quam innumerabiles quaerendum est nobis cur ante se innumerabiles et post se

omnes trahere dicatur, nisi quod antiquus hostis reprobum tunc hominem ingressus **500** cunctos quos carnales invenerit sub suae jugum ditionis rapit? Qui et nunc priusquam appareat innumerabiles quidem, non tamen omnes, carnales trahit, quia quotidie a carnali opere ad vitam multi revocantur, atque ad statum justitiae alii per brevem, alii vero per longam poenitentiam redeunt. Et nunc innumerabiles rapit, cum falsitatis suae stupenda hominibus signa non exhibet. Cum vero coram carnalium oculis miranda eis prodigia fecerit, post se tunc non innumerabiles, sed omnes trahit, quia qui bonis praesentibus delectantur potestati illius se absque retractatione subjiciunt. Sed, sicut praefati sumus, quia plus est omnem hominem quam innumerabiles trahere, cur prius dicitur quia omnem hominem trahit, et post in augmento innumerabiles subjiciuntur? Ratio namque expetit ut prius quod minus est et post in augmento quod plus est diceretur. Sed sciendum quia hoc loco plus fuit innumerabiles dixisse quam omnes. Post se enim omnem hominem trahit, quia in tribus annis et dimidio omnes quos in studiis vitae carnalis invenerit jugo suae dominationis astringit. Ante se vero innumerabiles traxit, quia per quinque millia et adhuc amplius annorum curricula, quamvis carnales omnes trahere minime potuit, multo tamen plures sunt in tam longo tempore hi quos ante se innumerabiles rapit, quam omnes quos in tam brevi tempore rapiendos invenerit. Bene ergo dicitur: *Post se omnem hominem trahit, et ante se innumerabiles*, quia et tunc minus tollit cum omnes tulerit, et nunc amplius diripit cum corda innumerabilium invadit. Haec beatus Job, quia contra iniquorum principem mire disseruit, qui in hac vita extolli permittitur, sed in adventu Domini destruetur, de se patenter ostendit quia flagella dominica non

ex offensione suscepit, quoniam si iniquus quisque in hac vita permittitur prosperari, necesse est ut electus Dei debeat sub flagelli freno retineri. Ex qua re amicos arguit, dicens:

CAPUT LXII.

VERS. 54.---*Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?*

73. *Sanctis quam odiosum mendacium.*---Amici beati Job eum consolari non poterant, in quo suis sermonibus veritati contraibant. Cumque hunc hypocritam vel impium dicerent, per hoc quod ipsi mentientes perpetrabant culpam, augebant procul dubio poenam justis vulneribus afflicti. Nam sanctorum mentes, quia veritatem diligunt, etiam culpa fallaciae torquet alienae. Quanto enim grave mendacii esse crimen aspiciunt, tanto hoc non solum in se, sed etiam in aliis oderunt.

LIBER DECIMUS SEXTUS *Decursis brevi
explicatione libri Job capitibus XXII,
XXIII et XXIV, usque ad medium versum 20
tertiam partem claudit.*

501 [*Vet. et Rec. I.*] Qui contra veritatis verba in allegatione deficiunt, saepe etiam nota replicant, ne tacendo victi

videantur. Unde Eliphaz, beati Job sermonibus pressus, ea dicit quae nullus ignorat. Ait enim:

CAPUT PRIMUM.

CAP. XXII, VERS. 2.---*Nunquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae?*

1. *Scientia nostra divinae comparata, ignorantia est.*---In comparatione enim Dei, scientia nostra ignorantia est. Ex Dei namque participatione sapimus, non comparatione. Quid ergo mirum cum illud quasi per doctrinam dicitur, quod sciri potuit etiamsi taceretur? Qui adhuc Dei potentiam quasi defendendo subjungit:

CAPUT II.

VERS. 3.---*Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?*

2. *Justitia nostra Deus non indiget.*---In omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum juvamus. Unde et per Psalmistam dicitur: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges (Psal. XV, 2).* Ipse enim vere nobis Dominus, quia et utique Deus est, qui bono non indiget servientis, sed bonitatem confert quam recipit, ut oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus et post reddentibus prosit. Nam etsi in iudicium Dominus veniens

dicit: *Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. XXV, 40), mira hoc pietate loquitur ex suorum compassione membrorum. Et ipse nos per hoc quod caput nostrum est adjuvat, qui per nostra bona opera in suis membris adjuvatur. Adhuc adjungit Eliphaz, quod nullus ignorat, dicens:

CAPUT III.

VERS. 4.---*Nunquid timens arguet te, et veniet tecum ad iudicium?*

3. *Otiose de Deo dicitur quod a nemine ignoratur.*---Quis hoc vel desipiens sentiat, quod Dominus ex timore nos arguat, et ex metu iudicium contra nos suum proponat? Sed qui verba sua metiri nesciunt, procul dubio ad otiosa dicta dilabuntur. In quibus si se minime reprehendunt, statim ad noxia et contumeliosa verba prosiliunt. Unde Eliphaz, qui otiosa intulit, ad contumeliosa protinus verba prorupit, dicens:

CAPUT IV.

VERS. 5.---*Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas?*

4. *A verbis otiosis ad contumeliosa venit.*---Ecce a torpenti corde ad verba venit otiosa, ab otiosis autem verbis per crimen fallaciae ad contumelias exarsit. Isti quippe sunt casus culpa

crescentis, ut lingua cum non restringitur nequaquam ubi ceciderit jaceat, sed semper ad deteriora descendat. Ea vero quae subjuncta sunt, quia valde juxta historiam patent, exponenda ad litteram non sunt.

5. Sed quia amicos beati Job haereticorum speciem tenere diximus (*Sup., in praef., et alibi saepissime*), ipsum vero significationem sanctae Ecclesiae gerere, jam nunc Eliphaz verba quo modo haereticorum falsitati congruant, demonstremus. Nam sequitur:

CAPUT V [*Vet. et Rec. II*].

502 *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem. In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.*

TYPICUS SENSUS. 6. *Haeretici suos errare et Spiritum sanctum amittere, dum ad Ecclesiam redeunt, mentiuntur.*--- In Scriptura sacra pignoris appellatione aliquando dona Spiritus sancti, aliquando vero signatur confessio peccati. Pignus namque accipitur donum Spiritus sancti, sicut per Paulum dicitur: *Qui dedit nobis pignus Spiritus* (**II Cor. I**). Ad hoc enim pignus accipimus, ut de promissione quae nobis fit certitudinem teneamus. Donum ergo sancti Spiritus pignus dicitur, quia per hoc nostra anima ad interioris spei certitudinem roboratur. Rursum pignoris nomine peccati confessio solet intelligi, sicut in Lege scriptum est: *Cum debet tibi quidpiam frater tuus, et abstuleris pignus ab eo,*

ante solis occasum pignus restitue (**Exod. XXII, 26**). Frater etenim noster debitor nobis efficitur cum quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vocamus. Unde peccanti servo dicitur: *Omne debitum dimisi tibi* (**Matth. XVIII, 32**). Et in Dominica oratione quotidie precamur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (**Matth. VI, 12**). A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo qui in nos peccasse cognoscitur peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum quod in nos perpetratum est postulamus. Qui enim peccatum quod commisit fatetur, et veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiae occidat, debemus ei confessionem veniae reddere a quo confessionem accipimus culpa, ut qui se deliquisse in nos meminit a nobis mox relaxatum sentiat quod deliquit. Quia ergo sancta Ecclesia cum quoslibet ab haereticis ad veritatem fidei revertentes recipit, prius ut confiteri erroris sui culpam debeant persuadet, quasi sub haereticorum specie per Eliphaz dicitur: *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa*. Id est, ab his qui a nobis ad te veniunt inutiliter confessionem erroris exegisti. Si vero, ut praediximus, pignus sancti Spiritus dona sentiamus, haeretici sanctam Ecclesiam fratrum suorum pignus dicunt abstulisse, quia eos qui ad illam veniunt dona spiritalia suspicantur amittere. Unde et sequitur: *Et nudos spoliasti vestibus*.

[*Rec. III.*] 7. *Eosdem pigros dicunt et hebetes*.---Eos quos haeretici perversis praedicationibus trahunt praecepta doctrinae suae quasi quaedam vestimenta habere existimant, et tandiu illos vestitos putant, quandiu haec quae ipsi

praedicaverunt ab illis servari considerant; ex quibus cum quidam ad sanctam Ecclesiam redeunt, eos protinus doctrinae vestimenta perdidisse suspicantur. [*Vet. III.*] Sed cum nudus exspoliari nequeat, quaerendum nobis est quomodo prius nudi, et post spoliati memorantur? **503** Sed sciendum est quia omnis qui cordis puritate perfruitur, eo ipso quo duplicitatis tegumentum non habet, nudus est. Et sunt nonnulli apud haereticos qui cordis quidem puritatem habent, sed tamen doctrinae eorum dogmata perversa suscipiunt. Hi nimirum et ex sua puritate nudi sunt, et quasi ex eorum praedicatione vestiuntur. Et quia tales quique facile ad sanctam Ecclesiam redeunt, eo quod duplicitatis malitia non utuntur, eos haeretici nudos fatentur, quos ab ea dicunt vestibus exspoliatos, quia simplices quosque pigros atque hebetes putant, quos prava sua dogmata perdidisse considerant.

8. *Ecclesiam inscitiae arguunt, cum incognita loquuntur.*--- Sequitur: *Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.* Haeretici quo veritatis soliditatem non tenent, eo nonnunquam student ut loquaciores appareant, et contra catholicorum fidem quasi de doctrinae scientia gloriantur; cunctos quos aspiciunt pravis ad se trahere sermonibus quaerunt, et unde sibi alios ad interitum sociant, inde se agere aliquid vivaciter putant. Eos vero lassos dicimus qui sub hujus saeculi onere laborioso fatigantur. Unde et per semetipsam Veritas dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (Matth. XI, 28).* Haeretici igitur, quia sua dogmata praedicare non cessant, sanctam Ecclesiam quasi de imperitia irrident, dicentes: *Aquam lasso non dedisti, et esurienti panem subtraxisti.* Se enim aquam lasso dare existimant cum quibusdam sub terreno fasce

laborantibus sui poculum erroris praebeant. Et panem se esurientibus non subtraxisse suspicantur, quia etiam de invisibilibus atque incomprehensibilibus requisiti, cum superba audacia respondent. Et tunc se doctos prae omnibus credunt cum loqui de incognitis infelicius praesumunt. Sancta vero Ecclesia dum quempiam videt esurire quod ei non prosit accipere, aut si jam sunt sibi cognita, modeste supprimit, aut si adhuc videntur incognita, humiliter fatetur, eosque ad ordinatae humilitatis sensum revocat cum per suum illis praedicatorem dicit: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (**Rom. XII, 3**). Et rursum: *Noli altum sapere, sed time* (**Rom. XI, 20**). Atque iterum: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (**Eccli. III, 22**). Et rursum: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatum evomas illud* (**Prov. XXV, 15**). Mel quippe invenire est sancti intellectus dulcedinem degustare. Quod tunc sufficienter comeditur, quando nostra intelligentia juxta mensuram sensus sub moderamine tenetur. Nam satiatum mel emovit, qui plus appetens penetrare quam capit, et illud perdit unde potuit nutriri. Quia ergo sancta Ecclesia ab infirmis mentibus prohibet alta perscrutari, beato Job dicitur: *Esurienti subtraxisti panem*.

[*Vet. IV.*] 9. *Ejus magnitudini et universalitati invident.*---Et quia ejus quoque magnitudini haeretici invident, quod in fide vera populos universaliter tenet, cum terrenae prosperitatis tempus inveniunt, contra eam in superbis vocibus excedunt, et exprobrantes aperiunt quantum prius ejus potentiae latenter invidebant. Nam sequitur: *In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam*. Ac si patenter dicant: Quod in praedicatione tua **504** terram

universaliter occupasti, potentia fortitudinis, non ratio veritatis fuit. Quia enim christianos principes praedicationem ejus tenere conspiciunt, hoc quod ei a populis creditur, non virtutem rectitudinis, sed causam saecularis potentiae esse suspicantur. Sequitur:

CAPUT VI.

VERS. 9.---*Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti.*

10. *Magistros errorum resipiscentes benigne suscipienti detrahunt.*---Plebes quae haereticis praedicantibus sunt subjectae ex carnali intelligentia errorum eorum semina perversa concipiunt, eisque in sua damnatione sociantur. Sed cum sancta Ecclesia ipsos errorum praedicatores vel ratione victos ad se suscipit, vel studio perversitatis obduratos sub disciplinae suae vinculo restringit, destituti haeretici cum remanere apud se plebes sine praedicatoribus vident, quid aliud a sancta Ecclesia quam viduas vacuas relictas dolent? Et quia subtractis haereticorum magistris, eorum discipulos in suo opere infirmari suspicantur, quasi lacertos pupillorum comminutos ab Ecclesia esse conqueruntur. Vel certe quia sancta Ecclesia dum quosdam ab haereticis venientes suscipit, liquet nimirum quod pristino eorum errori contradicit. Nam sunt nonnulli qui ita virginitati carnis student, ut nuptias damnent; et sunt nonnulli, qui ita abstinentiam laudant, ut sumentes alimenta necessaria detestentur. De quibus per Paulum

dicitur: *Prohibentium nubere, jubentium abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus (I Tim. IV, 3).* Quia ergo eos a carnali intentione suae superstitionis revocat, haeretici cum hos aspiciunt aliter vivere quam docuerunt, lacertos eorum ab operatione quam prius tenuerant comminutos esse ab Ecclesia testantur. Unde et in hoc tempore disciplinae, si quid ei adversitatis evenierit, hoc evenisse ex digna peccatorum retributione suspicantur. Nam subditur:

CAPUT VII.

VERS. 10.---*Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita.*

11. *Adversa patienti, scelerum poenas esse exprobrant.*--- Illum formido subita conturbat, qui considerare negligit quid ex distictione judicis venientis immineat. Quia ergo fidelem populum haeretici culpis perfidiae oppressum credunt, circumdatum laqueis accusant. Et quia existimant quod futura non praevideat, in percussione sua hunc subita formidine conturbatum putant. Qui adhuc insultantes adjungunt:

VERS. 11.---*Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri.*

Ac si aperte dicat: Securitatem pacis in spe tibi proposueras, et idcirco de praesumptione tua quasi de luce gaudebas, nec te unquam opprimi tribulationibus existimasti. Sed ecce, dum

supervenientibus malis affligeris, an sint recta quae tenes ipsae quae te opprimunt tribulationum tenebrae ostendunt. Quas videlicet tribulationes Eliphaz aquis inundantibus comparat, quia dum aliae super alias irruunt, quasi aquis tumentibus, undae undas sequuntur. Sequitur:

CAPUT VIII [*Vet. V*].

VERS. 12-14.---*An cogitas quod Deus excelsior coelo sit, et super stellarum vertices sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, 505 et circa cardines coeli perambulat.*

12. *Immensitatis et providentiae divinae eximia descriptio. Deus sic intendit omnibus, ut adsit singulis.*---Sunt plerique ita hebetes ut formidare nesciant nisi quod corporaliter vident. Unde fit ut Deum non metuant, quem videre non possunt. Haeretici autem, quia se esse sapientes arbitrantur, verba contra catholicos irrisoria proferunt, atque ab eis illum non timeri suspicantur, quem videre corporaliter nequeunt ut quasi per torporem sensus auctorem suum existiment, quia coelo excelsior est, et super stellarum vertices sublimatur, ex longinquo videre non posse; et quia inter nos et coelestem sedem partes aerae intersunt, quasi in nube latens per caliginem judicet, et superioribus intentus, minus ima perpendat; et dum coeli cardines ambiendo constringit, interiora non videat. Sed quis de Deo ista vel desipiens suspicetur, qui nimirum cum sit semper

Omnipotens, sic intendit omnibus, ut adsit singulis; sic adest singulis, ut simul omnibus nunquam desit? Nam etsi quosdam peccantes deserit, eisdem tamen ipsis adest per iudicium, quibus deesse cernitur per adiumentum. Sic itaque exteriora circumdat, ut interiora impleat; sic interiora implet ut exteriora circumdet; sic summa regit, ut ima non deserat; sic imis praesens est, ut a superioribus non recedat; sic latet in sua specie, ut tamen cognoscatur in operatione; sic cognoscitur in suo opere, ut tamen comprehendi non valeat a cognoscentis aestimatione; sic adest, ut videri nequeat; sic videri non valet, ut tamen ejus praesentiam ipsa sua iudicia testentur; sic se nobis intelligendum praebet, ut tamen ipsum nobis radium sui intellectus obnubilet; et rursum sic caligine nos ignorantiae reprimat, ut tamen menti nostrae radiis suae claritatis intermicet: quatenus et sublevata quidpiam videat, et reverberata contremiscat; et quia eum, sicuti est, videre non potest, aliquatenus vivendo cognoscat. Sed haec haeretici sanctam Ecclesiam scire non aestimant, quia stulto iudicio solos se esse sapientes putant. Ex quorum adhuc typo subjungitur:

CAPUT IX.

VERS. 15.---*Nunquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?*

13. *Christi semita humilitas mundi superbia.*---Sicut semita Redemptoris nostri humilitas, ita semita saeculorum superbia est. Saeculorum itaque semitam viri iniqui calcant, quia per

hujus vitae desideria in elatione perambulant. De quibus adhuc iniquis subditur:

CAPUT X [*Vet. VI, Rec. IV*].

VERS. 16.---*Qui sublati sunt ante tempus suum et fluvijs subvertit fundamentum eorum.*

14. *Iniqui semper ante tempus quod sibi praefixerunt nunquam ante constitutum a Deo moriuntur.*---Cum tempus vitae a divina nobis praescientia sit procul dubio praefixum, quaerendum valde est qua ratione nunc dicitur quod iniqui ex praesenti saeculo ante tempus proprium subtrahantur. Omnipotens enim Deus etsi plerumque mutat sententiam, consilium nunquam. Eo ergo tempore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex divina potentia ante tempora praescitur. Sed sciendum quia creans et ordinans nos omnipotens Deus, juxta singulorum merita, disponit et terminos, ut vel malus ille breviter vivat, ne multis bene agentibus **506** noceat; vel bonus iste diutius in hac vita subsistat, ut multis boni operis adjutor existat; vel rursum malus longius differatur in vita ut prava adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati justius verius vivant; vel bonus citius subtrahatur, ne si hic diu vixerit, ejus innocentiam malitia corrumpat. Sciendum tamen quia benignitas Dei est peccatoribus spatium poenitentiae largiri. Sed quia accepta tempora non ad fructum poenitentiae, sed ad usum iniquitatis vertunt, quod a divina misericordia mereri poterant amittunt. Quamvis omnipotens Deus illud tempus uniuscujusque ad mortem praesciat quo

eius vita terminatur, nec alio in tempore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur. Nam si Ezechiae anni additi ad vitam quindecim memorantur (**IV Reg. 20, 6**), tempus quidem vitae crevit ab illo termino quo mori ipse merebatur. Nam divina dispositio ejus tempus tunc praescivit, quo hunc postmodum ex praesenti vita subtraxit. Cum ergo ita sit, quid est quod dicitur: *Quia iniqui sublati sunt ante tempus suum*, nisi quod omnes qui praesentem vitam diligunt longiora sibi ejusdem vitae spatia promittunt? Sed cum eos mors superveniens a praesenti vita subtrahit, eorum vitae spatia, quae sibi longiora quasi in cogitatione tendere consueverant, intercidit. De quibus recte dicitur: [*Rec. V.*] *Et fluvijs subvertit fundamentum eorum.*

15. *Iniquorum fundamentum in terrenis, justorum in coelestibus est.*---Iniqui enim dum corde transire ad aeterna negligunt, et cuncta praesentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amore praesentis vitae figunt, et quasi longae habitationis in ea sibi fundamentum construunt, quia in terrenis rebus per desiderium solidantur. Sic primus in terra Cain civitatem construxisse describitur (**Genes. IV**), qui videlicet peregrinus aperte monstratur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate aeternae patriae alienus fuit. Peregrinus quippe a summis, fundamentum in infimis posuit, qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit (**S. August. lib. XV de Civit. Dei, cap. 17 et 19**). Unde et in ejus stirpe Enoch, qui dedicatio interpretatur, primus nascitur; in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse memoratur, quia videlicet reprobi in hac vita quae ante est semetipsos aedificando dedicant, electi vero aedificationis suae dedicationem in fine temporis, id est in septimo,

exspectant. Videas namque plurimos temporalia sola cogitare, honores quaerere, ambiendis rebus inhiare, nil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima se generatione dedicant? Videas electos nil praesentis gloriae quaerere, libenter inopiam sustinere, mala mundi aequanimiter perpeti, ut possint in fine coronari. Electis ergo Enoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudii in extremae retributionis gloria requirunt. Et quia quotidiano temporis lapsu ipsa praesentis vitae mortalitas decurrit, atque reproborum dedicationem eosdem reprobos subtrahendo destruit, recte de iniquis dicitur: *Et fluvius subvertit fundamentum eorum*. Id est, ipse cursus mutabilitatis statum 507 in eis subruit perversae constructionis. Sequitur:

CAPUT XI.

VERS. 17.---*Qui dicebant Deo: Recede a nobis.*

16. Haec etiam beatum Job dixisse quis ambigat? Sed quae in ejus dictis exposuimus, propter legentis fastidium replicare devitamus. Sequitur:

IBID.---*Et quasi nihil possit facere Omnipotens, aestimabant eum.*

In his quoque sermo, et non sententia immutatur. Nam quod per beatum Job dictum est: *Quis est Omnipotens, ut serviamus ei (Job. XXI, 15)?* hoc per Eliphaz dicitur: *Et quasi nihil possit facere Omnipotens, aestimabant eum*. Sequitur:

CAPUT XII [*Vet. VII.*]

VERS. 18.---*Cum ille implesset domos eorum bonis.*

17. *Deus etiam malos beneficiis cumulat. Quo consilio.*---Malorum domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis sua dona non denegat, ut aut benignitatem conditoris erubescant, et ad bonitatem redeant; aut redire omnimodo contemnentes, inde illic gravius puniantur, unde hic et bonis Dei largioribus mala reddiderunt, ut duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt. Sequitur:

IBID.---*Quorum sententia procul sit a me.*

Aliud sententia, aliud consilium.---Hoc etiam per beatum Job dictum est. Ait namque: *Quorum consilium longe sit a me (Job. XXI, 16)*, quamvis aliud sententia, atque aliud consilium possit intelligi. Sententia quippe in ore est, consilium in cogitatione. Dum ergo Eliphaz longe se a malorum sententia, beatus vero Job a consilio optavit, constat nimirum quia iste malorum verbis, ille vero etiam cogitationi desiderat esse dissimilis. Sequitur:

CAPUT XIII [*Rec. VI.*]

VERS. 19.---*Videbunt justi, et laetabuntur, et innocens subsannabit eos.*

18. *Justi de iniquorum peccatis nunc tabescunt, de eorum interitu quandoque laetaturi.*---Justi cum hic injustos errare conspiciunt, de errore pereuntium laetari non possunt. Si enim gaudent erroribus, justi non sunt. Rursum si per insultationem laetantur eo quod tales non sunt quales alios esse conspiciunt, omnino superbi sunt. Unde et pharisaeus justificationem perdidit, quia publicani meritis gaudento se praetulit, dicens: *Gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus* (**Luc. XVIII, 11**). Rursum si dicimus quod perfecto gaudio exsultare justi possunt de morte pravorum, quale est in hoc mundo gaudium de ultione peccantium, in quo adhuc incerta est vita justorum? Discernamus igitur tempora tremoris et exsultationis. Vident etenim nunc injustos justi, et de eorum nequitia tabescunt. Cumque eos feriri conspiciunt, de sua quoque vita suspecti fiunt. Quando ergo videbunt justi iniquorum interitum, et laetabuntur, nisi cum districto judici perfecta jam securitate exsultationis inhaeserint, cum in illo extremo examine illorum damnationem conspicient, et de se jam quod metuant non habebunt? Nunc itaque reprobos aspiciunt et gemunt, tunc aspicient et subsannabunt, quia eos exsultando despicient, quos modo nec sine gemitu iniqua perpetrantes, nec sine metu vident pro iniquitate morientes. Unde per hoc quod subditur, quia de damnatione eorum ultima dicatur ostenditur; nam protinus subinfertur:

CAPUT XIV [*Rec. VII*].

508 VERS. 20. *Nonne succisa est erectio eorum et reliqua eorum devoravit ignis?*

19. *Mali nunc florent, aliquando succidendi, et tam in carne quam in anima puniendi.*---Hic namque iniqui erecti sunt, quia in pravis actionibus extolluntur, quia et perverse agunt, et tamen pro perversis actibus minime feriuntur. Peccant et florent peccata augent et terrena bona multiplicant. Sed eorum erectio tunc succiditur, cum vel a praesenti vita ad interitum, vel a conspectu aeterni iudicis ad aeternum gehennae incendium pertrahuntur. Qui etsi hic mortuam suam carnem relinquunt, ipsam quoque in resurrectione recipiunt, ut cum carne ardeant, in qua peccaverunt. Sicut enim eorum culpa in mente fuit et corpore, ita eorum poena in anima erit pariter et carne. Quia ergo nec hoc eis erit a tormento liberum, quod hic mortuum relinquunt, recte nunc dicitur: *Reliquias eorum devoravit ignis*. Sequitur:

CAPUT XV [*Vet. VIII*].

VERS. 21, 22.---*Acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per haec habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde suo.*

20. *Haereticorum superbia et praesumptio.*---Culpa superbiae est docere meliorem, quam saepe haeretici

perpetrant, qui de his quae prave sentiunt quasi docere catholicos praesumunt. Tunc enim eos putant Deo acquiescere, si illos contigerit eorum perversitatibus consentire. Et acquiescentibus pacem promittunt, quia contra eos qui sibi consentiunt jam iurgari desistunt. Fructus autem optimos sibi consentientibus pollicentur, quia eos solos bona opera agere existimant, quos ad sua dogmata se trahere exsultant. Quibus et hoc congruit, quod adjungit: *Suscipe ex ore illius legem*. Quia ea quae ipsi sentiunt ex ore Dei procedere suspicantur: *Et pone sermones ejus in corde tuo*. Ac si aperte astruat, dicens: Quos nunc usque in ore, et non in corde tenuisti. Quia enim eorum perversa dogmata respuit, non eum verba Dei in sensu, sed in ostensione habuisse criminantur. Unde quasi sub quadam specie dulcedinis infundunt virus pestiferae persuasionis, ut verba Dei Ecclesiam in corde suo ponere admoneant. Quae si unquam a corde illius recessissent, ab illis talia nullatenus audiret. Sequitur:

CAPUT XVI.

VERS. 23.---*Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.*

21. *Quid ad Deum post peccata revertitur, in cogitatione et opere munducatur.*---Fidelem populum haeretici a Deo discessisse existimant, quia eum suis praedicationibus resistentem vident. Quem cum malis praesentibus afflictum

conspiciunt, quasi per admonitionem ad conditoris gratiam trahere conantur, dicentes: *Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis*. Ac si aperte dicant: Quia nostris dogmatibus resistendo a Domino recessisti, idcirco a justitiae aedificatione destructus es. Tabernaculum vero aliquando accipimus habitaculum corporis, aliquando vero habitaculum cordis. Nam sicut anima habitamus in corpore, ita per cogitationes habitamus in mente. Iniquitas ergo in tabernaculo mentis, est perversa intentio in studio cogitationis, iniquitas autem in tabernaculo corporis per expletionem operis actio carnalis. Eliphaz itaque quia amicus beati viri exstitit, quaedam vera sentiens, et tamen in his, in quibus a rectitudine deviat, haereticorum speciem tenens, beatum Job ex virtutibus flagellatum nesciens **509** errasse credidit, quem percussum vidit, eique, si reversus ad Omnipotentem fuerit, pollicetur dicens: *Longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo*, ac si patenter dicat: Quisquis ad Deum post errata revertitur, in cogitatione simul et in opere mundatur. Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. IX, Rec. VIII*].

VERS. 24.---*Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos.*

22. *Infirmi, sanante Deo, fortes evadunt, et aliis doctrina praelucent.*---Quid per terram nisi infirmitas actionis, quid per duritiam silicis, nisi fortitudo signatur? quid per torrentes aureos, nisi doctrinam intimae claritatis accipimus?

Omnipotens autem Deus ad se conversis pro terra dat silicem, quia pro infirma actione fortitudinem tribuit robusti operis. Dat etiam pro silice torrentes aureos, quia pro robusto opere doctrinam multiplicat clarae praedicationis, ut peccator quisque conversus, et ex infirmo fortis existere valeat, et in sua fortitudine usque ad proferenda verba intimae claritatis exsurgat, quatenus in eo et infirmitas actionis, in qua velut solvitur, bene vivendi fortitudine solidetur; et rursus cum sensus ex vita trahitur, ex ipsa fortitudine torrentes aurei defluant, quia in ore bene viventium doctrinae claritas inundat. Sequitur:

CAPUT XVIII.

VERS. 25. *Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi.*

23. *Deus, fugatis hostibus, divini eloquii argento nos ditat.*--- Quos magis alios hostes patimur quam malignos spiritus, qui in nostris nos cogitationibus obsident, ut civitatem valeant nostrae mentis irrumpere, eamque sub sui jugo dominii captam tenere? Argenti autem nomine sacra eloquia designati testatur Psalmista, qui ait: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum terrae (Psal. XI, 7).* Et saepe cum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostrae terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostrae oculos a luce intimae visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat, cum dicebat: *Declinate a me, maligni, et*

scrutabor mandata Dei mei (Psal. CXVIII, 115). Videlicet patenter insinuans quia mandata Dei perscrutari non poterat cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat. Quod etiam in Isaac opere sub Allophylorum pravitate cognoscimus designari, qui puteos quos Isaac foderat terrae congerie replebant (**Genes. XXVI, 15**). Hos enim nos nimirum puteos fodimus cum in Scripturae sacrae abditis sensibus alta penetramus. Quos tamen occulte replent Allophyli quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinae scientiae aquam tollunt. Sed quia nemo hos hostes sua virtute superat, per Eliphaz dicitur: *Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi.* Ac si aperte diceretur: Dum malignos spiritus Dominus a te sua virtute repulerit, divini intus eloquii talentum lucidum excrescit. Sequitur:

CAPUT XIX [*Vet. X, Rec. IX*].

VERS. 26.---*Tunc super Omnipotentem deliciis afflues.*

24. *Deliciis affluunt qui multiplices in sacris Scripturis sensus discernere sciunt.*---Super Omnipotentem deliciis affluere est in amore illius Scripturae sacrae epulis satiari. In cujus nimirum verbis tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiae diversitates accipimus, ut modo nuda nos pascat historia, modo sub textu litterae velata medullitis nos reficiat moralis allegoria, modo ad altiora suspendat contemplatio, in praesentis vitae tenebris jam de lumine aeternitatis **510** intermicans. Et sciendum quod quisquis

deliciis affluit in quadam sui remissione solvitur, atque a laboris studio quasi ex lassitudine relaxatur, quia nimirum anima cum internis deliciis abundare coeperit, terrenis jam operibus incubare minime consentit; sed amore conditoris capta, et sua captivitate jam libera, ad contemplandam ejus speciem deficiendo suspirat, et quasi lassescendo convalescit, quia dum sordida onera portare jam non valet, ad illum per quietem properat, quem intus amat. Hinc etiam in admiratione sponsae scriptum est: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens* (**Cant. VIII, 5**)? Quia nimirum sancta Ecclesia nisi verborum Dei deliciis afflueret, de deserto vitae praesentis ascendere ad superiora non posset. Deliciis ergo affluit, et ascendit, quia dum mysticis intelligentiis pascitur, ad superna quotidie contemplanda sublevatur. Hinc etiam Psalmista ait: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* (**Psal. CXXXVIII, 11**), quia dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, jam in ea vitae praesentis obscuritas fulgore diei subsequenter illuminatur, ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat, et verborum deliciis pasta praegustando discat quid de pabulo veritatis esuriant. Sequitur:

CAPUT XX.

IBID.---*Et elevabis ad Deum faciem tuam.*

25. *Ad Deum faciem levare, est cor poenitentia mundatum ad divina investiganda attollere.*---Ad Deum faciem levare, est cor ad sublimia investiganda attollere. Nam sicut per corporis

faciem homini, ita per interiorem imaginem Deo noti atque conspicabiles sumus. Cum vero reatu culpae deprimimur, ad Deum levare cordis nostri faciem veremur. Dum enim nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se conscientia accusat. Cum vero jam poenitentiae lamentis culpa diluitur, et sic perpetrata planguntur, ut plangenda minime perpetrentur, magna menti fiducia nascitur, et ad conspicienda supernae retributionis gaudia cordis nostri facies levatur. Sed haec Eliphaz recte diceret si infirmum moneret. Cum vero justum virum propter flagella despicit, quid aliud quam verba scientiae nesciens fundit? Quae nimirum dicta si ad haereticorum typum ducimus, ipsi falsis promissionibus ad Deum nos faciem levare pollicentur. Ac si fideli populo patenter dicant: Quandiu praedicationem nostram non sequeris, cor in infirmis premis. Quia vero Eliphaz beatum Job ad Deum reverti admonuit, a quo videlicet idem vir beatus nunquam recessit, adhuc pollicendo subjungit:

CAPUT XXI.

VERS. 27.---*Rogabis eum, et exaudiet te.*

26. *Frustra Deum rogant qui ejus praecepta contemnunt.*--- Rogant quippe Dominum, sed exaudiri minime merentur, qui jubentis Domini praecepta contemnunt. Unde scriptum est: *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. XXVIII, 9).* Quandiu ergo Eliphaz

beatum Job non exaudiri credidit, hinc nimirum in suo opere errasse judicavit. Unde et adhuc subdit:

IBID.---*Et vota tua reddes.*

[*Vet. XI.*] Qui vota vovit, sed haec prae infirmitate solvere non valet, ei ex peccati poena agitur ut volenti bonum posse subtrahatur. Cum vero in conspectu intimi judicis ea quae obsistit culpa detergitur, fit protinus ut votum possibilitas sequatur. Sequitur:

CAPUT XXII.

511 VERS. 28.---*Decernes rem, et veniet tibi.*

27. *Falsa hominum de adversis et prosperis judicia.*---Hoc esse proprium infirmantium iudicium solet, ut tanto quempiam existiment justum, quanto hunc adipisci conspiciunt omne quod appetit. cum videlicet noverimus nonnunquam bona terrena justis subtrahi, quae largo munere tribuuntur injustis, quia et desperatis aegris medici quidquid poposcerint dari praecipiunt, et eis quos reduci posse ad salutem praevident quae appetunt dari contradicunt. Sed si dicta haec Eliphaz de donis spiritalibus intulit, sciendum quod res decernitur et venit cum virtus quae ex desiderio appetitur, largiente Deo, etiam effectum prosperatur. Unde et adhuc subditur:

CAPUT XXIII [*Rec. X*].

IBID.---*Et in viis tuis splendeat lumen.*

28. *Mirus virtutis splendor.*---In viis quippe justorum lumen splendere est per mira opera virtutum signa suae claritatis aspergere, ut quocunque per intentionem pergunt, ab intuituum cordibus peccati noctem excutiant, et exemplo sui operis in eis justitiae lumen fundant. Sed quantalibet sit justitia operis, apud internum judicem nulla est, si nanc elevatur tumor mentis. Unde et subditur:

CAPUT XXIV.

VERS. 29.---*Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria; et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur.*

29. *Humilitatis commendatio.*---Quae nimirum sententia a Veritatis ore non discrepat dicentis: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (Luc. XIV, 11).* Unde et per Salomonem dicitur: *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam gloriatur, humiliatur (Prov. XVIII, 12).* Recte autem dicitur: *Qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur*, quia, quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiae ostensio esse in oculis solet. Hinc enim scriptum est: *Et oculos superborum humiliabis (Psal. XVII, 28).* Hinc de ipso superbientium capite dicitur: *Omne sublime videt (Job XLI, 25).* Hinc de illa quae ei per infidelitatem adhaesit scriptum est: *Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebrae ejus in*

altum subrectae (**Prov. XXX, 13**). Oculos ergo inclinare est nullum respiciendo despicere, sed se minorem atque imparem cunctis quos aspicit aestimare. Salvabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiae verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit. Sequitur:

CAPUT XXV.

VERS. 30.---*Salvabitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum.*

30. *Gratiae praevenientis necessitas, quam comitari et subsequi debet liberum arbitrium.*---Quae scilicet sententia si de coelestis regni retributione promitur, veritate fulcitur, quia cum de Deo scriptum sit: *Qui reddit unicuique secundum opera ejus* (**Rom. II, 6**), illum in extremo examine justitia aeterni judicis salvat, quem hic ejus pietas ab immundis operibus liberat. Sin vero ad hoc salvari quisque hic munditia manuum suarum creditur, ut suis viribus innocens fiat, procul dubio erratur, **512** quia si superna gratia nocentem non praevenit, nunquam profecto inveniet quem remuneret innocentem. Unde veridica Moysis voce dicitur: *Nullusque apud te per se innocens est* (**Exod. XXXIV, 7**). Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut, subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. [*Vet. XII.*] Quia enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat, praevenit, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (**I**

Cor. XV, 10). Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum* si cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego.* Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.* Munditia itaque manuum suarum innocens salvabitur, quia qui hic praevenitur dono ut innocens fiat, cum ad judicium ducitur, ex merito remuneratur. Quae cuncta Eliphaz, sicut praedictum est, etsi recte protulit, cui tamen proferret ignoravit, quia docere meliorem non debuit, sed audire. Quae tamen omnia per typum haereticorum promissionibus congruunt, qui cum fideles quosque in praesenti vita afflictos inveniunt, eos ex culpa perfidiae percussos arbitrantur, eisque si sua dogmata sequantur, salutem innocentiae per bonorum operum munditiam promittunt. Sed mens fidelium tanto eos altius despicit, quanto illos innocentiam non videt habere quam pollicentur. Unde bene per Salomonem dicitur: *Frustra jactatur rete ante oculos pennatorum* (**Prov. I, 17**). Pennati quippe sunt bonorum spiritus, qui dum ad altiora per spem veritatis evolant, apposita pravorum hominum deceptionis retiacula declinant. Sequitur:

CAPUT XXVI [*Rec. XI*].

CAPUT XXIII, VERS. 1, 2.---*Respondens autem Job dixit: Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.*

31. *Inordinata consolatio dolorem auget.*---More suo beatus Job planioribus verbis inchoat, sed dicta sua alta mysterii prosecutione consummat. Mederi quippe dolor afflicti ex amicorum consolatione debuerat; sed quia consolatio ad blandimenta fallaciae erupit, afflicti dolor inhorruit. Quia, enim Eliphaz spondere converso meliora non timuit, quasi ex noxio medicamine vulnus crevit. Unde recte dicitur: *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum*, quia videlicet **513** inordinatae consolationis intentio percussione quam minuere debuit multiplicavit. In quibus nimirum verbis per typum sanctae Ecclesiae etiam fidelium dolor exprimitur, qui eo amplius gement, quo malos blandiri conspiciunt, qui juxta Pauli vocem: *Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (**Rom. XVI, 18**).

32. [*Vet. XIII.*] *Fidelium mentes sine amaritudine esse nesciunt.* Quae etiam verba ad considerandam subtilius mentem fidelium recte referuntur, qui esse sine amaritudine nesciunt etiam si in hoc mundo prosperari videantur. Quibus cum et adversitas evenit, eum quem invenit ingeminat dolorem. Unde recte dicitur: *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus*, ut aperte monstretur quia electorum mens sine amaritudine et in prosperitate non fuerit. Bene autem dicitur: *Et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum*. Manus quippe plagae est fortitudo percussionis. Primam namque percussione suam electi considerant, quia a conditoris sui visione divisi sunt, quia nequaquam

illuminationis intimae claritate perfruuntur, sed in praesentis vitae exsilio quasi in caecitatis loco relegati gemunt. Semper ergo habent in hac manu plagae gemitum suum. Sed cum adhuc etiam adversa in hac vita accidunt, manus plagae eorum etiam super gemitum gravatur. Erat enim plagae gemitus etiam cum praesentis vitae adversa deessent. Sed amaritudo primae percussione etiam ex tentatione crescit adversitatis. Dicit ergo: *Et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum*: quia justum quemque in hac vita adversitas non laetum perculit, sed in eo dolorem vulneris multiplicavit. Fit tamen miro omnipotentis Dei moderamine ut cum in hoc mundo mens justi adversitatibus plus laborat, auctoris sui contemplandam faciem amplius sitiatur. Unde hic apte subjungitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XII*].

VERS. 3.---*Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?*

33. *Ardor electorum Dei conspectu frui cupientium*.---Electus quisque nisi Deum cognovisset, utique non amaret. Sed aliud est cognoscere per fidem, atque aliud per speciem; aliud invenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur ut electi omnes eum quem fide cognoverunt videre quoque per speciem anhelent. Cujus amore flagrantest aestuant, quia ejus dulcedinis suavitatem jam in ipsa suae fidei certitudine degustant. Quod bene ille in Gerasenorum regione sanatus a daemonibus designat, qui vult abire cum Jesu; sed

ei a magistro salutis dicitur: *Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecerit Deus (Luc. VIII, 39)*. Amanti enim adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur. Fit ergo nobis omnipotens Deus dulcis in miraculis, et tamen in sua celsitudine manet occultus, ut et quiddam monstrando de se occulta nos inspiratione in suo amore succendat, et tamen abscondendo Majestatis suae gloriam amoris sui vim per aestum desiderii augeat. Nisi enim sanctus vir videre hunc in sua Majestate quaereret, non utique subinferret: *Et veniam usque ad solium ejus [Vet. XIV]*. Quid namque est solium Dei, nisi illi angelici spiritus **514** qui, Scriptura teste, throni vocati sunt? Qui ergo usque ad solium Dei venire vult, quid aliud quam interesse angelicis spiritibus concupiscit, ut nulla jam defectiva temporum momenta sustineat, sed ad permanentem gloriam in contemplatione aeternitatis exsurgat?

34. *Electi occulta Dei judicia venerantur.*---Quae tamen verba etiam in hac vita positae justis conveniunt. Nam cum contra votum suum atque desiderium quodlibet agi conspiciunt, ad occulta Dei judicia recurrunt, ut in eis videant quia inordinate intus non disponitur quod inordinatum foris currere videtur. Cum enim praesidentem angelicis spiritibus Creatorem omnium fidei oculis contemplantur, ad ejus nimirum solium veniunt. Et quia considerant quoniam is qui mire angelos regit injuste homines non disponit, profecto inveniunt causales rationes quam justae sint, dum ipsae causae extrinsecus videantur injustae; dumque id humiliter faciunt, semetipsos saepe in sua voluntate reprehendunt, sua in se nonnunquam vota dijudicant, dum meliora esse ea quae disponit conditor pensant. Unde bene adhuc subditur:

CAPUT XXVIII [*Rec. XIII*].

VERS. 4.---*Ponam coram eo iudicium, et os meum replebo increpationibus.*

35. *Ex occultorum Dei iudiciorum consideratione ad poenitentiam accenduntur electi.*---Coram Deo iudicium ponere est intra secretum mentis per fidei contemplationem ad tremendum examen maiestatis illius oculos nostrae considerationis aperire, quid peccator homo mereatur attendere, et occultus nunc et tacitus iudex quam terribilis post appareat considerare. Ex qua re agitur ut ad cognitionem sui anima subtilius revocetur, et quo occultum iudicem suum magis terribilem videt, eo de suis actibus formidolosius angustetur. Anxie trepidat, culpas suas lamentis insequitur, poenitendo increpat, qualem fuisse se meminit. Unde nunc quoque postquam dictum est: *Ponam coram eo iudicium*, recte subjungitur: *Os meum replebo increpationibus*. Qui enim sibi in conspectu Dei iudicium ponit, os suum increpationibus replet, quia dum subtile examen tremendi contra se iudicis contemplatur, amarae se poenitentiae invectione persequitur. Saepe autem dum culpas nostras pensare negligimus, quae earum reprehensio in iudicio sequatur ignoramus; dum vero eas poenitendo persequimur, quid nobis de eis iudex in suo examine dicere possit invenimus. Unde adhuc apte subjungitur:

CAPUT XXIX.

VERS. 5.---*Ut sciam verba quae mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi.*

36. *Occulta Dei judicia, dum metuunt, evadunt electi.*---Tunc enim culpas plangimus cum pensare coeperimus. Sed tunc subtilius pensamus, cum sollicitius plangimus, atque ex lamentis in corde nostro plenius nascitur quid peccantibus divina districtio minatur, quae erunt illa reproborum impropria, qui terror, quae implacabilis Majestatis aversio. Tanta enim tunc Dominus reprobis iratus dicet; quanta eos pati ex aequitate permiserit. Quae nimirum verba animadversionis illius justi, dum modo sollicite metuunt, evadunt. Sed quis in illo examine inveniri justus valeat, si secundum suae fortitudinis Majestatem vitam hominum **515** discutiat Deus? Apte ergo subjungitur:

CAPUT XXX [*Vet. XV, Rec. XIV*].

VERS. 6.---*Nolo multa fortitudine contendat mecum; nec magnitudinis suae mole me premat.*

37. *Dei fortitudinem formidantes, infirmitatem in assumpta humanitate desiderant.*---Mens etenim quamlibet justi, si ab omnipotente Domino districte judicatur, mole magnitudinis premitur. In quibus nimirum verbis hoc quoque

intelligendum est, quod sanctus vir, dum Dei fortitudinem devitat, quid ejus aliud quam infirmitatem desiderat? Et scriptum est: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (**I Cor. I, 25**). Unde et protinus adjungit:

VERS. 7.---*Proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum.*

Quis enim alius nisi Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (**I Tim. II, 5**), aequitatis nomine designatur? de quo scriptum est: *Qui factus est sapientia nobis a Deo et justitia* (**I Cor. I, 30**). Quae scilicet justitia dum in hunc mundum contra vias peccatorum venit, antiquum hostem vincimus, a quo captivi tenebamur. Dicat ergo: *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae mole me premat; proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum.* Id est, ad redarguendas vias meas incarnatum Filium mittat, et tunc insidiantem adversarium per absolutionis meae judicium victor excludam. Si enim in divinitatis fortitudine sic unigenitus Dei Filius invisibilis maneret, ut nil de nostra infirmitate susciperet, infirmus homo ad eum invenire accessum gratiae quando potuisset? Consideratum quippe pondus ejus magnitudinis opprimeret potius quam juvaret. Sed fortis super omnia apparuit infirmus inter omnia, ut dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret, ad permanentem nos suam fortitudinem elevaret. In altitudine enim sua divinitas a nobis utpote parvulis apprehendi non potuerat, sed stravit se hominibus per humanitatem, et quasi in jacentem ascendimus; surrexit, et levati sumus. Unde hoc quoque mox subditur, per quod divinitas invisibilis atque incomprehensibilis demonstretur. Nam sequitur:

CAPUT XXXI [*Rec. XV*].

VERS. 8, 9.---*Si ad Orientem iero, non apparet; si ad Occidentem, non intelligam eum; si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum.*

38. *Deus invisibilis et incomprehensibilis, non in parte sed ubique quaerendus.*---Creator quippe omnium in parte non est, quia ubique est. Et tunc minus invenitur, quando is qui totus ubique est in parte quaeritur. Incircumscriptus namque spiritus omnia intra semetipsum habet, quae tamen et implendo circumdat, et circumdando implet, et sustinendo transcendit, et transcendendo sustinet. Bene autem postquam dictum est: *Si ad Orientem iero, non apparet; si ad Occidentem, non intelligam eum; si ad sinistram quid agam? non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum;* illico adjunxit: *Ipsa vero scit viam meam.* Ac si aperte dicat: Videre non valeo videntem me, et eum qui me subtiliter intuetur intueri non possum; ut videlicet ostendat quia tanto cautius formidandus est, quanto conspicabilis non est. Qui enim ita nos aspicit, ut a nobis aspici nequeat, eo magis timendus est, quo cuncta videns minime videtur. Cum enim contra nos latere quempiam in insidiis credimus, eo illum amplius metuimus, quo minime videmus. **516** Cumque ejus insidias nequaquam deprehendimus ubi sunt, et ibi eas metuimus ubi non sunt. Creator autem noster, qui ubique totus est, et cernens cuncta non cernitur, tanto magis metuendus est, quanto invisibilis permanens, de nostris actibus quando et

quid decernat ignoratur. Quae tamen verba intelligi et aliter possunt. Ad Orientem quippe imus, cum mentem in consideratione majestatis ejus attollimus. Sed non apparet, quia qualis in natura sua est a cogitatione mortali videri non praevalet. *Si ad Occidentem non intelligam eum. [Vet. XVI.]* Ad Occidentem imus cum sublevatum in Deo cordis oculum, sed ipsa immensitate luminis reverberatum, ad nosmetipsos reducimus, et lassati discimus valde super nos esse quod quaerebamus, nostramque mortalitatem considerantes, indignos nos adhuc esse deprehendimus qui immortalem videre valeamus. *Si ad sinistram, quid agam non apprehendam eum.* Ad sinistram ire est peccatorum delectationibus consentire. Et nimirum constat quia Deum apprehendere non valet qui adhuc in delectatione peccati per sinistram jacet. *Si me vertam ad dexteram, non videbo illum.* In dexteram procul dubio vertitur qui de virtutibus elevatur. Sed Deum videre non valet qui privata laetitia de bonis actibus gaudet, quia in eo cordis oculum tumor elationis premit. Unde bene alias dicitur: *Non declines ad dexteram, aut ad sinistram (Deut. XVII, 11).* In quibus cunctis plerumque se anima discutit, nec tamen plene deprehendere semetipsam valet. Unde hic apte subditur:

CAPUT XXXII.

VERS. 10.---*Ipse vero scit viam meam.*

39. *Deus justorum vias explorat eosque probat.*---Ac si patenter dicat: Ego me et districte discutio, et perfecte me

scire non possum; et tamen ille quem videre non valeo, videt subtiliter cuncta quae ago. Sequitur:

Et probabit me quasi aurum quod per ignem transit.

Aurum in fornace ad naturae suae claritatem proficit, dum sordes amittit. Quasi aurum ergo quod per ignem transit probantur animae justorum, quibus exustione tribulationis et subtrahuntur vitia et merita augentur. Nec elationis fuit quod sanctus vir in tribulatione se positum auro comparavit, quia qui Dei voce justus ante flagella dictus est, non idcirco tentari permissus est ut in eo vitia purgarentur, sed ut merita crescerent, aurum vero igne purgatur. Minus ergo de se aestimavit ipse quam erat, dum, tribulationi traditus, purgari se credit, qui purgandum in se aliquid non habebat.

40. *Justi quantumvis humiles, sua bona opera non ignorant.* --Sciendum vero est quia quamvis de se humilia sentiat animus justorum, ea tamen quae agunt quam sint recta conspiciunt, sed de eorum rectitudine non praesumunt: Unde adhuc subditur: *Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus.* Sed in his omnibus an se esse aliquid existimet videamus. Sequitur: *Ipse enim solus est [Rec. XVI].* Qua sententia subjuncta ostendit quia in tot bonis quae egerat nil esse se credit. Sed haec ipsa superius verba repetentes, ut possumus perstringamus.

CAPUT XXXIII.

517. VERS. 11.---*Vestigia ejus secutus est pes meus.*

41. *Dei longanimitas et pietas nobis unitandae. Exempla Christi sequenda.*---Quasi quidam namque gressus Dei sunt, quas cernimus, operationes ejus, quibus bonus quisque malusque regitur, quibus justus injustique suis ordinibus disponuntur, quibus et subjectus quisque ad meliora quotidie ducitur, et adversus ad deteriora corruens toleratur. De quibus nimirum gressibus Propheta dicebat: *Visi sunt gressus tui, Deus (Psal. LXVII, 25).* Nos itaque cum virtutem longanimitatis atque pietatis ejus intuemur, et intuentes imitari contendimus, quid aliud quam gressuum ejus vestigia sequimur, quia extrema quaedam ejus operationis imitamur. Haec enim Patris sui vestigia Veritas admonebat imitari, cum diceret: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super malos et bonos (Matth. V, 45; Luc. VI, 28).* [*Vet. XVII.*] Potest tamen beatus Job, qui certa fide jam dixerat: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum (Job. XIX, 25),* sic in futura operatione incarnandae sapientiae intendere, sicut nos ejusdem sapientiae jam praeterita opera per fidem videmus, quod Mediator Dei et hominum benignus ad tribuendum, humilis ad sustinendum, patiens ad exemplum praebendum fuerit. Cujus nimirum vitam dum beatus Job, superno spiritu repletus, sollicita intentione conspiceret, futuram mansuetudinis illius humilitatem praevidens, quasi ad exemplum sibi propositum recurrit, ut quidquid in hac vita ageret, ad imitationis illius vestigia ligaret, quatenus qui occultae dispositionis ejus sublimia videre non poterat, quasi in terra conspiciens, ad imitationem ejus vestigia teneret. De quibus ejus vestigiis per

Petrum dicitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (I Petr. II, 21)*. De quo adhuc subditur:

CAPUT XXXIV.

IBID.---*Viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.*

42. *Justorum sollicitudo est vias veritatis observare.*---Custodit et non declinat, qui hoc ubi intendit operatur. Custodire quippe per intentionem, est non declinare per operationem. Haec namque est sollicitudo justorum, ut actus suos quotidie juxta vias veritatis examinent, et, ea sibi in regulam proponentes, a rectudinis earum tramite non declinent. Super semetipsos quippe quotidie ire contendunt, et quo in virtutum verticem provehantur, cauta reprehensione dijudicant, quidquid de eis ex semetipsis remanet infra semetipsos, et totos se illo festinant trahere, ubi se inveniunt ex parte pervenisse. Sequitur:

CAPUT XXXV.

VERS. 12.---*A mandatis labiorum ejus non recessi.*

43. *Dei voluntatem in Scripturis scrutari, alia justorum sollicitudo.*---Sicut bene obsequentes famuli dominorum suorum vultibus semper intenti sunt, ut ea quae praeceperint, festine audiant et implere contendunt, sic justorum mentes

per intentionem suam omnipotenti Domino assistunt, atque in scriptura ejus quasi os ejus intuentur, ut quia per eam Deus loquitur omne quod vult, tanto a voluntate ejus non discrepent, quanto eandem voluntatem illius in ejus eloquio agnoscunt. Unde fit ut ejus verba non per eorum aures supervacue transeant, sed haec in suis cordibus figant. Unde hic subditur:

CAPUT XXXVI

518. IBID.---*Et in sinu meo abscondi verba oris ejus.*

44. *Verba Dei in sinu abscondere, alia justorum sollicitudo.* --In sinu etenim cordis verba oris ejus abscondimus, quanto mandata illius non transitorie, sed implenda opere audimus. Hinc est quod de ipsa matre Virgine scriptum est: *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo (Luc. II, 19).* Quae nimirum verba, et cum ad operationem prodeunt, in sinu cordis absconsa latent, si per hoc quod foris agitur intus agentis animus non elevatur. Nam cum conceptus sermo ad opus ducitur, si per hoc humana laus quaeritur, sermo Dei in sinu mentis procul dubio non occultatur. Sed nosse velim, beate vir, cur te tanta intentione examines, cur te tanta sollicitudine astringas? Sequitur:

CAPUT XXXVII. [*Vet. XVIII*].

VERS. 13.---*Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus.*

45. *Deus solus est, in cujus essentiae comparatione esse nostrum non esse est.*---Nunquid non sunt angeli et homines, coelum et terra, aer et maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque repentia? Et certe scriptum est: *Creavit ut essent. omnia* (**Genes. II, 3, seq.**). Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur: *Ipse enim solus est.* Sed aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim haec omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illo subsistunt; a quo creata sunt, nec ea quae vivunt sibimetipsis vitam tribuunt, neque ea quae moventur et non vivunt suis nutibus ad motum ducuntur, sed ille cuncta movet, qui quaedam vivificat, quaedam vero non vivificata in extremam essentiam mire ordinans servat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret Omnia itaque quae creata sunt, per se nec subsistere praevalent, nec moveri; sed in tantum subsistunt, in quantum ut esse debeant acceperunt; in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur. Ecce enim peccator flagellandus est de rebus humanis: arescit in ejus laboribus terra, concutitur in ejus naufragiis mare, ignescit in ejus sudoribus aer, obtenebrescit contra eum inundationibus coelum, inardescunt in ejus oppressionibus homines, moventur in ejus adversitate et angelicae virtutes. Nunquidnam haec, quae inanimata vel quae viventia diximus, suis instinctionibus et non magis divinis impulsionibus

agitantur? Quidquid est itaque quod exterius saevit, per hoc ille intuendus est, qui hoc interius disponit. In omni igitur causa solus ipse intuendus est, qui principaliter est. Qui etiam ad Moysen dicit: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (**Exod. III, 14**). Cum itaque flagellamur per ea quae videmus, illum debemus sollicite metuere, quem non videmus. Vir itaque sanctus despiciat quidquid exterius terret, quidquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet, et mentis oculo, suppressis omnibus, intueatur unum in cujus essentiae comparatione esse nostrum non esse est, et dicat: *Ipse enim solus est.*

519 [*Rec. XVII.*] 46. *Deus immutabilis natura et voluntate.*--- De cujus mox immutabilitate apte subjungitur: *Et nemo avertere potest cogitationem ejus.* Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis voluntate. Cogitationem quippe ejus nullus avertit, quia nemo resistere occultis ejus judiciis praevalet. Nam etsi fuerunt quidam qui deprecationibus suis ejus cogitationem avertisse viderentur, ita fuit ejus interna cogitatio, ut sententiam illius avertere deprecando potuissent, et ab eo acciperent quod agerent apud ipsum. Dicat ergo: *Et nemo avertere poterit cogitationem ejus,* quia semel fixa judicia mutari nequaquam possunt. Unde scriptum est: *Praeceptum posuit, et non praeteribit* (**Psal. CXLVIII, 6**); et rursum: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (**Marc. XIII, 31**); et rursum: *Non enim cogitationes meae sicut cogitationes vestrae, neque viae meae sicut viae vestrae* (**Isai. LV, 8**). Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur, quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur. Sequitur:

CAPUT XXXVIII. [*Vet. XIX, Rect. XVIII*].

IBID.---*Et anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit.*

47.---*Deo nec illa obsistunt quae contra voluntatem illius fieri videntur.*---Cum sit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis ejus, qua omnia penetrat, cunctaque disponit, anima illius appellatur. Cujus videlicet voluntati nec illa obsistunt, quae contra voluntatem illius fieri videntur, quia ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non praecipit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. Apostatae quippe angeli perversa voluntas est, sed tamen a Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsae quoque ejus insidiae utilitati bonorum serviant, quos purgant dum tentant. Sic itaque ejus anima quodcunque voluit hoc fecit, ut inde quoque voluntatem suam impleat, unde voluntati illius repugnari videbatur. Terreatur ergo vir justus, et tantae majestatis pondus considerans, infirmum se esse deprehendat.

48. Sed inter verba haec percunctari libet, ac dicere: O beate Job, inter tot flagella positus cur adhuc adversa formidas? jam tribulationibus cingeris, jam innumeris afflictionibus angustaris. Malum timeri debet quod necdum susceptum est; tu in tanto positus dolore quid metuis? Sed ecce vir justus nostris inquisitionibus satisfaciens adjungit:

CAPUT XXXIX.

VERS. 14.---*Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia praesto sunt ei.*

49. *Ex his quae patimur, formidare discimus quae nondum passi sumus.*---Ac si aperte dicat: Jam perpendo quae patior, sed adhuc formido quae pati possum. Explet enim in me voluntatem suam, quia multis me percussionibus affligit. Sed multa similia praesto sunt ei, quia si ferire cogitat, adhuc invenit ubi plaga crescat. Hinc itaque pensandum est quam pavidus ante flagellum fuit, qui etiam percussus adhuc metuit ne feriat. Incomprehensibilem quippe vim ei inesse considerans et potestatis et examinis, esse vir justus noluit nec de flagello securus. Unde adhuc metuens adjungit:

CAPUT XL.

VERS. 15.---*Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.*

50. *Malis securitatem prae se ferentibus, justi semper timent.*--Bene a facie Domini turbatur, qui terrorem majestatis illius cordis sui obtutibus proponit, et ejus rectitudinis pavore concutitur, dum **520** se reddendis rationibus conspicit idoneum non esse, si dictricte judicetur. Recte autem dicitur: *Et considerans eum, timore sollicitor*, quia divinae animadversionis vim cum minime quisque considerat, minime formidat; et tanto magis in hac vita quasi securus est, quanto a consideratione internae districtionis alienus. Semper etenim justī viri ad cordis secretarium redeunt vim occultae districtionis intuentur, majestatis intimae judicio assistunt, ut

eo magis quandoque securi sint, quo hic quandiu viverent securi esse noluerunt. Nam malorum mentes cum renuunt considerare quod timeant, ad hoc quandoque gaudentes perveniunt quod timentes nullo modo evadant. Sed ecce de beato Job novimus quod crebris Dei sacrificiis deditus, quod hospitalitatibus, quod indigentiis pauperum impensus, quod suis etiam subditis humilis, quod sibi adversantibus benignus fuit, et tamen tot flagella suscepit nec jam securus exstitit inter flagella, sed adhuc metuit, adhuc divinae districtiois vim considerans contremiscit. Quid nos itaque miseri, quid peccatores dicimus, si sic timet, qui sic egit? Sed tanti timoris pondus an a semetipso habeat, innotestat. Sequitur:

CAPUT XLI [*Vet. XX*].

VERS. 16. *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.*

51. *Timor hic donum Dei est.*---Ex divino munere cor justī moliri dicitur, quia superni iudicii timore penetratur. Molle est enim quod penetrari potest, durum quod penetrari non potest. Unde per Salomonem dicitur: *Beatus homo qui semper est pavidus, qui vero mentis est durae corruet in malum* (**Prov. XXVIII, 14**). Virtutem ergo suae formidinis non sibi, sed auctori tribuit, qui ait: *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.* Non autem secura, sed perturbata sunt corda bonorum, quia dum futuri examinis pondus considerant, quietem hic habere non appetunt, securitatem suam districtiois intimae consideratione

perturbant. Qui tamen inter ipsa timoris supplicia saepe animum revocant ad dona, et ut semetipsos consolatione refoveant, inter hoc quod metuunt reducunt oculum ad dona quae acceperunt, ut spes sublevet quem timor premit. Unde et sequitur:

CAPUT XLII [*Rec XIX*].

VERS. 17.---*Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*

52. *Flagella justorum aut mala perpetrata purgant, aut futura devitant.*---Ille enim in flagello positus a salute corporis propter imminentes tenebras perit, qui idcirco pro transactis percutitur, ut a futuris suppliciis abscondatur. Flagella quippe bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut ea quae poterant perpetrari futura devitant. Beatus autem Job, quia in flagello positus, nec a peccatis praecedentibus purgabatur, nec ab imminetibus tegebatur, sed ejus tantummodo in flagello virtus augebatur, fiducialiter dicit: *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Qui enim semper divinae formidinis pondus aspexit, ejus cordis faciem caligo peccati non operuit. Et is quem supplicia nulla sequebantur, salutem corporis propter imminentes tenebras non amisit.

53. *A pravis cogitationibus nemo immunis.*---Et notandum quod ipse priora denuntians nequaquam ait: Faciem meam

non tetigit; sed: *Non operuit caligo*. Saepe enim etiam corda justorum **521** subortae cogitationes polluant, terrenarum rerum delectationibus tangunt, sed dum citius manu sanctae discretionis abiguntur, festine agitur ne cordis faciem caligo operiat, quae hanc jam ex illicita delectatione tangebatur. Nam saepe in ipso orationis sacrificio importunae se cogitationes ingerunt, quae hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit (**Genes. XV, 11**). Sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucris custodiamus, ne maligni spiritus et perversae cogitationes rapiant quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. Sequitur:

CAPUT XLIII [*Vet. et Rec. XX*].

CAP. XXIV, VERS. 1.---*Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.*

54. *Dies Dei ejus aeternitas. Deus est quod habet.*---Quid dies Dei, nisi ipsa ejus aeternitas appellatur? quae nonnunquam unius diei pronuntiatione exprimitur, sicut scriptum est: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (**Psal. LXXXIII, 11**). Nonnunquam vero pro sua longitudine dierum multorum appellatione signatur, de quibus scriptum est: *In saeculum saeculi anni tui* (**Psal. CI, 25**). Nos itaque intra

tempora volvitur, per hoc quod creatura sumus. Deus autem qui creator est omnium aeternitate sua tempora nostra comprehendit. Ait ergo: *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.* Quia ipse quidem nostra comprehensibiliter conspicit, nos autem ea quae ejus sunt comprehendere nullatenus valemus. Sed natura Dei cum simplex sit, mirandum valde est, cur dicit: *Qui noverunt eum, ignorant dies illius.* Neque enim aliud ipse, atque aliud dies ejus sunt. Deus namque hoc est quod habet. Aeternitatem quippe habet, sed ipse est aeternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Non est ergo in eo aliud esse, et aliud habere. Quid est itaque dicere: *Qui noverunt eum, ignorant dies illius,* nisi quia et qui cognoscunt eum adhuc nesciunt? Nam et qui jam eum fide tenent, adhuc per speciem ignorant. Et cum ipse sibi sit aeternitas, quem veraciter credimus, qualiter tamen sit ipsa ejus aeternitas ignoramus. In hoc namque quod de divinae naturae potentia audimus, ea nonnunquam cogitare consuevimus quae per experientiam scimus. Omne enim quod coepit et desinit, initio et fine concluditur. Quod si mora aliquantula differtur ut finiatur, longum dicitur; in qua videlicet longinquitate cum quisque mentis oculos reducit retro per memoriam, tendit ante per expectationem, quasi per spatium temporis dilatat in mente. Cumque audit aeternitatem Dei, humano more intendenti animo longa vitae spatia proponit, in quibus metiatur semper et quid abiit retro, quod retineatur in memoria, et quid ante restat, quod expectetur ex intentione.

55. *In aeternitate nihil praeteritum aut futurum.*---
Sed quoties in aeternitate ista cogitamus, aeternitatem

necdum cognovimus. Ibi quippe est quod nec initio incipitur, nec fine terminatur, ubi neque exspectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari, sed est unum quod **522** semper esse est. Quod etsi nos et angeli cum initio esse videre incipimus, esse tamen hoc sine initio videmus, ubi sic semper sine fine esse est, ut nunquam se animus tendat ad sequentia, ac si multiplicentur quae sunt et longa fiant. Nam etsi per prophetiae spiritum dictum est: *Domine, qui regnas in aeternum, et in saeculum, et adhuc* (Fortasse, Exod. XV, 18, ubi legitur: *Dominus regnabit in aeternum* [Hebr., *in saeculum*] *et ultra*), more sacri eloquii, humano modo spiritus hominibus est locutus, ut ibi *adhuc* diceret, ubi exspectatio non inesset. *Adhuc* enim aeternitas non habet, quae semper esse habet, in qua nulla pars suae longitudinis praeterit, ut pars alia succedat, sed totum simul esse est, ut nil deesse videatur quod non cernat; in qua omne quod est animus videt et tardum non esse, et longum esse. Sed haec de aeternitatis diebus loquentes, conamur magis videre aliquid quam videmus. Dicatur igitur recte: *Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius*, quia etsi jam Deum per fidem novimus, qualiter tamen sit ejus aeternitas, sine praeterito ante saecula, sine futuro post saecula, sine mora longa, sine praestolatione perpetua, non videmus. Beatus itaque Job sanctae Ecclesiae typum tenens, quia sub magno se scientiae freno moderatur, ne plus sapiat quam oportet sapere, et dies Dei non posse comprehendere testificans, ad haereticorum mox superbiam respectum mentis reducit, qui alta sapere appetunt, et quod capere utcunque non possunt perfecte se scire gloriantur. Nam sequitur:

CAPUT XLIV [*Rec. XXI*].

VERS. 2.---*Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos.*

56. *Haeretici terminos a patribus constitutos transferunt.*--- Quos aliorum nomine nisi haereticos designat, qui a sanctae Ecclesiae gremio extranei existunt? Ipsi enim terminos transferunt, quia constitutiones patrum praevaricando transcendunt. De quibus nimirum constitutionibus scriptum est: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Prov. XXII, 28).* Qui greges diripiunt et pascunt, quia imperitos quosque perversis ad se persuasionibus trahunt, et doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt. [*Vet. XXII.*] Nam quod gregum nomine imperiti populi designentur, sponsi verba testantur, qui sponsam suam alloquitur dicens: *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum (Cant. I, 7),* id est nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei es condita, bene vivendo cognoveris, a conspectu meae contemplationis egredere, et imperitorum vitam imitare populorum. Sequitur:

CAPUT XLV.

VERS. 3.---*Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduae.*

57. *Electi pupilli sunt.*---Quos hoc loco pupillos accipimus, nisi electos Dei, in mentis teneritudine positos, qui magna fidei gratia nutriuntur, et patris sui jam pro se mortui faciem

necdum vident? Et sunt plerique in Ecclesia qui quosdam conspiciunt coelestia appetere, terrena omnia despectui habere; et quamvis ipsi in hujus mundi laboribus insudent, eis tamen quos ad coelestia anhelare conspiciunt de rebus quas in hoc mundo possident hujus vitae adjutorium ferunt. Et quamvis ipsi agere spiritalia nequeant, ad summa tamen tendentibus libenter subsidia ministrant. Portare enim asinus **523** onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est, qui, terrenis actibus deserviens, deportat onera usibus hominum. Et saepe cum haeretici quemlibet talem a sanctae Ecclesiae gremio avertunt, quasi pupillorum asinum abigunt, quia cum hunc ad perfidiam suam pertrahunt, a ministerio bonorum repellunt.

58. *Vidua est Ecclesia.*---Quae autem vidua nisi sancta Ecclesia debet intelligi, quae occisi viri sui interim visione privata est? Bos autem hujus est viduae, unusquisque praedicator. Et saepe contingit ut haeretici perversis suis dogmatibus ipsos etiam qui praedicatores videbantur trahant. Bovem ergo viduae auferunt, cum de sancta Ecclesia etiam praedicantem tollunt. Ubi recte est adjunctum: *Pro pignore*. Pignus namque cum tollitur, aliud quidem est quod tenetur, sed tamen adhuc aliud quaeritur. Et plerumque haeretici ideo eos conantur auferre qui praedicant, ut eorum etiam sequaces trahant. Pro pignore ergo bos viduae tollitur, quando idcirco ipse qui praedicabat rapiatur, ut alii sequantur. Ex cujus ruina plerumque agitur ut hi quoque de sanctae Ecclesiae gremio exeant, qui in ea bonis moribus praediti mites atque humiles esse videbantur. Unde et subditur:

CAPUT XLVI.

VERS. 4.---*Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terrae.*

59. *Pauperum nomine humiles intelligendi.*---Paupertatis namque nomine saepe humilitas designari solet. Et nonnunquam hi qui mansueti atque humiles videntur, si servare discretionem nesciunt, exemplis aliorum cadunt. Sunt vero nonnulli haeretici qui populis admisceri fugiunt, sed recessum vitae secretioris petunt; qui plerumque eos quos inveniunt eo amplius peste suae persuasionis inficiunt, quo quasi ex vitae meritis reverentiores videntur. De quibus subditur:

CAPUT XLVII [*Vet. XXIII, Rec. XXII*].

VERS. 5.---*Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum.*

60. *Onagris similes sunt haeretici. Non Dei opus, sed suum peragunt.*---Onager enim agrestis est asinus. Et recte hoc in loco onagris comparantur haeretici, quia, in suis voluptatibus dimissi, a vinculis sunt fidei et rationis alieni. Unde scriptum est: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui (Jerem. II, 24)*. Onager quippe in solitudine assuetus est, quia dum terram cordis sui disciplinae virtute non excolit, ibi habitat ubi fructus non est. Quia in desiderio animae suae ventum amoris sui attrahit, quia ea quae ex desiderio scientiae in mente concipit inflare praevalent,

non aedificare. Contra quos dicitur: *Scientia inflat, charitas vero aedificat* (I Cor. VIII, 1). Unde hic quoque congrue infertur: *Egrediuntur ad opus suum*. Non enim Dei, sed suum opus peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* (Psal. C, 6). Qui ergo non in via immaculata ambulat, sibi magis quam Domino ministrat. Sequitur:

CAPUT XLVIII.

IBID.---*Vigilantes ad praedam, praeparant panem liberis.*

61. *Haeretici ad praedam vigilant.*---Ad praedam vigilant qui verba justorum ad sensum proprium semper rapere conantur, ut per haec perversis filiis panem erroris parent. De quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris pravitatis haereticae typum gerentis dicitur: **524** *Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (Prov. IX, 17). Sequitur:

CAPUT XLIX.

VERS. 6.---*Agrum non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserint vindemiant.*

62. *Qui agrum non suum, et vineam alienam devastent haeretici.*---Potest agri nomine Scripturae sacrae latitudo

signari, quam haeretici non suam demetunt, quia ex ea sententias longe a suis sensibus diversas tollunt. Quae vineae quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sententias botros virtutum profert. Cujus vineae dominum, id est Scripturae sacrae conditorem, quasi vi opprimunt, quia ejus sensum in verba sacri eloquii inflectere violenter conantur, qui dicit: *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* (**Isai. XLIII, 24**). Et eandem vineam vindemiant, quia ex ea sententiarum botros pro suae intelligentiae intentione coacervant. Potest agri vel vineae nomine universa Ecclesia designari, quam perversi praedicatores demetunt, et auctorem ejus in membris suis opprimendo vindemiant, quia Creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa qui recti videbantur rapiunt, quid aliud quam spicas vel botros animarum tollunt? De quibus adhuc subditur:

CAPUT L.

VERS. 7.---*Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.*

63. *Bona opera destruendo, nudos dimittunt homines haeretici.*---Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegent animam. Unde cuidam dicitur: *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (**Apoc. XVI, 15**). Haeretici itaque cum in quorundam mentibus bona opera destruunt, nimirum velamina indumentorum tollunt. Bene autem dicitur: *Quibus non est operimentum in frigore.* Operimentum

quippe ad justitiam pertinet, frigus ad culpam. Et sunt nonnulli qui in quibusdam rebus peccata faciunt, in quibusdam vero recta opera sequuntur. Qui ergo ex aliis actibus delinquit, atque ex aliis justitiam peragit, quid iste nisi in frigore vestitur; alget, et tegitur; quia ex alio opere fervescit ad justitiam, ex alio frigescit ad culpam? Sed cum haeretici bona opera talibus subtrahunt, agunt ne in frigore habeant quo vestiantur. Recte ergo dicitur: *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore*, ut videlicet solum culpae frigus interimat quos calor alterius operis ex parte aliqua tegebat. [*Vet. XXIV.*] Potest vero per frigus desiderium, per vestimentum operatio signari. Et sunt plerique qui adhuc perversis desideriis aestuant, sed, contra se spiritaliter decertantes, rectis sibi operibus repugnant, et bonis actibus tegunt hoc quod sinistrum sibi resultare per tentationem sentiunt. Hi itaque unde mala desiderant, inde algent; unde autem bona operantur, inde vestiti sunt. Cum vero haeretici perversis allegationibus rectae fidei opera subtrahunt, quid agunt, nisi ut hi qui adhuc desideriorum carnalium frigora sentiunt, sine bonorum actuum vestimento moriantur? Sequitur:

CAPUT LI.

VERS. 8.---*Quos imbres montium rigant, et non habentes velamen amplexantur lapides.*

64. *Sanctorum Patrum sententiis tanquam fluentis rigamur. Sanctorum martyrum invocatio.*---Imbres montium sunt verba

doctorum. De quibus montibus voce sanctae Ecclesiae dicitur: *Levavi oculos meos ad montes (Psal. CXX, 1)*. Hos itaque imbres montium rigant, quia sanctorum Patrum **525** fluentia satiant. Velamen autem, ut jam praediximus, boni operis tegmen accipimus, quo quisque tegitur, ut ante omnipotentis Dei oculos, pravitatis ejus foeditas operiatur. Unde scriptum est: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. XXXI, 1)*. Quos autem lapidum nomine nisi fortes intra sanctam Ecclesiam viros accipimus? quibus per primum pastorem dicitur: *Et vos tanquam lapides vivi superaedificamini (I Pet. II, 5)*. Hi itaque qui de nullo suo opere confidunt, ad sanctorum martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt, promereri se veniam, eis intercedentibus, deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonae actionis velamen non habent, lapides amplexantur? Sequitur:

CAPUT LII [*Rec. XXIII*].

VERS. 9.---*Vim fecerunt depraedantes pupillos, et vulgus pauperum spoliaverunt.*

65. *Haeretici infirmos et indoctos, qua vi qua blandimentis aucupantur.*---Cum prosperitatem vitae praesentis haeretici non habent, infirmis mentibus verbis blandioribus perversa persuadent. Si qua vero illis prosperitas temporis praesentis arriserit, etiam violenter trahere quos praevalent non desistunt. Pupillorum itaque nomine

designantur hi qui adhuc sunt teneri intra sanctam Ecclesiam constituti, quorum vitam misericors pater moriendo servavit, qui ad bonam jam intentionem deducti sunt, sed adhuc in bonis actibus nulla virtute roborantur. Haeretici igitur depraedantes pupillos vim faciunt, quia contra infirmas fidelium mentes verborum et operum violentia grassantur. Vulgus autem pauperum est populus indoctus, qui si verae sapientiae divitias haberet, vestimentum suae fidei nequaquam amitteret. Quasi quidam quippe intra sanctam Ecclesiam senatores sunt, veri doctores, qui cum scientiam in corde multiplicant, veris apud se divitiis abundant. Sed haeretici vulgus pauperum spoliant, quia dum doctos non praevalent, indoctos quosque a valamine fidei praedicatione pestifera denudant. Sequitur:

CAPUT LIII [*Vet. XXV*].

VERS. 10.---*Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas*

66. *Haeretici sanctorum Patrum doctrinam auferunt otiosis et incautis.*---Quod ait *nudis*, hoc replicat, *absque vestitu*; sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur, nudus est et otiosus; qui autem mala agit, nudus incedit, quia sine velamine boni operis per iter pravitatis pergit. Sunt vero nonnulli qui, malum suae nequitiae cognoscentes, satiari pane justitiae festinant, percipere sacri eloquii dicta desiderant. Qui quoties Patrum sententias pro aedificandis mentibus in cogitatione versant,

quasi de bona segete spicas portant. Haeretici igitur nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus spicas tollunt, quia sive quidam otiosi sint, et in nullis se bonis exerceant, seu per iter impudentiae absque velamine boni operis pergant, etiam si quando jam ad poenitentiam redire cupiunt, et pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus Patrum sententias destruunt. Nec immerito spicas signare Patrum sententias dicimus, quia saepe dum per figurata eloquia proferuntur, **526** ab eis tegmen litterae quasi aristarum paleas subtrahimus, ut medulla spiritus reficiamur. Sequitur:

CAPUT LIV.

VERS. 11.---*Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.*

67. *Persecutionum quas fidelibus haeretici indicunt utilitas. Saeculi potentes adversus eos commovent.*---Omnes qui sanctam Ecclesiam persequuntur, quid aliud quam torcular calcant? Quod divina agi dispositione permittitur, ut animarum botri in spiritale vinum defluant, quae, carne corruptibili exutae, ad regna coelestia velut in apothecam currant. Nam iniusti dum justos deprimunt, quasi botros sub pedibus mittunt. Compressi autem botri ad superni convivii satietatem exuberant, qui prius quasi in hujus aeris libertate pendebant. Unde David propheta, sanctae Ecclesiae afflictionem conspiciens, psalmum pro torcularibus scribit (**Psal. VIII, aut LXXXIII**). Sed omnes qui vitam

fidelium persequuntur, calcant et sitiunt, quia agendo crudelia, ferociore fiunt, impietatis suae meritis caecati, eo ambiunt graviora facere, quo jam gravia fecerunt. Haeretici autem cum per se potestatem persecutionis non habent, hujus saeculi potentes commovent, eorumque mentes ad persequendum trahunt, et quibus valent persuasionibus accendunt. Quos cum crudelia agere contra catholicorum vitam conspiciunt, quasi in ipso solis fervore requiescunt. Bene ergo nunc dicitur: *Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt*, quia eorum se multitudini adjungunt, quos jam vident gravia agere, et adhuc sitire graviora. Quorum fervor dum eorum desideria satiat, in eorum actibus, quasi in meridie, quiescunt. Sequitur:

CAPUT LV.

VERS. 12.---*De civitatibus fecerunt viros gemere.*

68. *Haeretici Ecclesiae unitatem solvere nituntur.*---Quia civitates a conviventibus populis appellantur, non immerito civitatum nomine verae sunt fidei Ecclesiae designatae, quae in singulis mundi partibus positae unam catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. [*Vet. XXVI.*] Hanc namque in Evangelio Dominus conviventium populorum etiam per locorum distinctionem concordiam designavit, cum satiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turmas, vel centenos discumbere praecepit, ut videlicet turba fidelium escam suam et locis disjuncta et moribus conjuncta

perciperet. Jubilaei quippe requies quinquagenarii numeri mysterio continetur, et quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii autem centeni discumbunt, quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent jam requiem mentis. Heretici igitur, quia, perversis saepe hujus mundi potentibus adhaerentes, bonorum socialem vitam atque concordiam persequuntur, recte nunc dicitur: *De civitatibus fecerunt viros gemere*. Quos recte beatus Job memorat viros, quia illos magis haeretici extinguere ambiunt qui perfectis gressibus per viam Dei non fluxe et enerviter, sed viriliter currunt. Qui cum vulnus perfidiae ingeri in parvulorum fidelium mente conspiciunt, **527** semper ad clamorem et gemitus redeunt. Unde et recte dicitur:

CAPUT LVI.

IBID.--- *Et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur*

69. *Haereticorum scelera Deus inulta non relinquet*.--- Vulneratur quippe anima justorum cum fides turbatur infirmorum, quibus jam hoc ipsum clamare est de alieno lapsu tabescere. Sed Deus inultum abire non patitur, quia etsi justo ordine injustum aliquid fieri permittit, inultum tamen abire non sinit injustum quod fieri juste permisit, quia et per reproborum injustitiam quasdam, quas inesse considerat,

culpas percutit electorum, et tamen aeterna justitia ferire non negligit injustitiam ferientium. Sequitur:

CAPUT LVII [*Rec. XXIV*].

VERS. 13.---*Ipsi fuerunt rebelles lumini.*

70. *Divinum lumen respicientium poena caecitas.*---Plerumque perversi et cognoscunt recta quae sequi debeant, et tamen sequi despiciunt quae cognoscunt. Lumini ergo rebelles sunt, quia, sua desideria sequendo, bonum despiciunt quod noverunt. Qui ergo non per ignorantiam, sed per superbiam delinquent, elationis suae scutum jaculis veritatis objiciunt, ne salubriter in corde feriantur. Ex qua videlicet eorum superbia agitur ut quia nolunt facere quae cognoscunt, nec cognoscant jam bona quae faciant, sed sua eos caecitas a veritatis lumine funditus excludat. Unde et apte subditur:

CAPUT LVIII

IBID.---*Nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius.*

71. *Perversi ideo reprobo sensui traduntur, quia divino lumini rebelles fuerunt.*---Qui enim prius sciendo rebelles sunt, postmodum caecantur ut nesciant, sicut de quibusdam dicitur: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt (Rom. I, 21).* De quibus

paulo post additur: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt (Ibid., 28)*. Quia enim glorificare noluerunt quem cognoverant, reprobo sensui traditi, ad hoc relictii sunt, ut nescirent jam pensare mala quae faciebant. [*Vet. XXVII.*] Bene autem dicitur: *Nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius*. Angustior quippe est semita quam via. Qui autem bona manifestiora agere contemnunt, nequaquam ad subtiliora intelligenda perveniunt. Exspectavit autem omnipotens Deus, ut per ejus semitas pergerent; sed utinam per eas vel reverti voluissent, ut vitae itinera quae noluerunt per innocentiam saltem per poenitentiam tenerent! Qua in re quantae sint misericordiae viscera Dei omnipotentis ostenditur, qui eos quos a se discedentes aspicit, ut revertantur, quaerit. Unde post enumeratas culpas delinquentium Synagogam per vocem prophetica[m] revocat, dicens: *Ergo saltem amodo voca me, pater meus, dux virginitatis meae tu es (Jerem. III, 4)*. Sequitur:

CAPUT LIX [*Rec. XXV*].

VERS. 14.---*Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem; per noctem vero erit quasi fur.*

72. *Perversi prosperitate vitae praesentis ad opprimendos justos abutuntur.*---Cum homicida in nece proximorum per nocturnum maxime silentium soleat grassari, cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum et pauperem dicitur, in nocte vero quasi fur esse perhibetur? Sed

ipsis verbis litterae **528** dum sibi non congruunt, ad indaganda spiritus secreta revocamur. In Scriptura sacra mane aliquando adventus dominicae incarnationis, aliquando adventus jam terribilis et districti judicis, aliquando vero praesentis vitae prosperitas poni consuevit. Mane etenim adventus dominicae incarnationis exstitit, sicut propheta dicit: *Venit mane et nox* (**Isai. XXI, 12**), quia et novae lucis primordia in Redemptoris praesentia fulserunt, et tamen a persecutorum cordibus perfidiae suae tenebrae non sunt deterstae. Rursum per mane adventus judicis designatur. Unde per Psalmistam dicitur: *In matutinis interficiebam omnes peccatores terrae* (**Psal. C, 8**). Sicut et electorum quoque personam exprimens, ait: *Mane astabo tibi et videbo* (**Psal. V, 5**). Rursum per mane, praesentis vitae prosperitas designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Vae tibi, terra, cujus rex est puer, et cujus principes mane comedunt* (**Eccl. X, 16**). Quia enim mane primum diei tempus est, et vespere extremum, nequaquam reficiendi sumus de hujus vitae prosperitatis quae praevenit, sed de his quae in fine diei, id est in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedunt, qui de hujus mundi prosperitatibus extolluntur, et dum praesentia vehementer curant, futura non cogitant. *Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est* (**I Joan. III. 15**). Mane itaque primo consurgit homicida, quia in praesentis vitae gloria perversus quisque erigitur, et illorum vitam deprimit qui, dum sequentem gloriam sitiunt, quasi satiari in vespere exquirunt. Pravus etenim quisque, in hoc mundo dignitatem transitoriae potestatis arripiens, tanto se acrius ad peragenda mala dilatat, quanto per charitatis viscera nullum amat. Quoties enim cogitationibus contra bonos saevit, toties innocentium vitam interimit.

73. *Mali homines adversitate pressi perversis consiliis latenter laedunt.*---Qui si, disponente Deo, subito gloriam acceptae potestatis amiserit, locum mutat, sed mentem non mutat, quia ad hoc protinus dilabitur quod subinfertur: *Per noctem vero erit quasi fur. [Vet. XXVIII.]* In nocte quippe tribulationis atque dejectionis suae, etsi exerere crudelitatis manum non valet, eis tamen quos praevalere conspicit consilia perversitatis praebet; huc illucque discurrit, et quaeque potest in bonorum laesionem suggerit. Qui recte quasi fur dicitur, quia in ipsis suis perversis consiliis metuit ne deprehendatur. Qui ergo contra egenum et pauperem mane homicida est, per noctem quasi fur absconditur, quia perversus quisque, qui in prosperitate vitae praesentis humilium vitam deprimendo interimit, in adversitate atque dejectione positus, per iniqua consilia latenter laedit, atque id quod per se explere non valet, adhaerendo hujus mundi potentibus exercet. Sequitur.

CAPUT LX.

VERS. 15.---*Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus.*

74. *Verbum Dei adulterant haeretici.*---Hoc etiam juxta litteram nil obstat intelligi, quia qui adulterium perpetrare desiderat tenebras exquirat. Sed quia contra haereticos sententia promitur, dignum est ut hoc quod dicitur **529** mystice sentiantur. Nam Paulus ait: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei (II Cor. XVII, 2).* Adulter quippe in carnali coitu non prolem, sed

voluptatem quaerit. Et perversus quisque ac vanae gloriae serviens recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriae ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Ubi et apte subditur: *Non me videbit oculus*, quia adulterium quod in mente agitur valde est difficile ut ab humano visu penetretur. Quod perversa mens tanto securius perpetrat, quanto se ab hominibus videri non metuit, quos erubescat. Sciendum quoque est quia sicut is qui adulterium facit carnem alienae conjugis sibi illicite conjungit, ita omnes haeretici, cum fidelem animam in suum errorem rapiunt, quasi conjugem alienam tollunt, quia videlicet mens Deo spiritaliter inhaerens, et ei quasi in quodam amoris thalamo conjuncta, cum perversis persuasionibus ad pravitatem dogmatis perducitur, quasi aliena conjux a corruptore maculatur. Bene autem subditur:

CAPUT LXI.

IBID.---*Et operiet vultum suum.*

75. *Haeretici adulterorum more vultum operiunt.*---Idcirco faciem suam adulter operit, ne cognoscatur. Omnis autem qui sentiendo vel agendo nequiter vivit, vultum suum operit, quia ad hoc perversitate dogmatis vel operis tendit, ut ab omnipotente Deo in judicio recognosci non possit. Unde quibusdam in fine dicturus est: *Nunquam novi vos; discedite*

a me, qui operamini iniquitatem (Matth. VII, 23). Quid autem vultus cordis humani est, nisi similitudo Dei? Quem videlicet vultum perversus operit, ut cognosci nequeat, cum vitam suam vel malis actibus, vel perfidiae errore confundit. Sed talis quisque cum prosperitate vitae praesentis justos fulciri conspicit, eis perversa suadere minime praesumit; si qua vero illos procella adversitatis invenerit, ad verba protinus pestiferae persuasionis erumpit. Unde et subditur:

CAPUT LXII.

VERS. 16.--- *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem.*

76. Haeretici in adversitatis nocte justorum conscientiam perfodere tentant.---Quid namque hoc loco domorum nomine nisi conscientiae designantur, in quibus habitamus cum tractando quid agimus? Unde cuidam sanato dicitur: *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit (Luc. VIII, 39)*, id est, a peccati jam vitio securus ad conscientiam revertere, et in vocem praedicationis excitare. Justi itaque cum in praesenti saeculo die prosperitatis clarescunt, eis errorum magistri perversa suadere metuunt. Sed consilia exquirunt, dejectionem prosperitatis eorum summopere praestolantur, ut in adversitatis tenebris eorum mentes suadendo perfodiant, quibus prospere viventibus perversa loqui minime audebant. Quos mox ut in adversitate viderint, exsurgunt, et non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt, quia solam

praesentis vitae gloriam diligentes, flagellum damnationem credunt. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliuntur. Bene autem dicitur: *Sicut in die condixerant sibi*, quia cum justos conspicerent **530** prosperitatis luce claruisse, quoniam loqui non poterant, ad maligna solummodo contra eos consilia vacabant. [*Vet. XXIX.*] Sive autem haeretici, sive perversi quilibet, cum justos in dejectione conspiciunt, gaudent; cum vero eos ad regendae potestatis viderint culmen erumpere, perturbantur, metuunt, afflictionibus tabescunt. Unde et subditur:

CAPUT LXIII.

VERS. 17.---*Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.*

77. Iniqui ex justorum prosperitate turbantur.--- Iniqui semper afflictionem fidelium exspectant, eosque in tribulatione videre desiderant. Et in tenebris domos perfodiunt, dum cor innocentium, sed tamen infirmorum, dejectionis tempore pessima colloctione corrumpunt. Sed plerumque contingit ut dum bonos quosque in dejectione conspiciunt, subito occulta dispensatione divina justus quispiam qui videbatur oppressus, aliqua saeculi potestate fulciatur, eique prosperitas vitae praesentis arrideat, quem prius adversitatis tenebrae premebant. Quam nimirum prosperitatem illius cum perversi conspiciunt, sicut dictum est, perturbantur. Mox enim ad corda sua redeunt, ante mentis

oculos revocant quidquid se perverse egisse meminerunt, vindicari in se omne vitium formidant, et unde lucet ille qui potestatem suscipit, inde perversus quisque qui corrigi metuit in tristitia tenebrescit. Bene ergo dicitur: *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis*. Aurora quippe mens justi est, quae, peccati sui tenebras deserens, ad lucem jam erumpit aeternitatis, sicut de sancta quoque Ecclesia dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens* (**Cant. VI, 9**)? Quo igitur justus quisque justitiae luce irradians in praesenti vita honoribus sublimatur, eo ante perversorum oculos tenebrae mortis fiunt, quia qui perversa se egisse meminerunt corrigi pertimescunt. Semper namque desiderant in suis pravitatibus relaxari, incorrecti vivere, et de culpa gaudium habere. Quorum ipsa lethalis laetitia convenienter exprimitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT LXIV.

IBID.---*Et sic in tenebris quasi in luce ambulant.*

78. *Iniqui ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux justitiae circumfunderet.*---Perversa etenim mente gaudent in facinoribus, per culpam suam quotidie ad supplicium trahuntur, et securi sunt. Unde et per Salomonem dicitur: *Sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant* (**Eccle. VIII, 14**). De quibus rursum scriptum est: *Qui laetantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (**Prov. II, 14**). Sic itaque in tenebris quasi in luce ambulant, quia ita gaudent in

nocte peccati, ac si eos lux justitiae circumfundat. Vel certe, quia tenebrae vitam praesentem non inconvenienter exprimunt, in qua alienae conscientiae non videntur; lux vero nostra patria aeterna est, in qua dum vultus aspicimus, corda in nobis nostra vicissim videmus; iniqui autem quia vitam praesentem ita diligunt, atque haec exsilii tempora complectuntur ac si jam in patria regnent; recte dicitur: *Sic in tenebris quasi in luce ambulant*, quia sic in praesenti caecitate laeti sunt, ac si jam aeternae patriae luce perfuantur. Sequitur:

CAPUT LXV [*Vet. XXX*].

VERS. 18.---*Levis est super faciem aquae.*

531 79. *Iniqui ad omnem tentationis aut erroris ventum leves sunt.*---A plurali numero ad singularem redit, quia plerumque unus mala inchoat, et imitando multi subsequuntur. Sed ejus principaliter culpa est qui perversis sequentibus exempla praebuit iniquitatis. Unde ad illum redit crebro sententia qui auctor exstitit in culpa. Aquae autem superficies huc illucque aura impellitur, et nulla stabilitate solidata passim movetur. Iniqui igitur mens plusquam aquae superficies levis est, quia quaelibet hanc aura tentationis attigerit, sine tarditate aliqua retractationis trahit. Si enim cor fluxum cujuslibet perversi cogitamus, quid aliud quam in vento positam aquae superficiem cernimus? Nunc namque illum aura impellit ire, nunc aura superbiae, nunc aura luxuriae, nunc aura invidiae, nunc aura fallaciae pertrahit. Super faciem ergo aquae levis est is quem quilibet erroris ventus cum venerit

impellit. Unde bene quoque per Psalmistam dicitur: *Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* (Psal. LXXXII, 14). Ut rota quippe ponuntur iniqui, quia, in circuitu laboris missi, dum ea quae ante sunt negligunt, et ea quae deserenda sunt sequuntur, ex posterioribus elewantur, et in anterioribus cadunt. Qui recte quoque stipulae ante faciem venti comparantur, quia, irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione gravitatis, elewantur ut corruant, et saepe eo se alicujus meriti existere aestimant, quo eos in alta flatus erroris portat. Sequitur:

CAPUT LXVI [*Rec. XXVI*].

IBID.---*Maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.*

80. *Iniqui, amissa fidei vel justitiae rectitudine, reatu maledictionis ligantur.*---Quisquis in vita praesenti recta agit et adversa sustinet, laborare quidem in adversitate cernitur, sed ad benedictionem haereditatis perpetuae consummatur. Quisquis vero perversa agit, et tamen prospera recipit, seque a malis actibus nec donorum largitate compescit, prosperari quidem conspicitur, sed reatu perpetuae maledictionis ligatur. Unde recte nunc dicitur: *Maledicta sit pars ejus in terra.* Quia etsi ad tempus benedicitur, in reatu tamen maledictionis tenetur. De quo et apte subditur: *Nec ambulet per viam vinearum.* Via namque vinearum est rectitudo Ecclesiarum. Qua in re sive haereticum, sive carnalem quempiam nil obstat intelligi, quia via vinearum, id est rectitudo

Ecclesiarum amittitur, dum vel fides recta, vel rectitudo justitiae non tenetur. Ille namque per viam vinearum ambulat, qui, sanctae universalis Ecclesiae praedicationem pensans, neque a fidei, neque a bonorum actuum rectitudine declinat. In via quippe vinearum ambulare est sanctae Ecclesiae Patres velut dependentes botros aspicere, quorum verbis dum intendit in labore itineris, amore debriatur aeternitatis. Sequitur:

CAPUT LXVII [*Rec. XXVII*].

VERS. 19.---*Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.*

81. *Sapere ad sobrietatem quam difficile.*---Idcirco iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est: *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam* (**Jerem. VI, 7**). Quo contra charitas calor est, quia videlicet mentem accendit quam replet. De quo calore scriptum est: *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (**Matth. XXIV, 12**). Et sunt nonnulli qui, dum iniquitatum suarum frigora **532** declinant, ad veram fidem, vel ad sanctitatis habitum veniunt. Sed quia plus quam necesse est de suis sensibus praesumunt, saepe in fide, quam accipiunt, ea quae non capiunt perscrutari volunt, ut ratione magis in Deo quam fide teneantur. Quia vero humana mens perscrutari non valet divina secreta, omne quod ratione perscrutari non possunt credere contemnunt, et per inquisitionem nimiam in errorem labuntur. Hi itaque cum necdum crederent, vel adhuc

ad iniquitatis opera vacarent, aquae nivium fuerunt. Sed cum, carnalia facta deserentes, in fide ad quam perducti sunt, plus appetunt perscrutari quam capiunt, amplius profecto calent quam calere debuerunt. Bene ergo de hoc perverso quolibet prophetantis duntaxat sententia, non optantis dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Ac si aperte diceretur: Qui humiliter sub disciplinae vinculo non restringitur, ab infidelitate sua, vel perversi operis frigore, per immoderatam sapientiam in errorem labitur. Unde bene quoque egregius praedicator, discipulorum suorum cordibus hunc exquisitae sapientiae nimium calorem devitans, ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (**Rom. XII, 3**). Ne fortasse nimius calor interimeret quos prius aquae nivium, id est infidelitatis, vel torpentium actionum frigora morituros tenebant. Et quia valde difficile est ut is qui se sapientem aestimat mentem ad humilitatem reducat, et recta praedicantibus credat, sensumque suae perversitatis abjiciat, recte subjungitur:

CAPUT LXVIII [*Rec. XXVIII*].

IBID.---*Et usque at inferos peccatum illius.*

82. *Peccatum quod hic non emendatur, irremissibile*.---Peccatum quippe usque ad inferos ducitur, quod ante finem vitae praesentis per correctionem ad poenitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Joannem dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis* (**I Joan. V, 16**). [*Vet. XXXI.*] Peccatum namque ad mortem est

peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur

VERS. 20.---*Obliviscatur ejus misericordia.*

Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur qui omnipotentis Dei justitiae fuerit oblitus, quia quisquis eum nunc justum non timet, postea invenire non valet misericordem. Quae nimirum sententia non solum ei intenditur qui verae fidei praedicamenta deserit, sed etiam ei qui in fide recta positus carnaliter vivit, quia ultio aeternae animadversionis non evaditur, utrum in fide an in opere peccetur. Nam etsi damnationis dispar est qualitas, culpa tamen quae nequaquam per poenitentiam tergitur nulla absolutionis suppetit facultas. Sequitur.

CAPUT LXIX [*Rec. XXIX*]

VERS. 21.---*Dulcedo illius vermis.*

83. *Carnales delectant curae saeculares, quibus tanquam vermibus roduntur.*---Quisquis in hoc appetit mundo prosperari, caeteros excedere, rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura saecularis in delectatione est, et quies in labore. Valde etenim fatigatur, si desit cura saeculi qua fatigetur. Quia autem naturae est vermium momentis singulis incessanter moveri, non immerito signatur nomine vermium inquietudo cogitationum. Perversae itaque mentis **533** dulcedo vermis est, quia inde

delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitur. Potest quoque apertius vermis nomine caro designari. Unde et superius dicitur: *Homo putredo, et filius hominis vermis* (**Job. XXV, 6**). Luxuriosi igitur cujuslibet atque carnis voluptatibus dediti quanta sit caecitas demonstratur cum dicitur: *Dulcedo illius vermis*. Quid namque caro nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? Quae enim sit carnis substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, **534** et intelligitur quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur quia cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur: *Dulcedo illius vermis*; quia is qui in desiderio carnalis corruptionis aestuat, ad fetorem putredinis anhelat. Haec sicut in hujus partis tertiae initio (**Lib. XI, in exord.**) promississe me memini, sub brevitate transcurri: ut ea quae in hoc opere sequuntur, quia magna obscuritate implicata sunt, opitulante Deo latius disserantur.

Pars quarta, CONTINENS LIBROS SEX

LIBER DECIMUS SEPTIMUS. *Quae supersunt cap. 24 a versu 20 dimidiato, cum capitibus 25 et 26 integris exponit morali potissimum sensu.*

CAPUT PRIMUM.

533 *Sancti Doctoris scopus, historiam Job typice et ad mysticum sensum exponere.*---Quoties in sancti viri historia per novum volumen enodare mysterium typicae expositionis aggredimur, oportet ut ex ejusdem viri vel nomine, vel passione significationem mysticam principaliter proferamus, quatenus habitaculorum more, dum superscriptionem tituli in ipsa postis fronte praefigimus, quia cujus est domus agnoscitur, securius intretur. Crebro autem dixisse me memini quoniam beatus Job passiones Redemptoris nostri, ejusque corporis, id est sanctae Ecclesiae, et passione sua signavit et nomine. Job quippe in interpretatur dolens. Et quis alius in hoc dolente figuratur, nisi is de quo scriptum est: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (Isai. LIII, 4)?* De quo rursum dicitur: *Livore ejus sanati sumus (Ibid., 5).* Amici vero ejus haereticorum speciem tenent, qui, ut saepe jam diximus, Deum dum defendere nituntur, offendunt. Sanctus ergo vir per vulnera et verba sic loquatur sua, ut etiam nostra significet, et plerumque per prophetiae spiritum ventura narret, praesentia transcendat; nonnunquam vero sic de praesentibus disserat, ut de futuris **534** reticescat. Cognita itaque discretionis hujus custodia, cum immutatione vocis illius nostra quoque intelligentia alternet, ut tanto verius ejus sensibus congruat, quanto se et cum ejus vocibus immutat. Verbis itaque praecedentibus sanctus vir per disertas prudentiae arte sententias iniqui cujuslibet culpas protulit, et quam sit damnanda ejus actio expressit. De cujus poena mox subjicit, dicens:

CAPUT II [*Rec. II*].

VERS. 20.---*Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.*

2. *Poena iniquorum est ex Dei memoria deleri.*--- In recordationem enim conditoris non reducitur, quisquis usque ad finem vitae vitiis subjugatur. Nam si hunc superni respectus memoria tangeret, procul dubio ab iniquitate revocaret. Ejus quippe merita exigunt ut funditus ab auctoris recordatione deleatur. Sciendum vero est quod recordari Deus nequaquam proprie dicitur. Qui enim oblivisci non potest, quo pacto recordari potest? Sed quia eos nos quorum recordamur amplectimur, ab his autem quorum obliviscimur elongamur, humano usu et recordari Deus dicitur, cum dona tribuit, et oblivisci, cum in culpa derelinquit. Sed quia cuncta pensat, cuncta sine intermissionis alternatione **535** considerat; et recordatur bonorum, quorum tamen nunquam obliviscitur; et nullatenus recordatur malorum, quos tamen per iudicium semper intuetur. Quasi enim redit ad bonorum memoriam, quam tamen nunquam deseruit; et quasi nequaquam malos respicit, quorum tamen facta considerat, sed super haec damnationis iudicium in ultimis servat. Hinc enim scriptum est: *Oculi Domini contemplantur bonos et malos* (**Prov. XV, 3**). Hinc per Psalmistam dicitur: *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (**Psal. XXXIII, 17**). Considerat igitur quos puniat, sed eosdem ipsos ante non vidit, quos nescit. Nam quibusdam in fine dicturus est: *Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii*

iniquitatis (**Matth. VII, 23; Luc. XIII, 27**). Miro igitur modo pravorum vitam et intuetur, et obliviscitur, quia quos per distractionem sententiae judicat, quantum est ad memoriam misericordiae ignorat.

3. *Qui tanquam infructuosum lignum conterentur.* ---Qui quoniam in ejus recordationem non veniunt, quasi infructuosum lignum ex cujus judicio conteruntur. Terra quippe eos temporali sumptu aluit, praedicationis desuper pluvia infudit. Sed quia eorum vita nequaquam fructum boni operis protulit, iratus hanc agricola abscidit, ut juxta Veritatis sententiam locum non occupet quem tenere alius ad fructum valet (**Luc. XIII, 7**). De hoc infructuoso ligno per Joannem dicitur: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (**Matth. III, 10; Luc. III, 9**). Hoc autem loco, ut aeterna reprobi supplicia designentur, nequaquam lignum dicitur abscidi, sed conteri, quia videlicet reprobos mors quidem carnis abscindit, sed poena subsequens conterit. Quasi enim hic inciditur, cum a praesenti vita separatur. Sed in gehenna conteritur, cum perpetua damnatione cruciatur. Vir autem sanctus, quia districtam perversi poenam protulit, protinus ad culpam recurrit, ut ex injustitiae immensitate edoceat quod tanta ejus damnatio non sit injusta. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 21.---*Pavit enim sterilem, et quae non parit, et viduae bene non fecit.*

4. *Iniquus carnem pascens sterilem, curam animae deserit.*--- Quae hoc loco sterilis, nisi caro nominatur? Quae dum sola praesentia appetit, bonas gignere cogitationes nescit. Quae autem vidua, nisi anima nuncupatur? Quam quia sibi conditor conjungere voluit, ad thalamum uteri carnalis venit, Psalmista attestante, qui ait: *Et ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo* (Psal. XVIII, 6). Quae recte vidua dicitur, quia ejus vir pro ea mortem pertulit, et nunc in coeli penetralibus ab ejus oculis occultus, quasi in parte alterius regionis vivit. [*Vet. II.*] Iniquus ergo sterilem pascit, et viduae benefacere negligit, quia carnis desideriis serviens, curam animae vitamque contemnit. Tota namque intentione omnique studio cogitat, quam sine ullis necessitatibus caro moritura subsistat, et curare animae vitam despicit, quae vel in morte vel in beatitudine procul dubio in perpetuum vivit. Recte autem cum diceretur: *Pavit sterilem*, protinus adjungitur: *Et quae non parit*. Quasdam namque ex sacra historia feminas novimus **536** steriles exstitisse, sed tamen in tempore extremo peperisse. Caro autem non solum sterilis, sed etiam quae non parit dicitur, quia suo sensu bonas cogitationes gignere nec in ultimis valet. A vigore enim jam proprio deficit, et tamen adhuc transitoria concupiscere non desistit, jamque a pristino robore lassata, pene ab ipso quem diligit mundo repellitur, et tamen adhuc annisu improbo obtinere temporalia conatur. Agere jam perversa non sufficit, sed tamen cogitare vel quae non agit nequaquam desistit. Recte ergo non solum sterilis, sed etiam non pariens dicitur, quae suo sensu, ut diximus, ad bonae cogitationis prolem, nec cum infirmata fuerit, fetatur.

5. *Labores haereticorum steriles.*---Quod tamen intelligi etiam de haereticis praedicatoribus potest. Unusquisque enim praedicator erroris, dum plebem extra unitatem Ecclesiae positam docet, profecto sterilem, et eam quae parere non valet, pascit, quia et ei usum sui laboris impendit, quae spirituales fructus nequaquam reddit. Bene autem viduae non facit, quia videlicet sanctae universali Ecclesiae, cujus vir adversa mortis pertulit, vivere ac deservire contemnit. Viduae enim benefacere est in ejus quae mortui viri sui amore conteritur consolatione laborare. Unde et Psalmistae voce haec eadem vidua, scilicet sancta Ecclesia queritur, dicens: *Consolantem me quaesivi, et non inveni* (**Psal, LXVIII, 21**). Tunc solum quippe consolantem invenit, cum ex ea morte quam vir ejus pertulit multos intra semetipsam surgere ad vitam cernit. Saepe autem praedicator erroris hujus mundi divitibus jungitur, qui pro eo quod terrenis occupationibus incubant, dictorum deprehendere astutias ignorant; et cum potentes esse exterius ambiunt, perversae praedicationis laqueo sine labore capiuntur. Unde et subditur:

CAPUT IV.

VERS. 22.---*Detraxit fortes in fortitudine sua.*

6. In fortitudine quippe suae pravitatis fortes quosque detrahit, cum per sui erroris astutiam mundi hujus potentes rapit. Quos contra per Paulum dicitur: *Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia* (**I Cor. I, 27**). Fortitudo autem perversi praedicatoris est elata scientia locutionis, qua inflatus,

caeteros despicit, atque in contemptu omnium quasi singulariter apud se peritus intumescit. Qui magna de se sentiens, sed vera de Domino ignorans, longe a fidei cognitione disjungitur, et tamen videri fidei praedicator conatur. Unde adhuc subditur:

CAPUT V [*Vet. III*].

IBID.---*Et cum steterit, non credet vitae suae.*

7. *Omni peccator incredulitatis reus.*---Stat in hoc mundo perversus quisque praedicator, quousque terreno vivit in corpore. Sed vitae suae credere renuit, quia de Deo vera cognoscere contemnit. Vitae enim suae crederet, si de conditoris sui substantia recte sentiret. Haec itaque superius de quolibet iniquo prolata dicebamus, sed repente ad erroris praedicatorem intellectum vertimus. Unde sciendum est quia sic ad speciem ducimur, ut nequaquam tamen a genere funditus evellamur. Nam perversus quisque etiam si rectam fidem in sinu universalis Ecclesiae tenere videatur, stat, **537** et vitae suae non credit, quia recta quidem sunt quae per fidem de conditore intelligit, sed tamen fidei opera tenere contemnit; et incredulitatis redarguitur, quia ab eo quod se ostendit credere, vivendo reprobatur. Hinc enim per Joannem dicitur: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (I Joan. II, 4)*. Hinc Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit. I, 16)*. Hinc Jacobus dicit: *Fides sine operibus mortua est (Jac. II, 20, 26)*. Sed inter haec conditor mira dispensatione consilii et culpas

respicit, et vivendi tempora impendit, ut longiora temporalis vitae spatia aut converso fiant in adjutorium muneris, aut non converso ad augmentum damnationis. Unde adhuc subditur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 23.---*Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbia.*

8. *Misericordia peccatori impensa et neglecta, in poenam vertitur.*---Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernae patientiae percipit, sed reatus sui vinculis, ex ipso se munere arctius astringit. Nam quia accepta poenitentiae tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis iudex impensa argumenta misericordiae convertit ad poenam. Hinc namque per Paulum dicitur: *An ignoras quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei (Rom. II, 4, 5).* Hinc Isaias ait: *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit (Isai. LXV, 20).* Ac si aperte nos deterreat, dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur; sed si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, haec ipsa vitae longinquitas, quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit. Unde necesse est ut cum nos diutius exspectari conspiciamus, ipsa praerogatae pietatis

tempora quasi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia iudicis crescat supplicium peccatoris; et unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat. Quod idcirco plerumque agitur, quia nequaquam a praesentibus mentis oculus separatur. Considerare namque peccator Redemptoris vias negligit, et idcirco in suis itineribus sine cessatione veterascit. Unde et subditur:

CAPUT VII [*Vet. IV, Rec. V*].

IBID.---*Oculi enim ejus sunt in viis illius.*

9. *Peccator viis Domini relictis, in suis, hoc est in vitiis delectatur.*---Vias enim suas peccator intuetur, quia sola cogitare, sola cernere nititur quae sibi ad commodum temporale suffragentur. Hinc etenim Paulus dicit: *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi* (**Philip. II, 21**). Via namque elati, superbia; via raptoris, avaritia; via est lubrici, concupiscentia carnalis. In viis ergo suis iniquus quisque oculos deprimit, quia solis vitiis, ut per haec animo satisfaciat, intendit. Unde per Salomonem dicitur: *Oculi stultorum in finibus terrae* (**Prov. XVII, 34**), quia hoc solum tota cordis intentione conspiciunt, per quod ad finem terreni desiderii perducantur. Nequaquam vero suae considerationis obtutum in terra peccator figeret, si **538** ad sancta sui Redemptoris itinera mentis oculos levaret. Unde per Salomonem rursum dicitur: *Oculi sapientis in capite ejus* (**Eccle. II, 14**), quia videlicet sapiens quisque illum tota intentione considerat, cujus se membrum esse per fidem

pensat. Has namque humanae conversationis vias videre contempserat, qui dicebat: *In mandatis tuis me exercebo, et considerabo vias tuas* (**Psal. CXVIII, 15**). Ac sic aperte spondeat, dicens: Quae mea sunt, jam videre refugio, quia per imitationis tuae viam pergere conversationis gressibus inardesco. Qui enim praesenti jam mundo contradicit, amoris excitatione continua Redemptoris sui vias cordis oculis objicit, ut mens prospera fugiat, ad adversa praeparetur; nihil quod demulcet appetat, nihil quod deterrire creditur pertimescat; moerorem gaudium deputet; praesentis vitae gaudia damna moeroris penset; abjectionis detrimenta non timeat, sed per haec manentis gloriae locum quaerat. Has etenim vias sequentium monstrabat oculis Veritas, cum dicebat: *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (**Joan. XII, 26**). Ad has vias tumentia discipulorum corda revocabat, cum locum jam gloriae quaererent, sed ejusdem gloriae iter ignorarent, dicens: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (**Matth. XX, 22**)? Confessionis quippe illius celsitudinem a dextris sinistrisque quaesierant, sed quanta ad hanc esset itineris angustia non videbant. Unde et eorum mox oculis imitandus passionis calix objicitur, ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent. Quia igitur considerare peccator vias Dei negligit, sed solis in quibus carnaliter delectetur intendit, recte nunc dicitur: *Oculi enim ejus sunt in viis illius*. Sequitur:

CAPUT VIII.

VERS. 24.---*Elevati sunt ad modicum, et non subsistent.*

10. *Inani gloria elatus ad modicum cadit.*---Iniquorum gloria cum plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa et quasi stabilis aestimatur. Sed cum repentinus hanc finis intercipit, brevem procul dubio fuisse redarguit, quoniam finis determinans innotescit, quia quod praeterire potuit, modicum fuit. Elevantur ergo ad modicum, et minime subsistunt, quia eo ipso quo videri alti appetunt, a vera Dei essentia longe per elationem fiunt. Subsistere etenim nequeunt, quia ab aeternae essentiae soliditate dividuntur, atque hanc primam ruinam tolerant, quia per privatam gloriam in semetipsis cadunt. Hinc enim per Psalmistam dicitur: *Dejecisti eos, cum allevarentur* (**Psal. LXXII, 18**), quia eo intrinsecus corruunt, quo male extrinsecus surgunt. [*Vet. V*]. Hanc brevitatem gloriae temporalis aspiciens, iterum dicit: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; transivi, et ecce non erat* (**Psal. XXXVI, 35**). Hinc iterum ait: *Pusillum adhuc, et non erit peccator* (**Ibid. 10**). Hinc Jacobus dicit: *Quae est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens* (**Jac. IV, 15**). Hinc propheta brevitatem gloriae carnalis pensans, denuntiat, dicens: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni* (**Isai. XL, 6**). Iniquorum quippe potentia feni flori comparatur, quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine **539** terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit; sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosae aquarum

bullae inchoantibus pluviis excitatae, ab intimis certatim prodeunt; sed eo celerius diruptae depereunt, quo inflatae altius extenduntur. Cumque excrescunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant. De iniquis igitur temporalis gloriae elatione tumentibus, sed tamen nulla in hac soliditate durantibus, dicatur recte: *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent*. De quibus adhuc subditur:

CAPUT IX.

IBID.---*Et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur*.

11. *Terra in essentia semper stabit, licet in imagine continuo transeat*.---Sic provectus esse contemplationis debet, ut ex paucis ad multa, ad omnia considerata rapiatur, quatenus gradatim educta proficiat, et transitoria omnia dijudicans, ipsa comprehendendo pene incomprehensibiliter excrescat. Unde sanctus vir cum pravorum gloriam defectumque discuteret, ad cuncta protinus mentis oculum tetendit, dicens: *Humiliabuntur sicut omnia, et auferentur*. Omnia profecto terrena. Ac si aperte dicat: Stare ullo modo nequeunt, quia ipsa quoque fugiunt quibus innituntur; dumque temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt. Sed quaeri potest cum per Salomonem dicitur: *Generatio praeterit, et generatio advenit, terra vero in aeternum stat* (**Eccle. I, 4**), cur beatus Job omnia humiliari asserat et auferri? Quod tamen facile discutimus, si terra et coelum vel qualiter transeat, vel qualiter maneat

distinguiamus. Utraque namque haec per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Praeterit enim figura huius mundi* (I Cor. VII. 31). Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (Matth. XXIV, 35). Hinc ad Joannem angelica voce perhibetur: *Erit coelum novum, et terra nova* (Apac, XXI, 4). Quae quidem non alia condenda sunt, sed haec ipsa renovantur. Coelum igitur et terra et transit et erit quia et ab ea, quam nunc habet, specie per ignem tergitur, et tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Mutabis ea, et mutabuntur* (Psal. CI, 27). Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie hiemali ariditate deficit, vernali humore viridescit. Coelum quotidie caligine noctis obducitur, et diurna claritate renovatur. Hinc ergo hinc fidelis quisque colligat et interire haec, et tamen per innovationem refici, quae constat nunc assidue velut ex defectu reparari [*Vet. et Rec. VI*]. Inter haec igitur vir sanctus cum pravorum cursum conspicit, quanta quandoque animadversione deficiant innotescit, dum protinus subdit:

CAPUT X.

IBID.---*Et sicut summitates spicarum conterentur.*

12. *Mali divites etsi ad opprimendos justos concordēs, ab invicem cupiditatibus sejuncti sunt.*---Spicarum quippe

summitates, aristae sunt. Aristae autem conjunctae in spica prodeunt, sed crescendo paulisper, a se hirsutae et rigidae disjunguntur. **540** Sic nimirum sic ad hujus mundi gloriam pravi divites surgunt. Naturae enim sibi communione conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur. Alius quippe alium despicit, et alter in alterum invidiae facibus ignescit. Qui ergo ex tumore mentis a charitatis unitate se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid ergo pravi hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam generis humani? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimiter affligunt, adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt.

13. *Reprobi aristarum more nunc eriguntur; electi ut grana latent.*---Nunc igitur aristae ad alta prosiliunt, grana latent, quia et reproborum potentia eminet, et electorum gloria non apparet. Illi se honorum fastibus ostendunt, isti in humilitate se deprimunt. Sed triturae tempus adveniet, quod et aristarum rigiditatem frangat, et solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita quanta integritate fulgeat declaratur, quia cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur ut grana appareant quae latebant. Cumque aristae franguntur, granorum candor ostenditur, quia iniquis in supplicia aeterna cadentibus, sanctorum justitia quanta veritate candeat demonstratur. Unde recte quoque per Joannem dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua est, et permundabit aream suam; et triticum quidem recondet in horreo suo, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (**Matth. III, 12; Luc. III, 17**). Beatus igitur Job pravorum elatio quanta animadversione frangatur aspiciat, eosque aristis pereuntibus comparans dicat: *Sicut*

spicarum summitates conterentur, quia nimirum rigiditas superborum triturae ultimae fortitudine frangitur, quae nunc electorum vitam despiciens elevatur. Sequitur:

CAPUT XI. [*Rec. VII.*]

VERS. 25.---*Quod si non est ita, quis me arguere poterit esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea?*

14. *Justi si delinquant, ab improbis minime corripiendi.*---Si ita non est ut loquitur, profecto de falsitate hunc omnes arguere possunt. Cur ergo dicitur: *Si non ita est, quis me arguere poterit esse mentitum*, dum scilicet noverimus quod fallacem cuilibet reprehendere licet? Sed si loquentis sensum subtili interrogatione discutimus, quam sint recta quae protulit citius invenimus. Justus namque etsi quid unquam delinquendo loquitur, dignum non est ut ab injustis et prave viventibus judicetur. Unde sanctus vir amicorum superbiam deprimens, non solum si ita est, verum etiam si ita non est ut protulit, nequaquam se reprehendi posse confidit, quia nimirum illi recte redarguere falsa possunt, qui falsa agere nesciunt. Nam correptionis ausum contra fallaciam perdunt, qui adhuc fallaciter vivunt. Ait ergo: *Quod si ita non est, quis me poterit arguere esse mentitum?* Ac si aperte dicat: Ita sunt cuncta ut protuli, quae tamen si ita non essent, a vobis redargui nequaquam possem, quia dum adhuc propriae succumbitis, alienam reprehendere fallaciam non valetis.

15. *Judicia nostra coram supremo judice ponderanda.*---Ubi et apte subditur: *Et ponere ante Deum verba mea.* Quisquis

enim dicta fallacia veraciter reprehendit, audita cogitans, atque haec ex regula veritatis pensans, verba ante Deum ponit: quia **541** apud se in conspectu veritatis examinat, quid foris contra fallaciam decernat. Ante Deum quippe verba ponere est considerato intimo iudice, exteriora dicta pensare. Vir igitur sanctus ab amicis superbientibus verba sua ante Deum poni posse non aestimat. Ac si aperte dicat: Idcirco quae loquor ponere ante iudicem non valetis, quia ejus vobis faciem peccantes absconditis. Quod tamen et ex typo sanctae Ecclesiae nil obstat intelligi, quae cum de infirmis suis ab haereticorum irrisione reprehenditur, ipsam irrisionis eorum astutiam dedignatur, quia tolerabilius Deo est ut in infirmitate quis atque ignorantia cum humilitate jaceat, quam cum elatione alta comprehendat. Sed quia sanctus vir multa contra eos protulit qui fugitiva potestate superbiunt, et ventosis honoribus intumescunt Baldad Suhites ex ejus correptione proficiens, apud quem vera sit potentia agnoscit, dicens:

CAPUT XII [*Vet. VII, Rec. VIII*].

CAP. XXV, VERS. 2---*Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.*

16. *Deus solus potens et metuendus.*---Ac si aperte dicat: Solus corda mortalium veraciter terret, qui ex divinitatis suae potentia veraciter haec possidet. Humana enim potentia quem terrorem incutit, quae jure ejusdem potentiae quando careat nescit? Recte autem dicitur: *Qui facit concordiam in*

sublimibus suis, quia multa sibimet inferius dissident, sed ad concordem supernorum plenitudinem currunt; et ex internae pacis causa agitur, ut saepe ea quae sunt exterius sine pace disponantur. Nam bonos omnipotens Deus ad meritum provehit, cum contra eorum vitam malos saevire permittit. Atque in concordia componuntur summa, dum confunduntur infima, quia inde in coelestibus electos suos angelorum choris sociat, unde in terrenis et infimis reproborum mores suis nutibus adversantes portat.

17. *Qui angeli summe concordēs inter se conflagere dicantur.* --Sed inter haec libet inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per angelum Danieli dicitur: *Ego veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium mihi (Dan. X, 13).* Et paulo post: *Nunc revertar ut praelier adversum principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Graecorum adveniens (Ibid., 20).* Quos itaque alios principes gentium, nisi angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quae ergo esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus praeliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt praelata, cum subjectorum mores adversum se vicissim praepositorum spirituum opem merentur, ipsi qui praesunt spiritus contra se venire referuntur. Is namque angelus qui Danieli loquebatur captivis Israelitici populi in Perside constitutis praelatus agnoscitur. Michael autem eorum qui ex eadem plebe in Judaeae terra remanserant praepositus invenitur. Unde et ab hoc eodem angelo paulo post Danieli

dicitur: *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester (Ibid. 21)*. De quo et hoc, quod praemisimus, dicit: *Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium mihi (Ibid., 13)*. Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adiutorium dicitur, **542** aperte ei populo praelatus agnoscitur, qui captivus in alia parte tenebatur. Quid est ergo angelum dicere: *Ego veni propter sermones tuos, princeps autem regni Persarum restitit mihi (Ibid., 13)*, nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si aperte dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt ut Israeliticus populus a iugo suae captivitatis exuatur, sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat, ut de ereptione illius Persarum princeps mihi jure contradicat, quamvis preces tuas eorum quoque lacrymae qui in Iudaea relictii sunt adjuvent. Unde hoc quoque quod diximus subjungit: *Michael princeps vester venit in adiutorium mihi*. Cumque ut adversus principem Persarum praelietur egreditur, Graecorum sibi princeps adveniens apparet. Qua ex re innuitur quod adversum Graecos quoque aliquid Iudaea commiserat, quorum profecto causa ereptioni illius resistebat. Prophetiae igitur preces angelus exaudit, sed Persarum princeps resistit, quia etsi jam vita iusti deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen populi adhuc vita contradicit, ut quia necdum hi qui in captivitatem fuerant ducti plene purgati sunt, jure eis adhuc Persae dominantur. Michael adjuvat, sed Graecorum princeps ad praelium venit, quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio hoc quoque quod in Graecos deliquerant obviabat. Recte ergo dicitur quod contra se angeli veniunt, quia subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam

pro injuste agentibus decertant; sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernae curiae consilium ducitur, ejusdem gentis praepositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria est sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent nunquam volunt. Bene ergo dicitur: *Qui facit concordiam in sublimibus suis*. Sequitur:

CAPUT XIII [*Rec. IX*].

VERS. 3.---*Nunquid est numerus militum ejus?*

18. *Angelorum numerus etsi Deo finitus, hominibus est infinitus*.---In cognitione humanae rationis supernorum spirituum numerus non est, quia quanta sit illa frequentia invisibilis exercitus nescit; de quo per Danielelem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* (**Daniel., VII, 10**). Supernorum civium numerus infinitus et definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur. Quamvis aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illae procul dubio potestates, quae ad quaedam hominibus nuntianda non exeunt. Ministrant vero hi qui ad explenda officia untiorum veniunt, sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures sunt qui ministrant, quam hi qui principaliter assistunt,

assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero indefinitus ostenditur.

Vet. VIII] 19. Dei milites cur dicantur.---Angelicos vero spiritus recte Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas non ignoramus. Quae tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quidquid agendo contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt. De hac namque **543** militia, nascente rege nostro, scriptum est: *Subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis (Luc., 13)*. Cui tamen militiae electorum quoque hominum numerus jungitur, qui per sublime mentis desiderium, a terrenae conversationis servitute liberantur. De quibus per Paulum dicitur: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus (II Tim. II, 4)*. Qui licet nunc pauci appareant, in invisibili tamen patria innumerabiles regnant, quia etsi ex comparatione pravorum pauci sunt, in congregationis suae frequentia metiri nequaquam possunt. Quia vero eorundem militum virtus non propriis viribus, sed supernae gratiae infusione roboratur, recte subjungitur:

CAPUT XIV.

IBID.---*Et super quem non surget lumen illius?*

20. *Non propriis viribus, sed gratiae dono fortes sunt.*---Lumen quippe Dei est gratia praeveniens. Quae si in nostro corde nequaquam gratuito consurgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret. Unde et subditur:

CAPUT XV [*Rec. X*].

VERS. 4.---*Nunquid justificari potest homo comparatus Deo aut apparere mundus natus de muliere?*

21. *Nemo justus nisi Dei illustratione, non comparatione.*--- Versus iste superius a beato Job dicitur, et nunc in ejus exprobratione replicatur. Omnis namque vir justus Dei illustratione justus est, non comparatione. Humana quippe justitia, auctori comparata, injustitia est, quia etsi in ipsa sui conditione homo persisteret, creatori non posset aequari creatura (**Job. IX, 2**). Cui tamen ad graviora defectus pondera, accessit et culpa, quam serpens insidians intulit, et mulier infirmata persuasit (**Genes. III, 6**). Unde nunc quia homo per mulierem culpae subditam nascitur, reatus primi infirmitas in prole propagatur. Et quia in radice putruit humani generis ramus, in conditionis suae viriditate minime subsistit. Unde recte nunc dicitur: *Nunquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Ac si aperte diceretur: Ne contra auctorem suum homo superbiat, consideret unde huc venit, et intelligat quid sit. Sed ecce nonnulli per donum spiritus adjuti contra infirmitatem suae carnis eriguntur, virtutibus emicant, signorum quoque miraculis coruscant; nullus tamen est qui sine culpa vitam transeat, quousque carnem corruptionis portat. Unde adhuc subditur:

CAPUT XVI.

VERS. 5.--- *Ecce etiam luna non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu ejus.*

22. *Nemo ita justus, ut in carne corruptibili omni peccato careat.*---Quid per lunam, nisi cuncta simul Ecclesia; quid per stellas, nisi singulorum bene viventium animae designantur? qui inter pravorum hominum conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Unde per Paulum quoque discipulis dicitur: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo (Philipp. II, 15).* Quia enim sancta Ecclesia lunae appellatione exprimitur, propheta testatur, dicens: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo (Habac. III, 11).* Elevato enim sole, in suo ordine luna statuitur, quia ascendente ad coelos Domino, sancta protinus Ecclesia in praedicationis auctoritate roboratur. Et quia stellarum nomine electi signantur, rursum Paulus insinuat, dicens: *Stella enim a stella differt in claritate (I Cor. XV, 41) [Vet. IX.]* Luna ergo non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc praevenientis gratiae dona perfundant, nec singulorum **544** bene viventium mentes a peccatorum maculis mundae sunt, si remota pietate judicentur, quia apud districti judicis oculos, sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hanc quotidie gratia parcentis tergat. Electorum quippe animus prodire ad libertatem justitiae nititur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur; et culpas quidem subigere perfecte desiderat, sed quousque corruptione carnis astringitur, ejus vinculis, etiam cum non vult, ligatur. Hinc itaque colligat quanto peccatorum pondere pressi sint qui

contra haec decertare negligunt, si plene culpam nec illi superant, qui contra hanc viriliter pugnant. Unde et postquam dictum est: *Ecce etiam luna non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu ejus*, protinus additur:

CAPUT XVII

VERS. 6.---*Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?*

23. *Si sanctiores maculae non sunt expertes, quot sordent qui carnis spurcitiis immerguntur.*---Ac si aperte diceretur: Si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter praesentis vitae tenebras virtutibus lucent, quanto reatu iniquitatis obstricti sunt qui adhuc carnaliter vivunt? Si a peccato esse liberi nequeunt qui jam in coelestibus desideriis conversantur, qui peccatorum pondera tolerant qui, carnis suae voluptatibus dediti, adhuc putredinis jugum portant? Hinc Petrus ait: *Si justus vix sulvabitur, impius et peccator ubi parebunt (I Pet. IV, 18)?* Hinc per Isaiam dicitur: *Super humum populi mei spinae et vepres ascendent, quanto magis super omnem domum gaudii civitatis exsultantis (Isai. XXXII, 13)?* Humum quippe populi sui Dominus electorum omnium mentem vocat, super quam spinas ac vepres ascendere perhibet, quia nec ipsam quoque esse absque punctionibus vitiorum videt. Domus vero gaudii civitatis exsultantis est mens pravorum, quae dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens, inaniter hilarescit. Ait ergo: *Super humum populi mei spinae et vepres ascendent,*

quanto magis super omnem domum gaudii civitatis exsultantis? Ac si aperte dicat: Si et illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro coelestis patriae desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt qui sine ulla formidine sese in carnis voluptate derelinquunt?

24. *Primus homo putredo, cujus filii vermes.*---Notandum vero in sermone suo quantum Baldad ordinem conditionis nostrae tenuit et nativitatis, qui hominem non vermem, sed putredinem, filium vero hominis vermem vocat. Primus namque humani generis parens, homo, non filius hominis, ex quo quisquis prodiit, non solum homo, sed filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius hominis, ita ex putredine nascitur vermis. Unde recte homo putredo, filius vero hominis vermis vocatur. Primus quippe homo putredo, non vermis, quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per nativitatem venit. Qui autem hominis est filius, vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur.

25. Igitur quia amicorum verba finita sunt, beatus Job altiori acumine prosecutionis innititur, ejusque dicta tam sunt valida, quam extrema, quia et sic usus esse jurisperitorum solet, ut argumentum, quo adversariis suis eminere se praevident, ad prosecutionis conclusionem servent. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Vet. X, Rec. XI*].

CAP. XXVI, VERS. 1, 2.---**545** *Respondens autem Job, dixit: Cujus adjutor es? nunquid imbecillis? et sustentas brachium ejus, qui non est fortis?*

26. *Imbecillem adjuvare velle, charitatis; potentem, elationis est.*---Adjuvare imbecillem, charitatis est; adjuvare potentem velle, elationis. Quia igitur amici ejus haereticorum speciem tenentes, quasi adjuvantes Deum, sapientiam suam ostendere conabantur, juste Baldad reprehenditur, ut dicatur: *Cujus adjutor es? nunquid imbecillis? et sustentas brachium ejus, qui non est fortis?* Ac si aperte dicat: Dum eum juvare niteris, sub cujus magnitudine succumbis, omne quod impendis solatium, de ostentatione est, non de pietate.

27. *Quo sensu Deum adjuvare dicimur.*---Sed inter haec sciendum est, quod plerumque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est, humiliter agentes adjuvamus. Unde et per Paulum dicitur: *Adjutores enim Dei sumus (I Cor. III, 9).* Nam cum ei quem ipse per internam gratiam infundit nos exhortationis voce concurrimus, hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus nos exterius ministerio vobis adjuvamus, et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cum in corde Deus fuerit qui adjuvetur. Unde et alias dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (Ibid., 7).* Plantare quippe et rigare, adjuvare est. Quod utrumque vacuum erit ministerium, si in corde Deus non dat incrementum. Sed qui de sensu suo alia sapiunt, esse humiliter Dei adjutores nolunt, quia dum se Deo utiles esse aestimant, a fructu se utilitatis alienant. Unde et Veritatis voce discipulis dicitur: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus (Luc. XVII, 10).* Sequitur:

CAPUT XIX.

VERS. 3.---*Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam?*

28. *Stulto consilium dare, charitatis, sapienti, ostentationis; ipsi sapientiae, perversitatis est.*---Dare stulto consilium, charitatis est; dare sapienti, ostentationis; dare vero ipsi Sapientiae, perversitatis. Et quia hi quos tenere haereticorum speciem diximus per locutionem suam ostentationi potius quam utilitati serviebant, recte adhuc contra Baldad subditur:

IBID.---*Et prudentiam tuam ostendisti plurimam.*

Omnis cui prudentia recta est, plurima non est, quia, juxta Pauli vocem, non plus appetit sapere quam oportet sapere (**Rom. XII, 3**). Cui vero est plurima, non est recta, quia dum ultra modum tenditur, in quolibet latere culpa declinatur. Prudentiam vero suam plurimam ostendunt qui videri prae aliis prudentiores appetunt. Unde fit plerumque ut cum moderate sapere nesciunt, etiam fatua loquantur. Pro qua re ipse adhuc excessus prudentiae subjungitur, ut dicatur:

CAPUT XX.

VERS. 4.---*Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum?*

29. *Quanta Baldad insipientia, divinae sapientiae suam praeferentis.*---Per spiramentum vivimus, per prudentiam sapientes sumus. Prius autem nostrum est vivere, postmodum sapere, quia ut sapientes esse valeamus, prius agitur ut simus. Qui ergo vitam dedit, ipse procul dubio et prudentiam contulit. Baldad autem, quia beatum Job flagellatum pro culpa credidit, occultum Dei iudicium, quod humiliter venerari debuit, superba nisus est temeritate penetrare. Ipsi ergo se per prudentiam praetulit, cuius iudicium non intelligendo iudicavit. Ipsi se per prudentiam praetulit, a quo vivendi spiraculum accepit; **546** ac si plus ipso esset sapiens a quo habebat ut esset. Sed quia beatus Job, sanctae Ecclesiae typum tenens, pauca in superbiorum correptione protulit, quos tenere haereticorum speciem non ignoravit, sicut superius dixit: *Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum (Job. XIII, 3)*; repente se ad doctrinam erigit, et contra elatorum imperitiam scientiae suae latitudinem per sententias expandit, dicens:

CAPUT XXI [*Vet. XI, Rec. XII*].

VERS. 5.---*Ecce gigantes gemunt sub aquis.*

30. *Angeli et homines superbi, ignorantiae abyssis involvuntur.*---Dignum quippe erat ut per increpationem prius tumorem sapientiae terrenae retunderet, et per doctrinam postmodum ad plena mysteriis verba transiret. Gigantes enim vel apostatas angelos, vel superbos quosque homines, nil

obstat intelligi. Hinc enim per prophetam dicitur: *Mortui non vivent, gigantes non resurgent* (Isai. XXVI, 16). Quos namque mortuos nisi peccatores nominat? Et quos gigantes nisi eos qui de peccato etiam superbiunt appellat? Illi autem non vivunt, quia peccando vitam justitiae perdiderunt. Isti etiam resurgere post mortem nequeunt, quia post culpam suam inflati per superbiam, ad poenitentiae remedia non recurrunt. Hinc rursum scriptum est: *Vir qui erraverit a via doctrinae, in coetu gigantum commorabitur* (Prov. XXI, 16); quia quisquis iter rectitudinis deserit, quorum se numero nisi superbiorum spirituum jungit? Bene autem contra elatos dicitur: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*. Ac si aperte diceretur: Cur de scientia homo superbiat, cum ignorantiae abyssus et ipsos superbissimos angelorum spiritus premat?

31. *Qui caeteris praeesse ambiunt, iisdem supponuntur.*---Si autem gigantum nomine potentes hujus saeculi designantur, in aquis possunt populi figurari, Joanne attestante, qui ait: *Aquae enim sunt populi* (Apoc. XVII, 15). Bene autem contra superbientem dicitur: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, quia elati omnes dum in hac vita assequi honorum celsitudinem cupiunt, sub ponderibus populorum gemunt. Nam quanto quisque hic alterius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur; eisque ipsis populis mente et cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate. Et bene his verbis breviter indicatur quia omnis superbia eo ipso in imo jacet quo in alta se erigit, ut inde magis cunctis supposita sit, unde cunctis expetit superesse. Homo quippe in sublimibus elevatus, tantos super se sustinet, quantos suppositos regit. Hi autem qui talibus sociantur, ipsi etiam laboris eorum

participatione deprimuntur. Nam cum eis laborem etiam tolerant ponderis, dum pariter gloriam affectant honoris. Unde cum diceret: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, protinus adjunxit:

CAPUT XXII.

IBID.---*Et qui habitant cum eis.*

32. *Faciliorem vitiis viam aperiunt majores curae. Desideratae dignitates absque peccato ministrari non possunt.*---Ac si dicat: Pariter gemunt qui eorum gloria ex delectatione sociantur. Ipsa autem occupatio saecularium dignitatum tanto facilioribus vitiis premitur, quanto majoribus curis gravatur. Humanus namque animus videre et devitare peccata utinam valeat vel quietus. Quia ergo vidit desideratas rerum celsitudines absque peccatis ministrari non posse, et quia divinae irae non absconditur quidquid illicitum perpetratur, apte secutus adjunxit:

CAPUT XXIII.

VERS. 6.---*Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.*

33. *Irae divinae nullum peccatum absconditur.*---Quod Paulus Apostolus quoque ait: *Omnia* **547** *enim nuda et aperta sunt oculis ejus (Hebr. IV, 13).* Inferni vero et perditionis nomine diabolum omnesque damnationis ejus socios designavit. Quis vero ille sit coram quo infernus est nudus, sequitur dicens:

CAPUT XXIV [*Rec. XIII*].

VERS. 7.---*Qui extendit Aquilonem super vacuum.*

34. *Corda divino amore vacua diabolus replet.*---Aquilonis nomine, in sacro eloquio appellari diabolus solet, qui ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis (Isa. XIX, 13).* Qui super vacuum extenditur, quia illa corda possidet quae divini amoris gratia non replentur. Sed tamen omnipotenti Deo suppetit etiam vasa diaboli cunctis virtutibus vacua suae gratiae munere implere, in eisque divini timoris soliditatem ponere, quos nulla conspicit rectitudinis actione roborari. Unde apte subjungitur:

CAPUT XXV.

IBID.---*Et appendit terram super nihilum.*

35. *Ecclesia super gentiles et Judaeos ad nihilum per peccatum redactos fundata.*---Quid enim terrae nomine nisi

sancta Ecclesia designatur, quae dum verba praedicationis suscipit, fructum boni operis reddit? De qua per Moysen dicitur: *Audiat terra verba ex ore meo, exspectetur sicut pluvia eloquium meum* (**Deut. XXXII, 2**). Et quid per nihilum, nisi gentiles populi designantur? De quibus per prophetam dicitur: *Omnes gentes velut nihilum et inane reputatae sunt* (**Isai. XL, 17**). In eo ergo nihilo terra suspenditur, quod prius vacuum ab Aquilone tenebatur, quia illa corda gentilium repleta sunt charitate Dei, quae pressa prius fuerant torpore diaboli. [*Vet. XII.*] Potest vero et per hoc vacuum Judaeae infidelitas et per terram, sicut diximus, sanctae Ecclesiae fructificatio designari. Vir ergo sanctus Judaeae pereuntis casum aspiciat, et gentilitatis merita ad veniam redeuntis cernat, ac dicat: *Qui extendit Aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum*. Nam quia Judaeorum corda fide vacua diabolo sunt subdita, extendit Aquilonem super vacuum. Quia vero nullis existentibus meritis sicut dictum est: *Pro nihilo salvos facies eos* (**Psal. LV. 8**), super gentes Dominus fundavit Ecclesiam suam, quae per prophetam nihilum sunt vocatae, apte secutus adjungit: *Appendit terram super nihilum*. Hoc vero quo ordine factum sit, mirifica subdens ratione contexit. Ait enim:

CAPUT XXVI [*Rec. XIV*]

VERS. 8.---*Qui ligat agnas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.*

36. *Nubium nomine designati Apostoli et praedicatores.* --- Quid hoc loco aquam nisi scientiam, quid nubes nisi praedicatores appellat? Nam quia in sacro eloquio aliquando aqua scientia dicatur, Salomone attestante didicimus, qui ait: *Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiae (Prov. XVIII, 4).* Aqua signari scientiam David propheta testatur, dicens: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris (Psal. XVII, 12).* Id est, occulta scientia in prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi, mysteria immensa gestarent, intuituum oculis eorum intelligentia caligabat. Nubium vero nomine quid hoc in loco aliud quam praedicatores sancti, id est apostoli, designantur, qui per mundi partes circumquaque transmissi, et verbis noverant pluere, et miraculis coruscare? Quos Isaias propheta longe ante intuens, dixit: *Qui sunt 548 isti qui ut nubes volant?* Quia igitur vir iste, prophetico plenus spiritu, in hac locutione sua ad laudem Dei initia nascentis Ecclesiae desiderat exordiri, studet ejus ordinem ab apostolorum praedicatione narrare, qui curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non summa atque ardua praedicare. Nam si scientiam sanctam, quae hic aquae nomine designatur, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potius quam rigarent. Unde religata intrinsecus scientia, ut non pariter deorsum erumperet, auditores suos distillatione verborum nutriens, nubes illa loquebatur, dicens: *Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (I Cor. III, 1, 2).* Quis enim ferre potuisset, si raptus ad tertium coelum, raptus in paradysum, etiam arcana verba audiens quae loqui homini non liceret, tam immensos supernae scientiae sinus

aperiret (**II Cor. XII, 2**)? Aut cujus non virtutem auditoris opprimeret, si ea quae intrinsecus haurire poterat, in quantum carnis lingua sufficeret, extrinsecus inundans aquae hujus immensitas emanasset

37. Rudes auditores non inundatione sed distillatione scientiae sunt irrigandi.---Ut vero auditores rudes non inundatione scientiae, sed moderata praedicationis distillatione foveantur, ligat Deus aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum, quia doctorum praedicationem temperat, ut auditorum infirmitas, dictorum rore nutrita convalescat. Quod bene in Evangelio mystica descriptione narratur, dum dicitur: *Ascendit Jesus in naviculam Petri, et rogavit ut a terra reduceret pusillum, et ita sedens praedicabat turbis* (**Luc. V, 3**). Per navem Petri quid aliud quam commissa Petro Ecclesia designatur? De qua ut Dominus turbis confluentibus praedicet, eam a terra paululum reduci jubet. Quam nec in altum duci, et tamen a terra praecipit removeri, profecto significans praedicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de coelestibus, nec tamen terrena praedicare. Aqua itaque ligatur in nubibus, quia praedicatorum scientia infirmorum mentibus loquens quantum sentire valet docere prohibetur.

[*Vet. XIII*]. *38. Infirma mentibus tegenda est altior scientia.*--Nam plerumque si auditorum cor verbi immensitate corrumpitur, lingua docentium indiscretionis poena multatur. Unde scriptum est: *Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternae reddet pretium jumentorum* (**Exod. XXI, 33**). Quid est enim aperire cisternam, nisi intellectu valido Scripturae sacrae arcana penetrare? Quid autem per bovem et

asinum, mundum scilicet et immundum animal, nisi fidelis quisque et infidelis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, cooperiat, ne illud bos vel asinus ruat, id est, qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mentis aut fidelem parvulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat. Ex morte enim jumentorum debet pretium, quia illud scilicet admisisse convincitur, unde ad agendam poenitentiam reus tenetur. Operienda est itaque cisterna, quia coram parvulis **549** mentibus legenda est alta scientia, ne unde cor docentium ad summa attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur. Dicatur igitur recte: *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum*. Pariter namque aquae erumperent, si coram infirmis auditoribus, quanta est scientia ex ore loquentis emanaret, si simul se omnis plenitudo praedicationis effunderet, et nil sibi cum proficientibus reservaret. Dignum quippe est ut qui praedicat audientis modum consideret, quatenus ipsa praedicatio cum auditoris sui incrementis crescat. Sic quippe agere unusquisque praedicator debet, sicut cum illo divinitus agitur, ut nequaquam cuncta quae sentit infirmis insinuet, quia et quousque ipse carne mortalitatis infirmus est, ea quae superna sunt cuncta non sentit. Praedicare ergo rudibus non debet quantum cognoscit, quia et ipse de supernis mysteriis cognoscere non valet quanta sint. Hinc est enim quod Paulus apostolus, postquam mysteriis coelestibus interfuit, dicit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (**I Cor. XIII, 12**). Unde et continuo hic sequitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XV*].

VERS 9.---*Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam.*

39. *In hac vita gloria Dei ex parte tantum cognoscitur.*---In vultu solet cognitio demonstrari. Solii ergo ejus vultus tenetur, quia a nobis in hac vita regni ejus gloria non quanta intrinsecus habetur agnoscitur. Super quo recte expandi nebula dicitur, quia sicut est illa coelestis regni gloria non videtur. *Nam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. IX, 15).* A videndo ergo eo nebula aspergimur, quia ipsa nostrae ignorantiae obscuritate caligamus. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Caligo sub pedibus ejus, et ascendit super cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum, et posuit tenebras latibulum suum (Psal. XVII, 10).* Caligo namque est ei sub pedibus, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. Ascendit enim super cherubim, et volavit. Cherubim quippe plenitudo scientiae dicitur. Proinde super plenitudinem scientiae ascendisse perhibetur, et volasse, quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. Volavit igitur, quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. Volavit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum. Qui posuit tenebras latibulum suum, quia dum caligine nostrae infirmitatis obscuramur per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne a nobis modo in aeterna et intima claritate videatur. Unde ei et in Canticis canticorum a sponsa dicitur: *Fuge, dilecte mi, fuge (Cant. VIII, 14).* [*Vet. XIV.*]

Fugit nos, dicimus, quoties menti nostrae id quod reminisci volumus non occurrit. Fugit nos, dicimus, quando id quod volumus memoria non tenemus. Sancta ergo Ecclesia postquam mortem ac resurrectionem Domini, ascensionemque describit, clamat ei prophetico plena spiritu: *Fuge, dilecte mi, fuge*. Ac si diceret: Tu qui ex carne comprehensibilis factus es, ex divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, et in teipso nobis incomprehensibilis permare. Tenet ergo vultum solii sui, quia majestatis suae potentiam mortalibus abscondit.

40. *Ipsa angelorum ministeria minime cognita*.---Sed si ejus solium angelicas virtutes accipimus, ipsis quippe velut sedi regiae praesidet, sui nobis **550** solii vultum tenet, quia quandiu in hac mortali carne subsistimus, quae quantaque sint illa Angelorum ministeria non videmus. Et expandit super illud nebulam suam, quia procul dubio et cor nostrum ad quaerendum sublevat, et tamen occulta moderatione agitur, ut ipsa requisitionis suae immensitate reprimatur. Unde scriptum est: *Dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiae suae* (**Habac. III, 10**). Exclamare enim mens humana in admiratione compellitur, dum in altitudine considerationis in requisitionibus suis eo ipso quo latius extenditur, angustatur. Vel certe, quia solium Dei ipsi nos sumus, vultum solii sui non immerito tenere dicitur, dum nostra scientia progredi ad altiora prohibetur. Super quod solium suum suam nebulam Deus aspergere dicitur, quia invisibilis manens, occulta super nos judicia exerit, ut et fiat in promptis quod videre possimus, et tamen origo facti lateat in abditis, ut cur fiat, nescire debeamus. Unde et apte subditur:

CAPUT XXVIII [*Rec XVI*].

VERS. 10.---*Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebrae.*

41. *Perfecta aeternitatis scientia, nulli tribuitur quandiu vivimus.*---Quia plerumque in sacro eloquio, ut supra diximus, aquarum nomine populi designantur, aquas Dominus termino circumdat, quia humani generis ita scientiam moderatur, ut quousque vicissitudines alternantium temporum transeant, perfecte ad cognitionem claritatis intimae non pertingat. Sin vero lucis nomine justos accipimus, tenebrarum vero appellatione peccatores (unde et Paulus dicit: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* [**Ephes. V, 8**]), hoc ipsum quod diximus sentiri nil obstat, quia perfecta aeternitatis scientia nulli tribuitur, quousque cursus justorum injustorumque finiatur. Sed quia mirum non est carnales populos superna nescire, sanctus vir in ejusdem divinae potentiae admiratione se erigit, et quod ipsam quoque angelorum perfectorumque hominum scientiam transeat, intuetur dicens:

CAPUT XXIX [*Rec. XVII*].

VERS. 11.---*Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.*

42. *Columnae coeli sunt vel angeli, vel summi Ecclesiae praedicatores, vel etiam Ecclesiae ipsae.*---Quid aliud columnas coeli quam vel sanctos angelos, vel summos Ecclesiae praedicatores appellat? Super quos in coelestibus crescens universa spiritalis fabricae structura surrexit, sicut alias sancta Scriptura testatur, dicens: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei* (**Apoc. III, 12**). Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricae spiritalis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit et decori. Eos vero Job columnas coeli quos Apostolus columnas vocat Ecclesiae, dicens: *Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi* (**Galat. II, 9**).

43. Possumus etiam columnas coeli et ipsas Ecclesias non inconvenienter accipere, quae multae unam catholicam faciunt toto terrarum orbe diffusam. Unde et septem Ecclesiis scribit Joannes apostolus, ut unam catholicam septiformis gratiae plenam spiritu designaret (**Apoc. I, 4; II, 29**). Et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem* (**Prov. IX, 1**). Qui ut id de septem Ecclesiis se dixisse innotesceret, secutus etiam sacramenta ipsa diligenter inseruit, dicens: *Immolavit victimas, miscuit vinum, et proposuit mensam, 551 misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et maenia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me* (**Ibid.**). Immolavit enim Dominus victimas, seipsum offerendo pro nobis. Miscuit vinum, praeceptorum suorum poculum ex narratione historica et intelligentia spiritali contemperans. Unde alias dictum est: *Calix in manu Domini, vini meri, plenus est misto* (**Psal. LXXIV, 9**). Et posuit mensam, id est Scripturam sacram,

quae fessos ad se atque a saeculi oneribus venientes pane verbi nos reficit, et contra adversarios sua refectione nos roborat. Unde et alias ab Ecclesia dicitur: *Posuisti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me* (**Psal. XXII, 5**). Misit ancillas suas, apostolorum videlicet animas, in ipso suo initio infirmas, ut vocarent ad arcem et moenia civitatis, quia dum internam vitam denuntiant, ad alta nos moenia supernae civitatis levant, quae profecto moenia nisi humiles non ascendunt. Unde illic ab eadem Sapientia subditur: *Si quis est parvulus, veniat ad me* (**Prov. IX, 4**). Ac si aperte dicat: Quisquis se apud se magnum aestimat, aditum sibi mei accessus angustat, quia tanto ad me altius pertingitur, quanto uniuscujusque mens apud severius humiliatur.

[*Vet. XV.*] 44. *Judicia Dei nemo potest indagare.*---Sed quantalibet quisque virtute proficiat, quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit quo nos conditor moderamine judiciorum regat. Dicat ergo: *Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*, quia in plerisque nec ipsi pertingere ad voluntatis ejus celsitudinem praevalet qui ejusdem voluntatis praemia denuntiantes vident. Quod, sicut superius diximus, de sanctis quoque angelis nil obstat intelligi, quia ipsae quoque virtutes coelestium, quae hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed isdem tremor ne eis poenalis sit, non timoris est, sed admirationis. Quia vero quantus pavor sit admirationis ejus intulit, nunc ordinem nostrae salutis narrat. Sequitur:

CAPUT XXX [*Rec. XVIII*].

VERS. 12.---*In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum.*

45. *Incarnatione Domini mundus presso tumore domitus.*--- Quid aliud maris nomine quam praesens saeculum designatur, in quo corda hominum terrena quaerentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt? qui elatione superbiae concitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversante se unda collidunt. Sed jam in fortitudine illius maria congregata sunt, quia incarnato Domino discordantia saecularium corda concorditer credunt. Jam Petrus in mari ambulat, quia nimirum Christi praedicatoribus illa quondam tumida humili auditu corda substracta sunt ut recte etiam in Evangelio hujus mundi mansuetudinem figuraverit, quod procellosa maris aqua Domini pedibus, presso tumore, calcata est. Sed quonam modo id actum sit aperitur, dum dicitur: *Et prudentia ejus percussit superbum.*

46. *Deus maluit prudentia percutere diabolum, quam fortitudine. Incarnationis oeconomia.*---Quis hic superbus alius appellatur, nisi ille qui dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isai. XVI, 14)?* Et de quo voce Dei dicitur: *Qui factus est ut nullum timeret, et ipse est rex super omnes filios superbiae (Job. XLI, 25).* De quo etiam huic sententiae 552 David propheta concordat, dicens: *Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum (Psal. LXXXVIII, 11).* Sed quamvis simplici naturae divinitatis non sit aliud esse, et aliud sapere, nec aliud sapere, et aliud fortem esse, quippe quia ipsa fortitudo quae sapientia, et ipsa sapientia quae divinitatis essentia est, vigilanter tamen intuendum puto quod vir iste prophetico plenus spiritu superbum diabolum prudentia Dei potius maluit dicere quam

fortitudine esse percussus. Non enim ait fortitudo, sed prudentia ejus percussit superbum. Nam quamvis, sicut dictum est, propter naturam simplicem, Dei fortitudo sapientia sit, Dominus tamen diabolum, quantum ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superavit. Ipse namque diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua quasi juste tenuit hominem, qui, libero arbitrio conditus, ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propriae voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat. Quaerendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit ut pro rationali homine brutorum animalium victimae caederentur. Unde ait Apostolus: *Necesse est ergo exemplaria coelestium his mundari, ipsa autem coelestia hostiis quam istis* (**Hebr. IX, 23**). Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est pro homine, dignae victimae non fuerunt, requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid, quod homo sine peccato inveniri non poterat, et oblata pro nobis hostia quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagio non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus, ut vero a peccatis mundaret hominem, homo, et sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commistione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quae et humanitate mori, et justitia mundare

potuisset. [*Vet. XVI.*] Hunc ergo cum post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetiit, et per diversos aditus ad interiora ejus molitus irrepere, victus est, atque ipsa inexpugnabilis mentis ejus integritate prostratus (**Matt. IV, 1 seq.**).

47. *Diabolus frustra tentato interius Christo, eum exterius aggressus est.*---Sed qui ad interiora non valuit, ad ejus se exteriora convertit, ut quia mentis virtute victus est, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare, atque, ut ante nos dictum est, permissus est in illud quod ex nobis mortalibus Mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere, tibi ex omni parte devictus est; et unde accepit exterius potestatem Dominicae carnis occidendae, inde interior potestas ejus qua nos tenebat occisa est. Ipse namque interius victus est, dum quasi vicit exterius; et qui nos jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus **553** mortis amisit, quia per satellites suos ejus carnem perimendam oppetiit, in quo nil ex culpae debito invenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. Bene itaque dictum est: *Prudentia ejus percussit superbum*, quia antiquus hostis per excessum praesumptionis suae eum etiam perdidit quem iniquae persuasionis lege possedit; et dum audacter eum in quo nihil sibi competebat appetiit, jure illum quem quasi juste tenebat amisit. Prudentia itaque non virtute percussus est, qui dum ad tentandum Deum solvitur, ab homine possidendo religatur, ut inde eum qui sub ipso erat perderet, unde cum illo qui super ipsum est congredi praesumpsisset. Occiso autem carne Domino, quae praedicatores ejus virtutum gloria sit secuta, narratur, cum subditur:

CAPUT XXXI [*Rec. XIX*].

VERS. 13.---*Spiritus ejus ornavit coelos.*

48. *Infirmetas apostolorum eorumque principis, ante acceptum Spiritum sanctum.*---Quos coelos, nisi eos de quibus scriptum est: *Coeli enarrant gloriam Dei (Psal. XVIII, 1)?* Quos tunc ornavit Spiritus, cum replevit. Quod Luca referente didicimus, qui ait: *Factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (Act. II, 2).* Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat foeditas timoris. Scimus enim, ille apostolorum, id est coelorum primus, ante acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit. Qui non poenis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus. Et quidem mancipium ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus (**Matth. XXVI, 70**). Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria est ancilla requisitus (**Joan. XVIII, 25**). Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quanta eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ostiariae ancillae subsisteret.

[Vet. XVII.] 49. *Petri fortitudo eo accepto.*---Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus exstiterit videamus. Certe, Luca testante didicimus contra sacerdotes ac principes quanta Dominum auctoritate praedicavit. Nam cum facto miraculo, quaestio fuisset exorta (**Act. IV, 14**), et sacerdotum principes, seniores, ac scribae in apostolorum persecutione concurrerent, eos in medio statuentes in qua virtute miraculum fecerint percunctari curaverunt. Quibus repletus Spiritu sancto Petrus dixit: *Principes populi et seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus est factus, notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis salvus* (**Ibid. 8**). Cumque erga haec persequentium furor excresceret, eosque sacerdotes ac principes Jesum praedicare prohiberent, contra iram principum qua auctoritate Petrus excreverit indicatur, cum illic protinus **554** subditur: *Petrus vero et apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (**Ibid., I, 9**). Sed cum auctoritatem praedicantium, resistentium praecepta non premerent, ad flagella pervenitur. Nam subditur: *Tunc principes sacerdotum caesis denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos* (**Ibid., V, 40**). Sed quia apostolorum virtutem premere nec flagella valuerunt, patenter ostenditur, cum protinus subinfertur: *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (**Ibid., 41**). Mox etiam post flagellorum gaudia quid agerent indicatur: *Omni autem die in templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum*. Ecce ille paulo ante timidus, jam linguis loquitur, coruscat

miraculis, infidelitatem sacerdotum ac principum libera voce increpat, ad praedicandum Jesum, exemplum auctoritatis caeteris praestat, ne in nomine ejus loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur. Contemnit flagella caedentium, qui paulo ante requirentium verba timuerat; et qui ancillae vires requisitus expavit, vires principum caesus premit. Sancti enim Spiritus jam virtute solidatus, hujus mundi altitudines libertatis calce deprimebat, ut in imo esse cerneret quidquid contra creatoris gratiam altum tumeret.

[*Vet. XVIII.*] 50. *Quibus donis et virtutibus, effuso in se Spiritu sancto, fulserint apostoli.*---Haec sunt ornamenta coelorum, haec sunt dona Spiritus, quae diversis manifestari virtutibus solent, quas occultae dispensationis munere divisas Paulus enumerat, dicens: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitarum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (**I Cor. XII, 8, 9, 10**). Quae mox generali definitione concludens, ait: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* De his etiam coelis in psalmo dictum est: *Verbo Domini coeli firmati sunt* (**Psal. XXXII, 6**). De his quoque ornamentis spiritus subditur: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Bene itaque dicitur: *Spiritus ejus ornavit coelos*, quia praedicatores sancti nisi promissa Paracliti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent. Sed quia sanctis apostolis virtutum gratia decoratis, vitae praedicatio contra infidelium corda convaluit, et antiquus hostis obsessas infidelium mentes praedicatorum

vocibus expulsus reliquit, post ornamenta coelorum apte subjungitur.

CAPUT XXXII [*Rec. XX*].

Ibid.---*Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

51. *Serpens antiquus Dei manu ex peccatorum cordibus quasi ex cavernis suis, ejectus est.*---Quis enim colubri appellatur nomine, nisi antiquus hostis, et lubricus, et tortuosus, qui decipiendo homini colubri ore locutus est? De quo per prophetam dicitur: *Leviathan serpentem, vectem tortuosum (Isa. XXVII, 1)*. Qui idcirco loqui serpentis ore permissus est, ut ex ipso vase ejus homo cognosceret qualis esset qui intus habitaret. Serpens quippe non solum tortuosus est, sed etiam lubricus. Quia ergo in rectitudine veritatis non stetit, tortuosum animal intravit. Quia vero suggestioni ejus, si primae non resistitur, repente totus ad interna cordis dum **555** non sentitur illabitur, verba ad hominem per animal lubricum fecit. Cavernae vero hujus colubri corda fuerunt iniquorum. Quae quia ad pravitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requievit. Sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de propriis cavernis expulsus est, quia dum nobis divina gratia medetur, is qui nos tenuerat antiquus a nobis hostis ejicitur, sicut incarnata Veritas dicit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (Joan. XII, 31)*. Unde jam nunc sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat,

contra eos pugnat extrinsecus; et quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. Ille enim eum de carnalibus hominum cordibus expulit, qui propter homines ad incarnationem venit; dumque corda infidelium tenuit, quasi manum ad latibula serpentis misit. Unde recte per prophetam dicitur: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli qui ablactatus fuerat manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo (Isai. XI, 8)*. Quem namque infantem ab ubere, vel eum qui ablactatus fuerit nisi Dominum appellat? Quid vero foramine aspidis et cavernis reguli nisi corda signavit iniquorum? Quia antiquus hostis dum totum se in eorum consensum contulit, quasi in foramine proprio coluber tortuosus, sinus astutiae colligendo glomeravit. Quem et aspidis nomine appellat occulte saevientem, et reguli aperte ferientem. Manum ergo suam Dominus in foramine reguli atque aspidis misit, quando iniquorum corda divina potestate tenuit; et comprehensum exinde aspidem, vel regulum, id est captivum diabolum traxit, ut in monte sancto ejus, quod est Ecclesia, electis fidelibus non noceret.

52. *Diabolus leoni comparatus*.---Hinc namque in Canticis canticorum sponso veniente dicitur: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum (Cant. IV, 8)*. Quid enim aliud leonum nomine quam daemonia designantur, quae ira contra nos atrocissimae crudelitatis insaeiunt? Et quia peccatores ad fidem vocati sunt, quorum quondam corda leonum cubilia fuerunt, dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum cubilibus coronatur. Remuneratio quippe victoriae corona est. Toties ergo ei coronam fideles offerunt, quoties

hunc vicisse mortem ex resurrectione confitentur. Leo ergo de cubilibus suis pellitur, quia, obstetricante manu Domini, tortuosus coluber in cavernis quas tenuerat habitare prohibetur. Nam victus a fidelium cordibus exiit, qui super haec antea sceptro perfidiae regnavit.

53. Primus Christi adventus in humilitate, secundus in terrore.---Ecce in paucis brevibusque sententiis sanctus vir adventus dominici ordinem retulit, pondera expressit, quid ex ejus incarnatione fieri potuit admirando narravit. [*Vet. XIX, Rec. XXI.*] Sed qui mira fecit in humilitate veniens, considerari non potest cum quanto terrore venturus est, in majestatis suae fortitudine apparens. Ordo primi adventus illius pensari et conspici in tantum potuit, in quantum ad redimendos carnales veniens, divinitatis suae magnitudinem carnalibus oculis temperavit. Quis vero ejus celsitudinis terrorem ferat, cum secundi adventus potentia per **556** ignem judicium exercens, in potestatis suae majestate canduerit? Unde vir sanctus adventum illius narrat primum, sed lassatur ad secundum, dicens:

CAPUT XXXIII

VERS. 14.---*Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus; et cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

54. Terribilis judicii Dei descriptio.---Quid hoc loco viarum nomine nisi actiones Domini appellat? Unde et per prophetam Dominus dicit: *Non enim sunt viae meae sicut viae*

vestrae (Isai. LV, 8). Adventum ergo Domini narrans, vias Dei ex parte retulerat, quia alia ejus actio fuit, qua nos condidit, alia qua redemit. Ea itaque quae de Domini actione narravit, extremi judicii comparatione levigans, ait: *Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus.* Quod et parvam stillam sermonum ejus appellat, quia quidquid altum, quidquid terribile in hac vita positi de ejus consideratione cognoscimus ex immensitate coelestium secretorum, velut tenuis ad nos gutta superni liquoris emanat: *Et quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* Ac si aperte dicat: Si humilitatis ejus admiranda vix ferimus, sonorum atque terribilem majestatis ejus adventum qua virtute toleramus? Hunc tonitruum adventus illius etiam Psalmista insonat, dicens: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. XLIX, 3).* Hinc Sophonias propheta denuntiat, dicens: *Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris (Sophon. I, 14).* Terrorem ergo districti examinis, quem Sophonias tubam, beatus Job tonitruum appellat. Quem Joel quoque considerans ait: *Conturbentur omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis: Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum (Joel. II, 1)?* Sed quam incomprehensibilis sit atque inconsiderabilis illa magnitudo, qua in secunda ostensione venturus est, bene utcunque perpendimus, si primi adventus pondera sollicita consideratione pensamus. Certe ut nos a morte redimeret,

mori Dominus venit, et defectum nostrae carnis in suo corpore poenasque toleravit. Qui priusquam ad crucis patibulum perveniret, teneri, conspui, illudi, et alapis caedi se pertulit. Ecce ad quanta propter nos venire probra consensit; et tamen priusquam se teneri permetteret, persecutores suos requisivit, dicens (**Joan. XVIII, 4**): *Quem quaeritis?* Cui illico responderunt: *Jesum Nazarenum*. Quibus cum repente diceret, *Ego sum*, vocem solummodo mitissimae responsionis edidit, et armatos persecutores suos protinus in terram stravit. Quid ergo facturus est, cum judicaturus venerit, qui una voce hostes suos perculit, etiam cum judicandus venit? Quod est illud iudicium quod immortalis exerit, qui in una voce non potuit ferri moriturus? Quis ejus iram toleret, cujus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Consideret ergo vir sanctus, et dicat: *Cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

557 LIBER DECIMUS OCTAVUS. (*Continet expositionem capitum XXVIII et libri Job usque ad versum 21 dimidiatum, secundum multiplices sensus*).

[*Rec. I.*] 1. *Scripturae sacrae obscuritas ad altiore[m] ejus sensum investigandum nos movet.*---Plerumque in sacro eloquio sic nonnulla mystica describuntur, ut tamen juxta narrationem historicam prolata videantur. Sed saepe dicta talia in eadem historica narratione permista sunt, per quae

superficies historiae cuncta cassetur: quae dum nil historicum resonant, aliud in eis inquirere lectorem cogunt. His enim dictis quae aperta credimus, cum interjecta aliqua obscurius invenimus, quasi quibusdam stimulis pungimur, ut ad aliqua altius intelligenda vigilemus, et obscurius prolata sentiamus, ea etiam quae aperte dicta putavimus. Cum ergo beatus Job de sermone Domini et de magnitudine tonitruum loqueretur, eisdem verbis protinus subinfertur:

CAPUT PRIMUM [*Vet. I, Rec. II*].

CAP. XXVII, VERS. 1.---*Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et ait.*

2. *Loquendi genus Job parabolicum et mysticum.*---Quo profecto versu ostenditur hujus sanctissimi viri dicta quam mystice sint prolata, dum parabola, id est similitudo assumpta narratur ab eo qui nihil inferius per comparisonem vel similitudinem loquitur. Absit enim ne hoc loco parabolam illud musicae organum sentiamus. Neque enim fas est credere quod in afflictione poenarum musicis uteretur, cum per Scripturam suam veritas dicat: *Musica in luctu importuna narratio est* (**Eccli. XXII, 6**). Nominata ergo parabola, ecce textu ipso loquente jam discimus, ne justa textum tantummodo ejus verba pensemus. Ad eam itaque similitudinem cuncta trahenda sunt qua figurate Ecclesia designatur. Et in ipso quidem locutionis exordio dicta aperte prolata sunt, sed subjunctis obscurioribus implicantur. Nam

plana, ut solet, locutione inchoat, sed verba sua per mysticos sensus graviora narratione consummat. Itaque ait:

CAPUT II [*Rec. III*].

VERS. 2.---*Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum, et Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam.*

3. *Contra verba detrahentium sapientia, contra persequentium gladios patientia necessaria.*---3. Quibus nimirum verbis beatus Job et sua narrat, et sanctae Ecclesiae tempora afflictas significat, in quibus aperta infidelium pervicacia premitur, et persecutionis amaritudine perturbatur. Duobus namque modis Ecclesia tentari ab adversariis solet, ut videlicet persecutionem aut verbis patiatur, aut gladiis. Sancta vero Ecclesia summopere habere sapientiam et patientiam studet. Sed exercetur ejus sapientia cum tentatur verbis, exercetur ejus patientia cum tentatur gladiis. Nunc vero de ea persecutione loquitur, in qua non gladiis, sed falsis assertionibus lacessitur. Multos autem novimus qui cum in hac vita aliqua adversa patiuntur, Deum esse credunt. Nonnulli vero Deum esse aestimant, sed res humanas minime curare. De illis quippe per David dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus (Psal. XIII, 1)*. Isti vero apud eum dicunt: **558** *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso (Psal. LXXII, 11)?* Et rursus: *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob (Psal. LXXXIII, 7)*. Vir ergo iste sanctae Ecclesiae typum gestans in ipsa afflictionis suae amaritudine constitutus, contra utrosque

respondit. Nam quia essentiam vita habet, mors non habet, ut Deum esse fateretur, ait: *Vivit Deus*. Ut vero eum res humanas curare perhiberet, subdidit: *Qui abstulit iudicium meum, et ad amaritudinem adduxit animam meam*. Ista etenim quae patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente testatur; nec tentatori suo amaritudinis suae potestatem tribuit, sed auctori.

4. *Diabolus nullam, nisi Deo per mittente tentandi potestatem habet.*---Scit namque quia diabolus licet afflictionem justorum semper appetat, tamen si ab auctore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus convescit. Unde et omnis voluntas diaboli injusta est, et tamen permittente Deo omnis potestas justa. Ex se enim tentare quoslibet injuste appetit, sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, non nisi tentari Deus juste permittit. [*Vet. II.*] Unde etiam in libris Regum de diabolo scriptum est: *Quia spiritus Domini malus irruebat in Saul (I Reg. XVIII, 10)*. Ubi juste quaeritur: si Domini, cur malus; et si malus, cur Domini dicatur? Sed duobus verbis comprehensa est et potestas justa in diabolo, et voluntas injusta. Nam et ipse dicitur spiritus malus per nequissimam voluntatem; et idem spiritus Domini per acceptam justissimam potestatem. Bene ergo dicitur: *Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum, et Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam*, quia etsi hostis saevit, qui ferire appetit, creator tamen est qui eum ad aliquid praevalere permittit. Sed quia sanctus vir ad aliquid invocatus Dei vita se constrinxit, audiamus quid sese constringendo subjungit. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. IV*].

VERS. 34.---*Quia donec superest halitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.*

5. *Cum omne amendacium iniquitas sit, ne quidem licet vitam cujuslibet mendacio defendere.*---Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens mendacium dicit. Nam et omne mendacium iniquitas est, et omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab aequitate discrepat quidquid a veritate discordat. Sed inter hoc quod ait, loqui, et postmodum subdit, meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim pejus est mendacium meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque praecipitationis est, meditari vero studiosae pravitatis. Et quis ignoret in quanta distantia culpa distinguitur utrum praecipitatione aliquis, an studio mentiatur? Sed vir sanctus, ut perfecte adhaereat veritati, nec studio se perhibet, nec praecipitatione mentiri. Summopere enim cavendum est omne mendacium, **559** quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpa levioris, si quisquam praestando mentitur. Sed quia scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam (Sap. I, 11)*. Et: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium (Psal. V, 7)*, hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suae animae noceant, dum praestare vitam carni nituntur alienae; quanquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. Nam si quaelibet culpa (**22, q. 2, c. 20**), sequenti solet pia operatione purgari; quanto magis haec facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur?

6. *Respondetur objectioni ex obstetricum Aegyptiarum mendacio petita*.---Nonnulli vero ex obstetricum fallacia conantur asserere hoc mendacii genus non esse peccatum, maxime quod illis mentientibus scriptum est: *Quia aedificavit illis Dominus domos* (**Exod. I, 21**). In qua magis recompensatione cognoscitur quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quae eis in aeterna potuit vita retribui, pro admista culpa mendacii, in terrenam est recompensationem declinata, ut in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt ea quae fecerunt bona reciperent, et ulterius quod exspectarent mercedis suae praemium non haberent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitae praesentis mentitae sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatae sunt infantium vitam tegere; mentiendo, suam.

7. *In vet. test. mendacium levior erat culpa, quam in novo*.---Et licet in testamento veteri nonnulla possint talia reperiri, pene nunquam tamen hoc vel tale genus mendacii a perfectis admissum studiosus ibi lector inveniet, quamvis mendacium quamdam tenere veritatis imaginem videatur, et sub veteri forsitan testamento minoris culpaesse potuit, in quo per taurorum hircorumque victimas sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in testamento novo praeceptis altioribus manifestata per carnem Veritate proficimus; justumque est ut facta quaedam quae in illo populo umbrae veritatis deservierant deseramus. [*Vet. III.*] Si quis vero per testamentum vetus vult suum tueri mendacium (**22, q. 2, c. 19**), quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est rerum alienarum raptum, et retributionem injuriae, quae infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse. Quae omnia cunctis liquet quanta

adnimadversione Veritas insequitur, quae nobis, jam significationis suae umbra postposita, in vera carne declaratur. Sed quia sanctus vir nec loqui se, nec meditari mendacium spondet, haec ipsa in quibus veritati congruit exsequendo subjungit:

CAPUT IV.

VERS. 5.---*Absit a me ut justos vos esse judicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*

8. *Peccatoribus adulari quam noxium.*---Ab innocentia quippe recederet, si bona de malis aestimaret, Salomone attestante, qui ait: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, uterque abominabilis est ante Deum (Prov. XVII, 15).* Sunt namque nonnulli (**Dist. XLVI. c. 2**) qui dum male facta hominum laudibus efferunt, augent quae increpare debuerunt. Hinc enim per prophetam dicitur: *Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis (Ezech. XIII, 18).* Ad hoc quippe pulvillus **560** ponitur, ut mollius quiescat. Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito jacentis ponit, ut qui corripiri ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursum scriptum est: *Ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum (Ibid. XIII, 10).* Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Aedificare ergo parietem est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverse agentes

aedificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Sed sanctus vir sicut mala de bonis non aestimat, ita judicare bona de malis recusat, dicens: *Absit a me ut justos vos judicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Ubi aperte subjunxit:

VERS. 6.---*Justificationem meam quam coepit tenere, non deseram.*

Coeptam namque justificationem desereret, si in peccantium laudem declinaret. Sed quia tunc verius a peccatis alienis absistimus, cum prius nos a propriis custodimus, cur de eis peccare pertimescat, rationis causas insinuat, cum subjungit:

CAPUT V [*Rec. V*].

IBID.---*Neque enim reprehendit me cor meum in omni via mea.*

9. *Audientes praecepta divina nec facientes coarguit.*---Ac si aperte dicat: Pro vobis non debeo ad culpam pertrahi, qui peccare in propriis formidavi. Sciendum vero est quod quisquis a praeceptis dominicis discordat opere, quoties ea audit a corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id quod non fecerit memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Unde David propheta deprecatur, dicens: *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua* (**Psal. CXVIII, 6**). Graviter namque unusquisque confunditur quando mandata Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quae vivendo

contempsit. Hinc enim Joannis voce dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus ab eo, accipiemus* (**Joan. III, 21**); ac si diceret: Si id quod praecipit facimus, id quod petimus obtinebimus.

10. *Oratione actio, et actione oratio fulciatur.*---Valde namque apud Deum utraque haec sibi necessario congruunt, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio. Hinc enim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in coelos* (**Thren. III, 40**). Vias etenim nostras scrutari est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, et manus non levat. Quisquis vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitae pravitas nulla contradicit. De qua recte fiducia a sancto viro nunc dicitur: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*. Ac si aperte dicat: Nequaquam se fecisse reminiscitur unde in suis precibus confundatur. [*Vet. IV.*] Sed quaeri potest quo pacto a corde suo reprehendi se denegat, qui se peccasse superius accusat, dicens: *Peccavi, quid faciam tibi, o custos* **561** *hominum* (**Job. VII, 20**)? Vel certe: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me* (**Job. IX, 20**).

11. *Quaedam peccata vitari nequeunt.*---Sed sciendum est quod sunt peccata quae a justis vitari possunt, et sunt nonnulla quae etiam a justis vitari non possunt. Cujus enim cor in hac corruptibili carne consistens in sinistra cogitatione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non mergatur? Et

tamen haec ipsa prava cogitare peccare est. Sed dum cogitationi resistitur, a confusione sua animus liberatur. Mens ergo justorum etsi libera est a perverso opere, aliquando tamen corrumpitur in perversa cogitatione. Et in peccatum ergo labitur, quia saltem in cogitatione declinatur; et tamen unde semetipsam postmodum flendo reprehendat, non habet, quia ante se reparat, quam per consensum cadat. Recte ergo is qui peccatorem se confessus est, nequaquam se a suo corde reprehendi confitetur, quia etsi qua illicita fortasse cogitando defuit unquam rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi. Sequitur:

CAPUT VI [*Rec. VI*].

VERS. 7.---*Sicut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus.*

12. *Ecclesia pro infideli habet, quem intra se positum, pravis moribus videt.*---In sacro eloquio *sicut*, et *quasi*, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Unde est illud: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (Joan. I, 14)*. Unde et hic quoque *sicut*, et *quasi*, pro affirmatione potius quam pro similitudine dictum videtur. Inter impium vero et iniquum, hoc distare nonnunquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius namque pro infideli ponitur, id est a pietate religionis alienus; iniquus vero dicitur, qui pravitate operis ab aequitate discordat, vel si fortasse Christianae fidei nomen portat. Beati igitur Job voce typica sancta Ecclesia, quae alios

rectae fidei contradicentes tolerat. impium se habere fatetur inimicum. Quia vero alios sub praetextu fidei intus positos in pravis operibus patitur, iniquum suum adversarium detestatur. Si autem *sicut*, et *quasi*, oportet magis ut pro similitudine positum sentiamus, sancta Ecclesia eos quos viventes carnaliter intra se tolerat de similitudine impiorum notat. Intus quippe ei inimicus est, qui fidelem se dum affirmat vocibus, moribus negat. Et quia eum velut infidelem aestimat qui illam specie tenus intus positus vitio pravae actionis impugnat, recte dicit: *Sicut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus*. Ac si aperte dicat: A me etiam fide discrepat, qui mihi opere non concordat. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. VII*].

VERS. 8.---*Quae enim spes est hypocritae, si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus?*

13. *Hypocrita avarus est et raptor*.---Hypocrita, qui Latina lingua dicitur simulator, justus esse non appetit, sed videri. Et idcirco avarus raptor est, quia dum inique agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitae rapit alienae. Studium vero esse hypocritarum solet ut et quod sunt supprimant, et hoc quod non sunt esse se hominibus innotescant, quatenus mensuram suam per aestimationem transeant, et praeire se caeteros actionis nomine ostendant. Refugiunt videri quod sunt, et ante oculos hominum superducta quadam innocentiae honestate se vestiunt. **562** Unde recte per Evangelium voce nostri Redemptoris increpantur, cum eis dicitur: *Vae vobis*,

hypocritae, quia similes facti estis sepulcris dealbatis, quae a foris quidem apparent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Ita et vos foris quidem apparetis hominibus justis, intus vero pleni estis avaritia et iniquitate (Matth. XXIII, 27; Luc. XI, 39). [Vet. V.] Quo contra omnes veraciter sancti non solum gloriam supra modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille praedicator egregius veritatis, contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suae pro discipulorum eruditione narraret (II Cor. XI, 13, seq.), dum tot se pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, et post haec usque ad tertium coelum, rursumque in paradysum raptum se esse memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset (Ibid. XII, 2), erat de se adhuc fortasse admirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta se consideratione temperans, subdit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me (Ibid. XII, 6).* Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid, qui parcat dicere; sed egit utrumque doctor egregius, ut et loquendo quae egerat discipulos instrueret, et tacendo sese intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret, et fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, et tacendo custodiret suam.

14. *Sancti aliquando se laudant innoxie.*---Sciendum vero est quod sancti viri quoties de se aliquid sequentibus innotescunt, morem creatoris sui imitantur. Nam Deus, qui nos prohibet ne proprio ore laudemur, per Scripturam sacram laudes suas

loquitur, non quia ipse eis indiget, qui proficere laudibus nescit, sed dum suam nobis magnitudinem narrat, nostram ad se imperitiam sublevat; et bona sua loquendo nos edocet, quem omnino homo non cognosceret, si de se tacere voluisset. Idcirco ergo laudes suas indicat, ut valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes vero ejus visione perfrui. Unde Psalmista ait: *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis haereditatem gentium* (**Psal. CX, 6**). Ac si aperte dicat: Idcirco fortitudinem suae operationis insinuat, ut eam qui audierit donis ditescat. Morem ergo sui creatoris imitantes sancti viri, nonnunquam quaedam de se, ut audientes instruant, non ut ipsi proficiant, manifestant; et tamen in his alta se consideratione custodiunt, ne dum alios a terrena intentione erigunt, ipsi in terrenae laudis appetitione mergantur. Quorum plerumque dicta imitantur hypocritae, sed dictorum sensum penitus ignorant, quia quod justī agunt ad utilitatem proximi, hoc ipsi faciunt ad extensionem nominis sui. Sanctus autem vir hypocritas intuens, nequaquam gloriam futuram appetere, sed cupere praesentem tenere ait: *Quae enim spes est hypocritae?* quia dum praesentia diligit, futura minime sperat. Scriptum namque est: *Quod enim videt quis, quid sperat* (**Rom. VIII, 24**)? Idcirco ergo ab hypocrita ad aeterna praemia per spem minime tenditur, quia quod alio quaerendum **563** fuerat, hic se tenere gloriatur. Cujus quia culpa prolata est, etiam poena subjungitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT VIII.

VERS. 9.---*Nunquid clamorem ejus audiet Deus, cum venerit super illum angustia?*

15. *Qui Deum non audit in lege loquentem, orans in extremis a Deo non audietur.*---Clamorem ejus angustiae tempore Deus non audit, quia tranquillitatis tempore in praeceptis suis ipse clamantem Dominum non audivit. Scriptum quippe est: *Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis (Prov. XXVIII, 9).* Sanctus itaque vir intuens quia omnes qui nunc operari recta contemnunt extremo se tempore ad petitionis verba convertunt, dicit: *Nunquid clamorem ejus audiet Deus?* Quibus profecto verbis vocibus nostri Redemptoris obsequitur, qui ait: *Novissime veniunt et fatuae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Et respondetur eis: Amen dico vobis, nescio vos (Matth. XXV, 11);* quia tanto magna tunc exercetur severitas, quanto nunc major misericordia prorogatur; et districte tunc judicium non correctis exerit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit. Hinc etenim propheta ait: *Quaerite Dominum dum inveniri potest, invoke eum dum prope est (Isai. LV, 6).* Modo enim non videtur, et prope est; tunc videbitur, et prope non erit. Necdum in judicio apparuit, et si quaeritur, invenitur. Nam miro modo cum in judicio apparuerit, et videri potest, et non potest inveniri. [*Vet. VI.*] Hinc Salomon sapientiam refert et suaviter blandientem, et terribiliter judicantem, dicens: *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam (Prov. I, 20).* Cujus vocem quoque insinuat, subdens: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quae sibi sunt noxia cupiunt, et imprudentes odibunt scientiam (Ibid., 22)? Convertimini ad correptionem meam;*

en proferam vobis spiritum meum, et ostendam verba mea (Ibid., 23). En qualibus verbis expressa est dulcedo vocantis. Videamus nunc quibus insinuat modis severitas increpantis, ut in fine quandoque se exerceat districtio punientis. *Quia vocavi, inquit, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis (Ibid., I, 24).* Dicat jam qualiter feriat, quos ad se nullatenus revertentes tanta longanimitate sustentat. *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me (Ibid., I, 26).* Ore itaque sapientissimi Salomonis cuncta de superno iudicio diligenter expressa sunt, quia et prius dulciter vocat, et postmodum terribiliter increpat, et ad extremum inretractabiliter damnat. Bene ergo dicitur: *Nunquid clamorem ejus audiet Deus, quando venerit super illum angustia?* Quia nimirum omnis hypocrita tunc remedium in clamore non invenit, qui nunc tempus congruum clamoris perdit. De cujus adhuc pravitate subjungitur:

CAPUT IX [*Rec. VIII*].

VERS. 10.---*Aut poterit in Omnipotente delectari?*

16. *Utrique amores Dei et mundi, uno in corde se non capiunt.*---Qui enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima

nunquam potest, nam aut infimis **564** delectatur aut summis, et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima; quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et aequaliter amari non possunt. Unde Joannes apostolus sciens inter spinas amorum saecularium supernae charitatis messem germinare non posse, priusquam aeterni amoris semina proferat, de audientium cordibus sancta verbi manu amorum saecularium spinas eradicat, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt (I Joan. II, 15)*. Moxque subjungit: *Quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Ac si aperte dicat: Utrique se amores in uno corde non capiunt; nec in eo seges supernae charitatis pullulat, in quo illam spinae infimae delectationis necant. Atque illas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens: *Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus (Ibid. II, 16)*. Delectari ergo in Deo hypocrita non valet, quia in ejus mente desideria superna non prodeunt, quam profecto spinae terreni amoris premunt. De quo apte subditur.

CAPUT X.

IBID.---*Et invocare Deum omni tempore?*

17. *Hypocrita Deum non invocat, nisi in angustiis positus.*---
Tunc quippe hypocrita Deum invocat, cum hunc terrenarum

rerum tribulatio angustat. Nam cum in hoc saeculo effectum quaesitae felicitatis invenerit, auctorem qui hanc ipsam felicitatem tribuit non requirit. Quia vero, ut praediximus, esse ars docentium debet ut in auditorum suorum mentibus prius studeant perversa destruere, et postmodum recta praedicare, ne bonum sanctae praedicationis semen plena malis corda non capiant; unde ad Jeremiam dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et aedifices, et plantes (Jerem, I, 10)* (prius itaque jubetur ut destruat, et postmodum aedificet; prius ut evellat, et postmodum plantet, quia nequaquam rectae veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruat); beatus Job postquam causas universalis Ecclesiae amicorum suorum dictis quasi contra haereticorum verba respondit, eorumque elationem multimoda responsione dextruxit, jam docere se perhibet, ut videlicet aperte videatur in his quae subdidit recta plantare, in his vero quae praemisit evulsisse perversa. Sequitur:

CAPUT XI [*Rec. IX*].

VERS. 11.---*Docebo vos per manum Dei, quae Omnipotens habeat, nec abscondam.*

18. *Sancti Deo suam sapientiam tribuunt, superbi sibi.*---Sic beatus Job loquitur verbis suis, ut aliquid signet ex nostris. Nam sancta Ecclesia docens, in quantum cognoscere expedit, nihil veritatis abscondit. Quia enim manus Dei vocatur Filius (*Omnia quippe per ipsum facta sunt (Joan. I, 3)*, per

manum Dei docere se perhibet eos quos in propria sapientia remanere fatuos videt. Ac si aperte dicat: Ego ex me aliquid nescio; sed quidquid de veritate sentio, hoc ex ejusdem Veritatis largitate comprehendo. Vos idcirco recta non sapitis, quia hanc eandem vestram sapientiam non Dei manui, sed vobismetipsis datis. Nam hostes sanctae Ecclesiae, si quid veri aliquando sentiunt, id propriis **565** viribus tribuunt; et tanto magis se privant superna sapientia, quanto illam quasi ex suo ingenio habere privatam volunt. Quibus aliquando datur ad iudicium suum ut recte quidem aliqua sciant, sed ex ipsa hac scientia obligatiores ad poenam fiant. Unde apte subditur:

CAPUT XII [*Vet. VII*].

VERS. 12.---*Ecce vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini?*

19. *Quibusdam datur ad iudicium ut recte nonnulla sciant.*---Scriptum est: *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et non fecit digna, plagis vapulabit paucis (Luc. XII, 47).* Rursumque scriptum est: *Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi (Jac. IV, 17).* Ad majoris ergo culpae cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet et scire quod sequi debeant, et sequi nolle quod sciant. De quibus alias dictum est: *Descendant in infernum viventes (Psal. LIV, 16).* Vivi sunt qui sentiunt quae erga illos fiunt. Mortui enim nec sciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque qui non sentiunt pro

nescientibus, viventes vero qui sentiunt pro scientibus poni solent. Viventes ergo in infernum descendere est scientes sentientesque peccare. [Rec. X.] Sequitur, VERS. 13,---*Haec est pars hominis impii apud Deum, et haereditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.* Quam profecto partem haereditatemque protinus insinuat, cum subjungit:

CAPUT XIII.

VERS. 14.---*Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane.*

20. *Haeretici sacrae Scripturae vim inferentes a Deo feriendi.*---Non absurde impii vocantur haeretici, qui per errorem pravi dogmatis a cognitione sunt veritatis alieni, quos sequenti verbo etiam violentos appellat, quippe qui Scripturae sacrae sententias recta dogmata continentes ad intellectum pravum conantur violenter inflectere. Violenti ergo sunt, et si non rebus hominum, certe sensibus praeceptorum. Filii autem violentorum sunt sequaces haeticorum, qui dum eorum errori consentiunt, quasi ex eorum praedicatione generantur. Sed multiplicati in gladio erunt, quia quamvis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescant, venturi tamen judicis sententia feriuntur. Unde per Moysen Dominus dicit: *Gladius meus manducabit carnes (Deut. XXXII, 42).* Dei enim gladius carnes comedit, quia in extremo judicio ejus sententia eos qui carnaliter sapiunt occidit. Qua in re quaerendum est cur dicatur quod hanc partem atque haereditatem suam pravi ab Omnipotente

percipiunt. Sed recte considerantibus liquet quia etsi a seipsis habuerunt injuste agere, supernae tamen aequitati suppetit injuste acta juste judicare, ut divina sententia ordinet in poenam quos inordinata sua actio traxit ad culpam. De quibus apte subjungitur: *Et nepotes ejus non saturabuntur pane.*

21. *A veritatis cognitione jejulant Scripturam legentes ad quaestionem, non ad refectionem.*---Nepotes quippe haereticorum sunt qui de errantium filiorum praedicatione nascuntur. Quos nequaquam panis satiat, quia dum in sacri verbi pabulo plus quaerunt sentire quam capiunt, semper a veritatis cognitione jejulant; et praedicamenta doctrinae quae student ad quaestionem quaerere, **566** habere non valent ad refectionem. Quia vero nonnullos ex iisdem haereticis sancta Ecclesia colligit, nonnullos in malitia sua pertinaces relinquit, protinus additur:

CAPUT XIV

VERS. 15.---*Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu.*

22. *In errore morientium poena.*---Ex eo videlicet haereticorum populo derelicti sepeliuntur in interitu, quia dum ad lucem veritatis non redeunt, profecto in poena perpetua, intelligentia terrena deprimuntur. Et quia nonnunquam dum auctor errantium plebium rapitur ad poenam, seductae plebes reformantur ad veritatis scientiam, et tunc ad veram cognitionem redeunt subditi, cum ad aeterna supplicia perveniunt hi qui male fuerant praelati, apte subjungitur:

IBID.---*Et viduae illius non plorabunt.*

23. *Erroris doctoribus ad poenam raptis, deceptae plebes saepe resipiscunt.* Quas viduas ejus accipimus, nisi subjectas plebes morte illius feliciter destitutas? Quia saepe, ut dictum est, dum praedicator erroris ad aeterna supplicia rapitur, subjectae plebes illius ad cognitionis verae gratiam revertuntur. His enim plebibus perversus praedicator quasi maritus praefuit, quia male eis conjunctus inhaeserat corruptor mentis. Nequaquam ergo viduae, vel destitutae plorant, quia morte pravi doctoris viam veritatis inveniunt, ex cujus interitu affligi posse videbantur. Vel certe non plorant viduae, quia in suo errore remanentes, dum sanctum fuisse aestimant praedicatorem suum, spe falsa ne lugeant consolantur. Sequitur:

CAPUT XVI [*Vet. VIII, Rec. XI*].

VERS. 16, 17.---*Si comportaverit sicut terra margentum, et sicut lutum praeparaverit vestimenta, praeparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet.*

24. *Catholici haereticos eisdem Scrip. sacrae testimoniis quae proferunt, debellant.*---Argentum intelligi sacri eloquii claritas solet, sicut alias dicitur: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (Psal. XI, 7).* Et quia nonnulli eloquium Dei non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt; idcirco per prophetam dicitur: *Disperierunt omnes involuti argento (Saphon. I, 11).* Hi nimirum qui eloquio Dei non

interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt. Unde et horum argentum, id est haereticorum eloquium, terrae est comparatum, quia de Scriptura sacra ut aliquid sciant ex appetitu terrenae laudis elaborant. Qui etiam sicut lutum praeparant vestimenta, quia fluxe et inquinabiliter ea quibus se tueri volunt Scripturae sacrae contexunt testimonia. Praeparabit quidem, sed justus vestietur illis, quia vir recta fide plenus, quae sanctis solet ad justitiam deputari, ea ipsa Scripturae sacrae quae haereticus affert testimonia colligit, et erroris ejus pertinaciam inde convincit. Contra nos namque dum sacrae legis testimonia apportant, secum nobis afferunt unde vincantur. Unde et David typum Domini, Goliath vero haereticorum superbiam signans, hoc rebus locuti sunt quod nos verbis aperimus. Goliath quippe cum gladio, David vero cum pera pastoralis venit ad praelium. Sed eundem Goliath David superans suo gladio occidit, quod nos quoque agimus, qui promissi David **567** membra ex ejus fieri dignatione meruimus. Nam cum superbientes haereticos et sacrae Scripturae sententias deferentes, eisdem verbis atque sententiis quas proferunt vincimus, quasi elatum Goliath suo gladio detruncamus. Justus ergo vestitur eis vestimentis quae praeparat injustus, quia vir sanctus eisdem sententiis ad veritatem utitur, quibus se perversus quisque doctum ostendere contra veritatem conatur.

25. Verbum Dei discrete debet exponi, et singulis aptari. Et argentum innocens dividet.---Argentum innocens dividere, est eloquia Domini minute discreteque exponere, et unicuique quid digne congruat coaptare. Nam eloquium Domini, quod hic argentum, vel vestimenta, hoc alibi spolia nominatur. Quod etiam Psalmista testatur per

comparationem, dicens: *Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (**Psal. CXVIII, 162**). Quae spolia idcirco vocata sunt, quia ad fidem Domini gentilitate transeunte, Judaei sacris eloquiis, quibus induti fuerant, exuuntur. [*Vet. IX.*] De hac quoque argenti vel spoliorum divisione alias dicitur: *Benjamin lupus rapax, mane comedit praedam, vespere dividet spolia* (**Genes. XLIX, 27**). Quibus profecto dictis Paulus apostolus designatur, de Benjamin stirpe progenitus, qui mane praedam comedit, quia in primordiis suis fideles quos potuit rapiens crudelitati propriae satisfacit. Vespere spolia divisit, quia fidelis postmodum factus sacra eloquia exponendo distribuit.

26. *Discernenda sunt quae salubriter ab haereticis dicta.*--- Quamvis hoc argentum quod dividit innocens intelligi et aliter potest. Haeretici namque, ut facile valeant perversa suadere, dictis suis quaedam recta permiscent, ut animos audientium ex rectis sensibus trahant, ex perversis feriant. Qui in praeceptis Dei, quia sana insanaque locutione variantur, bene in Evangelio decem leprosum sunt specie designati (**Luc. XVII, 12**), quorum colori sano dum vitiosus candor aspergitur, immoderato hoc candore foedantur. Unde admonemur *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (**Rom. XII, 3**). Qui etiam quia necdum Deum diligunt, de quo male sentiunt, nec proximum, a quo dividuntur, decalogi praeceptis adversi sunt, atque ideo ad deprecandum Dominum decem veniunt. Pro eo autem quod sanis insana miscuerunt, coloris diversitate variantur. Sed quia in ejus praeceptis offenderunt, id illum unde offenderant vocant dicentes: *Jesu praeceptor* (**Luc. XVII, 13**); unde et mox curari meruerunt. Ergo quia vir catholicus quae ab eis

recte, vel quae prave sentiuntur, intelligit, argentum innocens dividit, id est quae ab eis salubriter, vel quae pestifere fuerint dicta discernit. Sequitur:

CAPUT XVII.

VERS. 18.---*Aedificavit sicut linea domum suam.*

27. *Haeresum magistri mentes quas occupant corrumpunt.*---Tinea sibi domum corrumpendo aedificat. Nec meliori potuit comparatione haereticus demonstrari, qui locum suae perfidiae non nisi in mentibus quas corruperit facit, qui etiam sequaces suos ab aeterno igne liberos esse pollicetur. Spondet quippe eis refrigerium quietis aeternae; sed verba ejus soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Unde subjungitur: *Et sicut custos fecit umbraculum.* Umbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur. Et promissa ab haereticis requies **568** cum tempore destruitur, quae post hanc vitam nullatenus invenitur. Et quia saepe haeretici in contemptu universalis Ecclesiae potentum saeculi patrociniis fulciuntur, eisque divites protectione atque administratione quanta praevalent opitulari non cessant, ipse etiam quilibet contra conditorem suum rebus temporalibus intumescens sancti viri nunc sententia tangitur, atque ab speciali haeticorum interitu ad generalem elatorum omnium definitionem sermo derivatur, cum subditur:

CAPUT XVIII.

VERS. 19.---*Dives cum dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, et nihil inveniet.*

28. *Bona temporalia nobis servando amittimus, pauperibus erogando servamus.*---Cui nimirum sententiae Psalmista concinens dicit: *Turbati sunt omnes insipientes corde; dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (Psal. LXXV, 6).* Ut enim in sua manu divites post mortem quidquam inveniant, eis ante mortem dicitur divitias suas in quorum manibus ponant: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula (Luc. XVI, 9).* *Dives cum dormierit, nihil secum auferet [Rec. XII].* Res suas cum moreretur secum tolleret, si ad petentis vocem cum viveret sibi tulisset. Nam terrena omnia quae servando amittimus, largiendo servamus; patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illae nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum ergo nobis est ut res absolute perituras, in non pereuntem cogamus transire mercedem.

[Vet. X.] 29. *Peccatoris oculos mors aperit, ut fugere a se bona temporalia videat, poenamque succedere.*---Sed mirandum valde est quod dicitur: *Cum dormierit, aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Ut dormiamus quippe, oculos claudimus, et evigilantes aperimus. Sed hac in re, quia homo ex anima constat et corpore, cum unius rei somnus dicitur, alterius vigiliae demonstrantur, quia cum corpus obdormiscit in morte, tunc anima evigilat in vera cognitione. Et dormit

ergo dives, et oculos aperit, quia cum carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod providere contempsit. Tunc profecto in vera cognitione evigilat, tunc nihil esse conspicit quod tenebat. Tunc se vacuum invenit, quae plenam rebus prae caeteris se hominibus esse laetabatur. Dormit, et nihil secum aufert, nihil nimirum de rebus quas tenuit. Nam culpa rerum simul ducitur, quamvis hic omnia, pro quibus culpa perpetrata est, relinquuntur. Eat ergo nunc, et acceptis rebus tumeat, seseque super caeteros extollat, gloriatur se habere quod proximus non habet. Veniet quandoque tempus ut evigilet, et tunc cognoscat quam vacuum fuerit quod in somno tenuerat. Saepe namque contingit dormienti inopi ut se per somnium divitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat, laetetur se habere quod non habuit, jamque dedignari quaerat a quibus dedignatum esse se doluit. Sed repente evigilans, evigilasse se doleat, qui interim divitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, et inopiae suae angustiis premitur; et eo pejus, quo ad tempus brevissimum, vel vacue dives fuit. Sic sic nimirum hujus mundi sunt divites, qui rebus acceptis tument. Bene operari de sua abundantia nesciunt, **569** quasi dormientes sunt divites; sed paupertatem suam evigilantes inveniunt, quia nihil secum ad illud judicium quod permaneat ferunt, et quanto nunc ad breve tempus sublimius elati sunt, tanto contra se in perpetuum gravius ingemiscunt. Dicat ergo: *Aperiet oculos suos, et nihil inveniet*, quia illic aperit ad supplicia, quos hic ad misericordiam clausos tenebat. Aperit oculos suos, et pietatis fructum non invenit, quos hic clausos tenuit cum invenit. Tarde quoque illi oculos aperiunt, qui, teste Sapientia, damnationis suae tempore dicturi referuntur: *Quid nobis profuit superbia, divitiarum jactantia*

quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrentes (Sap. V, 8). Vilia et fugitiva fuisse quae tunc fuerant, jam amissa cognoscunt, quae quandiu aderant stultis eorum cordibus et magna et mansura videbantur. Sero dives aperuit oculos (Luc. XVI, 23), quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempsit. Intellexit ibi quod hic facere noluit; in damnatione sua cognoscere compulsus est quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnovit. De quo adhuc subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 20.---*Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.*

30. *Stupenda reprobi divitis post mortem inopia.*---Videamus nunc inopiam ardentis divitis, cujus tanta abundantia fuit epulantis. Ait enim: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma (Luc. XVI, 24).* Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, quia illic in tanto ardore una tunc ad sufficientiam refrigerii aquae stilla requiratur, sed quod is qui de abundantia peccaverit, illic aestuante nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbis divitis ex subtilissimo Dei iudicio quam digna tali culpa poena responderit. Agente namque inopia, illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hic, agente tenacia, usque ad minima neganda pervenit. Quid retribuere subtilius, quid

districtius potest? Guttam aquae petit, qui micas panis negavit. Apprehendit ergo eum quasi aqua inopia. Non immerito aquae tunc illa inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens, solet lacus nomine designari. Unde per prophetam quoque humani generis voce dicitur: *Lapsa est in lacum vita mea* (**Thren. III, 53**). Ereptorum vero exultatione cantatur: *Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me; Domine, abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum* (**Psal. XXIX, 3**).

[*Vet. XI.*] 31. Divini iudicii turbo, qua non putat hora, ideoque nocte, eum opprimet.---Nocte opprimet eum tempestas. Quid hoc loco noctem, nisi absconditum tempus repentini exitus appellat? Tempestatis vero nomine, iudicii turbinem designat. Quod etiam Psalmista testatur, dicens: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (**Psal. XLIX, 3**). De qua tempestate etiam Sapientia per Salomonem dicit: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit* (**Prov. I, 26**). Et quia ipsa venturi exitus ignorantia nox vocatur, nocte opprimet eum tempestas, id est turbo eum divini 570 iudicii dum ignorat apprehendet. Hinc est namque quod per semetipsam Veritas dicit: *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigicaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet* (**Matth. XXIV, 43**). Hinc etiam contra malum servum dicitur: *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, et coeperit*

percutere conservos suos; manducet autem et bibat cum ebriis; veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat (Ibid., 48). Hinc Paulus discipulis dicit: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis neque tenebrarum (I Thess. V, 4).* Hic superbienti diviti Dei voce dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem praeparasti, cujus erunt (Luc. XII, 20)?* Nocte animam reddere perhibetur qui, mortem non praevidens, in tenebris cordis abstrahitur. Ait ergo: *Nocte opprimet eum tempestas.* Quia enim non vult agere bona quae videt, deprehenditur interitus sui tempestate quam non videt. De quo adhuc subditur.

CAPUT XX.

VERS. 21.---*Tollet eum ventus urens, et auferet.*

32. *Auferetur a diabolo, qui merito dicitur ventus urens.*--- Quis hoc loco ventus urens, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammam in corde excitat, ut ad aeternitatem suppliciorum trahat? Perversum ergo quemlibet ventus urens tollere dicitur, quia insidiator malignus spiritus, qui viventem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Nam quia ventus urens immundus spiritus solet intelligi, qui malae suggestionis flatu ad terrena desideria iniquorum corda succendit, Jeremias propheta testatur, dicens: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis (Jerem. I, 13).* Olla namque succensa est cor humanum, saecularium

curarum ardoribus, desideriorumque anxietatibus fervens. Quae a facie Aquilonis succenditur, id est diaboli suggestionibus inflammatur. Ipse enim vocari nomine Aquilonis solet, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium* (**Isai. XIV, 13**). Ad hujus igitur urentis venti uniuscujusque electi mens adustione temperatur, quando in ea vitiorum fervor exstinguitur, et desideriorum carnalium flamma frigescit. Unde et sancta Ecclesia in sponsi sui laudibus laeta clamat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi* (**Cant. II, 3**). De hujus ardoris temperie ei per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro saliuunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus* (**Isai. LV, 13**). Pro saliuunca namque in ea ascendit abies, dum in sanctorum corde pro abjectione terrenae cogitationis altitudo supernae contemplationis exoritur. Urtica vero igneae omnino naturae est. Myrtus autem temperativae fertur esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus, cum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammam carnis desideriis coelestibus exstinguunt.

[*Vet. XII.*] 33. *Mentis refrigerium Mariae datum.*---Propter hoc quoque mentis refrigerium coelitus datum Mariae dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (**Luc. I, 35**). Quamvis hac in re per obumbrationis 571 vocabulum incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim a lumine formatur et corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est, qui, mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero corporandum, ei quae incorporeum concepit ad

corpus dicitur: *Virtus Altissimi obrumbabit tibi*; id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis. Sed jam de iniquo quolibet quod coepimus exsequamur. Tollit ergo eum ventus urens, quia videlicet malignus spiritus eum quem nunc succenderit igne perversae concupiscentiae, rapit postmodum ad flammam gehennae. Sequitur:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et velut turbo rapiet eum de loco suo.*

34. *Quis sit iniquorum locus.*---Locus perversorum est temporalis vitae delectatio et carnis voluptas. Quasi turbine igitur unusquisque de loco suo rapitur, cum a cunctis suis delectationibus extremo territus die separatur. De quo extremo die apte mox subditur:

CAPUT XXII [*Rec. XIII*].

VERS. 22.--- *Emittet super eum, et non parcat.*

35. *Deus electos flagellat hic ut parcat, reprobos ut punire incipiat. Omnis percussio divina, aut purgatio vitae praesentis est, aut initium poenae sequentis.*--- Peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum emittit, ut parcat. Cum vero ejus vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcat. Qui enim flagellum emisit ut parceret, ad hoc emittit quandoque ne

parcat. In hac namque vita Dominus tanto magis studet ut parcat, quanto magis exspectando flagellat, sicut ipse voce angeli ad Joannem ait: *Ego quos amo, arguo et castigo* (**Apoc. III, 19**). Et sicut alias dicitur: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit* (**Hebr. XII, 6**). Econtra autem de flagello damnationis scriptum est: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator* (**Psal. IX, 17**). De quo per Jeremiam Dominus dicit, dum incorrigibiliter delinquentes populos videt, quos non jam sub disciplina filios, sed sub districta percussione intuetur ut hostes: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli* (**Jerem. XXX, 14**). Et quod hic dicitur: *Non parcat*; ibi quoque verbis aliis declaratur: *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus* (**Ibid., 15**). Unde hoc semper electi provident, ut ante ad justitiam redeant, quam sese ira judicis inexstinguibiliter accendat, ne ultimo flagello deprehensi simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum namque tunc diluet culpam, cum mutaverit vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo divina percussio, aut purgatio in nobis vitae praesentis est, aut initium poenae sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt dictum est: *Qui fingis dolorem in praecepto* (**Psal. XCIII, 26**). Quia dum flagellatur iniquus, et corrigitur; audire praeceptum noluit, audit dolorem. Dolor ergo in praecepto fingitur, ei qui a malis operibus quasi praecepti vice, dolore cohibetur. De his vero quos damnant flagella et non liberant, dicitur: *Percussisti eos, nec doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (**Jerem. V, 3**). His flagella ab hac vita inchoant, et in aeterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, et*

ardebit usque ad inferos deorsum (**Deut. XXXII, 22**). Quantum ad praesentem etenim percussione[m] spectat, recte **572** dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea* (**De Poenit., d. 3, c. 43**). Quantum vero ad aeternam damnationem, apte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum*. Licet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est: *Non judicat Deus bis in idipsum* (**Nahum. I, 9**). Qui tamen hoc quod per prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *Et duplici confusione contere eos* (**Jerem. XVII, 18**). Et quod alias scriptum est: *Jesus populum de terra Aegypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit* (**Judae, V**). Quibus tamen si consensum praebemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis atque in peccato suo morientibus debet aestimari, quia eorum percussio hic coepta illic perficitur, ut incorrectis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in aeternis suppliciis consummatur, quatenus eis qui omnino corrigi renuunt jam praesentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum. *Emittet ergo super eum, et non parcat*. Sequitur:

CAPUT XXIII [*Vet. XIII*].

IBID.---*De manu ejus fugiens fugiet*.

36. *Ferientis manum sola emendatione evadimus*.--- Ille etenim de manu fugit ferientis, qui suae pravitatem corrigit actionis. Vel certe quia in sacro eloquio manus operatio solet

intelligi, de manu percussi fugit qui, dum pravi interitum conspicit, vias pravitatis relinquit. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXIV.

VERS. 23.--- *Stringet super eum manus suas.*

37. *In aliorum poena quid nobis timendum sit conspiciamus.*--
-Manus quippe stringere est vitae suae opera in rectitudine confirmare. Unde etiam Paulus ait: *Remissas manus et dissoluta genua erigite (Hebr. XII, 12)*. Dum itaque alienum interitum conspiciunt, revocantur ad cor, ut recogitent suum; et unde alius ad tormenta ducitur, a tormento alius inde liberatur. Stringit ergo super eum manus suas, quia conspicit in aliena poena quid timeat; et dum delinquentem sic percussum conspicit, dissoluta sua opera justitiae vigore constringit. Sicque fit ut qui iniquus vivens multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens a culpa revocet terrore tormenti. Quod etiam provenire bonis Psalmista testatur, dicens: *Laetabitur justus cum viderit vindictam impiorum, manus suas lavabit in sanguine peccatorum (Psal. LVII, 11)*. In peccatorum morientium sanguine justi lavantur manus, quia dum eorum poena conspicitur, conspicientis vita mundatur. Sequitur.

CAPUT XXV.

IBID.---*Et sibilabit super illum, intuens locum ejus.*

38. *Sicque a peccato compescimur.*---Quid in sibilo, nisi intentio admirationis exprimitur? Si vero in sibilo alia fortasse significatio quaeritur moriente peccatore, hi qui interitum ejus aspiciunt, os in sibilo stringunt, dum ad ea quae contempserant verba spiritalia convertuntur, ut jam credere et praedicare incipiant quae prius dum iniquum florere cernerent non credebant. Nam fit plerumque ut infirmorum animus eo magis de auditu veritatis trepidet, quo florere contemptores veritatis videt. Sed dum justa ultio injustos subtrahit, alios a pravitate compescit. Unde per Salomonem dicitur: *Multato pestilente, sapientior erit parvulus (Prov. XXI, 11).* Vir igitur sanctus postquam potentum poenas qui extolluntur in saeculo sufficienter explevit, **573** rursus ad haereticorum superbiam, qui extolluntur in eloquio, verba convertit. Nam sequitur:

CAPUT XXVI [*Vet. et Rec. XIV*].

CAP. XXVIII, VERS. 1.---*Habet argentum, venarum suarum principia: et auro locus est in quo conflatur.*

39. *Haeretici ad sacras paginas veterumque patrum libros provocandi.*---In argento eloquium, in auro vitae vel sapientiae claritas designari solet. Et quia haeretici sic de eloquii sui nitore superbiunt, ut nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur (qui libri ad loquendum nobis quasi

quaedam argenti venae sunt, quia de ipsis locutionis nostrae originem trahimus), eos ad sacrae auctoritatis paginas revocat, ut si vere loqui desiderant, inde sumere debeant quid loquantur. Et ait: *Habet argentum, venarum suarum principia*. Ac si aperte dicat: Qui ad verae praedicationis verba se praeparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut omne quod loquitur ad divinae auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo aedificium locutionis suae firmet. Ut enim praediximus, saepe haeretici dum sua student perversa astruere, ea proferunt quae profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde et discipulum suum praedicator egregius admonet, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (**I Tim. VI, 20**); quia dum laudari haeretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quaedam proferunt, quae in antiquorum Patrum libris veteribus non tenentur; sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiae semina spargant.

40. *Sola Ecclesia catholica martyres habet.*---Bene autem subditur: *Et auro locus est in quo conflatur*. Ac si aperte dicat: Vera fidelium sapientia, cui universalis Ecclesia locus est, tribulationem vobis persequentibus patitur, sed a cunctis peccatorum sordibus persecutionis vestrae igne purgatur. Unde scriptum est: *In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis* (**Eccli. II, 5**). Quo in loco potest hoc quoque convenienter intelligi, ut de sua haeretici increpari stulta passione videantur. Nam saepe pro Jesu Christi Domini ac redemptoris nostri nomine multa patiuntur, seseque eisdem passionibus ejus fieri martyres sperant. Quibus sancti viri voce nunc dicitur: *Auro locus est*

in quo conflatur. Nam juxta hoc quod jam et ante nos dictum est (A Cypr., *de unitate Eccl., et alibi*), quisquis extra unitatem Ecclesiae patitur, poenas pati potest, martyr fieri non potest, quia auro locus est in quo conflatur. Quid itaque ad haec, haeretici, dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum in quo debeatis conflari nescitis. Audite quid sancti praedicatoris voce dicitur: *Auro locus est in quo conflatur.* Hunc ergo conflationis locum quaerite, hanc fornacem, qua aurum apte purgari valeat invenite.

41. *Quidquid extra Ecclesiam toleratur, curciat, non purgat.* --Una est Ecclesia in qua qui conflari valuerit ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid pro Deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo, non purgari. Dicat Jeremias, dicat quomodo conflationis vestrae ignis omni virtute sit vacuus: *Frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae* (**Jerem. VI, 29**). Ecce ignis exterius conflans, et durae passionis admovet poenam, **574** et tamen erroris non excoquit culpam, et tormenta crudelium dat poenarum, et bonorum non facit incrementa meritorum. Hujus etiam conflationis ignis qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino virtutis sit, Paulus Apostolus insinuat, dicens: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (**I Cor. XII, 3**) [*Vet. XV.*] Alii quippe prava de Deo sentiunt; alii recta de auctore tenent; sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione divisi sunt. Unde et in ipsa prima parte decalogi utrarumque partium culpa reprimuntur, cum divina voce dicitur: *Diliges*

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua (Deut. VI, 5). Atque mox subditur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit. Qui vero de Deo recta sentiens a sanctae Ecclesiae unitate divisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat.

43. *Quia deest charitas tam schismaticis quam haereticis.*--- Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiae, sive per haeresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo dividitur, charitatis hujus gratia privatur, de qua hoc quod praemisimus Paulus ait: *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I Cor. XIII, 3).* Ac si aperta voce diceret: Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctae pacis amatores summo studio locum quaerunt, hunc quaerentes inveniunt, hunc invenientes tenent, scientes peccatorum remissio vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe, nisi in catholicae matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? Quia, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (II Cor. VI, 2).* Et: *Quaerite Dominum dum inveniri potest, invoke eum dum prope est (Isai. LV, 6).* Qualibus, nisi conversis, qui ad parvulorum imitationem, magistra humilitate formantur? Quibus dicitur: *Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum coelorum (Matth. XIX, 14).* Et: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum (Matth. XVIII, 3).* [Rec. XV.] Quia ergo non nisi in catholica Ecclesia veri martyres fiunt, dicitur recte: *Auro*

locus est in quo conflatur, quia non clarescet anima in fulgore aeternae pulchritudinis, nisi, ut ita dicam, prius hic arserit in officina charitatis.

43. *Deus alios salvat per innocentiam, alios per poenitentiam.*---Pensandum praeterea est quod occulto consilio omnipotens Deus quosdam ab ipsis exordiis suis innocentes custodiens, usque ad virtutum provehit summa, ut aetate crescente, simul in eis proficiat et annorum numerositas, et celsitudo meritorum. Alios vero in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, et ad sequendum se sancti amoris igne succendit, atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum vertit in fervorem virtutum, et eo magnis ignescunt ad desiderium requirendae pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suae, sicut saepe contigit ut in pugnae certamine miles ante ducis sui 575 oculos constitutus, hostili virtuti turpiter cedat, et enerviter praebens terga feriat: qui tamen hoc ipsum quod turpiter gessit erubescens, ante ducis sui oculos majores ex ipsa verecundia vires sumit, tantoque post fortia exercet, quantum et praesentem gloriam virtutis peragat, et praeteritam ignominiam debilitatis tegat. Sic ergo nonnunquam quidam in Dei servitio ex anteacta acrius debilitate robarantur, eosque ad custodienda mandata et futurorum trahit desiderium, et impellit memoria praeteritorum, ut hinc ad ventura amor provocet, illinc de praeteritis verecundia instiget. [*Vet. XVI.*] Quos tamen adversarii Ecclesiae dum summis praeditos virtutibus viderint, eisque in praesenti vita unde derogent quia invenire nequaquam possunt, accusare illos de praeteritis moliuntur, sicut Moysen nostrum Manichaeus impetit, in quo

sequentium virtutum gratiam, transacti homicidii conatur culpa foedare. In quo non attendit postmodum quam patiens ad sustinendum, sed prius quam praeceps ad feriendum fuerit. Talibus ergo adversariis beatus Job subtilissima consideratione obvians, postquam dixit: *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur*, apte subdidit:

CAPUT XXVII [*Rec. XVI*].

VERS. 2.---*Ferrum de terra tollitur.*

44. *Non est intuendum quid per se sint Ecclesiae doctores, sed quid per gratiam evaserint.*---Solent haeretici de justitiae suae contra nos elatione gloriari, atque opera sua ostentationis inflatione jactare, nosque iniquos, ut diximus, aut esse, aut fuisse criminantur. Per humillimam ergo confessionem, et veracem defensionem contra eos vir sanctus loquitur, dicens: *Ferrum de terra tollitur*. Ac si aperte dicat: Fortes viri, qui acutissimis linguarum gladiis in hac acie defendendae fidei ferrum fiunt, aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Sed de terra ferrum tollitur (**Dist. L, c. 18**), cum fortis propugnator Ecclesiae a terrena quam prius tenuit actione separatur. Non ergo in eo debet despici quidquid fuit, qui jam coepit esse quod non fuit. An non Matthaeus in terra inventus est, qui terrenis negotiis implicatus telonii usibus serviebat (**Matth. IX, 9**)? Sed de

terra sublatus, in fortitudinem ferri convaluit, cujus videlicet lingua quasi acutissimo gladio Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit; et qui infirmus prius despectusque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad coelestia praedicamenta. Unde adhuc subjungitur:

CAPUT XXVIII [*Rec. XVII*].

IBID.---*Et lapis solutus calore, in aes vertitur.*

45. *Gratiae infusione cor emollitur ad amorem, et roboratur ad operationem.*---Tunc lapis calore solvitur, cum cor durum atque a divini amoris igne frigidum eodem divini amoris igne tangitur, et in fervore spiritus liquatur, ut ad sequentem vitam desideriorum aestu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat. [*Vet. XVII.*] Ex quo ardore scilicet, et emollitur ad amorem, et roboratur ad operationem, ut sicut prius durus fuerat in amore saeculi, ita se postmodum fortem exerat in amorem Dei; et quod ante audire renuebat, jam et credere et praedicare incipiat. *Lapis ergo solutus calore, 576 in aes vertitur*, quia dura mens superni amoris igne liquefacta ad veram fortitudinem commutatur, ut peccator, qui prius insensibilis exstiterat, postmodum et per auctoritatem fortis et per praedicationem sonorus fiat. Quod bene per Isaiam dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem (Isai. XL, 31)*. Fortitudinem mutamus, cum conversi tanta virtute praesens saeculum fugimus quanta hoc

ante quaerebamus. Quia autem male ab adversariis catholicorum moribus ante acta vita reputatur, recte subditur:

CAPUT XXIX.

VERS. 3.---*Tempus posuit tenebris et universorum finem ipse considerat.*

46. *Deus electorum et reproborum finem intuetur. Bona facit et ordinat; mala non facit, sed ordinat.*--- Ipse posuit tempus tenebris, iniquis videlicet modum quo iniqui esse desistant. Unde eis per Apostolum dicitur: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Sicut aliis quoque discipulis isdem doctor egregius dicit: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.* (**Ephes. V, 8; Rom. XIII, 12**). Unde et in Canticis canticorum Ecclesia veniente dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens* (**Cant. VI, 9**)? Apte enim Ecclesia aurorae comparata describitur, quae per cognitionem fidei a peccatorum suorum tenebris in clara luce justitiae commutatur. *Tempus ergo posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat.* Universorum nomine, et electos voluit et reprobos comprehendere. Nam bona faciens et ordinans Deus, mala vero non faciens, sed ab iniquis facta ne inordinate eveniant ipse disponens, considerat universorum finem, et patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutantur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quod do malo opere dignum se trahantur

ad supplicium. Vidit finem persequentis Sauli, quo prostratus diceret: *Domine, quid me vis facere (Act. IX, 6)*? Vidit finem quasi obsequentis discipuli, quod pro commisso scelere guttur laqueo stringeret, seque et peccantem puniret, et deterius puniendo deciperet. Vidit Ninivitas delinquentes, sed consideravit finem delinquentium poenitentiam correctorum. Vidit quoque Sodomam delinquentem, sed consideravit finem ardoris luxuriae, ignem gehennae. Vidit gentilitatis finem, quod possessa iniquitatum tenebris, quandoque fidei luce claresceret. Vidit etiam Judaeae terminum, quod ab ea luce fidei quam tenebat obduratae perfidiae se tenebris caecaret. Unde adhuc congrue subditur:

CAPUT XXX [*Rec. XVIII*].

IBID. VERS. 4.---*Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante.*

47. *Probos et malos ignis in extremo judicio dividet.* --- Quid durus ille perfidia Judaeorum populus, qui auctorem vitae per fidem videre noluit, quem per prophetiam praedixit, nisi lapis caliginis fuit? quia et crudelitate durus exstitit, et infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo umbra mortis dicitur. Umbra quippe talis exprimitur, qualia ejus rei, de qua trahitur, fuerint lineamenta. Quis autem mortis nomine, nisi diabolus vocatur? De quo per quamdam ministri sui significationem 577 dicitur: *Et nomen illi mors (Apoc. VI, 8)*. Cujus ille populus umbra exstitit, quia iniquitatem illius sequens, ejus in se imaginem expressit. Quid vero torrentis

nomine, nisi ille a conspectu tremendi judicis per ultimum examen egrediens, atque electos et reprobos dividens ignis vocatur? Unde et per prophetam dicitur: *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus* (**Dan. VII, 10**).

[*Vet. XVIII, Rec. XIX.*] 48. *Peregrini sunt in mundo electi omnes.*---Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in coelestibus; et tanto magis se illic sperat invenire propria, quanto hic cuncta quae praetereunt esse a se deputat aliena? Peregrinus itaque est populus, omnium numerus electorum, qui hanc vitam quoddam sibi exsilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant, de quibus Paulus dicit: *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram* (**Hebr. XI, 13**). Qui enim haec dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (**II Cor. V, 6**). Hujus peregrinationis aerumnas satagebat evadere, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse* (**Philip. I, 23**). Et rursum: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (**Ibid. I, 21**). Hujus peregrinationis pondus grave sentiebat Psalmista, cum diceret: *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (**Psal. CXIX, 5**). Ab hac eripi quantocius anhelabat, cum supernis desideriis flagrans diceret; *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (**Psal. XLI, 3**)? Sed hoc desiderium nesciunt qui cor in terrenis voluptatibus defigunt. Dum enim sola quae sunt visibilia diligunt, profecto invisibilia, vel si credunt esse, non

diligunt, quia dum nimis se exterius sequuntur, etiam mente carnales fiunt. Simul enim in hac vita uterque populus currit, sed non simul ad perpetuam pervenit, quia *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante*. Ac si aperte dicat: Eos quos modo vel infidelitas excaecat, vel crudelitas obdurat, flammarum fluvius a conspectu aeterni iudicis exiens, ab electorum tunc populo separat, ut tunc a bonis ignis districti examinis dividat quos nunc in suis concupiscentiis tenebrae vitiorum excaecant.

49. *Irrigatio praedicationis tanquam torrens dividit bonos a malis.*---Potest fortasse in torrentis nomine ipsa irrigatio sanctae praedicationis intelligi, juxta id quod per Salomonem dicitur: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suae, effodiant illum corvi de torrentibus (Prov. XXX, 17)*. Perversi quippe dum divina judicia reprehendunt, subsannant patrem. Et quilibet haeretici dum praedicationem sanctae Ecclesiae fecunditatemque illius deridendo contemnunt, quid aliud quam partum matris despiciunt? Quam non immerito eorum quoque matrem dicimus, quia de ipsa exeunt, qui contra ipsam loquuntur; Joanne attestante, qui ait: *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum (I Joan. II, 19)*. Corvi vero de torrentibus veniunt, cum praedicatores veri ad defensionem sanctae Ecclesiae a sacrorum librorum fluentis procedunt. Qui etiam recte corvi vocati sunt, quia nequaquam de justitiae suae luce superbiunt, **578** sed per humilitatis gratiam peccatorum in se nigredinem confitentur. Unde etiam ab electorum Ecclesia dicitur: *Nigra sum, sed formosa (Cant. I, 4)*. Et Joannes ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (I Joan. I, 8)*. Qui videlicet

corvi subsannantis oculum effodiunt, quia pravorum ac pervicacium hominum intentionem vincunt. Ex hoc itaque testimonio, si hic quoque torrens praedicatio debet intelligi, *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante*, qui sanctorum praedicatio obduratas mentes reproborum deserit, et ad pia humilium se corda convertit. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXXI [*Vet. XIX*].

VERS. 4.---*Eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios.*

50. *Judaeis relictis, ad gentiles defluxit.*---Quis hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur: *Qui propter nos egenus factus est, cum dives esset (II Cor. VIII, 9)*? Cujus videlicet egentis hominis pedes sancti praedicatores fuerunt, per quorum profecto praesentiam gentilitatem circumiens, mundum perambulavit universum. De quibus per prophetam dicitur: *Et inambulabo in eis (Levit. XXVI, 12; II Cor. VI, 16)*. An pes ejus non erat, qui tentus in compedibus dicebat: *Pro quo legatione fungor in catena (Ephes. VI, 20)*? Sed eorum qui umbra mortis et lapis caliginis exstiterunt, pes hominis egentis oblitus est, quia in ipso initio nascentis Ecclesiae, dum sancti apostoli coelorum regnum Judaeae praedicare voluissent, videntes quod ei nihil omnino proficerent, ad praedicandum gentibus defluerunt, sicut ipsi in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act.*

XIII, 46). De quibus et per Psalmistam dicitur: *Transferentur montes in cor maris (Psal. XLV, 3)*, quia repulsi a Judaea apostoli in hoc gentilitatis saeculum translati sunt. Qui sunt ergo qui immensa duritia pro obscuritate cordis, quasi quidam lapis caliginis et umbra mortis, a peregrinante sanctorum populo dividuntur, nisi hi quos pes egentis hominis est oblitus, id est quos praedicatores Domini, videlicet per humanitatem pauperis, pro superbiae suae tumore reliquerunt, eorumque omnino obliti sunt, dum praedicationis suae semina ad solam fructificationem gentium transtulerunt? Quos recte quoque et invios vocat, quia dum in infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitae ad cor viam praebere noluerunt. Sed Judaea haec, quae sic obduruit, vel qualis dudum fuerit, vel quid post pertulerit, audiamus. Sequitur:

CAPUT XXXII.

VERS. 5.---*Terra de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est.*

51. *Synagoga quae legis scripturarumque panem ministrabat, invidia conflagrans, destructa est.*---Panem Judaea dare consueverat, quae legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere jam reprobi atque explanare non poterant, propheta Jeremias in lamentis deplorat, dicens: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (Thren. IV, 4)*. Sed haec terra in loco suo igne subversa est, quia fidelium signa conspiciens, invidiae se face concremavit. Quia enim semper invidia de superbia nasci

solet, in loco suo igne periit, quae idcirco arsit invidia, quia superbiam non reliquit. Terra ergo quae prius panem habuit, post igne subversa est, quoniam synagoga, quae **579** mandata Dei per legem protulit, nascentem Ecclesiam persequens, invidiae se igne consumpsit. An non aemulationis suae facibus ardebat, cum Redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos diceret: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vel certe: *Videtis quia nihil proficimus, ecce totus mundus post eum vadit* (**Joan. XI, 47**). Videbant unde converti debuerant, atque exinde perversiores fiebant. Quaerebant extinguere quem cernebant mortuos vivificare. In ore tenebant legem, sed legis persequabantur auctorem. *Terra ergo de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est*, quia Judaea in semetipsa et prius habuit legem quae reficeret, et post invidiam quae concremaret. De cujus adhuc descriptione subjungitur:

CAPUT XXXIII.

VERS. 6.---*Locus sapphiri lapides ejus, et glebae illius aurum.*

52. *Auget Judaeorum casum, donorum et gratiarum quibus prius ornati sunt, copia.*---Auget reatum culpae sequentis praeconium gloriae praecedentis. Nam uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto priusquam caderet majoris potuit esse virtutis. Dicatur ergo Judaea, dicatur quid fuerit, et praecedentium magnitudo virtutum crescat ad cumulum sequentium delictorum. *Locus sapphiri lapides ejus, et glebae*

illius aurum. Quid enim hoc loco per lapides, nisi sanctorum ac fortium mentes accipimus? (**Vet. XX**). In Scriptura etenim sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono accipi solent. Nam cum lapis pro insensibilitate ponitur, dura per lapides corda signantur. Unde et per Joannem dicitur: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (**Matth. III, 9**). Qui videlicet nomine lapidum corda gentilium designat, dura tunc atque insensibilia per infidelitatem. Et per prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* (**Ezech. XI, 19**). Rursum per lapides mentes fortium designari solent. Unde et per Petrum sanctis dicitur: *Et vos tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritalis* (**I Petr. II, 5**). Et per prophetam Dominus venienti Ecclesiae pollicetur, dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos; et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, universos filios tuos doctos a Domino* (**Isai. LIV, 11**). Stravit namque in illa per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent, quia robur Ecclesiae in animabus coelestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit, quia illi contra adversarios pro sanctae Ecclesiae defensione objecti sunt, qui, internis desideriis virentes, nulla teporis reprobis ariditate marcescunt. Portas vero ejus posuit in lapides sculptos. Hi quippe portae sunt Ecclesiae, per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo etiam quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, non puri, sed sculpti

lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur quod egerunt. Ubi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens, subdidit: *Omnes terminos tuos in lapides 580 desiderabiles (Ibid. LIV, 12)*. Et, tanquam si audientes ista peteremus ut hos lapides quos diceret indicaret, adjunxit: *Universos filios tuos doctos a Domino*. Quia igitur de Judaea nunquam sanctae animae, quae coelestem vitam ducerent defuerunt, dicitur: *Locus sapphiri lapides ejus*. Et quia magna vitae ac sapientiae claritate per fidem fulsit, adjungitur: *Et glebae illius aurum*. Quid per glebas, nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebae autem ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui, rore gratiae infusi, ex mortis debito se pulverem esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitae virtute clarescerent, quasi aureae in illa glebae jacuerunt. Glebas haec terra habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in Patribus antiquis, qui magna se infusione gratiae in professionis et operis unanimitate tenuerunt. Dicat ergo: *Et glebae illius aurum*, quia in ea multitudo spiritualium tanto majori virtute clauit, quanto se in Deum ac proximum majori unanimitate constrinxit.

53. *Aurum quo fulgebant, perfidiae tenebris obscuratum*.--- Sed hoc aurum perfidiae est postmodum tenebris obscuratum. Cujus profecto nigredinem Jeremias propheta intuens deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (Thren. IV, 1)*? Aurum namque obscuratum est, quia in eis antiquus ille fidei atque innocentiae splendor, irruente perfidia, malitiae se nocte fuscavit. Quia igitur quid fuit audivimus: *Locus scilicet sapphiri lapides ejus, et glebae*

illius aurum, nunc jam dilectus ille Deo populus cur tanta haec bona perdiderit audiamus. Sequitur.

CAPUT XXXIV [*Vet. XXI*].

VERS. 7.---*Semitam ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis.*

54. *Humilitatis Christi vias ignorantes, ejus mortis fructum amiserunt.*---Quis hoc loco avis nomine, nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad aethera libravit? Qui apte quoque etiam vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si jacens cadaver conspicit, ad esum se cadaveris deponit; et plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis venit. Recte ergo mediator Dei et hominum redemptor noster vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine divinitatis suae, quasi a quodam volatu sublimi cadaver mortalitatis nostrae conspexit in infimis, et sese de coelestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est, et dum mortuum animal petiit, mortem apud nos qui apud se erat immortalis invenit. Sed hujus vulturis oculus fuit ipsa intentio nostrae resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus, ab aeterna nos morte liberavit. Ille ergo perfidus Judaeae populus mortalem vidit; sed quomodo morte sua nostram mortem destrueret, minime attendit. Conspectum quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit. Qui dum humilitatis ejus vias quibus nos ad alta sublevavit considerare noluit, semitam avis ignoravit. Neque enim pensare studuit quod ejus

nos humilitas levaret ad coelestia et mortis ejus intentio reformaret ad vitam. *Semitam igitur ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis*, quia etsi vidit eum quem in morte tenuit, videre noluit quanta vitam nostram gloria de ejus morte sequeretur. Unde et ad crudelitatem quoque persecutionis exarsit, verba vitae **581** recipere renuit, praedicatores regni coelorum prohibendo, saeviendo, feriendo repulit. Qui scilicet repulsi Judaeam ad quam missi fuerant deserentes, in gentilitatis collectionem dispersi sunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXXV [*Rec. XX*].

VERS. 8.---*Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leaena.*

55. *Apostoli eorumque successores Judaeam deseruerunt et gentilium conversioni insudarunt.*--- In cunctis Latinis Codicibus institutores positos reperimus, in Graecis vero negotiatores invenimus. Ex qua re colligi valet quod in hoc loco pro institoribus institutores scriptores quique ignorando posuerunt. Institores enim negotiatores dicimus, pro eo quod exercendo operi insistunt. Sed uterque sermo licet in voce dissonet, in intellectu non discrepat, quia omnes qui fidelium mores instituunt, spiritale negotium gerunt, ut cum praedicationem suis auditoribus praebent, ab eis fidem et opera recta percipiant, sicut de sancta Ecclesia scriptum est; *Sindonem fecit et vendidit (Prov. XXXI, 24)*; de qua et paulo post illic dicitur: *Vidit quod bona est negotiatio*

ejus (Ibid. XXXI, 18). Qui hoc loco institutores nisi prophetae sancti vocati sunt, qui synagogae mores ad fidem instituere curaverunt prophetando? Quorum nimirum filii sancti apostoli nuncupantur, qui ut Deum hominem crederent, ad eandem fidem ex eorum sunt praedicatione generati. De quibus Ecclesiae per Psalmistam dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram (Psal. XLIV, 17).* Sed quia repulsi apostoli a synagogae finibus sunt egressi, recte nunc dicitur: *Non calcaverunt eam filii institorum.* Calcarent quippe eam institorum filii, si praedicatores sancti ejusdem synagogae vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem sanctae Ecclesiae praedicatores accipimus, institorum filios pastores et doctores, qui apostolorum viam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui Synagogam minime calcaverunt, quia dum eorum patres, id est apostoli, ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab ejus vocatione cessaverunt.

[*Vet. XXII.*] 56. *Synagoga relictā, gentibus colligendis Ecclesia studuit.*---Per quam videlicet Synagogam leaena non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita nequaquam sese ad illum Judaeae populum diutius occupavit. Recte autem Ecclesia leaena nuncupatur, quia male viventes in vitiis, ore sanctae praedicationis interficit. Unde et ipsi primo pastori quasi hujus leaenae ori dicitur: *Macta et manduca (Act. X, 13).* Quod mactatur quippe a vita occiditur, id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato eos in quo vivunt interfice, et a seipsis illos in tua membra converte. Et quia haec Ecclesia corpus est Domini, ipse etiam Dominus Jacob voce leo vocatur ex se, leaena vocatur ex corpore, dum

ei sub Judae specie dicitur: *Ad praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena; 582 quis suscitabit eum (Genes. XLIX, 9)?* Haec igitur leaena nequaquam dicitur, quia per Judaeam non transiit, sed non pertransiit. Apostolis namque praedicantibus prius ex illa tria millia, postmodum quinque millia crediderunt. Ecclesia itaque per Synagogam transiit, sed non pertransiit, quia ex illa ad fidem paucos rapuit, sed tamen illum infidelem populum a perfidia funditus non exstinxit. Sed, quod saepe jam diximus, repulsa ab infidelitate Judaeorum, deflexit ad vocationem gentium. Unde adhuc de eadem leaena dicitur:

CAPUT XXXVI.

VERS. 9.---*Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes.*

57. *Quarum duritiam emollivit, et superbiam stravit.*---Manum quippe ad silicem extendit, quia ad duritiam gentium suae brachium praedicationis misit. Unde et idem beatus Job passionis suae historiam praesciens gentibus innotescendam, dicit: *Scribantur haec stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe sculpantur in silice (Job. XIX, 24).* Qui vero hoc in loco montes, nisi hujus saeculi potentes accipimus, qui pro terrena substantia altum tument? De quibus Psalmista ait: *Tange montes, et fumigabunt (Psal. CXLIII, 5).* Sed montes a radicibus sunt eversi, quia, praedicante sancta Ecclesia, summae hujus saeculi potestates in adoratum omnipotentis Dei ab intima cogitatione ceciderunt. Radices enim montium

cogitationes sunt intimae superborum. Et a radicibus montes cadunt, quia ad colendum Deum potestates saeculi ab imis cogitationibus prosternuntur. Recte etenim per radicem cogitatio occulta signatur, quia per hoc quod intus non cernitur, erumpit quod videatur foris. Unde et in bonam partem per prophetam dicitur: *Emittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum (Isai. XXXVII, 31)*. Ac si aperte diceretur: In imis cogitatio nascitur, ut in summis retributio reddatur. Dicat ergo: *Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes*, quia dum duritiam gentium sancta praedicatio petiit, superborum altitudinem funditus stravit. Quia vero eos quos a cogitationibus terrenis evacuat donis coelestibus replet, et quos infimis curis exhaurit supernis rigat fluentis, mox subditur:

CAPUT XXXVII.

VERS. 10.---*In petris rivos excidit.*

58. *In saxeis gentilium cordibus Deus fluvios praedicationis aperuit.*---Id est, in duris gentilium cordibus fluvios praedicationis aperuit, sicut per prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium: *Posuit desertum in stagnum aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum (Psal. CVI, 35)*. Atque in Evangelio promittit Dominus, dicens: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquae vivae de ventre ejus fluent (Joan. VII, 88)*. Quod promissum tunc audivimus, etiam nunc completum

videmus. Ecce enim in sanctis praedicatoribus, et non ex Judaea progenitis, per cunctam Ecclesiam toto orbe diffusam, fluenta caelestium mandatorum ubertim manant ore gentilium. Quia enim in petris rivos aperuit, ex duris quoque **583** cordibus fluvius sanctae praedicationis emanavit. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

IBID.---*Et omne pretiosum vidit oculus ejus.*

59. *Vilis Deo est mundus, et pretiosae animae quas elegit.*--- Sciendum magnopere est quia tanto unaquaeque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto prae amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel (I Reg. XV, 17)?* Ac si aperte diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Unde et per prophetam dicitur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Isai. V, 21).* Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi: *Quia humilia respicit, et alta a longe cognoscit (Psal. CXXXVII, 6).* [*Vet. XXIII.*] *Omne itaque pretiosum vidit oculus ejus.* In Scriptura sacra videre Dei, aliquando pro eligere ponitur, sicut in Evangelio scriptum est: *Cum esses sub ficu, vidi te (Joan. I, 48);* id est, positum te sub umbra legis elegi. Vidit ergo pretiosum quia humilia elegit: *Infirma enim mundi elegit Deus, ut*

confunderet fortia (I Cor. I, 27). Vidit pretiosum, cum humanam animam de se abjecta sapientem gratiae suae illustratione respexit. De qua videlicet anima per prophetam dicitur: Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (Jerem. XV, 19). Vilis quippe Deo est mundus praesens, pretiosa vero ei est anima humana. Qui ergo pretiosum a vili separat, quasi os Domini vocatur, quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore praesentis saeculi loquendo quae potest, humanam animam evellit. Et quia novi Testamenti doctores ad hoc usque perducti sunt, ut occultas quoque allegariarum caligines in veteri Testamento rimentur, recte subditur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXI*].

VERS. 11.---*Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem.*

60. *Deus doctoribus sacris profunda et abscondita legis ac prophetarum revelavit.*---Quid namque hic aliud flumina nisi antiquorum Patrum dicta nuncupantur? Quis enim pensare sufficiat quam vehemens fluvius, dum legem conderet, ex pectore Moysi erupit quam vehemens fluvius ex David corde defluxit; quanta a Salomonis ore atque omnium prophetarum fluminum fluenta manarunt? Sed horum fluminum Judaea speciem tenuit, dum litterae superficiem servans, eorum profunda nescivit. Nos vero qui veniente Domino in eis interna spiritalia quaerimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere ipso donante

praevalemus. Per nos ergo qui non litteram quae occidit, sed spiritum qui vivificat sequimur, profunda fluviorum Dominus scrutatur, et abscondita in lucem producit, quia dicta legis, quae caliginosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritalis illuminat. Unde et loquens in parabolis per Evangelium Veritas discipulis praecepit, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta* (**Matth. X, 27**). Aperte namque dicta exponentium fecerunt nobis esse jam conspicuas sententias antiquorum Patrum. Unde Isaias propheta plana sanctae Ecclesiae expositionis verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscura, exclamavit dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes*. (**Isai. XXXIII. 21**). Testamenti enim veteris dicta quasi angusti et clausi rivi fuerant, qui immensas **584** scientiae suae sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctae Ecclesiae rivi et lati et patentes sunt, quia ejus dicta et invenientibus multa sunt et quaerentibus plana. Ait ergo: *Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem*. Quia dum suis expositoribus intelligentiae spiritum infudit, antiquas prophetantium obscuritates aperuit. Et hoc jam sancta Ecclesia per spiritum agnoscit, quod Synagoga prius per litteram intelligere omnino non valuit. Unde et Moyses cum populo loqueretur (**Exod. XXXIV, 33**), faciem velabat, ut videlicet designaret quod ille Judaeorum populus legis verba cognosceret, sed ejusdem claritatem legis omnimodo non videret. Unde recte et per Paulum dicitur: *Usque in hodiernum enim diem cum legitur Moyses, velamen est positum super eorum eorum* (**II Cor. III, 15**). Sed quia dicta Dei nullatenus sine ejus sapientia penetrantur (nisi enim qui spiritum ejus acceperit, ejus nullo modo verba

cognoscit), sanctus vir de investiganda eadem Dei sapientia verba subjungit, dicens:

CAPUT XL [*Vet. XXIV, Rec. XXII*].

VERS. 12-15.---*Sapientia vero ubi invenitur, et quis est locus intelligentiae? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit, Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.*

61. *Sapientiae Dei locus et pretium assignari non possunt.*--- Notandum prius est quod duo sibi proposuit, et duo subdit respondendo. Ad id namque quod superius dixit: *Sapientia vero ubi invenitur, et quis est locus intelligentiae?* Isto versu respondit: *Abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum.* Ad id vero quod dixerat: *Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium,* inferiorem versum reddidit, dicens: *Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.* Ad utraque ergo respondit, sed augendo quod objecerat, non solvendo. Cum sapientiae namque locum quaereret, ac deinde inferius responderet: *Abyssus dicit: Non est in me,* non ubi esset, sed ubi non esset indicavit. Rursus cum ab homine ejus pretium diceret ignorari, atque ad hoc inferius redderet: *Non dabitur aurum obryzum pro ea,* non quid esset ejus pretium, sed quid non esset ostendit. Cunctis autem liquet quod neque haec humana sapientia vel teneri loco, vel emi divitiis potest. Sed vir sanctus, mysticis sensibus plenus, ad alia nos intelligenda

transmittit, ut non creatam sed creantem sapientiam requiramus. Nam nisi in verbis istis allegoriarum secreta rimemur, ea utique quae sequuntur omnino sunt digna despectu, si ex sola historica narratione pensentur. Paulo post namque dicit: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum*. Et cum, sicut novimus, vitrum longe atque dissimiliter auro sit vilius, cur post auri nomen, metalli utique pretiosi, pro immensa laude vitrum quoque dixit sapientiae non aequari? Ipsa ergo litterae difficultate compellimur, ut ad sententias horum verborum mysticas vigilemus. Vir itaque sanctus quam sapientiam contemplatur, nisi eam de qua Paulus apostolus dicit: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (I Cor. I, 24)*? De qua per Salomonem scriptum est: *Sapientia aedificavit sibi domum (Prov. IX, 1)*; et de qua Psalmista ait: *Omnia in sapientia fecisti (Psal. CIII, 24)*. Hujus nimirum **585** sapientiae homo pretium nescit, quia nihil dignum aestimatione illius invenit. Non autem hoc sapientiae pretium et esse dicitur et nesciri, sed idcirco nesciri, quia deest: eo scilicet loquendi genere, quo in angustiis quisque deprehensus, cum remedium subventionis non invenit, fateri solet quia quid faciat nescit.

62. *Nullius boni operis merito debetur.*---Hujus ergo sapientiae pretium nescire, est digni operis meritum quo illam percipiat non invenire. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice rem quam appetimus possidere debeamus. Quid autem nos dedimus ut hanc sapientiam, quae Christus est (**Rom. XI, 6**), percipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Illa namque sola opera male vivendo dedimus, quibus si justa retributio servaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Sed aliud homo per justitiam meruit, aliud per gratiam

accepit. Testetur Paulus, priusquam mens illius semen gratuitae veritatis acciperet, quibus sentibus premeretur erroris: *Qui prius, inquit, fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I Tim. I, 13).* Testetur pro qualibus Christus mori dignatus est: *Cum adhuc, inquit, peccatores essemus, secundum tempus Christus pro impiis mortuus est (Rom. V, 8).* Qui ergo veniente sapientia impii inventi sumus, quid boni operis dedimus, quo accipere eandem sapientiam mereremur? Hujus itaque sapientiae homo pretium nescit, quia quisquis a brutis animalibus rationis intellectu discretus est, quoniam quod suis meritis non sit salvatus intelligit, nihil se dedisse boni operis ut ad fidem veniret agnoscit. Quasi enim ad percipiendam sapientiam pretium dare est cognoscendum Deum actionis suae mercede praevenire.

63. *Gratia gratis datur, non ex meritis.*---Non esse hujus sapientiae pretium cognoverat, qui dicebat: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? (Rom. XI, 35).* Hinc iterum scriptum est: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ut ne quis gloriatur (Ephes. II, 8).* Hinc de semetipso iterum loquitur, dicens: *Gratia Dei sum id quod sum (I Cor. XV, 10).* Ex cujus nimirum aspiratione gratiae, quia virtutum opera protinus in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam retributio aeterna respondeat, illico adjecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit (Ibid. XV, 10).* [*Vet. XXV.*] Sed sunt nonnulli qui sanos se suis viribus exsultant, suisque praecedentibus meritis redemptos se esse gloriantur. Quorum profecto assertio invenitur sibimetipsis contraria,

quia dum et innocentes se asserunt, et redemptos, hoc ipsum in se redemptionis nomen evacuant. Omnis namque qui redimitur, ex aliqua procul dubio captivitate liberatur. Unde ergo quilibet iste redemptus est, si prius non fuit sub culpa captivus? Liquet itaque quia multum desipit quisquis haec sapit. Hominis quippe meritum superna gratia non ut veniat invenit, sed postquam venerit, facit; atque et ad indignam mentem veniens Deus, dignam **586** sibi exhibet veniendo; et facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum invenerat quod puniret.

[Ret. XXIII.] 64. *Praedestinationis gratuita exemplum in latrone salutem consecuto.*---Libet inter haec mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce diaboli ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, et a patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce; et ille qui mortem fratri intulit, morientis Domini vitam praedicavit, dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (**Luc. XXIII, 42**). In cruce clavi manus ejus pedesque ligaverant, nihilque in eo a poenis liberum nisi cor et lingua remanserant. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut juxta hoc quod scriptum est: *Corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem* (**Rom. X, 10**). In corde autem fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas* (**I Cor. XIII, 13**). Quas cunctas subita repletus gratia et accepit latro, et servavit in cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit: spem habuit qui regni ejus aditum postulavit, dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum*

tuum (Luc. XXIII, 42). Charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem et collatronem pro simili scelere morientem, et de iniquitate sua arguit, et ei vitam quam cognoverat praedicavit dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem es damnatione. Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit (Ibid., 40).* Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant apostoli eum quem miracula viderant divina virtute facientem.

[*Vet. XXVI.*] 65. *Error eorum qui salvari hominem propriis viribus astruunt.*---Sed hi qui salvari hominem propriis viribus astruunt, eandem confessionem hominis ab ipsius esse hominis virtute suspicantur. Quod si ita esset, in Dei laude Psalmista non diceret: *Confessio et magnificentia opus ejus (Psal. CX, 3).* Ab eo itaque accipimus recta confiteri, a quo nobis et magna datur operari. Quia ergo nil boni operis dedimus quo hanc sapientiam percipere mereremur, dicatur recte: *Nescit homo pretium ejus,* quoniam quisquis jam ratione utitur, tanto altius sub hujus sapientiae intellectu se despicit, quanto ejusdem sapientiae verius interna cognoscit, ut indignum se ad hanc pervenisse videat, per quam gratuito agitur ut dignus fiat. De qua bene mox subditur.

CAPUT XLI [*Rec. XXIV*].

VERS. 13.---*Nec in terra suaviter viventium.*

66. *Quisquis hujus vitae voluptatibus pascitur, ab aeternae sapientiae intellectu separatur.*---Quid hoc in loco terrae signatur nomine, nisi anima humana? De qua Psalmista dicit: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi (Psal. CXLII, 6).* Haec autem sapientia inveniri in terra suaviter viventium non valet, quia quisquis adhuc hujus vitae voluptatibus pascitur, ab aeternae sapientiae intellectu separatur. Nam si vere saperet, expulsus ab internis gaudiis, de ea in quam **587** cecidit, exsilii sui caecitate lugeret. Hinc namque per Salomonem dicitur: *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem (Eccle. I, 18),* quia quanto plus homo coeperit scire quid perdidit, tanto plus lugere incipit corruptionis suae sententiam quam invenit. Considerat namque unde quo lapsus est; quod a paradisi gaudiis ad aerumnas vitae praesentis, ab angelorum societatibus venit ad curas necessitatum; pensat in quot jam periculis jacet, qui prius sine periculo stare contempsit; luget exilium quod damnatus patitur, et suspirat ad coelestis gloriae statum, quo perfrui securus posset si peccare noluisset. Quod bene Psalmista considerans, ait: *Ego dixi in pavore meo: Projectus sum a vultu oculorum tuorum (Psal, XXX, 23).* Contemplatus quippe interna gaudia visionis Dei, et socialem frequentiam angelorum persistentium, reduxit oculos ad ima, vidit quo jaceret, qui ad hoc conditus fuerat, ut in coelestibus stare potuisset; pensavit ubi esset, et quo deesset ingemuit; projectumque se a vultu oculorum Dei doluit, quia in comparatione lucis intimae graviores senserat exsilii sui tenebras quas tolerabat [*Vet. XXVII*]. Hinc est quod ad animum suum ex praesenti vita nullius gratiae consolationem admittit, dicens: *Negavi consolari animam meam (Psal. LXXVI, 3).* Nam plerumque hujus saeculi divites solent

mentis taedio affecti, bona temporaliter accepta conspiciere, et tristitiam delinire. Cum enim moerore quodam se tangi sentiunt, equos aspiciunt, auri argentique sui vascula contemplantur, praedia circumeunt. Cumque per haec temporalia oculos libenter trahunt, obortum animae moerorem vincunt. Unde eis et in Evangelio Veritas dicit: *Vae vobis divitibus, qui hic habetis consolationem vestram* (**Luc. VI, 24**). Sed sanctus vir qui hoc luget, quia ab aeternis gaudiis cecidit, consolationem de temporalibus non admittit, dicens: *Negavi consolari animam meam*. Ac si aperte dicat: Qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum. Cui tanquam si nos audientes ista diceremus: Quid igitur quaeris, qui consolari in his quae mundi sunt renuis? illico adjecit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (**Psal. LXXVI, 4**). Ac si aperte dicat: Terrenarum rerum me nec abundantia refovet, auctoris autem mei quem adhuc videre non valeo. vel sola memoria delectat. Haec est igitur amaritudo sapientiam, quia dum spe in alta erecti sunt, nullis hic gaudiis animum sternunt. Hinc enim scriptum est: *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia* (**Eccle. VII, 5**). Hinc Jacobus dicit: *Miseri estote, et lugete, et plorate, et risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem* (**Jac. IV, 9**). Hinc per semetipsam Veritas attestatur, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (**Matth, V, 5**). Inveniri ergo sapientia in eorum terra non potest, qui suaviter vivunt, quia tanto verius stulti sunt, quanto majora perdentes, in minimis laetantur. Hinc Petrus eandem pravorum stultitiam reprehendit, dicens: *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationis et maculae* (**II Pet. II, 13**). Hinc Salomon ait: *Risum deputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra*

deciperis (Eccle. II, 2). Dicat itaque vir sanctus de sapientia: *Nec invenitur in terra suaviter viventium*, quia nimirum qui in **588** hoc mundo suaviter vivunt ita adhuc stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciant, unde ceciderunt. Sequitur:

CAPUT XLII [*Rec. XXV*].

VERS. 14.---*Abyssus dicit, Non est in me.*

67. *A Dei sapientia sunt alieni, qui secundum carnem mundumque sapiunt.*---Quid hoc loco abyssum nisi corda hominum vocat? quae et per lapsum fluida et per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa. Quae nimirum abyssus non esse in se hanc sapientiam profitetur, quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritualia ostendit. Nam quia, teste Paulo, *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19)*, tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. De hac abyssu per Joannem dicitur: *Vidi angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua; et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, et satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumantur mille anni (Apoc. XX, 1).* Millenario etenim numero non quantitatem temporis, sed universitatem, qua regnat Ecclesia, designavit. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur, quia religatus a bonorum cordibus, apud reproborum mentes

reclusus, eis atrocius dominatur. Qui paulo post quoque de puteo abyssi educi describitur, quia de iniquorum cordibus nunc occulte saevientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate, in vim aperte persecutionis erumpet. Haec itaque abyssus, in qua nunc diabolus servatur occultus, non esse in se sapientiam dicit, quia alienam se a vera sapientia iniquis operibus ostendit. Dum enim malitiam quisque tegit in corde, ore autem blandimenta exhibet, dum cogitationes suas duplicitate obnubilat, dum puritatis verba quasi fatuitatem devitat, dum vias simplicis innocentiae declinat, quasi habere se abyssus Dei sapientiam recusat. Et quia huic mundo mentes deditae praesentis vitae curis et sollicitudinibus perturbantur, et idcirco ejusdem sapientiae tranquillitate perfrui nequaquam possunt, recte subjungitur:

CAPUT XLIII.

IBID.---*Et mare loquitur: Non est mecum.*

68. *Ea non fruuntur, qui terrenis distrahuntur curis.*---Quid enim maris nomine nisi saecularium mentium amara inquietudo signatur? Quae dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi adversantes se undae collidunt. Recte etenim mare vita saecularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internae sapientiae quiete atque stabilitate disjungitur. Quo contra bene per prophetam dicitur: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos (Isai.*

LXVI, 2)? A terrenis autem mentibus tanto longius spiritus fugit, quanto apud has quietem non invenit. Hinc est enim quod de quibusdam per Psalmistam dicitur: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt (Psal. XIII, 3)*. A qua nimirum contritione perturbationis nos Dominus revocat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam; tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (Matth. XI, 28)*. Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis aestuare? **589** aut quid hic quietius quam hujus saeculi nihil appetere? [*Vet. XXVIII.*] Hinc est quod Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere (**Exod. XVI, 29**); hinc e contra est Aegyptus muscarum multitudine percussa (**Exod. VIII, 21**). Populus namque qui Deum sequitur accipit sabbatum, id est requiem mentis, ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus vero quae hujus mundi speciem tenet muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum animal est. In qua quid aliud quam insolentes curae desideriorum carnalium designantur? Unde alias dicitur: *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti (Eccle. X, 1)*, quia cogitationes superfluae, quae assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. Aegyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimae desiderium non leventur. Unde cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium aestus ejicit, et post in eo

virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et surrexit puella* (**Matth. IX, 25**). Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna saecularium multitudo curarum, anima quae intrinsecus jacet mortua non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam non posse cognoscens, ait: *Et mare loquitur: Non est mecum*. Nullus quippe eam plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Unde et alias dicitur: *Sapientiam scribe in tempore otii, et qui minoratur actu, ipse percipiet eam* (**Eccli. XXXVIII, 25**). Et rursum: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (**Psal. LV, 11**).

[*Vet. XXIX.*] 69. *Nisi eis non terreno studio serviatur.*---Sed quid est quod plerosque antiquorum patrum novimus hanc sapientiam et intrinsecus vivaciter tenuisse, et curas mundi extrinsecus solemniter ministrasse (**Genes. XLII, 43, etc.**)? An perceptione hujus sapientiae Joseph privatum dicimus, qui famis tempore totius Aegypti curas suscipiens, non solum Aegyptiis alimenta praebuit, sed vitam quoque exterorum advenientium ministerii sui arte servavit? An ab hac sapientia Daniel alienus exstitit, qui a Chaldaeorum rege in Babylonia princeps magistratum effectus, tanto majoribus curis occupatus est, quanto et sublimiori dignitate omnibus praelatus (**Dan. II, 48**)? Cum igitur constet plerumque etiam

bonos non terreno studio terrenis curis implicari, patenter agnoscimus quia sic nonnunquam cives Jerusalem angarias solvunt Babyloniae, sicut saepe cives Babyloniae impendunt angarias Jerusalem. Nam sunt nonnulli qui verbum vitae pro sola sapientiae ostentatione praedicant, eleemosynarum opem pro appetitu vanae gloriae subministrant. Et quidem Jerusalem videntur esse quae agunt, sed **590** tamen Babyloniae cives sunt.

70. Deo soli vacare cupiendum est, et curis externis ex Dei voluntate serviendum.---Sic itaque aliquando contingit ut qui solam coelestem patriam diligunt, terrenae patriae curis subjacere videantur. Quorum tamen ministerium a pravorum operibus plerumque in actu, nonnunquam vero ante supernum judicem in sola cogitatione discernitur. Pleni quippe superna sapientia discernunt qualiter debeant et ad aliud vacare intrinsecus, et ad aliud extrinsecus occupari ut si forte occulta Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de hujus saeculi curis imponitur, cedant Deo quem diligunt, et prae amore ejus intrinsecus solam illius desiderent visionem; prae timore vero ejus impositam sibi extrinsecus humiliter expleant actionem, ut et vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, et rursum curas superimpositas ex conditione expleant servitutis. Cumque occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur; atque occupationum tumultus exterius perstrepenes dispensat interius praesidens judex ratio, et tranquillo moderamine ea quae circa se minus sunt tranquilla disponit. Sicut enim vigor mentis frenandis praeest motibus carnis, sic saepe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis, quia exteriores curae si perverso amore non appetuntur, non confuso, sed ordinato

animo ministrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt; et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant; sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, et exercent quod vitant. Intran enim ad cor suum, et ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei; seseque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis iugo divinae dispensationis. Quisquis vero talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, nunquam ad eius interiora perveniunt. Itaque agitur ut aliud intrinsecus voto, aliud extrinsecus teneatur officio; et hac sapientia non jam turbulenta atque confusa, sed tranquilla corda repleantur. Bene ergo de ea dicitur quia *Abyssus dicit: Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum*. Ac si aperte diceretur: Perturbatae mentes saecularium eo ipso clamant, quoniam a vera sapientia longe divisae sunt, quo quietae non sunt. Quia vero haec Dei sapientia manens cum Patre ante saecula incarnanda erat in fine saeculorum, ut ad redimendum genus humanum non sanctos angelos, non justos homines mitteret, sed in manifestatione visionis per semetipsam veniret, recte subjungitur:

CAPUT XLIV [*Rec. XXVI*].

VERS. 15.---*Non dabitur aurum obryzum pro ea.*

71. *Angeli ab omni labe mundi, non homines.*---Quid namque per aurum obryzum nisi sancti angeli designantur? Qui recte et aurum vocantur, et obryzum: aurum, quia fulgent claritate justitiae; obryzum, quia nullum habuerunt unquam contagium culpae. Homines vero justii quandiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (**Sap. IX, 15**). **591** Nam quamvis in hac vita ex magna justitiae claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent; Joanne Apostolo attestante, qui dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (**I Joan. I, 8**); et affirmante Jacobo, qui astruit, dicens: *In multis enim offendimus omnes* (**Jac. III, 2**). Propheta etiam deprecante, qui ait: *Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (**Psal. CXLII, 2**). Aurum ego obryzum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia perdurantes, et fulgent claritate justitiae, et nullis vel minimis maculantur sordibus culpae.

[*Vet. XXX.*] 72. *Nullus tamen angelorum ad redimendum hominem missus est, aut sufficit.*---Sed quia pro hac sapientia nullus angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his, quos in adiutorium hominum saepe apparuisse didicimus, angelis poneret, dictum est: *Non dabitur aurum obryzum pro ea*. Ac si aperte diceretur: Per semetipsam sapientia manifestabitur, ut humanum genus a culpa redimatur. Nullus vice ejus angelus mittitur, quia per creatorem necesse est ut creatura liberetur. Unde et in Evangelio Dominus dicit: *Si vos filius liberaverit, vere liberi*

eritis (Joan. VIII, 36). Sed vir sanctus, spiritu ejusdem sapientiae repletus, quosdam in Judaea praevidit non esse defuturos qui spem in legislatore ponerent, et suae salutis auctorem Moysen putarent, sicut et cuidam sanato maledicentes dicunt: Tu discipulus sis ejus, nos enim Moysi discipuli sumus (Joan. IX, 28). Unde adhuc congrue subinfertur:

CAPUT XLV.

IBID.---*Nec appendetur argentum in commutatione ejus.*

73. *Eorum qui Moysen aut quempiam sanctorum, suae salutis auctorem putant, insania.*---Quia enim argento saepe eloquia divina designantur possunt argenti vocabulo etiam ejusdem eloquii scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre, non quisquam veterum patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor exstitit. Argentum ergo in commutatione hujus sapientiae non appenditur, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione unigeniti Filii Dei nullius meriti fuisse pensantur, qui nisi hujus sapientiae servos se esse cognoscerent, sancti nullatenus fuissent. Ad hoc quippe illi missi sunt, ut in cordibus hominum viam huic sapientiae praedicando praepararent, neque ut pro ea, sed per eam subjectos populos regerent. Quia enim certum erat quod per accessum temporum deficientis saeculi languores excrescerent, actum est ut aeterna Dei sapientia in fine saeculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc et

nimiae infirmitatis aegrotum, id est per totum mundum jacens languidum genus humanum, ut transmissis prius praedicatoribus, quasi quibusdam visitoribus, tanto postmodum major veniret potentia medici, quanto magis morbus crevisset aegroti. Quia vero nullus vice ejus ad salvandos nos mittitur, dicatur recte: *Nec appendetur argentum in commutatione ejus*, quoniam vita justorum praedicantium quantalibet sanctitatis luce poileat, adventum nobis supernae **592** sapientiae per suam praesentiam non commutat. Sed fuere multi gentilium qui, mundi hujus sapientum disciplinis dediti, ea quae sunt inter homines honesta servarent, et salvandos servata honestate se crederent, nec jam mediatorem Dei et hominum quaererent, cum quasi sufficientem sibi philosophorum doctrinam tenerent. In quorum despectu mox subditur:

CAPUT XLVI [*Rec. XXVIII*].

VERS. 16.---*Non conferetur tinctis Indiae coloribus.*

74. *Quantum praestet Dei sapientia, fucatae nitore sermonis philosophioe.*---Quid enim per Indiam quae nigrum populum mittit, nisi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obscura generatur. Tincti autem colores indiae, sunt hujus mundi sapientes; qui quamvis per infidelitatem et plerumque per actionem foedi sint, ante humanos tamen oculos superductae honestatis colore fucantur. Sed coaeterna Dei sapientia tinctis Indiae coloribus non confertur, quia quisquis hanc veraciter intelligit, ab his hominibus quos

mundus sapientes coluit quam longe distet agnoscit. Ipsaque ejus mandatorum verba ab hujus mundi sapientibus differunt, qui dum intendunt eloquentiae, eorum dicta quasi pulchra apparent specie, et fucatione tincturae; et cum virtute rerum careant, aliud se esse quam sunt verborum compositionibus, quasi superductis coloribus, mentiuntur. At contra, doctrina sapientiae et praedicatione pulchra est, et pura veritate conspicua; nec aliud se per fallaciam praetendit exterius, et aliud reservat interius; neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. In mandatis igitur suis Dei sapientia non confertur tinctis Indiae coloribus, quia dum fucata eloquentiae ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctura placet. Quam fucationem tincturae bene Paulus despexerat, cum dicebat: *Quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus (I Cor. II, 13)*. Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquii tinctione fucare. Sequitur:

CAPUT XLVII.

IBID.---*Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.*

75. *Christo nullus aut hominum aut angelorum comparandus.*---Sardonychum, vel sapphirum, lapides pretiosos non esse quis nesciat? Et dum multi alii pretiosi sint lapides, qui longe istos aestimatione magnitudinis antecellant, cur sapphirus vel sardonychus potissimum pretiosus

nominatus est, cum uterque lapis iste aliorum lapidum comparatione vilissimus sit? nisi ut eos lapides qui pretiosi describuntur, dum pretiosos non esse cognoscimus, in eorum intelligentia aliud exquiramus. Sardonychus quippe terrae rubrae similitudinem tenet, sapphirus vero aeream habet speciem. Possunt ergo in sardonycho per terram rubram homines, in sapphiro autem per aeream visionem angeli designari. Nam cum rubrae terrae speciem lapis sardonychus habeat, non immerito hominem designat, quia et Adam, qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra nominatur. Quid est ergo quod dicitur, quia haec sapientia lapidi sardonycho, **593** vel sapphiro non confertur, nisi quod is qui est Dei virtus, et Dei sapientia, mediator scilicet Dei et hominum, homo Christus Jesus, tanta magnitudine excellat omnia, ut ei nec in terra primi homines, nec in coelo angeli comparentur? Unde et per Psalmistam, dicitur: *Quis in nubibus aequabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei (Psal. LXXXVIII, 7)?*

[Vet. XXXI.] 76. *Quantum apostoli caelibes antecellant veteris testamenti patres conjugatos.*---Possunt autem per sardonychum lapidem patres testamenti veteris, per sapphirum vero praedicatores exprimi testamenti novi. Illi quippe quamvis magnam iustitiae vitam tenerent, carnali tamen propagationi serviebant. Quia igitur constat quod quaedam terrena agerent, non immerito per sardonychum lapidem, qui, ut praediximus, terrae rubrae tenet speciem, designantur. Per sapphirum vero, qui aetherei est coloris, testamenti novi congrue praedicatores accepimus, qui carnalis propaginis desideria postponentes, coelestia sola sectati sunt. Unde et propheta, conspiciens cuncta carnis desideria sanctos

apostolos spiritali ardore transcendere, admiratus ait: *Qui sunt hi qui ut nubes volant (Isai. LX, 8)?* Ac si aperte dicat: Nos per terram gradimur, qui adhuc conjugiiis implicamur, et propagandae soboli opera carnis impendimus; isti vero in terra non ambulant, sed ut nubes volant, qui dum coelestia appetunt, de terrenis desideriis nihil tangunt. Ait ergo quia Dei sapientia sardonycho, vel sapphiro lapidi non confertur, ac si patenter insinuet, dicens: Ei qui homo inter homines cernitur, nec in antiquis quisquam, nec in novis patribus aequatur, quia ex Deitate habet quod in humanitate quemquam similem non habet. Unde adhuc subditur:

CAPUT XLVIII.

Vers. 17.---Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.

*77. Beati fulgebunt in coelo tanquam aurum, translucebunt ut vitrum.---*Quis hoc sanum sapiens juxta litteram sentire dignetur? Vitrum quippe, ut superius diximus, auro longe est vilius; et postquam dictum est quod aurum huic sapientiae non adaequatur, adhuc quasi crescendo subjungitur quod ei quoque nec vitrum possit aequari. Sed ipsa nos littera ab historico intellectu deficiens, ad indagandum allegoriae mysterium mittit. Auri namque metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero naturae est ut extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate luceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur absconditur; in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interiorius, talis exterius demonstratur, atque, ut ita dixerim, omnis liquor in

vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem et claritate fulgent, et puritate translucent? Quam Joannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat: *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civilas aurum mundum similis, vitro mundo (Apoc. XXI, 18)*. Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur.

78. *In eorum vultu intimi animi sensus conspiciuntur.*--- Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cum uniuscujusque vuitus attenditur, simul et conscientia penetratur, **594** hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. [*Vet. XXXII.*] Nunc autem corda nostra quandiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur, cui scilicet luto per passionem mentis inhaerere Propheta formidabat, cum diceret: *Eripe me de luto, ut non inhaeream (Psal. LXVIII, 15)*. Quod nimirum habitaculum corporum Paulus domum terrestrem nominat, dicens: (*Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis (II Cor. V, 1)*). In hac itaque terrestri domo quousque vivimus, ipsum, ut ita dicam, corruptionis nostrae parietem mentis oculis nullatenus penetramus, et vicissim in aliis videre occulta non possumus. Unde sancta Ecclesia

sponsi sui speciem videre in divinitate desiderans, nec tamen valens, quia aeternitatis illius formam quam intueri concupiverat ab ejus oculis assumpta humanitas abscondebat, in Canticis canticorum moerens dicit: *En ipse stat post parietem nostrum* (**Cant. II, 9**). Ac si aperte dicat: Ego hunc in divinitatis suae jam specie videre desidero, sed adhuc a visione illius per assumptae carnis parietem excludor. Quousque itaque in hac corruptibili carne vivimus, cogitationes nostras in alterutrum non videmus. Unde rursum per eundem Paulum dicitur: *Quis scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* [**I Cor. II, 11**]? Et rursum: *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (**I Cor. IV, 5**). Illa itaque civitas quae sua vicissim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo, ut designetur auro clara, vitro perspicua.

79. *Quomodo sancti Deo similes sint et dissimiles.*---Sed quamvis in ea sancti omnes tanta claritate fulgeant, tanta perspicuitate transluceant, ei tamen sapientiae de cujus imagine habent omne quod sunt, aequari non possunt. Bene ergo dicitur: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum*. Ad hoc enim sancti omnes ad illa gaudia aeterna perveniunt, ut esse Deo similes possint, sicut scriptum est: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (**I. Joan. III, 2**)? Et tamen scriptum est: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi* (**Psal. LXXXVIII, 9**)? Et iterum: *Aut quis erit similis Deo inter filios Dei*? Unde ergo similes, et unde non similes, nisi quia huic sapientiae et similes erunt ad imaginem et tamen non erunt ad aequalitatem? Aspiciendo quippe

aeternitatem Dei, fit eis ut aeterni sint; et dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, quia beati fiunt; et tamen creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem; et tamen incircumscripti aequalitatem non habent, qui habent circumscriptionem. Dicatur igitur recte: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum*, **595** quia quantalibet sancti claritate et perspicuitate fulgeant, aliud est homines esse sapientes in Deo, atque aliud esse hominem sapientiam Dei. Quam profecto sapientiam ille veraciter agnovit, qui mediatori Dei et hominum aliquem comparare sanctorum minime praesumpsit. Unde et subditur:

CAPUT XLIX [*Vet. XXXIII*].

IBID---*Nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia.*

80. *Sanctiomnes pertranseundi, ut ad Christum Deum et hominem perveniatur.*---Excelsum quippe vas auri Elias exstitit, excelsum vas auri Jeremias, excelsa atque eminentia auri vasa priores patres fuere. Sed haec Dei sapientia, ut a carnali nos conversatione redimeret, apparuit in carne, et qui illam veraciter non agnovit, mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum unum esse ex prophetis putavit quem electorum oculi fide tenuerunt Deum, cum viderunt hominem. Unde ab eo sanctis discipulis dicitur: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (**Matth. XVI, 13**)? Cui cum

protinus responderent: *Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis (Ibid., 14), de suo mox sensu requiruntur: Vos quem me esse dicitis (Ibid., 15)?* Cui protinus Petrus totius Ecclesiae voce respondens, ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi (Ibid., 16).* Quia igitur juxta Pauli vocem Christum novimus Dei virtutem, et Dei sapientiam (**I Cor. I, 18, 30**), Petrus pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia commutare noluit, quia de illa non aliud quam erat intellexit. Magnum quippe, ut dictum est, vas auri Joannes, magnum vas auri Elias vel Jeremias fuit. Sed quisquis eundem Deum quemlibet eorum esse credidit, vas auri excelsum et eminens pro sapientia commutavit. Ecclesia vero pro hae sapientia, vasa auri excelsa et eminentia non commutat, quia Christum Filium Dei non unum esse prophetarum, sed unum prophetarum Dominum credit. Ipsam quippe ad se venisse sapientiam videns, noluit se in illis aureis vasis figere, sed in cam studuit fide certissima pertransire. Unde in Canticis canticorum dicit: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea (Cant. III, 3).* Quos enim vigiles qui custodiunt civitatem, nisi priores Patres vel prophetas accipimus, qui studuerunt ad custodiam nostram sanctae praedicationis voce vigilare? Sed cum Redemptorem suum Ecclesia quaereret, in ipsis antiquis praedicatoribus spem figere noluit, quae dicit: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea (Ibid., III, 4).* Illum quippe invenire non posset si istos pertransire noluisset. In istis se custodibus infideles fixerant, qui Christum Dei Filium unum quemlibet esse illorum credebant. Voce igitur ac fide Petri inventos vigiles sancta Ecclesia transiit, quae prophetarum Dominum unum

quemlibet ex prophetis credere contempsit. Dicatur ergo: *Nec commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia*, quia electi quique sanctorum vitam et venerantur ex sublimitate, et tamen non suscipiunt ad errorem. Quos enim puros homines esse sciunt, Deo homini omnino non conferunt. Unde adhuc subditur:

CAPUT L.

Vers. 18.---Nec commemorabuntur in comparatione ejus.

596 81. *Omnes coelestes cives sancti et just, sed participatione divinae sapientiae, non comparatione.*--- Omnes enim supernae patriae electi, sancti quidem et just sunt; sed participatione sapientiae, non comparatione. Quid enim sunt homines Deo comparati? Lumen autem sapientia, lumen et servi sapientiae vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen illuminatum, sicut scriptum est: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (**Joan. I, 9**). Istis autem tantummodo dicitur: *Vos estis lux mundi* (**Matth. V, 14**). Justitia quidem sapientia, justitia et servi sapientiae nuncupantur; sed illa justitia justificans, isti autem justitia justificata. De Deo quippe, qui sapientia est, dicitur: *Ut sit ipse justus et justificans* (**Rom. III, 26**); isti vero dicunt: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (**II Cor. V, 21**). Aliter ergo venerandum est lumen illuminans, aliter lumen illuminatum; aliter justitia justificans, aliter justitia justificata. [*Vet. XXXIV.*] Sapientia vero est, et sapit; nec habet aliud esse, aliud sapere; servi autem sapientiae

esse quidem sapientes possunt, nec tamen hoc habent esse quod sapere; nam esse possunt, et sapientes non esse. Habet vitam sapientia, sed non aliud habet, et aliud est, quippe cui hoc est esse quod vivere. Servi autem sapientiae cum habent vitam, aliud sunt, et aliud habent, quippe quibus non est hoc ipsum esse quod vivere; nam possunt juxta aliquid esse, nec vivere. Aliud quippe illis est esse, aliud vivere, quia in ipso parente primo essentiam habuere per initium, vitam per accessum; quoniam prius de terra factus est homo, et postmodum, sicut scriptum est: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (**Genes. II, 7**). Sapientia vero habet essentiam, habet vitam; sed hoc quod habet, ipsa est. Proinde incommutabiliter vivit, quia non ex accidenti, sed essentialiter vivit. Sola ergo cum Patre et sancto Spiritu veraciter est, cujus essentiae comparatum esse nostrum, non esse est. Huic si conjungimur, sumus, vivimus, sapimus; huic si comparamur, nec sapimus, nec vivimus omnino, nec sumus.

82. *Sancti quanto magis Deum cognoscunt, tanto sibi vilescent.*---Hinc est quod sancti omnes, quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus est, nisi cum habere Dei meruit colloctionem. Ait enim: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (**Genes. XVIII, 27**). Esse enim se aliquid fortasse crederet, si veracem essentiam quae super ipsum est minime sensisset. At vero ubi ad incommutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tanta contemplationis potentia, dum videret illum, nil se esse nisi pulverem vidit. Hinc est

etiam quod Propheta repletus eadem sapientia, exclamat: *Memento, Domine, quod pulvis sumus* (**Psal. CII, 15**). Qui rursus ejusdem incommutabilitatem essentiae contemplatus, ait: *Omnia sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (**Psal. CI, 27, 28**). Hinc ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum; et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (**Exod. III, 14, 15**). Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic, et modo aliter est, juxta non esse est. Permanere enim in statu suo non potest. Atque **597** aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat semper ad aliud per momenta temporum ducitur. Ut ergo in participatione illius essentiae aliquid simus, cognoscamus nosmetipsos, quia prope nihil sumus. Bene itaque dicitur: *Nec commemorabuntur in comparatione ejus*, quia vasa auri excelsa et eminentia, quae ex participatione sapientiae nobis veneranda sunt, in comparatione sapientiae etiam memoranda non sunt. Quia vero haec sapientia humanis cordibus latenter infunditur, sicut de sancto Spiritu quoque dictum est: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat* (**Joan. III, 8**), idcirco subjungitur:

CAPUT LI.

IBID.---*Trahitur enim sapientia de occultis.*

83. *Dei sapientia ex occultis revelata. Ecclesia cum deessent aperti hostes, tentari coepit a suis. De occultis sapientia*

trahitur, quia cum sit invisibilis, non nisi invisibiliter invenitur. Quae recte quoque trahi dicitur, quia sicut flatum trahimus, ut corpus vivat, sic ab intimis sapientiae spiritus ducitur, ut ad vitam anima subsistat. Unde Psalmista ait: *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (Psal. CXVIII, 131). Quae nimirum sapientia, humana carne cum anima rationali suscepta, dum ab intimis apparuisset in promptu, mundus hic quia auctorem suum invisibilem videre non potuit, quem visibilem conspexit hominem, eum quoque et invisibilem agnovit Deum. Conversa est ab infidelitatis suae tenebris superba prius sua aversione gentilitas, ostensis signis atque prodigiis crevit fides; propagata autem fide, in veneratione omnium sanctae Ecclesiae culmen emicuit. Cui cum deessent aperti adversarii, tentari coepit a suis. Nam multae quoque in ea haereses exortae contra eam duri certaminis bella paraverunt. Exercenda quippe est hoc tempore per laborem, quae sequenti tendit ad remunerationem. Qua ex re factum est ut in ea nonnulli prodirent, qui mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum purum hominem creatum dicerent, sed ex gratia deificatum; tantumque ei sanctitatis tribuerent, quantum de sanctis caeteris, ejus videlicet famulis, agnovissent. Quos beatus Job, prophetiae spiritu afflatus, sententiae suae definitione redarguit, dicens:

CAPUT LII [*Vet. XXXV*].

VERS. 19.---*Non adaeguabitur ei topazium de Aethiopia.*

84. *Refelluntur qui Christum tanquam purum hominem caeteris sanctis similem docent.*---Quid Aethiopiam, nisi praesentem mundum accipimus? quae coloris nigredine designat peccatorem populum, foeditate meritorum. Aliquando vero Aethiopiae nomine specialiter gentilitas designari solet, infidelitatis prius nigra peccatis. Quam veniente Domino Habacuc propheta vidit timore perterritam, et ait: *Tanacula Aethiopium expavescunt, tabernacula terrae Madian* (**Habac. III, 7**). David quoque propheta videns quod ad Judaeam redimendam veniret Dominus, sed ante gentilitas crederet, et postmodum Judaea sequeretur, sicut scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (**Rom. XI, 25**); dicit: *Aethiopia praeveniet manus ejus Deo* (**Psal. LVII, 32**); id est, priusquam Judaea credat, salvandam se offert omnipotenti Deo peccatis nigra gentilitas. Topazium vero pretiosus lapis est; et quia Graeca lingua παν *omne* dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, topazium quasi topantium vocatur. Dum vero **598** in Deum conversa gentilitas credidit, ex ea multi ita sunt dono sui Spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis quisquam virtutibus extollatur, a sancto viro nunc dicitur: *Non adaequabitur ei topazium de Aethiopia*. Ac si aperte dicat: Nullus sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, aequari ei potest, de quo scriptum est: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (**Luc. I, 35**). Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (**Psal. L, 7**). Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ut ipsam

conditionem naturae corruptibilis vinceret, ex commistione carnalis copulae conceptus non est.

85. *Nestorii insania contra Christum. Quem etsi purum hominem, meritis assecutum esse ut Deus fieret, docuit. Refellitur. Modus Incarnationis Verbi. Christus aliud ex Patre, aliud ex matre, non alius.*---Huic se sapientiae quasi quoddam topazium de Aethiopia aequari voluit, cum quidam haeresiarches dixit: Non invideo Christo Deo facto, quoniam si volo, et ipse possum fieri. Qui Jesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiae Deum putavit, perversa allegatione astruens cum purum hominem natum, sed, ut Deus esset, per meritum profecisse, atque ob hoc aestimans et se et quoslibet alios posse ei coaequari, qui filii Dei per gratiam fiunt, non intelligens, non attendens, quia *non adaequabitur ei topazium de Aethiopia*. Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. Nec aequari potest gloriae Unigeniti habitae per naturam alia accepta per gratiam; *Mediator quippe Dei atque hominum, homo Christus Jesus (I Tim. II, 5)*, non sicut iste haereticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. [*Vet. XXXVI.*] Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum ut Deus esset accepit, sed nuntiante angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, et manente incommutabili essentia, quae ei est cum Patre et cum sancto Spritu coaeterna, assumpsit intra virginea viscera unde et impassibilis pati, et immortalis mori, et aeternus ante saecula temporalis posset esse in fine saeculorum, ut per ineffabile sacramentum, conceptu sancto, et partu inviolabili,

secundum veritatem utriusque naturae, eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me (Luc. I, 43)?* Et ipsa Virgo concipiens dixit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum (Ibid., I, 38).* Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine, sed ipse est aeternus ex Patre, ipse temporalis ex matre; ipse qui fecit, ipse qui factus est; ipse speciosus forma prae filiis hominum per divinitatem, et ipse de quo dictum est: *Vidimus eum, et non erat aspectus, et non est species ei neque decor (Isai. LIII, 2),* per humanitatem. Ipse ante saecula de Patre sine matre, ipse in fine saeculorum de matre sine patre. Ipse templum, ipse conditor templi; ipse auctor operis, ipse opus auctoris; manens unus ex utraque et in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum **599** distinctione geminatus. Sed quia non haec tractanda suscepimus, ad exponendi ordinem redeamus.

86. *Superius dictorum recapitulatio.*---Notandum nobis est quod sanctus vir, ut longe distare ab hac sapientia angelos demonstraret, dicit: *Non dabitur aurum obryzum pro ea.* Qui ut antiquos etiam Patres sacri eloquii tractatores inferiores ostenderet, adjunxit: *Nec appendetur argentum in commutatione ejus.* Ut philosophorum quoque sapientiam huic monstraret longe subesse, intulit: *Non conferetur tinctis Indiae coloribus.* Atque subjunxit: *Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.* Ut in illa quoque superna civitate nullum pervenire ad aequalitatem Unigeniti demonstraret, addidit: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.* Ut prophetas quoque ei subesse ostenderet, adjunxit: *Nec commutabuntur*

pro ea vasa auri excelsa et eminentia, nec commemorabuntur in comparatione ejus. Trahitur enim sapientia de occultis. Ad extremum vero ut ipsos quoque in Ecclesia haereticos increparet, qui a gentilitatis errore venientes, fidem quam percipiunt, per superbiam scindunt. addidit: *Non adaequabitur ei topazium de Aethiopia.* Ac si patenter insinuet, dicens: Hi qui ex peccati nigredine ad conversionem veniunt, aequari Deo homini non possunt, quamvis multis colorum virtutibus resplendere videantur. Quorum ut superbia refutetur, apte subjungitur:

CAPUT LIII.

IBID.---*Nec tincturae mundissimae componentur.*

87. *Vere humiles et sancti sunt qui suis meritis nihil tribuunt.*--Tincturae enim mundissimae vocantur hi qui veraciter sunt humiles et veraciter sancti, qui sciunt quidem quia ex semetipsis virtutum speciem non habent, sed hanc ex dono gratiae supervenientis tenent. Tincti enim non essent si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimae tincturae sunt, quia humiliter custodiunt supervenientem in se virtutum gratiam quam acceperunt. Hinc est enim quod sponsi voce de sancta Ecclesia dicitur: *Quae est ista quae ascendit dealbata* (**Cant. VI, 9; III, 6**)? Quia enim sancta Ecclesia coelestem vitam naturaliter non habet, sed superveniente Spiritu, pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur. Et notandum quod superius cum dixisset: *Non conferetur tinctis Indiae coloribus*, eosdem

colores non intulit mundos. Hoc vero in loco ut tincturam veracium virtutum ab illa philosophorum fucatione distingueret, tincturas dicens, addidit mundissimas. Tincturae enim mundissimae recte nominantur hi qui prius per prava opera foedi fuerant, superveniente tamen spiritu, nitore gratiae vestiuntur, ut longe aliud appareant esse quam erant. Unde etiam baptisma, id est tinctio, dicitur ipsa nostra in aquam descensio. Tingimur quippe, et qui prius indecori eramus deformitate vitiorum, accepta fide reddimur pulchri gratia et ornamento virtutum. Sequitur:

CAPUT LIV [*Rec. XXVIII*].

VERS. 20, 21.---*Unde ergo sapientia venit, et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium.*

88. *Quandiu mortaliter vivimus, Deum non in propria natura, sed per quasdam imagines videmus, nisi prius carnali vitae, funditus extincto ejus amore, moriamur.*---Pensandum magnopere est quod a sancto viro requiritur unde sapientia veniat. Ab eo etenim venit a quo orta est. Sed quia ab invisibili et coaeterno Patre nascitur, ejus via occulta est. **600** Unde et per prophetam dicitur: *Generationem illius quis enarrabit (Isai. LIII, 8)?* Locus vero intelligentiae ejus, est mens humana, quam haec Dei sapientia dum repleverit, sanctam facit. Quia ergo et invisibilis est de quo prodiit, et incertum nobis est in cujus mente intellecta requiescat, recte nunc dicitur: *Unde ergo sapientia venit, et quis est locus intelligentiae [Vet. XXXVII]?* Sed hoc valde mirum est quod

protinus subinfertur: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*. Sapientia quippe quae Deus est, si omnium viventium oculis occulta esset, hanc procul dubio sanctorum nemo vidisset. Sed ecce huic sententiae Joannem audio concordantem, qui ait: *Deum nemo vidit unquam* (**I Joan. IV, 12**). Rursumque cum testamenti veteris patres intucor, multos horum, teste ipsa sacrae lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Dominum, qui ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (**Genes. XXXII, 30**). Vidit Moyses Deum, de quo scriptum est: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum* (**Exod. XXXIII, 11**). Vidit isdem Job Dominum, qui dicit: *Auditur auris audiivi te, nunc autem oculus meus videt te* (**Job. XLII, 5**). Vidit Isaias Dominum, qui ait: *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (**Isai. VI, 1**). Vidit Michaeas Dominum, qui ait: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris* (**III Reg. XXII, 19**). Quid est ergo quod tot testamenti veteris patres Deum se vidisse testati sunt, et tamen de hac sapientia quae Deus est, dicitur: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*; et Joannes ait: *Deum nemo vidit unquam* (**I Joan. IV, 12**), nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturae suae speciem non potest, ut anima, gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiae non pertingat? Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in angelo vidit (**Exod. XXXIII, 11**). Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut loqui solet homo cum

amico suo, ei inter ipsa verba suae locutionis dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te* (**Exod. XXXIII, 13**). Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, et non ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur quia eum sitiebat per incircumscriptae naturae suae claritatem cernere, quem jam coeperat per quasdam imagines videre, ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ei ad aeternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo patres testamenti veteris Dominum, et tamen, juxta Joannis vocem: *Deum nemo vidit unquam* (**Joan. IV, 12**); et juxta beati Job sententiam, sapientia quae Deus est, abscondita est ab oculis omnium viventium, quia in hac mortali carne consistentibus, et videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen aeternitatis.

[*Vet. XXXVIII.*] 89. Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc **601** corruptibili carne viventibus, sed tamen inaestimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine aeterna Dei claritas videri; hoc quoque a beati Job sententia non abhorret, qui ait: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*; quoniam quisquis sapientiam, quae Deus est, videt, huic vitae funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti et saeculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectum operis ab hujus vitae delectationibus tota mente separatur. Unde adhuc ad eundem quoque Moysen

dicitur: *Non enim videbit me homo, et vivet* (**Exod. XXXIII, 21**). Ac si aperte diceretur: Nullus unquam Deum spiritaliter videt, et mundo carnaliter vivit. Unde Paulus quoque apostolus, qui adhuc Dei invisibilia, sicut ipse testatur, ex parte cognoverat (**I Cor. XIII, 12**), jam huic mundo totum se mortuum esse perhibebat, dicens: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (**Galat. VI, 14**). Sicut enim jam longe superius diximus, non sufficit ut diceret, *Mundo crucifixus sum*, nisi etiam praemitteret, *Mihi mundus crucifixus est*, ut non solum se mundo mortuum, sed etiam mundum sibi mortuum esse testaretur, quatenus nec ipse mundum, nec ipsum jam mundus appeteret. Si enim duo fortasse in uno loco sint, quorum unus vivus, alter vero sit mortuus, etsi mortuus viventem non videt, vivus tamen mortuum videt. Praedicator autem Dei ut ostenderet quia per abjectionem qua se humiliando dejecerat, talis jam factus esset, ut nec ipse mundum, nec mundus ipsum concupisceret, non solum ait se mundo crucifixum, ut ipse mundi gloriam quam appeteret tanquam mortuus non videret, sed etiam mundum sibi asseruit crucifixum, in quo tanta se humilitate dejecerat, ut et ipse mundus tanquam ad eum mortuus Paulum humilem atque despectum jam videre nequaquam posset.

90. *Refelluntur qui Deum a beatis videri tantum in claritate, non in sua natura asserunt.*---Sciendum vero est quod fuere nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas et aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia enim suis dilectoribus haec Dei

sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur, dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo me ipsum illi* (**Joan. XIV, 21**). Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat, ut in mea me natura videatis. Hinc rursus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (**Matth. V, 8**). Hinc Paulus dicit: *Nunc videmus per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (**I Cor. XIII, 12**).

[*Vet. XXXIX.*] 91. *Refelluntur et qui angelos divinae visionis expertes somniant.*---Sed quia de Deo per primum Ecclesiae praedicatorem dicitur: *In quem desiderant angeli prospicere* (**I Pet. I, 12**), sunt nonnulli qui nequaquam Deum videre vel angelos suspicantur, et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum in coelis semper vident faciam Patris mei qui in coelis est* (**Matth. XVIII, 10**). Nunquid ergo aliud veritas, aliud praedicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet agnoscitur. Deum **602** quippe angeli et vident, et videre desiderant; et sitiunt intueri et intuentur. Si enim sic videre desiderant ut effectui sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, et anxietas poenam. Beati vero angeli ab omni poena anxietatis longe sunt, quia nunquam simul poena et beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia et Psalmista ait: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (**Psal. XVI, 15**), considerandum nobis est quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat veritas: *Quia semper vident*; dicat praedicator egregius: *Quia semper videre desiderant*. Ne enim sit in

desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus quando ad ipsum fontem vitae venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe abest ab ista siti necessitas, longe a satietate fastidium, quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsumque erit praemium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras, accessa ejus luce gaudeamus.

92. *Quo sensu Deus lucem habitet inaccessibilem.*---Sed cum ejus lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest (I Tim. VI, 16).* Et rursum audio quod Psalmista ait: *Accedite ad eum, et illuminamini (Psal. XXXIII, 6).* Quomodo ergo accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus non videmus? Si vero accedendo ad eum ipsam qua illuminamur lucem vimus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit ised omni homini humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores, humanitatis nomine notare solet. Unde isdem apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis (I Cor. III, 3, 4)?* Quibus paulo post subjicit: *Nonne homines estis?* Et unde alias testimonium protulit, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se (I Cor. II, 2).* Et cum hoc hominibus dixisset absconditum, mox

subdidit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum (Ibidem)*; ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus supra hominem divina jam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, ut ostenderet quibus, subdidit: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*. More suo homines vocans omnes humana sapientes, quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per coelestem conversationem supra homines esse mereamur. Nec tamen ita videbimus sicut videt ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.

[*Vet. XL.*] 93. *Non videmus Deum sicut ipse se conspicit*.--- Sed profecto non ita conspiciamus Deum sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus **603** in Deo quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies erit utcunque similis visioni vel requiei illius, sed aequalis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum, raptique intentione cordis, et dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipsum, et jam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere, et tamen sic ire perfecte requiescere est. Et perfecta ergo requies est, quia Deus cernitur; et tamen adaequanda non est requiei illius, qui non a se in alium transit **604** ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis, quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Nam ut beati atque aeterni simus in aeternum, imitamur aeternum. Et magna nobis est aeternitas, imitatio

aeternitatis. Nec exsortes sumus ejus quem imitari possumus, quia et videntes participamur, et participantes imitamur. Quae nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coaeternam Deo sapientiam, quam modo per ora praedicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.

LIBER DECIMUS NONUS. *Ab extrema parte vers. 21 cap. XXVIII usque ad vers. 21 sequentis cap. exclusive perducta expositione, varii sensus non minus docte quam pie aperiuntur, maxime de Christo et Ecclesiae.*

[*Vet. et Rec. I*] 1. Quid mirum si aeterna Dei sapientia conspici non valet, quando ipsa quoque invisibilia quae per eam condita sunt humanis oculis comprehendi non possunt? In rebus ergo creatis discimus creatorem omnium quanta humilitate veneremur, ut in hac vita usurpare sibi de omnipotentis Dei specie mens humana nil audeat, quod solum electis suis praemium in subsequenti remuneratione servat. Unde bene postquam dictum est: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, illico subinfertur:

CAPUT PRIMUM.

CAP. XXVIII, VERS. 21.---*Volucres quoque coeli latet.*

2. *Volucres coeli aliquando in malam partem accipiuntur, aliquando in bonam.*---In Scriptura enim sacra volucres aliquando in malo, aliquando in bono dantur intelligi. Per volucres quippe nonnunquam potestates aerae designantur, bonorum studiis adversae. Unde Veritatis ore dicitur: *Quoniam senem quod secus viam cecidit, venerunt volucres, et comederunt illud* (**Matth. XIII, 4; Luc. VIII, 5**); quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitae a memoria evellunt. Hinc rursum cuidam diviti superba sapienti dicitur: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (**Matth. VIII, 20; Luc. IX, 58**). Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quae in fossis vel specubus se abscondunt; cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aera sublevant. Nomine ergo vulpium dolosa atque fraudulenta, nomine autem volucrum, haec eadem superba daemonia designantur. Ac si dicat: Fraudulenta et elata daemonia in corde vestro, id est in cogitatione superbiae inveniunt habitationem suam; Filius autem hominis ubi caput suum reclinet non habet, id est, humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit. Quasi enim quodam volatu volucris illa prima se extulit, quae per elatam cogitationem dixit: *In coelum conscendam, super astra coeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (**Isai. XIV, 13**). Ecce quam alta superbe volando petiit. Quem etiam volatum et primis hominibus persuasit.

Ipsi quippe volando quasi super se ire conati sunt, quando eis dictum est, ut gustarent, et essent sicut dii (**Genes. III, 5, 19**). Cumque similitudinem divinitatis appetunt, immortalitatis munera perdiderunt (**Ibid., 19**). Qui in terram moriendo non issent, si super terram humiliter stare voluissent.

3. At contra in bono volucres poni solent, sicut in Evangelio Dominus cum similitudinem regni coelestis ex grano sinapis denuntiaret, dixit: *Cui simile est regnum Dei, et cui simile aestimabo illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in, hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres coeli requieverunt in ramis ejus* (**Matth. XIII, 31**). Ipse quippe est granum sinapis qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. Granum, quia *vidimus eum, et non erat aspectus* (**Isai. LIII, 2**); arbor autem, quia *speciosus forma prae filiis hominum* (**Psal. XLIV, 3**). [*Vet. II.*] Hujus arboris rami sancti praedicatores sunt. Et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (**Psal. XVIII, 5**). In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctae animae, quae quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitae fatigatione respirant. Hoc igitur in loco postquam de sapientia dictum est: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, recte subjungitur: *Volucres quoque coeli latet*, quia in hac corruptibili carne constituti, naturae ejus potentiam ipsi quoque videndo non penetrant, qui jam per meritum sanctae contemplationis volant. Ubi apte subjungitur:

CAPUT II [*Rec. II*].

VERS. 22.---*Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.*

4. *Superbi angeli divinam sapientiam, quia ea non fruuntur, minime vident.*--- Qui perditionis et mortis nomine nisi maligni spiritus designantur? qui inventores mortis et perditionis exstiterunt, sicut de ipso eorum principe sub ministri ejus specie per Joannem dicitur: *Et nomen illi mors (Apoc. VI, 8)*. Cui subjecti omnes superbiae spiritus de hac sapientia quae Deus est **605** dicunt: *Auribus nostris audivimus famam ejus*; quia nimirum visionem illius plena beatitudine habere nequiverunt. Videre quippe perfecte coaeternam Deo sapientiam, hoc est quod habere. Unde ad Joannem de munere vincentis dicitur: *Dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit (Apoc. II, 17)*. In hac enim vita scire aliquid vel videre possumus, etiam quod non accepimus; habere vero nomen novum in calculo scriptum, est in aeterno praemio notitiam Dei humanis sensibus inusitatam, quam scire non potest nisi qui accipit, habere. Quia itaque, ut diximus, videre Deum, hoc est quod habere, ideo iniqui spiritus hanc sapientiam non vident, quia repulsi per superbiam nequaquam eam habere potuerunt. Ad lucem quippe ejus clausurunt oculos cordis, superfusis ejus radiis repugnantes, sicut intelligi etiam de eisdem malignis spiritibus potest, quod scriptum est: *Ipsi rebelles fuerunt lumini (Job. XXIV, 13)*. Famam ergo sapientiae

malignis spiritibus audisse, sed eandem sapientiam non vidisse, est et ejus potentiam ex virtute illius cognovisse, et tamen sub ea humiliter stare noluisse. Unde et Veritatis voce de ipso malignorum spirituum capite dicitur: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (**Joan. VIII, 44**). Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 23.---*Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.*

5. *Homines latuit quando per carnem Sapientia ventura esset ad homines; vel quomodo foris apparens invisibilis apud Patrem permaneret.*---Haec coaeterna Deo sapientia aliter viam habet, atque aliter locum. Locum vero si quis intelligat, non localem. Nam teneri corporaliter non potest Deus; sed, ut dictum est, locus intelligitur non localis, Locus sapientiae Pater est, locus Patris sapientia. sicut ipsa Sapientia attestante dicitur: *Ego in Patre, et Pater in me.* Aliter ergo ipsa sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanitatis transitum, locum vero per flatum divinitatis. [*Vet. III.*] Inde enim non transit. unde aeterna est; sed inde transit, unde propter nos apparuit temporalis. Sic namque in Evangelio scriptum est: *Quia egrediens ab Jericho Dominus transibat; duo autem caeci sedentes juxta viam clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri fili David* (**Joan. XIV, 10, 11; Matth. XX, 29, 30**). Ad quorum vocem, sicut illic scriptum est, stetit Jesus, et lumen reddidit. Quid est autem

transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis suae potentiam a nobis mentis nostrae tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus et passus est, quod resurrexit, ascendit in coelum, quasi transit Jesus, quia haec nimirum actio temporalis est. Sed stans eos tetigit et illuminavit, quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi aeternitas transit, quae in se manens innovat omnia. Stare enim Dei, est incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium transiens audivit, stans lumen reddidit, quia etsi propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit. Quia igitur quando per carnem appareret hominibus incertum fuit, **606** recte nunc dicitur: *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*. Ac si aperte diceretur: Humanae cogitationi occulta sunt, vel quando per carnem ad homines sapientia veniat, vel quomodo apud Patrem invisibilis, etiam cum foris apparuerit, persistat.

6. *Ejusdem adventus et mansio in cordibus hominum ignorantur.*---Quamvis hoc intelligi et aliter potest. Nam via ejus non inconvenienter accipitur hoc ipsum quod venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus vero ejus fit cor, ad quod veniens permanet. De hac quippe via illius dicitur: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino* (**Matth. III, 3**); id est, in corde vestro venienti Sapientiae aditum reserate, sicut alias dicitur: *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (**Psal. LXVII, 5**). Super occasum fuit ascendere, ipsam mortem quam pertulerat resurgendo superasse. Ait ergo: *Ei qui ascendit super occasum, iter facite*; id est, resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem

viam praebete. Hinc Joanni per spiritum dicitur: *Praeibis ante faciem Domini parare vias ejus* (**Luc. I, 76**). Quisquis etenim praedicando a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiae viam praeparat. Habet ergo viam ista sapientia, habet et locum: Viam qua venit, locum quo manet, sicut ipsa ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (**Joan. XIV, 23**). Via est igitur qua venit, locus quo manet. Sed quo venit, quae ubique est? An venire est sapientiae per illuminationem mentis nostrae indicare praesentiam majestatis suae? Et quia hominibus incertum est vel in cujus cor veniat, vel in quo postquam venerit permanendo requiescat, recte nunc dicitur: *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*, quia solius divinae visionis est cernere, vel quibus modis intellectus sapientiae ad cor hominis veniat, vel cujus mens intellectum vitae, quem perceperit, mortiferis cogitationibus non amittat. Et quia haec eadem sapientia per humanitatis gratiam manifestata in cunctis mundi partibus electorum fuerat corda repletura, recte subditur.

CAPUT IV [*Vet. IV*].

VERS. 24.---*Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quae sub coelo sunt respicit.*

Deus nos respiciendo per gratiam reformat.---7. Respicere quippe Dei est ea quae amissa ac perdita fuerant ad suam gratiam reformare. Unde scriptum est: *Rex qui sedet in solio*

judicii, dissipat omne malum intuitu suo (Prov. XX, 8). Respiciendo namque levitatis nostrae mala coercuit, et magna merita maturitatis dedit. Unde adhuc subditur:

CAPUT V [*Rec. IV*].

VERS. 25.---*Qui fecit ventis pondus,*

8. *Animas vagas figit et gravitate donat.*---Velocitate enim ac subtilitate ventorum in Scriptura sacra solent animae designari, sicut per Psalmistam de Deo dicitur: *Qui ambulat super pennas ventorum Psal. CIII, 3*); id est, qui transgreditur virtutes animarum Fecit ergo ventis pondus, quia dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graves reddit; non illa gravitate qua dicitur: *Filii hominum usquequo gravi corde (Psal. IV, 3)*? Aliud namque est gravem esse per consilium, aliud per **607** peccatum; aliud est gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animae, ut ab intentione Dei non jam levi motu desiliant, sed in eum fixa constantiae gravitate consistant. Adhuc ille populus leviter movebatur, de quo per prophetam dicitur: *Abiit vagus in viam cordis fui; viam ejus vidi, et dimisi eum (Isai. LVII, 17)*. Grave autem consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. Et quoniam sunt animae quae levi motu nunc ista, nunc illa desiderant, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes mentium non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed cum per gratiam respicit vagam mentem, in consilii stabilitatem figit. Recte ergo nunc

dicitur: *Qui fecit ventis pondus*, quia cum leves motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantiae maturitatem format. Vel certe ventis pondus facere est concessam hic electis de virtutibus gloriam, permista infirmitate temperare. Unde et subditur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et aquas appendit mensura.*

9. *Virtutes electorum permista, ne extollantur, infirmitate temperat.* Aquae in Scriptura sacra aliquando Spiritum sanctum, aliquando scientiam sacram, aliquando scientiam pravam, aliquando tribulationem, aliquando defluentes populos, aliquando mentes fidem sequentium, designare solent. Per aquam quippe sancti Spiritus infusio designatur, sicut in Evangelio dicitur: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Joan. VII, 38)*. Ubi evangelista secutus adjunxit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Rursum per aquam sacra scientia designatur, sicut dicitur: *Aqua sapientiae salutaris potabit eos (Eccli. XV, 3)*. Per aquam quoque prava scientia appellari solet, sicut apud Salomonem mulier, quae typum haereseos tenet, callidis suasionibus blanditur dicens: *Aquae furtivae dulciores sunt (Prov. IX, 17)*. Aquarum etiam nomine nonnunquam solent tribulationes intelligi, sicut per Psalmistam dicitur: *Salvum ne fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam (Psal. XLVIII, 2)*. Per aquam populi designantur, sicut per Joannem

dicitur: *Aquae vero sunt populi* (**Apoc. XVII, 15**). Per aquam quoque non solum fluxus decurrentium populorum, sed etiam bonorum mentes, fidei praedicamenta sequentium, designantur, sicut propheta ait: *Beati qui seminatis super omnes aquas* (**Isai. XXXII, 20**) Et per Psalmistam dicitur: *Vox Domini super aquas* (**Psal. XXVIII, 3**) Hoc ergo in loco quid aquarum nomine nisi electorum corda signantur, quae per intellectum sapientiae auditum jam supernae vocis acceperunt? De quibus recte dicitur: *Et aquas appendit mensura*. [*Vet. et. Rec. V*]. Quia sancti ipsi qui sancto sublevante Spiritu ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant quantum volunt, sed ne extollantur superbia, sit in eis ipsarum quaedam mensura virtutum.

10. *Quod confirmatur exemplo Eliae Jezabelem fugientis*.--- Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus **608** in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodum quamvis reginam, tamen mulierculam fugit (**III Reg. XIX, 3**). Perpendo quippe hunc mirae virtutis virum, ignem de coelo trahere, et secundo quinquagenarios cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo coelos a pluviis claudere, verbo coelos ad pluvias aperire, suscitantem mortuos, ventura quaeque praevidentem; et ecce rursus animo occurrit, quo pavore ante unam mulierculam fugerit. Considero virum timore perculsum de manu Dei mortem petere, nec accipere; de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quaerebat enim mortem dum fugeret, dicens: *Sufficit mihi, tolle animam meam; neque enim melior sum quam patres mei* (**Ibid. XIX, 4**). Unde ergo sic potens, ut tot illas

virtutes faciat? unde sic infirmus, ut ita feminam pertimescat, nisi quia aquae appenduntur mensura, ut ipsi sancti Dei homines et multum valeant per potentiam Dei, et rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam? In illis virtutibus Elias quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat quid acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus servabatur.

11. *Et Pauli mortem declinantis, aut Satanae tentationes patientis.*---Sic Paulum video fluminum et latronum, civitatis et solitudinis, maris ac terrae pericula sustinentem (**II Cor. XI, 26**), frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris et nuditatis aerumnam, ad ecclesiarum custodiam vigilanter se ac pastoraliter exercentem, ad tertium coelum raptum, rursumque eum in paradisum raptum (**Ibid., XII, 4**), et audisse arcana verba quae non licet homini loqui; et tamen Satanae angelo ad tentandum conceditur (**Ibid. XII, 7**), orat ut eximi debeat, et non exauditur. Cujus cum ipsa initia conversionis aspicio, perpendo quod ei superna pietas coelos aperit, seseque illi Jesus de sublimibus ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittitur (**Act. IX, 7**), vas electionis vocatur; et tamen de civitate eadem quam post visionem Jesu ingressus fuerat fugiens recedit, sicut ipse testatur dicens: *Damasci praepositus gentis Arethae regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus* (**II Cor. XI, 32**). Cui licenter dicam: O Paule, in

coelo jam Jesum conspicias, et in terra adhuc hominem fugis? In paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, et adhuc a Satanae angelo tentaris? Unde sic fortis, ut ad coelestia rapiaris? Unde sic infirmus, ut in terra hominem fugias, et adhuc a Satanae angelo adversa tolere, nisi quia ipse qui te sublevat rursum subtilissima te mensura moderatur, ut et in miraculis tuis nobis praedices virtutem Dei, et rursum in timore tuo reminisci nos faciat infirmitatis nostrae? Quae tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat cum pulsatur, dum de infirmitate tua Dominum rogaes, **609** quia auditus non es, nobis quoque locutus es quid audisti: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (**II Cor. XII, 9**).

[*Vet. VI.*] 12 *Custos virtutis est infirmitas.*---Aperta ergo voce Dei ostenditur quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram isdem praedicator egregius de se quaedam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis* (**Rom. VII, 23**). Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus: et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis; caro aggravat, ne extollamur ex summis. Si non sublevante spiritu nos caro tentaret, perfectione procul dubio tentationis suae in ima dejiceret. Rursum vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiae casu ipsa

nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine ut dum unusquisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat, quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit; nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat dum gravat. Sicque magno ordine cognoscimus in interiori profectu quid accipimus, in exteriori defectu quid sumus. Et miro modo agitur, ut nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperare, quia dum spiritus trahit, et caro retrahit, subtilissimo iudicii interni moderamine, infra summa, et supra infima in quodam medio anima libratur. Bene ergo dicitur: *Et aquas appendit mensura*. Sequitur:

CAPUT VII.

VERS. 26, 27.---*Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus, tunc vidit illam, et enarravit, et praeparavit, et investigavit.*

13. *Verbi Dei praeconibus lex posita, ut opere impleant quod praedicant. Hanc legem servantibus ad hominum corda aditus patet.*---Solent per pluvias praedicantium dicta signari. Unde per Moysen dicitur: *Expectetur sicut pluvia eloquium meum (Deut XXXII, 2)*. Quorum videlicet verba cum blande persuadent, pluviae sunt; cum vero terribilia de venturo iudicio intonant, sonantes procellae. Et notandum quod pluviis lex ponitur, ut via procellis sonantibus aperiatur. Lex

quippe est ipsis praedicatoribus posita, ut vivendo impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te* (**Psal. XLIX, 16**). Sermones etenim Dei post se praedicator projicit, cum hoc quod dicit facere contemnit. Quando autem dictis ejus alter obediat, dum ipse respuit opere quod praedicat voce, et dissimulat audire quod narrat? De ista praedicationis lege scriptum est: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, 610 et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum. Qui autem fecerit, et docuerit sic, magnus vocabitur in regno coelorum* (**Matth. V, 19**). Regnum coelorum videlicet Ecclesiam praesentem appellat, de qua scriptum est: *Et colligent de regno ejus omnia scandala* (**Matth. XIII, 41**). In superno etenim regno scandala quae ex eo colligi debeant non habentur. Qui ergo solvit opere, et sic docet voce, in isto regno coelorum erit minimus, in illo nec minimus. Viam autem procellis sonantibus posuit, cum praedicatoribus suis ad corda hominum terrore venturi judicii percussa aditum fecit. Prius itaque lex ponitur, ut post modum via pandatur, quia illa vox cor audientis penetrat, quae hoc quod ore sonuerit, opere conservat. [VET. VII.] Tunc autem cum legem pluviis et viam procellis sonantibus poneret, hanc sapientiam Deus vidit, enarravit, praeparavit, et investigavit. Usitata sacri eloquii locutione videre Deus dicitur, videre nos facere, sicut justo viro Dominus dicit: *Nunc cognovi quod timeas Deum* (**Genes. XXII, 12**). Et Israelitae praemonentur: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (**Deut. XIII, 3**); id est, ut

scire vos faciat. Tunc ergo cum legem pluviis poneret, hoc est mandatum custodiae praedicatoribus daret, hanc incarnatam sapientiam videri et enarrari a praedicatoribus, praeparari et investigari ab auditoribus fecit. Sibi quippe illam praeparat, quisquis illam bene vivendo in diem judicii propitiam parat. Et notandum quod de ea quatuor dicta sunt, Ait enim: *Vidit, enarravit, praeparavit, investigavit*. Vidit namque, quia species est; enarravit, quia verbum; praeparavit, quia remedium; investigavit quia occultum. Sed hoc quod aeterna Dei sapientia species Patris et Verbum dicitur, quando ad humana mente penetratur? Quis namque intelligat, vel verbum sine tempore, vel speciem sine circumscriptione? Dicendum ergo erat aliquid quod de illa homo cognosceret in se. Unde apte subditur:

CAPUT VIII [*Rec. VI*].

VERS. 28.---*Et dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.*

14. *Deum timens ejus sapientiam possidere incipit, et in se cognoscit, quem in ipsius natura cognoscere non potest.*---Ac si aperte diceretur: Ad te ipsum homo revertere, cordis tui secreta perscrutare. Si Deum te timere deprehendis, profecto constat quia hac sapientia plenus es. Quam si adhuc cognoscere non potes quid sit in se, jam cognoscis interim quid sit in te. Quae enim apud se ab angelis metuitur, apud te timor Domini vocatur, quia hanc habere te certum est, si timere te Deum incertum non est. Hinc etiam per Psalmistam

dicitur: *Initium sapientiae, timor Domini (Psal. CX, 10)*; quia tunc penetrare cor inchoat, cum hoc extremi iudicii pavore perturbat. Ad parvitatem igitur nostram divinus sermo se attrahit: sicut pater cum parvulo filio loquitur, ut ab eo possit intelligi, sponte balbutit. Quia enim naturam sapientiae penetrare non possumus quid sit in se, ex condescensione Dei audivimus quid sit in nobis, cum dicitur: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia*. Sed quia ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis pravis operibus custodit, recte subditur: *Et recedere a malo, intelligentia*. Ea igitur quae sequuntur, quia prophetiae spiritu plena sunt, ipsa sacrae historiae verba testantur, cum dicitur:

CAPUT IX [*Vet. VIII, Rec. VII*].

Cap. XXIX, VERS. 1.---Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit.

15. *Job ultima Ecclesiae tempora praenuntiat, quibus carnales et haereticos passura est.---*Quia enim parabola similitudo nominatur, aperte constat quod per exteriorum verborum formam mysteria loquitur, qui ad loquendum parabolam assumpsisse memoratur. Cum etenim sua narrat, quaecunque sunt sanctae Ecclesiae ventura denuntiat; et per hoc quod ipse patitur, indicat quid illa patiatur. Nonnunquam vero sic suae historiae verba permiscet, ut nil allegoricum insonet; nonnunquam vero sic suos dolores loquitur, ac si ex voce dolentis Ecclesiae loquatur. In hac vero ultima sui parte sermonis ultimum tempus designat Ecclesiae,

quando adversarios suos, id est carnales quosque, vel haereticos atque gentiles, quos nunc studet sapientiae auctoritate comprimere, effrenata jactantia elatos cogitur irrisa tolerare. Unde in hoc quoque sermone dicitur: *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei* (**Job XXX, 1**). Et ipsa ordinis ratio exposcit ut per verba beati Job ultima extremi sanctae Ecclesiae designentur dies, quando, persecutione crescente, apertas haereticorum voces tolerare compellitur, cum motus cordis sui, quos nunc intra cogitationum sinus contegunt, tunc in voce manifestati erroris aperiunt. Nunc enim, sicut per Joannem dicitur (**Apoc. XX, 3**), draco in abyssu clausus tenetur, quia diabolica malitia in eorum subdolis cordibus occultatur. Sed sicut illic dictum est, educetur draco de puteo abyssi, quia quod modo prae timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentinum virus aperitur. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua, saeviens conscientia, et malitia calliditatis, quasi quadam se tegit abyssu simulationis; nunc Dominus, sicut Psalmistae voce dicitur, *Congregat sicut in utre aquas maris* (**Psal. XXXII, 7**). Uter quippe carnalis est cogitatio. Aquae ergo maris in utre congregatae sunt, cum amaritudo perversae mentis non erumpit exterius in vocem pravae libertatis. Veniet profecto tempus, quando contra hanc perversi atque carnales aperta voce praedicent quod nunc occulta cogitatione moliuntur. Veniet tempus, quando catholicam Ecclesiam non solum injustis vocibus, sed etiam crudelibus plagis premant.

16. *Duobus modis Ecclesia persecutionem patitur, verbis et gladiis.*---Ab adversariis namque suis duobus modis Ecclesia

persecutionem patitur, scilicet aut verbis, aut gladiis. Sed cum verbis persecutionem sustinet, exercetur ejus sapientia; cum vero gladiis, exercetur ejus patientia. Sed verborum persecutiones ab haereticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipsi haeretici linguis nobis subdolis, et falsa humilitate blandiuntur. Persecutiones vero gladiatorum juxta finem mundi secuturae sunt, ut grana coelestibus horreis recondenda tanto verius a peccatorum paleis exuantur, quanto arctius affliguntur. Tunc electi omnes qui in illa fuerint tribulatione comprehensi reminiscuntur horum temporum in quibus nunc Ecclesia fidei pacem tenet, et superba haereticorum colla comprimit, non potentatu culminis, sed jugo rationis. Reminiscuntur nostri, qui quieti fidei tempora ducimus; **612** qui etsi in bellis coarctamur gentium, non tamen in dictis expugnamur patrum. Beatus ergo Job sanctae Ecclesiae typum tenens, quae tunc in illis angustiis invenitur; et tamen nostrae, ut dixi, quietis reminiscitur, sua transacta narrat, et aliis ventura denuntiat, dicens:

CAPUT X [*Rec. VIII*].

VERS. 2.---*Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos?*

17. *Etsi gravia jam passa sit Ecclesia, longe graviora passura est.*---Multa enim talia sancta Ecclesia doloribus pressa dictura est. Tantis quippe illam futurum est tribulationibus angustari, ut haec tempora cum magno suspirio desideret quae nos cum magno dolore toleramus. Dicat ergo, dicat per vocem

beati Job: *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos?* Quia enim statutus dierum numerus menses vocantur, quid aliud nomine signat mensium, nisi collectiones animarum? Dies quippe dum colliguntur in mensibus, subtrahuntur, quia et in hoc tempore sancta Ecclesia, dum veritatis luce splendentes animas colligit, in intimis abscondit. Aliquando etiam mensis pro perfectione ponitur, sicut propheta ait: *Erit mensis ex mense (Isai. LXVI, 23)*; perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione. [*Vet. IX.*] Reminiscatur ergo perfectionis pristinae, reducat ad memoriam quanta praedicatione sua collectis animabus reportabat lucra, et angustata tribulationibus dicat: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos?* In quibus profecto mensibus qualis fuerit, enumerando subjungit, dicens:

CAPUT XI.

VERS. 2, 3.---*Secundum dies, quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.*

18.---*Tunc multi infirmi cadent, fortibus ob eorum casum dolentibus.* Tunc quippe videt ex se, persecutione cogente, infirmorum multos cadere, quos nunc ut mater intra pacis sinum parvulos fovet, et intra tranquillas fidei cunas continet, quia admisti fortibus, ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc vero tales multi casuri sunt, et per viscera charitatis, quidquid in damno parvulorum sustinet, se perpeti animus perfectorum

dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur: *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. XI, 29)?* Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. Unde sancta Ecclesia infirmis tunc cadentibus angustata, cum horum reminiscitur temporum, jure dictura est: *Secundum dies quibus Deus custodiebat me*, quia se tunc in illis aestimat cadere, quae se nunc in istis respicit custodiri. Bene autem dicitur: *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris*. Lucernae enim nomine, lumen signatur sacrae Scripturae, de qua ipse Ecclesiae pastor dicit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris (II Pet. I, 19)*. Et Psalmista ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine (Psal. CXVIII, 105)*. Quia autem principale nostrum mens est, appellatione capitis mens vocatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Impinguasti in oleo caput meum (Psal. XXII, 5)*. Ac **613** si aperte dicat: Charitatis pinguedine replesti mentem meam. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiae splendet, quia sacra eloquia tenebras nostrae mentis irradiant, ut in hoc caliginoso vitae praesentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quae sunt agenda videamus. Nunc ad lumen ejus in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienae occulta cogitationis non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, tamen ponit gressus boni operis, directa lumine supernae locutionis. Sequitur:

CAPUT XII [*Rec. IX*].

VERS. 4.---*Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.*

19. *Variae Ecclesiae aetates. Infantia, adolescentia, senium. In fine tamen multos susceptura est filios.*---Sicut uniuscujusque hominis, sic sanctae Ecclesiae aetas describitur. Parvula quippe tunc erat, cum a nativitate recens verbum vitae praedicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur: *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* (**Cant. VIII, 8**), quia nimirum sancta Ecclesia priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus praebere non potuit ubera praedicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei verbo copulata, sancto repleta Spiritu, per praedicationis ministerium in filiorum conceptione fetatur, quos exhortando parturit, convertendo parit. De hac ejus aetate Domino dicitur: *Adolescentulae dilexerunt te* (**Cant. I, 3**). Universae quippe Ecclesiae, quae unam catholicam faciunt, adolescentulae vocantur, non jam vetustae per culpam, sed novellae per gratiam; non senio steriles, sed aetate mentis ad spiritalem congruae fecunditatem. Tunc ergo, cum in diebus illis Ecclesia, quasi quodam senio debilitata, per praedicationem filios parere non valet, reminiscitur foecunditatis antiquae dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiae meae*. Quamvis post eosdem dies quibus deprimitur, jam tamen circa ipsum finem temporum grandi praedicationis virtute roboretur. Nam susceptis ad plenum gentibus, omnem Israeliticum populum, qui tunc inventus fuerit, in fidei sinum trahit. Scriptum quippe

est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI, 25)*. Sed ante illa tempora erunt dies in quibus ab adversariis paululum videbitur oppressa, cum et horum dierum reminiscitur, dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*.

20. [Vet. X]. *Qui mandata Dei meditatur, habet Deum inhabitantem. Sancti se foris intusque circumspiciunt*.---Quid hoc loco tabernaculum, nisi habitationem mentis accipimus? Quia per omne quod cogitando agimus, in consilio nostri cordis habitamus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto illi Deus in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante Dei esse oculos viderat, qui dicebat: *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper (Psal. XVIII, 15)*. Exteriora namque opera patent oculis hominum, longe vero incomparabiliter interiores ac subtilissimae cogitationes nostrae patent oculis Dei. *Omnia enim*, sicut scriptum est, *nuda et aperta sunt oculis ejus (Hebr. IV, 13)*. Et saepe in exteriori opere ante oculos hominum inordinati apparere metuimus, et in interiori cogitatione illius respectum non metuimus, quem videntem omnia non videmus. Multo enim magis intrinsecus Deo quam extrinsecus hominibus conspicabiles sumus. Unde et sancti omnes foris **614** se intusque circumspiciunt, et vel reprehendendo se exterius, vel iniquos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia quae per prophetam videntur, in circuitu et intus plena oculis esse memorantur (**Ezech. I, 18; X, 12**). Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero omnes, quia et exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla

fratribus praebeant, et interiora sua vigilanter attendunt, quia sese irreprobabiles interni iudicis obtutibus parant, et oculos in circuitu et intus habere perhibentur; magisque se, quo Deo placeant, in sua interna componunt, sicut per Psalmistam quoque de sancta Ecclesia dicitur: *Omnis gloria ejus filiae regis ab intus* (**Psal. XLIV, 14**). Sed qua exteriora sua etiam irreprehensibilia custodit, jure de ea subdidit: *In fimbriis aureis circumamicta varietate*, ut et pulchra sibi intus sit, et aliis foras; et se provehens per internam gloriam, et alios erudiens per exteriora operum exempla. Beatus igitur Job dicat ex se, dicat ex persona universalis Ecclesiae: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*. Ut enim demonstret quantum intus profecerit, secreto Deum fuisse in suo tabernaculo perhibet. Ut etiam ostendat rectitudinis opera quantum extrinsecus custodivit, adjungit.

CAPUT XIII.

VERS. 5.---*Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei.*

21. *Sanctis intus Deo vacantibus, mali sola exteriora quaerunt. Religionem non habent, sed simulant.*---Omnes autem qui divina praecepta metuunt, Dei tabernaculum fiunt. Unde, ut supra jam diximus (**Num. 6**), per semetipsam Veritas dicit de eo qui illius mandata custodit: *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (**Joan. XIV, 23**). Quod contra perversi quique dum interna non appetunt, in suis se

cogitationibus foras fundunt. Unde eis per prophetam dicitur: *Redite praevaricatores ad cor* (Isai. XLVI, 8). Et rursum: *Vae qui cogitatis inutile* (Michae. II, 1). In actionibus quippe suis verentur homines, quos corporaliter vident, et Deum sibi praesentem non aestimant esse, quem non vident. Quod contra in laude justis dicitur, dum Aegypti regem contemneret, et Dei mandatis obediret: *Quia invisibilem tanquam videns sustinuit* (Hebr. XI, 27). Perversum quippe terrae principem quasi non vidit, quem ab oculis sui cordis abiecit. Regem vero invisibilem tanquam videns sustinuit, quia ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit. Sancta itaque Ecclesia in magnis tunc tribulationibus deprehensa, cum multos a Deo conspiciit prava cogitatione discedere, videt profecto mentis eorum habitaculum discendente Deo vacuum remanere, et jure deplorans dicit: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.* [Vet. XI.] Quibus verbis non immerito etiam simulatio religionis plangitur, quia nonnulli etiam nunc Christiani esse non appetunt, sed videri. His videlicet Deus in publico est, non in secreto. Sed sancta Ecclesia Deum in secreto habere desiderat, quia illos vere fideles respicit, quos ad fidei vitam corde pleno permanere cognoscit. Quae juxta exteriorem quoque vigoris sui rectitudinem dicit: *Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei.* Pueri scilicet vocantur, qui coelestibus mandatis inserviunt. Unde per prophetam Dominus dicit: *Ecce ego et pueri mei quos mihi dedit* 615 *Deus* (Isa. VIII, 18). Et rursus in Evangelio: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis* (Joan. XXI, 5)? Nunc ergo in circuitu ejus sunt pueri, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur qui coelestia mandata custodiunt, et spiritualis disciplinae regulis obsequuntur. Qui profecto tunc ad

obsequium pueri deerunt, quando pravi qui reperti fuerint spiritalia ejus mandata contemnunt. Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. X*].

VERS. 6.---*Quando lavabam pedes meos butyro.*

22. *Pedes Domini praedicatores, quos ungit et mundit.*--- Quia Christum et Ecclesiam unam esse personam crebro jam diximus, illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitis corpus, aliter haec verba juxta vocem capitis accipi, atque aliter juxta vocem corporis debent. Quos ergo pedes Domini, nisi sanctos praedicatores accipimus? De quibus dicit: *Et inambulabo in eis (Levit. XXVI, 12)*. Butyro ergo pedes lavantur, quia praedicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. Etenim, ut supra jam diximus (**Lib. I, n. 30**), vix ipsa praedicatio sine aliquo transitur admisso. Nam quilibet praedicans, aut ad quantulamcunque indignationem trahitur, si contemnitur; aut ad aliquantulamcunque gloriam, si ab audientibus veneratur. Unde et apostolis pedes loti sunt, ut a quamlibet parvo contagio in ipsa praedicatione contracto, quasi a quodam itinere collecto pulvere mundarentur. Et beatus Jacobus dicit: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei (Jac. III, 1)*. Et paulo post: *In multis enim offendimus omnes (Ibid., 2)*. Pedes ergo lavantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur atque mundatur collectus pulvis de gloria praedicationis. Vel certe butyro pedes lavantur, dum sanctis praedicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur,

et quos fatigat injunctus praedicationis labor exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet, non quod ideo praedicent ut alantur, sed ideo alantur ut praedicent; id est, ut praedicare subsistant, non ut in intentionem sumendi victus transeat actio praedicatoris, sed ad utilitatem praedicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde a bonis praedicatoribus non causa victus praedicatio impenditur, sed causa praedicationis accipitur victus. Et quoties praedicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quaero datum, sed requiro fructum* (**Phil. IV, 17**). Datum quippe est res ipsa quae impenditur; fructus vero dati est, si benigna mente futurae mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quaerere fatetur. Unde et subdidit protinus, dicens: *Habeo autem omnia, et abundo* (**Ibid., 18**). Butyro ergo lavantur pedes, cum praedicatores sancti, ut diximus, ipsa praedicatione fatigati, auditorum suorum bonis operibus foveantur. Fessos namque pedes butyro unxerat ille qui audiebat: *Viscera sanctorum requieverunt per te, frater* (**Philem. 7**). Hoc butyro unctus fuerat pes qui in catena tenebatur, dicens: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui; quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit* (**I Tim. II, 16**). Si ergo ex voce capitis haec verba pensamus, **616** recte pedes, sicut dictum est, praedicatores accipimus.

[Vet. XII.] 23. *Pedes Ecclesiae sunt inferiores ministri, qui terrena curant.*---Si autem sentire ista ex voce solius corporis

debemus, nimirum pedes Ecclesiae sunt inferiorum operum ministri, qui dum ad usus necessarios ea quae sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terrae inhaerent. Sed debent hi qui praesunt, qui doctrinae studio invigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam ipsi vacando percipiunt, crebrae admonitionis voce, infusionem pinguedinis ministrare. Nam quia in uno corpore invicem pro se membra sollicita sunt, sicut illorum ministeriis nostra extrema fulciuntur, ita necesse est ut nostris studiis illorum interiora repleantur. Quando igitur sancti doctores quibusdam ad extrema ministeria deditis, unctionem dominicae incarnationis praedicant, butyro eloquii pedes lavant. Solent etiam pedes ipsa itineris asperitate lacerari. Unde et omnino difficile est in terrenis actionibus hujus vitae iter agere, et nulla ex labore itineris vulnera sustinere. Cum ergo vigilantes praepositi, auditores suos curis exterioribus intentos ad cor revocant, ut quae inter ipsa licita opera admiserint mala cognoscant, et quae cognoverint defleant, pedes butyro lavant, quia eorum vulneribus poenitentiae unguenta subministrant. Reminiscatur igitur tunc Ecclesia vehementer afflicta, quomodo pacis suae tempore per exhortationis verbum, membra in se etiam extrema mundabat, et dicat: *Quando lavabam pedes meos butyro*. Quod de beato Job admirabiliter libet intueri, qui inter tot curas rerum, inter tot affectus pignerum, inter tot studia sacrificiorum, subjectis suis quamlibet extremis, bona sequentis vitae praedicabat, ut eos de coelestibus imbueret, qui sibi ad terrena opera deservirent. Quid ad haec nos episcopi dicimus, qui commissis nobis verbum vitae impendere non curamus, quando conjugatum virum prohibere non valuit ab officio praedicationis vel

saecularis habitus, vel magnae occupatio facultatis? [*Rec. XI*]. Sed servata veritate historiae, ad sanctae Ecclesiae jam verba redeamus, quae per beatum Job, id est per os membri sui loquitur, quanta sint quae tempore extremo patietur, cum transactorum suorum reminiscitur, cum per eam videlicet verbi pinguedinem operantium vita lavaretur. Quae ipsam quoque praedicatorum suorum vigilantiam plenius exsequens, subdit:

CAPUT XV.

IBID. *Et petra fundebat mihi rivos olei.*

24. *In Ecclesia rivi olei sunt vel sacra dogmata, vel sancti Spiritus gratia.*---Quia petrae nomine Christus accipitur, praedicator egregius fatetur, dicens: *Petra autem erat Christus (I Cor. X, 4)*. Quae videlicet petra nunc ad usum sanctae Ecclesiae olei rivos fundit, quia in ea loquens Dominus, praedicamenta unctionis intimae emanat. De hac petra olei rivus exiit, liber Matthaei, liber Marci, liber Lucae, et liber Joannis. In diversis hujus mundi partibus quod praedicamenta edidit, tot petra haec per ora apostolorum omnium olei rivos fudit. Toties adhuc de petra hac olei rivus funditur, quoties a sancto Spiritu ungentis mentibus auditorum ea quae in libris veteribus de Christo dicta sunt explanantur. Et rivi vocantur olei, **617** quia decurrunt et ungunt. In quibus quisquis tingitur ungitur, quisquis ungitur interius impinguatur [*Vet. XIII*]. De qua nimirum pinguedine Psalmista ait: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima*

mea (Psal. LXII, 6). Potest nomine olei ipsa sancti Spiritus unctio designari, de qua per prophetam dicitur: Computrescit jugum a facie olei (Isai. X, 27). Jugum quippe a facie olei computrescit, quia dum sancti Spiritus gratia ungimur, a captivitatis nostrae servitute liberamur: dumque maligni spiritus dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quo libertatis nostrae colla premebantur. De hoc rursus oleo scriptum est: Vineam factam dilectum meum in cornu filio olei (Isai. V, 1). Filius quippe olei, fidelis populus dicitur, qui ad fidem Dei interna sancti Spiritus unctione generatur. Multis ergo tunc sancta Ecclesia tribulationibus depressa, dona Spiritus, et mira quae nunc habet praedicamenta, ad memoriam revocet, et suum silentium deploret, dicens: Petra fundebat mihi rivum olei. Quibus verbis congrue subjicit:

CAPUT XVI.

VERS. 7-10.---*Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant mihi cathedram. Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhaerebat.*

25. *Bona opera et doctrinae cathedra, Ecclesiae insignia sunt.*---Mos veterum fuit ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent, quatenus tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret. Sed nos sacram historiam venerantes, haec egisse beatum Job

pro cultu justitiae certum tenemus, atque ad indaganda allegoriae mysteria ducimur. Quid ergo per civitatis portam, nisi bona quaeque actio designatur, per quam anima ad conventum regni coelestis ingreditur? Unde et Propheta ait: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion* (**Psal. IX, 15**). Portae quippe mortis sunt actiones pravae, quae ad interitum trahunt. Quia autem Sion speculatio dicitur, portas Sion, actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut Regis nostri gloriam contemplemur. Quid vero per cathedram, nisi magisterii auctoritas designatur? Graeca autem voce platea pro latitudine ponitur. Nunc ergo sancta Ecclesia ad civitatis portam procedit, quia ut aditum coelestis regni percipiat, in sanctis se actionibus exerit. Cui in platea paratur cathedra, quia in magnae auctoritatis latitudine sui magisterii exhibet libertatem. Quae enim recta quae sentit publica voce praedicat, quasi in platea cathedram sedet, cum nullum de sua praedicatione metuit, nullius pressa terroribus, se sub silentio abscondit. An non in publico ad docendum praesidet, quam simul et sentiendi veritas, et docendi potestas fulcit? Sed cum ad portam procederet, et in platea cathedram sederet, quid a levibus, quidve a gravibus ageretur, adjungit dicens:

CAPUT XVII.

VERS. 8.---*Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant.*

618 26. *Ecclesiae vigorem, et rectitudinem imperfecti formidant; diligunt perfecti.*---Si historiae intendimus, quae dixit credimus; si allegoriae, quae praedixit videmus. Juvenes namque dici solent qui nulla consilii gravitate deprimuntur. Senes vero non eos Scriptura sacra vocare consuevit, qui sola quantitate temporum, sed morum grandaevitate maturi sunt. Unde per quemdam sapientem dicitur: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* (**Sap. IV, 8**). Unde recte quoque Dominus ad Moysen dicit: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sunt* (**Num. XI, 16**). In quibus quid aliud quam senectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quaereretur, a tantis sciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur: *Quos tu nosti quod senes populi sunt*, profecto liquet quia senectus mentis, non corporis, eligenda nuntiatur. [*Vet. XIV.*] Sanctam ergo Ecclesiam vident nunc juvenes, et absconduntur, senes vero ei assurgentes assistunt, quia vigorem ejus atque rectitudinem immaturi formidant, grandaevi glorificant. Leves quique sunt, fugiunt; graves vero atque perfecti hanc vitae suae meritis assurgendo venerantur. Disciplinam quippe illius perfecti diligunt, imperfecti reprehendunt. Vident ergo hanc juvenes et absconduntur, quia deprehendi in suis occultis actionibus metuunt. Senes vero assurgentes stant, quia perfecti quique ex humilitate indicant, quantum in bona operatione profecerunt. Sed quia haec de suis loquitur, narret quoque qualiter ab exteris timeatur:

CAPUT XVIII.

VERS. 9, 10.---*Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhaerebat.*

27. *Haeretici silere coacti S. Gregorii temporibus. Haeretici in culpa concordant, in sentiis discrepant. In Ecclesiae adversis, haeretici libere praedicant.*---Qui hoc loco alii duces intelligi vel principes possunt nisi haereticae pravitatis auctores? De quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est contentio super principes eorum, et seduxerunt eos in invio, et non in via (Psal. CVI, 40).* Ipsi etenim dum dispensationem Dei perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas non in eam viam quae Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque effusa contentio dicitur, quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. Arius quippe tres personas in divinitate suscipiens, tres etiam deos credidit. Quem contra Sabellius unum Deum suscipiens, unam credidit esse personam. Inter quos sancta Ecclesia rectum praedicationis suae tramitem indeclinabiliter tenens, et unum Deum praedicans, tres personas contra Sabellium asserit, et tres personas asserens, unum Deum contra Arium confitetur. Quia autem in sacro eloquio Manichaeus virginitatem laudari comperit, conjugia damnavit. At contra Jovinianus quia concedi conjugia cognovit, virginitatis munditiam despexit. Unde fit ut semper haeticis perversa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia et in culpa concordet, et in sententia discrepet. At contra sancta Ecclesia per medias utrarumque partium lites **619** ordinata pace graditur, et sic scit superiora bona suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari,

quatenus nec summa aequet infimis, nec rursum ima despiciat, cum summa veneratur. Nunc ergo haereticarum plebium principes, auctoritatem sanctae Ecclesiae perpendentes, cessant loqui, et quasi ori suo digitum superponunt, dum falsis querelis non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant. Vocem suam duces cohibent, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere conantur, ne loqui perversa nunc audeant, et auctoritatis frenantur pondere, et virtute rationis. Quorum lingua suo gutturi adhaeret, quia etsi perversa loqui libera voce non audeant, intus tamen apud se contegunt cuncta quae contra veram fidem proponere falsa moliuntur. Horum ergo temporum, sequenti tribulatione deprehensa, reminiscens Ecclesia deplorat, dicens: *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi. Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam duces cohibebant, et lingua eorum gutturi suo adhaerebat.* Ac si aperte dicat: Cum praedicare mihi voce publica licuit, omnis me qui veritati non fuit subjectus expavit. Illo namque tempore cum sancta Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque praedicatoribus licentia locutionis datur. [*Vet. XV.*] Quod longe ante Jeremias intuens, ait: *Sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos* (**Thren. IV, 3**). Quid namque lamias, nisi haereticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes? Qui tunc mammam nudant, cum errorem suum libere praedicant. Tunc catulos lactant, quia male sequaces parvulorum animas dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Sequitur:

CAPUT XIX [*Rec. XII*].

VERS. 11.---*Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi.*

28. *Ecclesiae testimonium reddere debemus bene vivendo.*---
Dum beatificari se ab audientibus, sibique testimonium reddi a videntibus fatetur beatus Job, qualis in sermone, qualis in opere fuerit, ostenditur. Neque enim aut in opere jam perfectus est, cui adhuc linguae pravitas contradicit; aut in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur opere non ostendit. Ut igitur beatus Job amicorum suorum increpationibus exactus utraque se habuisse perhibeat, sese et audientibus et videntibus venerationi fuisse manifestat. Quod si ad vocem sanctae Ecclesiae referamus, ille ejus verba beatificat, quia ea quae audierit opere consummat. Ille ei testimonium reddit, qui exemplis vitae illi bene vivendo respondet. Sanctam etenim Ecclesiam ille veraciter videt, cujus testatur vita quia videt. Ad hoc namque bonorum intra eam rectitudo cernitur, ut quique hanc viderint, a suis pravitatibus corrigantur. Necdum ergo intra sanctam Ecclesiam videt bonos, qui non est emendatus a malis. Sed unde ei testimonium reddatur, ostenditur cum subjungit:

CAPUT XX.

VERS. 12, 13.---*Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum.*

29. *Ecclesia filios suos et pascit et protegit.*---Magnae misericordiae ista sunt opera, liberare **620** vociferantem pauperem, pupillo adjutorium ministrare, perituum eripere, cor viduae consolari. Superius enim dictum est quid exhibuit per doctrinam. Ait namque: *Auris audiens beatificabat me.* Nunc autem narrat quae per misericordiam impendit, dicens: *Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor.* Vox quippe cum opere sibi necessario concordat. Haec beatus Job et exhibuit subditis, et tamen per sanctam Ecclesiam exhibenda signavit. Quae utrumque nunc incessabiliter exercet, ut videlicet filios suos et loquendo pascit, et defendendo protegat, quatenus et per verba bonos satiet, et per patrocinia tueatur a malis. Bene autem scriptum est: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum fructiferum faciens fructum juxta genus suum (Genes. I, 11).* Quod sic est veraciter factum, ut significaret aliquid veraciter faciendum. Per terram quippe figuratur Ecclesia, quae et verbi nos pabulo reficit, et patrocinii umbraculo custodit; quae et loquendo pascit, et opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed et cum fructu operis arborem protectionis.

[*Vet. XVI.*] 30. *In Ecclesiae rectoribus nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.*---Perpendendum quoque video his qui plebium gubernationibus praesunt, quod superius dicens: *Videbant me juvenes, et abscondebantur;* nunc astruit: *Cor viduae consolatus sum.* Quanta disciplina regminis, ut ante eum juvenes abscondantur; quanta

mansuetudo pietatis, ut per eum viduarum corda consolentur! Sunt namque (**Dist. 45, can. sunt namque**) nonnulli ita districti, ut omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant, et sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. Unde cunctis rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinae vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinae, quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt; nec disciplinae vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinae vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

31. *Pietatis opera corporaliter et spiritaliter exhibentur ab Ecclesia.*---Haec autem quae supra diximus pietatis opera sancta Ecclesia et corporaliter exhibet, et spiritaliter exhibere non cessat. Nam pauperem vociferantem liberat, cum peccatori veniam deprecanti eas quas commiserat culpas relaxat. De talibus quippe pauperibus dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* (**Matth. V, 3**). Et talium pauperum clamor est Psalmistae voce dicentium: *Cito nos anticipet misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis* (**Psal. LXXVIII, 8**). Pupillum vero cui non est adjutor liberat, dum unusquisque, mortuo antiquo patre diabolo, ad sanctae Ecclesiae sinum currens, in ea exhortationis adjutorium invenit, qui jam desideria mundi persequentis fugit. Potest pupilli nomine fidelis quisque etiam propter mortem boni patris intelligi, cujus ad tempus visione destitutus est, quamvis solatio destitutus non est. Benedictio etiam perituri super eam venit, cum peccatoris interitum

praevenit, et cum sanctis exhortationibus a culpae fovea reducit. Unde scriptum est: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae 621 suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (Jac. V, 20)*. Si enim magnae mercedis est a morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti a morte animam liberare, in coelesti patria sine fine victuram? Cor autem viduae consolatur, dum fidei cuique animae qui aeternas Domini retributiones narrat, quasi viri sui bona ad memoriam revocat. Cui quia spiritaliter anima juncta est, eo mortuo vidua dicitur, sed sanctae Ecclesiae vocibus ex ejus resurrectione refovetur. Magnam ergo consolationem cor viduae suscipit, quando fidelis anima in verbis Ecclesiae de adventu illius aliquid, cui spiritaliter est conjuncta, cognoscit. Sequitur:

CAPUT XXI.

VERS. 14.---*Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento.*

32. *Nulla bona opera sunt, si pravis quibusdam maculentur.* --Vestimento utique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, et nullam partem actionis suae peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus; quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera, quae subortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Qui in uno*

offenderit, multa bona perdet (Eccle. IX, 18). Hinc Jacobus dicit: Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus (Jac. II, 10). Quam videlicet sententiam suam ipse diligenter exposuit, cum subjunxit: Qui enim dixit, Non moechaberis, dixit et, Non occides. Quod si non moechaberis, occidas autem, factus es transgressor legis (Ibid., 11).

[Vet. XVII.] 33. *Hinc adhibenda undique custodia et vigilantia. Frustra munita sunt caetera, cum vel unus hosti panditur aditus.*---Cordis ergo oculis circumquaque porrectis, undique nobis adhibenda custodia est. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (Prov. IV, 23).* Dicturus enim *custodia*, praemisit *omni*, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat, et quandiu in hac vita est, contra spiritales inimicos in acie se positum sciat, ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat, ne hinc hosti fores obstruat, et aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur; inde procul dubio hostis ingreditur, qui undique exclusus videbatur. Pharisaeus namque ille, qui in templum oraturus ascendit, civitatem mentis suae quanta munitione vallaverit, audiamus: *Jejuno, inquit, bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo (Luc. XVIII, 12).* Qui praemisit: *Gratias ago tibi*, magna certe munimina adhibuit. Sed videamus ubi insidianti hosti immunitum foramen reliquit: *Quia non sum sicut publicanus iste (Ibid., 11).* Ecce civitatem cordis sui

insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium et eleemosynas clausit. Incassum munita sunt caetera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias recte egit, sed perverse se super publicanum extulit. Civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo et largiendo servavit. Victa est per abstinentiam gula, destructa ventris ingluvies, superata est **622** largitate tenacia, avaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed o quot labores uno vitio percussi ceciderunt, quanta bona unius culpae gladio sunt perempta! Unde magnopere oportet et bona semper agere, et ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire, ne si mentem elevant, bona non sint, quae non auctori militant, sed elationi.

[*Rec. XIII*]. 34. *Maxime cavendum a superbia.*---De qua re non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiae editis, testimonium proferamus. Eleazar namque in praelio elephantem feriens stravit, sed sub ipso quem exstinxit occubuit (**I Mach. VI, 46**). Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quae subigunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat elevatur. Pensandum ergo magnopere est quia bona prodesse nequeunt, si mala quae subrepunt non caventur. Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Unde bene quoque de ipso primo parente dicitur: *Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret* (**Genes. II, 15**). Operatur quippe qui agit bonum quod praecipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepat quod prohibetur. Beatus igitur Job, quia ex omni parte bono se opere texerat,

dicat: *Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento*. Ubi protinus subditur:

CAPUT XXII [*Vet. XVIII*].

IBID.---*Et diademate, judicio meo*.

35. *Justi sollicite attendunt, quid Deo, quid proximo debeant*.--Justorum judicia recte diademati comparantur, quia per magni operis gloriam ad retributionis ducunt coronam. Quae nimirum judicia secum quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo debeant, solerter aspiciunt, atque ad agenda bona se vehementer accendunt, et de perpetratis malis districte redarguunt. Unde bene quoque per Salomonem dicitur: *Cogitationes justorum judicia* (**Prov. XII, 5**). Intus quippe ab omni strepitu saeculari ad corda sua redeunt, ibique ascendunt tribunal mentis, atque ante oculos se et proximum statuunt, deducunt ad medium regulam testamenti, qua dicitur: *Quae vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (**Matth. VII, 12**). Transferunt in se personam proximi, et sollicite attendunt quid sibi si ita essent fieri vel non fieri juste voluissent, sicque districto jure atque judicio causam suam et proximi juxta tabulas divinae legis in foro cordis examinant. Bene ergo dicitur: *Cogitationes justorum judicia*, quia ipse eorum intimus motus cordis, quasi quaedam libra est judicariae potestatis. Quibus peractis, quia retributionem inferius non requirunt, recte eorum judicia diademati comparantur. Diadema quippe in superiori parte corporis ponitur. Justorum ergo judicium diadema dicitur,

quia per hoc non in terrenis et infimis, sed sursum remunerari concupiscunt. Sequitur

CAPUT XXIII [*Rec. XIV*].

VERS. 15, 16.---*Oculus fui caeco, et pes claudō. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.*

36. *Bona opera etsi humilitate occultanda, necessitate tamen aliquando publicanda.*---Inter haec lectoris animus forsitan quaerat cur beatus Job suas tam subtiliter virtutes enumeret. **623** Sanctorum quippe virorum est bona quae fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Unde per semetipsam Veritas dicit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (**Matth. VI, 1**). Hinc est etiam quod duos caecos juxta viam sedentes illuminans, praecepit dicens: *Videte ne quis sciat* (**Matth. IX, 30**). De quibus illico scriptum est quia illi abeuntes diffamaverunt eum per totam terram illam. Sed quaerendum nobis est quid sit hoc quod ipse Omnipotens, cui hoc est velle quod posse, et taceri virtutes suas voluit, et tamen ab his qui illuminati sunt quasi invitus indicatur, nisi quod servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent, et tamen, ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti, et facta quidem sua occultando seipsos custodiant, sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occulentur ergo studio, necessitate publicentur; et eorum occultatio sit

custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena. Rursum quia scriptum est: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (**Matth. V, 15**). Aliquando sancti viri et coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare; sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui in coelis est debeat glorificari. Dum enim sancta praedicant, ipsi praedicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare. Et facta sua referunt, ut venerationi sint; venerari appetunt, ut reverenter audiantur. Scriptum quippe est: *Cum elevarentur animalia de terra, elevabantur pariter et rotae* (**Ezech. I, 19**), quia videlicet cum auditorum mentes praedicantium vitam suspiciunt, necessario utique etiam vim praedicationis admirantur.

[*Vet. XIX*]. 37. *Quod sanctus Paulus exempto suo comprobavit. Qui eum imitantur non elationi serviunt, sed humilitati.*---Hinc est ergo quod praedicatores boni et honorem propter elationem fugiunt, et honorari tamen propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus apostolus discipulis loquens, et honorem fugit, et tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae, Deus testis est* (**I Thess. II, 5**), secutus adjunxit: *Neque quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus oneri vobis esse, ut Christi apostoli, sed facti sumus*

parvuli in medio vestrum (Ibid., 6, 7). Rursus Corinthiis, honorem fugiens, dicit: *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum Christum (II Cor. IV, 5).* Quos tamen videns falsorum apostolorum persuasionibus a verae fidei tramite deviare, eis se summopere quantum esset venerandus ostendit, dicens: *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego. Hebraei sunt, et ego. Israelitae sunt, 624 et ego. Semen Abrahae sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego. Ut minus sapiens dico, plus ego (II Cor. XI, 21-23).* Quibus etiam subjungit quod ei quoque tertii coeli secreta patuerint, quod raptus etiam paradisi arcana penetrarit. Ecce honorem fugiens servum se discipulorum praedicat. Ecce honorem pro utilitate audientium quaerens falsis apostolis vitae suae merita superponit. Egit quippe doctor egregius ut dum ipse qualis esset agnoscitur, et vita et lingua male praedicantium, ejus comparatione vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet; cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo et humilitatis exhibet gratiam, et utilitatis quaerit incrementa, ut et servum se discipulorum praedicet, et adversariis potio-rem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperit, ostendit adversariis quid sublimitatis. Innotescit contra adversarios quid habent ex munere, innotescit discipulis qualis apud se maneat in cogitatione, innotescit adversariis qualis foris appareat in operatione. Sancti ergo viri cum coguntur bona narrare quae faciunt, non elationi serviunt, sed utilitati. Unde beatus Job amicis suis se injuste increpantibus, atque idcirco nescientibus bona sua, loquendo aperit, ut nimirum discerent non contra ejus vitam increpantes erigi, sed hanc tacentes imitari, quamvis, ut supra jam diximus, hunc

ad memoriam facta sua reducere, invecta ab increpantibus desperatio compellebat. Nam inter tot dolores vulneris et verba desperationis, cum bona quae fecit narrat, quasi collapsum verbis et verberibus ad spem animum reformat. Dicat ergo bona quae fecit, ut non cogatur inter tot mala de se desperare quae audit. *Oculus fui caeco, et pes claudō.*

38. *Justitiae opera praemitti debent operibus misericordiae. Qui eleemosynas largitur, nec abstinet a peccato, rem suam Deo tribuit, et seipsum peccato.*---Cum sancti operis exempla pensamus, intuendum nobis prius est, quam rectus narrandi ordo servetur, ut ante justitiae, et post misericordiae opera describantur. Ille quippe bene agit quae pia sunt, qui scit prius servare quae justa, ut collatus in proximos rivus misericordiae de justitiae fonte ducatur. [*Vet. XX.*] Nam multi proximis quasi opera misericordiae impendunt, sed injustitiae facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere student, sibi ipsis prius debuerant juste vivendo misereri. Unde scriptum est: *Miserere animae tuae placens Deo (Eccli. XXX, 24).* Qui ergo misereri vult proximo, a se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namque est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum (Matth. XIX, 19).* Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc injuste vivendo fit impius sibimetipsi? Unde per quemdam sapientem dicitur: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit (Eccli. XIV, 5)?* Ad exhibendam quippe misericordiam ut indigentibus plene exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt, id est homo qui praebeat, et res quae praebeatur. Sed longe incomparabiliter melior est homo quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorē substantiam praebet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, et se

peccato. Hoc quod minus est obtulit auctori, et hoc quod majus est servavit iniquitati. **625** Bene itaque per beatum Job prius dicitur: *Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento; et sicut diademate, judicio meo.* Ac deinde subjungitur: *Oculus fui caeco, et pes claud.* Quia tunc est apud Deum oblatio verae rectitudinis, cum de radice justitiae prodeunt rami pietatis. Sed quia in ipso misericordiae opere plus solet apud internum judicem animus pensari quam factum, notandum quod caeco oculum fuisse se asserit, pedem claud. Haec etenim dicens, profecto indicat quia et illi per semetipsum manum praebuerat, et hunc portando sustinebat. Ex qua re colligitur, super egenos ac debiles quantum misericordiae illius viscera fundebantur. Unde et subditur: *Pater eram pauperum.*

39. Ecclesia caecos illuminat, claudos sustentat.---Quae videlicet verba si ad vocem sanctae Ecclesiae typica interpretatione referamus, ipsa est oculus caeco, quia per verbum lucet, ipsa pes claud, quia per adjutorium continet. Caecos enim praedicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Caecus quippe est qui adhuc quo pergat non videt; claudus autem est, qui non potest ire quo videt. Crebro namque peccatum aut ignorantia aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. Quo contra recte per Psalmistam dicitur: *Dominus illuminatio mea et salus mea (Psal. XXVI, 1).* Quia enim Dominus et scientiam et virtutem praebet, et contra ignorantiam illuminatio, et contra infirmitatem salus vocatur. Hinc etiam de iniquis dicitur: *Fiant viae illorum tenebrae, et lubricum (Psal. XXXIV, 6),* ut scilicet per tenebras quo ire debent non videant, qui etsi recta viderent, in

eis tamen per lubricum stare non possent. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras quae bona sequantur ignorant. Sancta itaque Ecclesia extremis tribulationibus deprehensa, antiquorum reminiscitur temporum, quando et docendo illuminare consueverat, et adjuvando firmare, et praecedentis membri sui ore loquitur, dicens: *Oculus fui caeco, et pes claudo.*

[*Vet. XXI.*] 40. *Caeci sunt gentiles, claudi vero Judaei.*---Quae quia duos in se populos collegit, Judaicum scilicet atque gentilem, recte etiam potest caeco gentilis, claudus autem Judaicus populus designari. Gentilis quippe quasi oculos non habuit, quia non accepta lege non vidit quo ire debuisset. At contra Judaicus habens oculos, claudus fuit, quia legem quidem sciendo tenuit, sed in ea gressum recti operis non tetendit. Si enim gentilis populus caecus minime fuisset, propheta non diceret: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (Isai. IX, 2).* Rursum si Israeliticus populus a bono opere minime claudicasset, nequaquam voce Domini Psalmista dixisset: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis (Psal. XVII, 46).* Qui nimirum populus claudus idcirco nominatur, qui sanum gressum in operatione non habuit, quippe qui utroque pede uti noluit, dum unum Testamentum recepit, aliud sprexit. Quem cum ad se venientem sancta Ecclesia suscipit, quia ei jam Vetus tenenti, etiam Novum Testamentum inserit, ad dirigendos gressus illius, quasi alterum pedem jungit. Qui fidelis sanctae Ecclesiae populus adhuc recte subjungit: *Pater eram pauperum, 626* quia videlicet humiles, qui pauperes spiritu dicti sunt, ex ejus praedicatione generantur. Sed

oportet ut in his omnibus ipsa historiae subtiliter verba pensemus. Ait enim:

CAPUT XXIV.

VERS. 16.---*Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.*

41. *Praestat bonum opus ex affectu facere, quam ex praecepto.*---Plerumque enim multa homines pauperibus largiuntur, non quia eosdem pauperes diligunt, sed quia si minime tribuant, iram iudicis superni formidant; qui si Deum non metuerent, quae habent dare noluissent. Et quidem in bono opere primus incipientium gradus est ut qui adhuc proximum sicut se nescit diligere, jam tamen incipiat iudicia superna formidare. Quia igitur aliud est bonum opus ex praecepto, aliud vero etiam ex affectu facere, sanctus vir ut mentem nobis suae operationis insinuet, dicat: *Pater eram pauperum.* Non enim patronum se, vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur, quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiae vertit in affectum naturae, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater praeerat per protectionem. Quia igitur vis misericordiae illius naturam fuerat imitata, patrem se pauperum fuisse commemorat. Ubi etiam subdit.

CAPUT XXV.

IBID.---*Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.*

42. *Etsi nulla bona opera negligenda, minora tamen potioribus postponi debent.*---In quibus videlicet verbis pensanda sunt omnia quam distincte narrentur, quod nulla ab eo merces praetermittitur. Justus quippe est in actionibus suis, pius in infirmitatibus proximorum, strenuus in negotiis pauperum. Qui enim aeternae retributionis bona cogitat, necesse est ut ad omnem se causam secuturæ mercedis extendat. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Qui Deum timet, nihil negligit (Eccle. VII, 19)*. Hinc etiam Paulus ait: *Ad omne opus bonum parati (II Tim. II, 21)*. Sed inter haec sciendum est quia aliquando in actionibus nostris minora bona praetermittenda sunt pro utilitate majorum. Nam quis ignoret esse boni operis meritum, mortuum sepelire? et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se dimitti poposcerat dictum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei (Luc. IX, 60)*. Postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio praedicationis, quia illo carne mortuos in terram conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret. Per prophetam quoque primatibus synagogae dicitur: *Quaerite judicium, subvenite oppresso (Isai. I, 17)*. Et tamen Paulus apostolus dicit: *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum (I Cor. VI, 4)*. Auditores etenim suos ad virtutem sapientiae, ad linguarum genera, ad prophetiae quoque indaganda mysteria succendebat, dicens: *Aemulamini spiritalia, magis autem ut prophetetis (I Cor. XIV, 1)*. Sed quia spiritalia dona non caperent, si terrena eos negotia depressissent, longe ante praemisit, dicens: *Contemptibiles*

qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum (I Cor. VI, 4). Ac si aperte dicat, qui minoris meriti sunt in Ecclesia, et nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur. Quos et contemptibiles nominat, et tamen sapientes vocat, cum dicit: *Sic non est sapiens inter vos quisquam, qui possit iudicare 627 inter fratrem suum (Ibid., 5)?* Qua ex re quid colligitur, nisi ut hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt? Qui autem spiritalibus donis ditati sunt, profecto terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deservire.

[*Vet. XXII.*] 43. *Qui per se non possunt, per alios officia charitatis exercere tenentur.*---Sed curandum magnopere est ut hi qui donis spiritalibus emicant nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant, sed haec aliis quibus dignum est tractanda committant. Unde Moyses quoque ac populum viros pro se septuaginta constituit, ut quanto se ab exterioribus causis absconderet, tanto ardentius interna penetraret. Sicque fit ut summi viri magis ad spiritalia dona proficiant, dum eorum mentes res infimae non conculcant; et rursum viri in Ecclesia ultimi sine bono opere non vivant, dum in rebus exterioribus inveniunt recta quae agant. Sancta quippe Ecclesia sic consistit unitate fidelium, sicut corpus nostrum unitum est compage membrorum. Alia namque sunt membra in corpore quae intuendae luci deserviunt, alia quae a terrae tactu minime disjunguntur. Oculus quippe luci intenditur, et ne caecari valeat, a pulvere custoditur. Pes vero tunc suum officium recte peragit, cum suscipiendum terrae pulverem non refugit. Quae tamen corporis membra vicissim

sibi sua officia impartiendo copulantur, ut pes oculis currat, et oculus pedi prospiciat.

44. *Membra Ecclesiae, etsi officio distincta, sunt charitate conjuncta.*---Sic itaque sic sanctae Ecclesiae membra debent et officio esse distincta, et charitate conjuncta, ut summi viri eorum viam provideant, qui in terrenis negotiis vacant, quatenus velut ad lumen oculorum pes ambulet, et rursum quidquid terrenis negotiis implicati agunt, hoc ad majorum utilitatem referant, ut pes cujus via prospicitur, non sibi tantummodo, sed etiam oculis gradiatur. Dum itaque sibi invicem alterna administratione conveniunt, miro modo agitur, ut quia electi quique vicissim sibimet impendendo quod valent faciunt, eorum fiant opera etiam quae facere ipsi non possunt.

45. *Necessitate suadente, contemplatio intermittenda, ut proximi utilitati serviatur.*---Sed inter haec sciendum est quia cum proximorum causis exterioribus qui apte deserviant desunt, debent hi quoque qui spiritalibus donis pleni sunt eorum infirmitati condescendere terrenisque illorum necessitatibus, in quantum decenter valeant, charitatis condescensione servire. Nec taedere animum debet, si sensus ejus contemplationi spiritalium semper intentus aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate, voluit paulominus ab angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit? Nec tamen minoratur sensus cum sic attrahitur, quia tanto subtilius superiora penetrat, quanto humiliter pro amore conditoris nec

inferiora contemnit. Quid indignum nobis vel difficile est, si supra infraque animum ducimus, qui eadem manu corporis lavamus faciem, qua etiam calceamus pedem? Beatus igitur Job **628** quia cum magna ageret minima non despexit, dicat: [*Vet. XXIII.*] *Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.*

46. *In judiciis non simus praecipites. Majora crimina tardius credenda; sed cum agnoscuntur, citius punienda.*---Qua in re notandum video ne ad proferendam sententiam unquam praecipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quaelibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensamus. Ipse quippe ut nos a praecipitata sententiae prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomae noluit audita judicare, qui ait: *Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis; descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (**Genes. XVIII, 20**). Omnipotens itaque Dominus (**2, q. 1, c. Deus omnipotens**) et omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante praesumamus credere quam probare? Ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit; atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est: *Tu autem Domine, cum tranquillitate judicas* (**Sap. XII, 18**), ille de quo scriptum est rursum: *Dominus patiens est redditor* (**Eccli. V, 4**); tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam praetermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos

igne iudicii, ante iudicii diem praevenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit cum audivit, et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit, ut nobis videlicet daret exemplum, quod maiora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda sunt cum veraciter agnoscuntur. Hujus ergo diligentiae beatus Job sollicitudinem gerens, ait: *Et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Quae scilicet verba etiam per vocem Ecclesiae ad interpretationem typicam possumus non inconvenienter referre. Ipsa quippe per electos suos cum mala carnalium iudicat, hoc quod nescit investigat, quia mala quae nescit operando investigat per iudicium corrigendo. Sancta itaque Ecclesia cum in iustorum fuerit ad tempus improbitate compressa, reminiscitur dicens: *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam*. Ac si aperte dicat: Mala quae in electis meis agendo non noveram, in iniquis hominibus districte iudicando plectebam. Et quia nunc virtute praedicationis suae diabolum conterit, atque ex ejus ore uniuscujusque quem suscipit animam rapit, sequitur dicens:

CAPUT XXVI [*Rec. XV*].

VERS. 17.---*Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam praedam*.

47. *Ecclesia diabolo praedam eripit, cum aliquem ab errore aut peccato revocat*.---O qualem de ore diaboli praedam tulit, quando ipsum raptorem Saulum convertendo rapuit quando adhuc spirans minarum, acceptis epistolis, pergebat

Damascus, et dum persequendo fideles congregaret praedam diabolo, cognoscendo fidem ipse aggregatus est Christo (**Act. IX, 2**)! Toties ex iniqui dentibus Ecclesia praedam tulit, quoties ex erroris morsu animam praedicando diripuit. Quis namque iniquus verius dici potest, quam diabolus? Cujus molas conterimus, quoties disserendo contra ejus insidias occulta illius machinamenta **629** monstramus; ac si de ejus dentibus praedam tollimus, quia mentem quam jam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitae convertendo revocamus. [*Vet. XXIV.*] Per molas quippe occultae ejus insidiae, per dentes vero aperta jam culpae perpetratio demonstratur. De quibus nimirum molis ac dentibus per Psalmistam scriptum est: *Deus vero conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus* (**Psal. LVII, 7**). Sed sanctus vir ante se asserit molas conterere, ut post de dentibus illius praedam potuisset auferre, quia tunc veraciter praedam de ejus dentibus tollimus, cum prius molas illius conterere scimus. Prius enim necesse est occulta consiliorum illius machinamenta prodere, ut auditoris nostri animam valeamus postmodum ab aperto lapsu revocare. Hujus iniqui molas ipse summus pastor Ecclesiae praedicando conterebat, cum diceret: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide* (**I Petr. V, 8**). Contra hunc leonem sancta Ecclesia, quia ejus insidias conspicit, fidei caulas munit. Cujus toties molas frangit, quoties haereticorum argumenta destruit; totiesque ab ejus dentibus praedam diripit, quoties ab errore quempiam praedicando convertit. Et quia plerique justorum tunc erunt qui se ecclesiasticae pacis tempore ab hoc mundo exituros esse crediderunt, beatus Job

dum sua narrat, voces quoque justorum sequentium indicat, dicens:

CAPUT XXVII [*Rec. XVI*].

VERS. 18.---*Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.*

48. *Ejus filii, si pace frui desiderant, in ejus nido et sinu remaneant.*---Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua unusquisque infirmus nutritur? Multitudo quippe illa bonorum, quae persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in nido, sic in loco quietis, explere se credidit. Nam nisi sancta Ecclesia infirmos quosque filios nunc in nido pacis enutrit, Psalmista non diceret: *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos* (**Psal. LXXXIII, 4**). Jam quippe domum invenit sibi passer, quia aeternum coeli habitaculum noster Redemptor intravit. Et turtur invenit nidum, quia sancta Ecclesia amore conditoris affecta, crebris gemitibus utitur, et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet. Igitur quia tunc erunt qui pacis tempore se ad superna migrare, id est a nido evolare crediderunt, eorum vox beati Job voce praevenitur, cum ait: *Dicebamque: In nidulo meo moriar.* Quia vero hoc ipsum sibi pacis otium ex multorum dierum longitudine promittebant, recto subjungit, dicens: *Et sicut palma*

multiplicabo dies. Palma enim tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. Cum multis autem difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, et pro collectione plurimorum in ejusdem fidei gloria diutius stare concupiscit. **630** Sicut palma ergo multiplicare se dies credidit, quae, emergente subitae tentationis articulo, pacis suae gratiam et tarde a fidelibus adeptam, et citius ab infidelibus interceptam dolet.

[*Vet. XXV.*] 49. *Cur justi palmae comparantur.*---Nec immerito justorum vita palmae comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta; superius vero et visu fructibus pulchra; inferius corticum suarum involutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchrae viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra; in imo ista quasi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur, in summo vero illa quasi pulchrae viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Habet quidem aliud palma quo a cunctis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, et quando paulisper sublimior, tanto in altum subtilior redditur. Palma vero minoris amplitudinis ab imis inchoat, et juxta ramos ac fructus ampliori robore exsurgit; et quae tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Quibus itaque alia arbusta nisi terrenis mentibus inveniuntur esse similia, inferius vasta, superius angusta? quia nimirum omnes hujus saeculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt (**Dist. 47, c. 3**), in coelestibus debiles. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, et pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet

injurias tolerant, et pro coelesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant; terreno judici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione vero coram Domino vel unius horae momento lassantur. Saepe nuditatem, dejectionem, famem, pro acquirendis divitiis atque honoribus tolerant, et earum rerum se abstinencia cruciant ad quas adipiscendas festinant; superna autem laboriose quaerere tanto magis dissimulant, quanto ea retribui tardius putant. Hi itaque quasi aliarum arborum more deorsum vasti sunt, sursum angusti, quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt. At contra ex qualitate palmarum designatur proficiens vita justorum, qui nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, et in coelestibus debiles; sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent quam saeculo fuisse meminerunt. Nam cum quibusdam per praedicatorem nostrum dicitur: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem* (**Rom. VI, 19**); eorum procul dubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas charitatis, quos in carne validos habuit usus terrenae voluptatis.

[*Vet. XXVI.*] 50. *Non vero palmae comparantur qui cum bene coeperint, minime perseverant.*---Sunt vero nonnulli qui cum coelestia appetunt, **631** atque hujus mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiae pusillanimitate deficiunt. Quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim qui nequaquam tales superius surgunt

quales inferius oriuntur? Hi quippe ad conversionem venientes non tales quales coeperunt perseverant, et quasi more arborum inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Sensim quippe in eis desideria superna languescunt; et qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant; dumque aetatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Palma vero, sicut dictum est, vastioris in summitate est quam esse coeperit quantitatis ex radice, quia saepe electorum conversio plus finiendo peragit quam proponit inchoando; et si tepidius prima inchoat, ferventius extrema consummat, videlicet semper inchoare se aestimat, et idcirco infatigabilis in novitate perdurat. Hanc scilicet justorum constantiam propheta intuens, ait: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem suam, assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (**Isai. XL, 31**). Mutant quippe fortitudinem, quia fortes student esse in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Assumunt autem pennas ut aquilae, quia contemplando volant. Currunt et non laborant, quia velocibus magna celeritate praedicant. Ambulant et non deficiunt, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant. In cunctis vero bona quae accipiunt quanto aliis libenter accommodant, tanto ipsi incommutabiles in novitate perdurant; et qui tenues a radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione convalescunt. Dicat itaque beatus Job ex persona sua, dicat ex voce sanctae Ecclesiae pro his quos pacis tempore ad se conversos habuerat, atque in bonis moribus perseveraturos credebat: *Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*. Quasi enim palma multiplicare se dies

credidit, quae mentes fidelium ad extremum usque robustiores exurgere putabat. Cum enim multorum corda persecutionibus coeperint lassata mollescere, dolet jam in se quasi ad debilitatem tendere, quos mirabatur fortia proposuisse. Et quia mente semper spiritali scientiae intendit, recte subjungitur

CAPUT XXVIII.

VERS. 19.---*Radix mea aperta est secus aquas.*

51. *Spiritali scientiae semper intendit Ecclesia.*---Juxta aquas enim radix aperitur, quando ad percipienda veritatis fluentia latenter cogitatio mentis expanditur. Ut enim in superiori libro jam diximus (**Lib. VIII, n. 81**), solet in sacro eloquio radicis nomine occulta cogitatio designari. Radicem igitur nostram secus aquas aperimus, cum infusioni intimae cogitationem taciti cordis intendimus. [*Vet. XXVII.*] Quae scilicet verba si ad vocem sanctae Ecclesiae ducimus, radix illius ipsa debet incarnatio Redemptoris intelligi. Quae juxta aquas aperta est, dum Deus invisibilis per assumptionem humanitatis suae patuit aspectibus visionis nostrae. Creator quippe qui in divinitate videri **632** non poterat, assumpsit a nobis unde videretur a nobis. Radix ergo secus aquas aperitur, quia auctor humani generis per humanitatem suam hominibus demonstratur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (**Psal. I, 3**). Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Et de semetipsa

Veritas dicit: *Si in ligno viridi haec faciunt, in arido quid fiet (Luc. XXIII, 51)?* Lignum ergo secus decursus aquarum est, quia fructum et protectionem sui nobis umbraculi proferens, apparuit creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem figeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem. Sequitur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Et vos morabitur in messione mea.*

52. *Ejus messio rori gratiae tribuenda.---*
Subaudis, *dicebam*. Messio enim sanctae Ecclesiae non inconvenienter accipitur, cum perfectae animae a corporibus abstractae, velut maturae segetes a terra decisae, ad coelestia horrea demigrant; quod quia non nostra virtute, sed coelesti gratia largiente agitur, bene ait: *Et ros morabitur in messione mea*. Ros namque desuper cadit, messis deorsum colligitur. Ergo ros moratur in messione, quia gratia desuper veniens agit ut digni simus qui de inferioribus colligamur. Ipsa quippe nos desuper infundente, fructum bonorum operum ferimus. Unde recte quoque per Paulum dicitur: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit (I Cor. XV, 10)*. Si enim quaeratur quid sit ros desuper veniens, ait: *Gratia Dei sum id quod sum*. Si intueamur messem sub rore crescentem, ait: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi*. Sequitur:

CAPUT XXX.

VERS. 20.---*Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.*

53. *Ecclesia deflet filios quos ad veterem vitam redire cognoscit.*---Subaudis dicebam. Superiori quippe sententiae conjungitur quod locutione continua subinfertur, cum ait: *Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Ac deinde subjungitur: *Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.* Cunctis vera scientibus liquet quod ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc enim Paulus dicit: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum (Coloss. III, 9).* Hinc rursus ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est (Rom. VI, 6).* Hinc Psalmista ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos (Psal. VI, 8).* A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, et assumptae novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo renovamur, quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur. Beatus igitur Job sic sua narrat, ut nostra significet, quia sancta Ecclesia cum fideles suos conspicit ad vitae veteris **633** culpas redire, eos quos novitatem mentis intuetur perdere, cogitur plorare. Praedicator quippe egregius discipulis suis dicit: *Quae est*

enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum (I Thess. II, 19)? Sancta ergo Ecclesia quasi amissam gloriam deplorat, cum fideles suos ad vitam veterem redire considerat. Ait enim: *Dicebam: Gloria mea semper innovabitur*, quia eos quos in se novae vitae militare credidit, vetustis desideriis servire cognoscit.

[Vers. XXVIII.] 54. *Quot significantur in sacris Scripturis, arcus nomine.*---Arcus autem nomine in sacro eloquio aliquando malorum insidiae, aliquando dies iudicii, aliquando vero ipsa eadem sacra eloquia designantur. Per arcum quippe insidiae figurantur, sicut per Psalmistam dicitur: *Intenderunt arcum suum, rem amaram (Psal. LXIII, 4)*. Per arcum quoque dies extremi iudicii designatur, sicut per eundem rursum Psalmistam dicitur: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis; dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (Psal. LIX, 5)*. In arcu enim quanto longe trahitur chorda, tanto de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum sic extremi iudicii dies quanto longe differtur ut veniat, tanto cum venerit de illo districtior sententia procedit. Idcirco autem diversis nunc cladibus percutimur, ut his correcti paratiores tunc inveniri valeamus. Unde illic praemissum est: *Ostendisti populo tuo dura*, flagella videlicet saeculi, quae secuturum gravius iudicii diem praecurrunt. *Potasti nos vino compunctionis*, ut terrena gaudia in lacrymas verterentur. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*. Ac si aperte diceret: Hoc tempus misericordiae est, illud tempus iudicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella significas quomodo tunc percussurus es quando non parcens judicas, qui sic districte modo percutis quando parcis.

55. *Ipsa Script. sacra arcus est Ecclesiae.*---Aliquando autem per arcum etiam sacra Scriptura signatur. Ipsa quippe arcus est Ecclesiae, ipsa arcus est Domini, de qua ad corda hominum sicut ferientes sagittae, sic terrentes sententiae veniunt. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: *Arcum suum tetendit et paravit illum, et in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit (Psal. VII, 13).* Arcum namque suum Dominus tetendit; quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis praeparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos qui nunc corrigi negligunt reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit. De hoc praedicatorum arcu per Isaiam dicitur: *Cum sagittis et arcu ingrediuntur illuc (Isai. VII, 24),* quia nimirum sancti apostoli ad feriendam gentilis vitae duritiam cum districtis verborum spiculis venerunt. Quid igitur hoc in loco arcus nomine nisi sacrum eloquium debet intelligi? In chorda etenim Testamentum Novum, in cornu vero Testamentum Vetus accipitur. In arcu autem dum chorda trahitur, cornu curvatur; sic in hoc eodem sacro eloquio dum Testamentum Novum legitur, duritia Testamenti Veteris emollitur. Ad ejus namque spiritalia et blanda praecepta illius **634** litterae se rigor inclinat, quia Testamentum Novum, dum quasi quodam bonae operationis brachio trahitur, in Testamento Veteri severitatis jura flectuntur. Nec indecenter dicimus chordam Testamento Novo congruere, quod de incarnatione dominica certum est exstitisse. Quasi ergo chorda trahitur, et cornua curvantur, quia dum in Testamento Novo incarnatio mediatoris agnoscitur, ad spiritalem intelligentiam rigor Testamenti Veteris inclinatur. Ait igitur sanctus vir: *Dicebam:*

Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.

56. *Hoc arcu recte utitur, qui divina eloquia intelligens, opere perficit.*---Arcus in manu est Scriptura sacra in operatione. In manu etenim arcum tenet qui divina eloquia quae intellectu cognoscit operatione perficit. Instauratur ergo arcus in manu, dum quidquid de sacro eloquio studendo cognoscitur, vivendo completur. Hinc etiam Salomon dum fortes spiritualis pugnae describeret bellatores, ait: *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (Cant. III, 8)*. Quid namque in divina Scriptura per gladium figuretur, Paulus aperuit, dicens: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (Ephes. VI, 17)*. [*Vet. XXIX.*] Salomon autem non ait: Omnes habentes gladios, sed tenentes, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit. Et doctus esse ad bella jam non valet, qui spiritalem quem habet gladium minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit. Sancta itaque Ecclesia, quae subsequenti persecutione deprimitur, malorum abundantiam et bonorum inopiam pensans, beati Job vocibus damna sua praenuntiet, dicens: *Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.* Quae videlicet cuncta considerans, nequaquam spe cassa fallebatur. Nam perfecti quique multos nunc ejus conspiciunt adjuutores, sed pensant procul dubio quod emergente persecutionis articulo, ex his plerique hostes illius

fiunt, qui esse pacis tempore ejus cives videntur. Non autem de omnibus ita desperant, sed tamen plerumque contingit ut hi de quibus majorem fidei fiduciam habuerant, ipsi ejusdem fidei hostes atrociores fiant, ut eos tunc videant contra sacra eloquia agere, ex quorum se operatione crediderant haec eadem sacra eloquia ad praedicationis gratiam restaurare. Quae tamen tempora jam nunc inchoasse ingemiscimus, cum multos intra Ecclesiam positos cernimus, qui aut nolunt operari quod intelligunt, aut hoc ipsum quoque sacrum eloquium intelligere ac nosse contemnunt. A veritate etenim avertentes auditum, ad fabulas convertuntur, dum *omnes quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi (Philip. II, 21)*. Scripta Dei ubique reperta opponuntur oculis, sed haec cognoscere homines dedignantur. Pene nullus quaerit scire quod credidit. Multitudo ergo bonorum praecedentium arcum suum destrui doleat, quae sacrum eloquium restaurari semper per studium subsequentium credebat.

LIBER VIGESIMUS. *Explicantur fusius
quinque ultimi versus cap. XXIX lib. Job, cum
integro cap. XXX, maxime de haereticis et
carnalibus Ecclesiam vexantibus.*

CAPUT PRIMUM.

635 1. *Scriptura sacra caeteris libris anteponenda.*---

Quamvis omnem scientiam atque doctrinam Scriptura sacra sine aliqua comparatione transcendat, ut taceam quod vera praedicat, quod ad coelestem patriam vocat; quod a terrenis desideriis ad superna amplexenda cor legentis immutat; quod dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur, quod nec sic clausa est ut pavesci debeat, nec sic patet ut vilescat, quod usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur quanto amplius meditatur; quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis semper nova reperitur; ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit, quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare, et non immutato dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus novit et anteacta describere, et agenda nuntiare, sicut haec eadem beati Job verba sunt, qui dum sua dicit, nostra praedicat; dumque lamenta propria per sermonem indicat, sanctae Ecclesiae causas per intellectum sonat. Ait enim:

CAPUT II.

CAP. XXIX, VERS. 21-23.---*Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, et super illos*

stillabat eloquium meum. Exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum.

2. *Fideles Ecclesiam docentem audiunt, ejus verba secuturi, non judicaturi.*---Hanc etenim apud beatum Job fuisse subjectorum reverentiam indubitanter credimus. Sed, sicut jam saepe diximus, sancta Ecclesia, haereticorum vel carnalium tribulationibus pressa, praeteritorum reminiscitur temporum, in quibus omne quod ab ea dicitur cum metu a fidelibus auditur, et adversariorum suorum proterviam deplorans, dicit: [Rec. II.] *Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum.* Ac si aperte dicat: Non ut hi protervi ac tumidi, qui dum veritatis verba suscipere renuunt, praedicationis meae sententias quasi docendo praecurrunt. Cujus nunc discipuli intenti ad ejus consilium tacent, quia verba ejus non audent impugnare, sed credere. Ut enim proficere ex ipsis possint, ea procul dubio non judicaturi, sed secuturi audiunt.

3. *Ejus doctrinae nihil addunt. Secus haeretici.*---De quibus recte subjungitur: *Verbis meis addere nihil audebant*, quia nimirum tunc haeretici cum contra hanc libertate pessima fuerint effrenati, dictis ejus addere aliquid praesumunt, cum praedicamentorum ejus rectitudinem quasi emendare moliuntur, Quae adhuc de bonis auditoribus subdit: *Et super illos stillabat eloquium meum.*

4. *Praedicatores ad auditorum captum debent se contrahere.*---In hac stillatione eloquii quid aliud quam mensura sanctae praedicationis accipitur? quia oportet **636** ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenii conferatur. Per hoc ergo quod dicitur: *Verbis meis addere nihil*

audebant, reverentia laudatur audientium. Per hoc vero quod subditur: *Et super illos stillabat eloquium meum*, indicatur dispensatio magistrorum. Debet enim subtiliter is qui docet perspicere, ne plus studeat quam ab audiente capitur praedicare. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere quam auditoribus prodesse. [*Vet. II.*] Jubente autem Domino, non solum phialae ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi praeparantur (**Exod. XXXVII, 16**). Quid enim per phialas nisi larga praedicatio, quid vero per cyathos nisi minima et tenuis de Deo locutio designatur? In mensa igitur Domini et phialae praeparantur et cyathi, quia videlicet in doctrina sacri eloquii, non solum exhibenda sunt magna et arcana quae debriant, sed etiam parva et subtilia quae quasi per gustum notitiam praestant. Hujus ergo discretissimae dispensationis suae sancta Ecclesia extremis pressa temporibus reminiscatur, et dicat: *Super illos stillabat eloquium meum*.

5. *Eorum doctrinae tanquam pluviae serotinae excipiendae humiles os aperiunt.*---Ubi apte quoque subjungitur: *Exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum*. Verba quippe sanctae praedicationis sicut pluviam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus, ut potu sanctae praedicationis irrigemur. Unde Deo recte per Psalmistam dicitur: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (**Psal. CXLII, 6**). His doctrinae fluentis infundi propheta nos admonet, dicens: *Sitientes, venite ad aquas* (**Isai. LV, 1**). Qui dum in extrema parte jam saeculi verba sanctae praedicationis accipimus, quasi ad imbrem serotinum os cordis aperiimus.

Nam si os in corde non esset, Psalmista non diceret: *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala* (Psal. XI, 3). Os igitur cordis quia verbis intendimus ultimae praedicationis, hoc velut serotinis aperimus fluentis. Quae nimirum praedicatio ex ejus ad nos sacrificio prodiit, qui per Psalmistam dicit: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Psal. CXL, 2). Quia enim Redemptor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit. De hoc imbre serotino alias scriptum est: *Dabo vobis pluviam temporivam et serotinam* (Jerem. V, 24). Temporivam quippe pluviam dedit, quia electis suis priori tempore legis intellectum contulit. Serotinam quoque pluviam tribuit, quia praedicari diebus ultimis incarnationis suae mysterium fecit. Quod quia sancta Ecclesia quotidie annuntiare non desinit, ora cordis audientium velut ex imbre serotino infundit. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 24.---*Si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram.*

637 6. *Praelatus sic se gravem exhibeat, ut non sit odiosus; sic hilarem, ut vilis non sit.*---Hoc si juxta historiae verba percipimus, credi necesse est quod vir sanctus talem se exhibuerit subditis, ut etiam ridens timeri potuisset. Sed cum superius patrem se pauperum, viduarum vero consolatorem fuisse perhibet, magna valde discretionem res indiget, quomodo in tanto terrore regiminis, tanta quoque affuerit lenitas, et

mansuetudo pietatis. Sine magna enim benignitatis lenitate non fuit hoc, quod se patrem pauperum et viduarum consolatorem dicit. Sed rursum sine magna severitate non potuit etiam ridens timeri. Qua in re quid aliud docemur, nisi quod talis debet esse dispensatio regiminis, ut is qui praeest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus et arridens timeri debeat, et iratus amari? ut eum nec nimia laetitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. Saepe enim subjectos frangimus, dum plus justo vigorem justitiae tenemus. Qui profecto vigor jam justitiae non erit, si se sub justo moderamine non custodit. Et saepe a disciplinae metu resolvimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena laxamus, quia dum nos quasi licenter laetos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resolvuntur. [*Vet. III.*] Sed ut rectoris vultus etiam laetus debeat timeri, necesse est ut ipse vultum sui conditoris sine cessatione timeat. Illi etenim menti difficile de laetitia creditur, quae quod se pro amore Domini continue affligat a subditis scitur. Qui enim incessanti aestu spiritualis desiderii superna appetit, valde de eo in dubium venit hoc, quod aliquando ante homines hilarescit. Unde et isdem beatus Job non longe post dicturus: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum (Job. XXXI, 23)*. Sic quippe metuebat judicem suum, quasi subimminentes impetus fluctuum, jamjamque moriturus. Cujus ergo in mentem moeror divini timoris infuderat, recte hilaritati illius subditi non credebant, quia cogeabantur ridenti non credere, cujus cor in timore conditoris noverant quam continua moestitia tenebat.

7. *Lux nostra in terram cadit, cum terrena concupiscimus.*---
Hoc quoque juxta historiam non inconvenienter accipitur,

quod protinus subinfertur: *Et lux vultus mei non cadebat in terram. [Rec. IV.]* Scriptum quippe est: *Oculi stultorum in finibus terrae (Prov. XVII, 24)*. Rursumque per eundem Salomonem dicitur: *Oculi sapientis in capite ejus (Eccle. II, 14)*. Paulus quoque ait: *Caput viri Christus (I Cor. XI, 3)*. Oculi ergo sapientis in capite ejus sunt, dum Redemptoris sui semper opera quae imitari debeat, contemplatur. Lux ergo vultus ejus in terram non cecidit, quia ea quae terrena sunt per concupiscentiam non aspexit.

8. *Sancti nunquam securi sunt. Grave periculum est incauta securitas.*---Sed quia superficiem historiae sub brevitate discussimus, quid in his de intellectu mystico lateat perpendamus. Unam esse personam Christum et Ecclesiam plerumque jam diximus, et saepe vox capitis ad vocem corporis, saepe vox corporis ad vocem capitis transit. Qui enim sunt in carne una, nil obstat ut convenient etiam in voce una. Dicat ergo ex voce capitis de electis suis, dicat Ecclesia: *Si quando ridebam ad eos, non credebant*. Ridere etenim Dei est sanctorum vias prosequenti favore prosperari, sicut de his quoque per usum dicitur, quos in hoc saeculo felicitatis **638** blandimenta comitantur: Arrisit illis tempus. Unde e contrario, ira appellatur Domini, a bonis actionibus infirmari, sicut scriptum est: *Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa (Psal. II, 12)*. Si igitur irasci Dominus perhibetur, cum viam justitiae homines perdunt, recte arridere Dominus dicitur, cum bona nostra opera favor gratiae supernae comitatur. [Res. V.] Sed electi quique quandiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt. Horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt, qui etiam tentatione cessante, vel sola

graviter suspitione turbantur. Nam saepe multis grave periculum incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. Vigilandum quippe semper est, ut mens continue sollicita nunquam relaxetur intentione superna, ne laboriosa deserens, in cogitationibus fluxis, quasi in quibusdam mollibus stramentis jacens, venienti corruptori diabolo mens se resoluta prostituat. Semper vero est ad certamen adversarii erigendus animus; semper contra occultas insidias cautela providenda. Hinc etenim Habacuc propheta ait: *Super custodiam meam stabo* (**Hab. II, 1**). Hinc rursum scriptum est: *Statue tibi speculam; pone tibi amaritudines, qui evangelizas Sion* (**Jerem. XXXI, 21**). Hinc per Salomonem dicitur: *Beatus vir qui semper est pavidus; qui autem mentis est durae, corruet in malum* (**Prov. XXVIII, 14**). Hinc iterum dicit: *Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos* (**Cant. III, 8**). Nocturni quippe timores sunt insidiae tentationis occultae. Ensis autem super femur est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo nocturnus timor, id est occulta et repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut lemur nostrum superpositus custodiae ensis premat. [*Vet. IV.*] Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti; quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (**Psal. II, 11**), ut et de spe exsultatio, et de suspitione nascatur tremor. Quorum voce iterum Psalmista dicit: *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (**Psal. LXXXV, 11**). Qua in re notandum quod non ait: Laetetur ut securum sit, sed, Laetetur ut timeat. Meminerunt namque, quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt; de qua per eundem Job dicitur: *Tentatio est vita humana*

super terram (**Job. VII, 1**). Meminerunt rursum quod scriptum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (**Sap. IX, 15**). Meminerunt et metuunt, et certitudinem sibi in se promittere non praesumunt; sed positi inter gaudium spei, et tentationis metum, confidunt, et timent; confortantur, et titubant; certiorantur, et suspecti sunt. Bene ergo per vocem electi membri sub figura nostri capitis dicitur: *Si quando ridebam ad eos, non credebant*, quia Redemptori nostro quasi arridenti non credimus, dum multis jam ejus donis testantibus, et gratiam favoris ejus accipimus, et tamen adhuc sub ejus judicio de nostra infirmitate titubamus.

9. *S. Paulus jam ad tertium coelum raptus a timore liber non fuit.*---Videamus qualiter Paulo et arridetur jam per supernam gratiam, et ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum. Jam e coelo illi Dominus **639** loquens, ejusque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam suae majestatis ostenderat (**Act. IX, 4**); jam de eo Ananiae dixerat, *Vas electionis mihi est* (**Ibid. IX, 15**), jam ad tertium coelum super se raptus fuerat (**II Cor. XII, 2**); jam in paradisum ductus arcana verba quae dicere non posset audierat; et tamen adhuc timidus dicit: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis praedicans ipse reprobus efficiar* (**I Cor. IX, 27**). Ecce arridenti sibi divinae gratiae et jam credit per spem, et necdum tamen credit per securitatem. Nam quia bene haec verba Redemptoris nostri vocibus congruunt, etiam subjuncta testantur, cum dicitur: *Et lux vultus mei non cadebat in terram*. Quid namque terra, nisi peccator vocatur, cui prima sententia dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III,**

19)? Lux ergo vultus Domini in terram nequaquam cadit, quia visionis ejus claritas peccatoribus non apparet. Scriptum namque est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. XXVI, 10)*. Quasi enim lux in terram caderet, si in extremo judicio veniens, claritatem majestatis suae peccatoribus aperiret.

10. *Infirmis fortia non praedicanda*.---Quod si haec verba ex sanctae Ecclesiae voce suscipimus, non incongrue intelligere poterimus lucem vultus ejus in terram non cadere, quia occupatis in terrenis actionibus vetat summa contemplationis suae mysteria praedicare. Dici enim infirmis fortia prohibet, ne dum incapabilia audiunt, praedicationis verbis quibus sublevari debuerant opprimantur. Lux quippe ipsa corporea, quae oculos sanos irradiat, infirmos obscurat; et dum lippientibus oculis claritati solis intenditur, plerumque eis caecitas ex luce generatur. Sancta itaque Ecclesia oppressa persecutionis tempore, memor autem praeteritae discretionis suae, dicat: *Lux vullus mei non cadebat in terram*. Sed quia ex ejus capite haec verba intelligere coepimus, in ipso adhuc quod sequitur exsequamur. Nam subditur:

CAPUT IV [*Rec. VI*].

VERS. 25.---*Si voluissem ire ad eos, sedebam primus*.

11. *In carnalium corde Christus ultimus sedet, in corde justorum primus*.---Quia in corde reproborum priori loco actiones carnis sunt, et posteriori actiones animae, in eorum procul dubio cogitationibus Christus non primus, sed ultimus

sedet. Sed electi quique quia ea prae omnibus quae aeterna sunt cogitant, et posteriori cura, ac minima, si qua sunt temporalia disponunt, quibus et magistra voce Veritatis dicitur: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (**Matth. VI, 33**), in eorum corde Dominus primus sedet. Ubi apte praemittitur: *Si voluissem ire ad eos*. Quia enim, sicut scriptum est (**Ephes. I, 5**), omnia operatur secundum consilium voluntatis suae; non secundum nostrum meritum, sed quia ipse ita vult, visitatione sua nos Dominus illustrat. Itaque et cum vult venit; et cum venerit, primus sedet, quia et adventus ejus in corde nostro gratuitus est, et appetitus ejus desiderii, in cogitatione nostra aequalis caeteris desideriis non est. Sequitur:

CAPUT V [*Rec. VII*].

IBID.---*Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator.*

12. *Christus in nobis sedens quasi rex moerentes consolatur. Idem praestat Ecclesia.*---Quasi rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, **640** dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit; ex ipsa hac diversitate cogitationum quasi quidam illum exercitus circumstat. Sive certe quasi rex sedet circumstante exercitu, quia praesidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum. Qui etiam moerentium consolator

est, ex ea promissione qua dicit, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (**Matth. V, 5**). Et rursus, *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (**Joan. XVI, 22**). Ea vero quae de sanctae Ecclesiae capite diximus, nil obstat, si ad vocem quoque ejusdem Ecclesiae referamus. In ea quippe ordo doctorum quasi rex praesidet, quem fidelium suorum turba circumstat. Quae scilicet multitudo fidelium recte quoque exercitus dicitur, quia in procinctu bonorum operum indesinenter quotidie contra tentationum bella praeparatur. [*Vet. V.*] Corda quoque moerentium sancta Ecclesia consolatur, dum praesentis peregrinationis aerumna afflictas mentes electorum pensat, et has aeternae patriae promissione laetificat. Considerat etiam quod cogitationes fidelium divino sint timore percussae; et quos de Deo conspicit districta audisse ut timeant, agit quoque quatenus et mansuetudinem pietatis ejus audiant ut praesumant.

13. *Spem miscet et metum, ne incaute de misericordia confidamus, aut desperate justitiam timeamus.*---Sic namque sancta Ecclesia fidelibus suis de pietate et justitia Redemptoris in praedicationis serie spem miscet et metum, quatenus nec incaute de misericordia confidant, nec desperate justitiam timeant. Nam verbis sui capitis formidantes refovet, dicens: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (**Luc. XII, 32**). Atque iterum praesumentes terret cum dicit: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (**Marc. XIV, 38**). Rursum formidantes refovet, dicens: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in coelo* (**Luc. X, 20**). Sed in semetipsis praesumentes deterret, cum ait: *Videbam satanam sicut fulgur de coelo*

cadentem (Ibid., X, 18). Formidantes refovet, cum dicit: Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea (Joan. X, 27). Sed in semetipsis praesumentes deterret, dicens: Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Matth. XXIV, 24). Formidantes refovet, dicens: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Ibid., 13). Praesumentes deterret, dicens: Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra (Luc. XVIII, 8)? Metuentes refovet, cum latroni dicit: Hodie mecum eris in paradiso (Luc. XXIII, 43). Sed terret praesumentes, dum Judas ex apostolatus gloria in tartarum labitur. De quo per sententiae definitionem dicitur: Duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est (Joan. VI, 70). Formidantem refovet, cum dicit: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non contaminata, et polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus (Jerem. III, 1). Sed praesumentem deterret, cum dicit: Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus (Jerem. XXX, 12). Formidantem refovet, dicens: Ergo saltem amodo voca me: pater meus, dux 641 virginitatis meae tu es (Jerem. III, 4). Sed praesumentem deterret, dicens, Pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Chetea (Ezech. XVI, 3). Formidantem refovet, cum ait: Revertere, adversatrix Israel, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum (Jerem. III, 12). Sed praesumentem deterret, cum prophetam suum ab intercessione prohibet, dicens: Non assumes pro eis laudem et orationem, quia non

exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in tempore afflictionis, quia si steterint coram me Moyses et Samuel, non est anima mea ad populum istum (Jerem. VII, 16). [Rec. VIII.] Sancta itaque Ecclesia auditorum suorum mentem et de misericordiae benignitate sublevat, et de iudicii districtione perturbat, quatenus in praedicatione sua dum bene utrumque permiscet electi ejus nec de exhibita justitia praesumant, nec de praeterita iniquitate desperent.

14. *In bonis pastoribus sociantur benignitas et auctoritas, misericordia et disciplina.*---Sed hoc quod ait: *Cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator;* sciendum nobis est quod valde lectorem aedificare etiam juxta historiam potest, si perpendat quomodo bonis rectoribus permista sit et regendi auctoritas, et benignitas consolandi. Ait enim: *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu,* ecce auctoritas regiminis: *Eram tamen moerentium consolator;* ecce ministerium pietatis. [*Vet. VI.*] Disciplina enim (**Dist. 45, cap. Disciplina**) vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans misericordia, et pie saeviens disciplina. Hinc est quod semivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur et oleum (**Luc. X, 33, 34**), ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus praeest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; per vinum mudentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam, ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc

nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, ac manna est (**Hebr. IX, 4**), quia cum Scripturae sacrae scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtio, sit et manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (**Psal. XXII, 4**). Virga etenim percutimur, et baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgae quae feriat, sit et consolatio baculi quae sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiam cum severitate sociatam. Videamus amantem pie, et districte saevientem. Certe cum Israeliticus populus ante Dei oculos pene inveniabilem contraxisset offensam, ita ut ejus rector audiret: *Descende, peccavit populus tuus* (**Exod. XXXII, 7**); ac si ei divina mox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, jam meus non est, atque subjungeret: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam*; ille semel et iterum pro populo cui praeerat **642** obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (**Ibid. XXXII, 32**). Pensemus ergo quibus visceribus eundem populum amavit, pro cuius vita de libro vitae deleri se petiit. Sed tamen iste, qui tanto ejus populi amore constringitur, contra ejus culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim ut petitione prima, ne delerentur, culpa veniam obtinuit, ad eundem populum veniens, ait: *Ponat vir gladium suum super femur suum. Ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. Cecideruntque in die illo quasi viginti tria millia hominum* (**Ibid., XXXII, 27**).

Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio exstinxit. Intus arsit igne amoris, foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta severitas, ut eos quos divinitus feriri timuerat, ipse iudicii gladio feriret. Sic amavit eos quibus praefuit, ut pro eis nec sibi parceret; et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit. Intus amans, divinae irae supplicando obstitit; foris saeviens, culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus, ostensa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudivit agentem pro populo, quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi utrumque Moyses miscuit, ut nec disciplina deesset misericordiae, nec misericordia disciplinae. Unde hic quoque juxta utramque virtutem dicitur: *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator*. Sedere quippe circumstante exercitu, vigor est ac disciplina regiminis; moerentium vero corda consolari, ministerium pietatis. Sed quia inter haec necesse est ut expositionis sermo ad spiritalem intelligentiam recurat, sancta Ecclesia, ab adversariis suis extremis temporibus pressa, reminiscitur transacti jura regiminis; reminiscitur et quanta afflictis exhibuerit beneficia pietatis. Cujus videlicet disciplina et misericordia tunc a levibus irridetur. Unde et subditur:

CAPUT VI [*Vet. VII, Rec. IX*].

CAP. XXX, VERS. 1.---*Nunc autem derident me juniores tempore.*

15. *Omnes haeretici Ecclesia sunt juniores.*---Omnes haeretici aetati universalis Ecclesiae comparati, juniores tempore congrue vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressa est ab illis. Unde recte quoque per Joannem dicitur: *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (I Joan. II, 19).* Juniores ergo tempore sanctam Ecclesiam irrident, cum hi qui ab ea egressi sunt doctrinae ejus verba despiciunt, de quibus adhuc subditur:

IBID.---*Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*

Quis est grex sanctae Ecclesiae, nisi multitudo fidelium? Vel qui alii hujus gregis canes vocantur, **643** nisi doctores sancti, qui eorumdem fidelium custodes exstiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clama verunt, magnos, ut ita dixerim, latratus praedicationis dederunt. De quibus eidem Ecclesiae per Psalmistam dicitur: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (Psal. LXVII, 24).* Nonnulli quippe ab idolorum cultibus revocati, facti sunt praedicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiae ex inimicis prodit, quia conversos gentiles Dominus etiam praedicatores facit. Unde Judaeorum tarditas, qui pro Deo loqui noluerunt, increpante propheta, reprehenditur, qui ait: *Canes muti, non valentes latrare (Isai. LVI, 10).*

16. *Eorum duces, etiam in his quae bene gesta videntur, reprobati.*---Patres vero haereticorum dicimus, eos videlicet quos haeresiarchas vocamus; de quorum perversa praedicatione, id est locutionis semine, sequentes sunt populi in errore generati. Sancta ergo Ecclesia cum canibus gregis sui haereticorum patres ponere dedignatur, quia inventores errorum dijudicando respuit, eosque inter veros patres numerare contemnit. Qui etsi quosdam visi sunt a gentilitatis errore revocasse, quorumdam mores ad honesta agenda docuisse, pro eo tamen quod de Deo recta non senserunt, eos cum canibus gregis sui non ponit, quia cum rectis praedicatoribus non ponit, quia cum rectis praedicatoribus non ascribit. Liquet enim quod Arius, Photinus, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, Severus, multique his similes, docendo atque suadendo conati sunt patres videri; sed errores eorum sancta universalis Ecclesia districta severitate dijudicans, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos ejusdem gregis unitatem dissipantes damnat. De quibus voce Pauli Ephesiis dicitur: *Scio quia post discessum meum ingredientur ad vos lupi graves, non parcentes gregi (Act. XX, 29).* Et quia nonnunquam haeretici quanto magis in perfidiae errorem dilabuntur, tanto amplius in exteriori sese operatione custodiunt, ita ut agere prae caeteris magna videantur, sancta universalis Ecclesia cuncta eorum opera despicit, quae ex auctoritate fidei non prodire perpendit. Unde recte quoque beati Job voce subjungitur:

CAPUT VII.

VERS. 2.---*Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo: et vita ipsa putabantur indigni.*

17. *Quia charitatem Dei et proximi deseruerunt. Quidam haeretici miracula fecerunt. Haeretici vita indigni, quod sub nomine Christi contra Christum militent.*---Virtus quippe in manu est magnitudo, in operatione. Sed virtus manuum haeticorum sanctae Ecclesiae pro nihilo ducitur, quia nullius esse meriti conspicit, vera fide perdita, quidquid operantur. Charitatem quippe Dei et proximi deserunt, qui et de Deo falsa sentiunt, et a proximis jurgando dividuntur. Sed virtutem manuum sine charitate testatur praedicator egregius nil valere, qui ait: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I Cor. XIII, 3).* [*Vet. VIII.*] Nonnunquam vero haeretici signa quoque ac miracula faciunt, sed ut hic praemia afflictionis suae abstinentiaeque recipiant, videlicet laudes, quas quaerunt. Unde et Redemptoris voce dicitur: *Multi mihi dicent in illa die: 644 Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos; discedite a me qui operamini iniquitatem.* Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut hominibus charitatis humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Unde nunc sancta Ecclesia, etiam si qua fiant haeticorum miracula, despicit, quia haec sanctitatis specimen non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere, de Deo autem vera, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non

autem in ostensione miraculi, veritas demonstrat, quae ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (Joan. XIII, 35)*. Qui enim non ait: In hoc cognoscetur quia mei discipuli estis, si signa feceritis, sed ait: Si dilectionem habueritis ad invicem, aperte indicat quia veros Dei famulos non miracula, sed sola charitas probat. Testimonium ergo superni discipulatus est donum fraternae dilectionis. Quam videlicet dilectionem, quia omnes haeretici habere refugiunt, dum ab universalis Ecclesiae unitate dividuntur, jure de eis dicitur: *Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo*. Et quia ad eadem signa quae exhibent nulla humilitate concordant, recte subditur: *Et vita ipsa putabantur indigni*. Vel certe omnes haereticos sancta Ecclesia vita ipsa fatetur indignos, quia nimirum sub nomine Christi militant contra nomen Christi. De quibus adhuc subditur:

CAPUT VIII [*Rec. X*].

VERS. 3.---*Egestate et fame steriles.*

18. *Curiose divina scrutantes, egestate et sterilitate laborant.* --Omnes haeretici, dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari quam capiunt, fame sua steriles fiunt. Neque enim ea quaerunt ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servant, longanimitatem exhibeant; sed ea solummodo quae eos doctos atque loquaces demonstrent, illa scire appetunt ex quibus singulariter eruditi videantur. Plerumque enim audacter de

natura divinitatis tractant, cum semetipsos miseri nesciant. Egestate ergo ac fame sua steriles fiunt, quia ea perscrutari desiderant, ex quibus bonae vitae germina non producant. Ultra se quippe sunt quae perscrutantur, dumque ad hoc tendunt quod comprehendere nequeunt, ea cognoscere negligunt ex quibus erudiri potuerant. Quam bene eorum audaciam praedicator egregius refrenat, dicens: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (**Rom. XII, 3**). Hinc Salomon ait: *Prudentiae tuae pone modum* (**Prov. XXIII, 4**). Hinc rursum dicit: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte saturatus evomas illud* (**Prov. XXV, 16**). Dulcedinem quippe spiritualis intelligentiae qui ultra quam capit comedere appetit, etiam quod comederat evomit, quia dum summa intelligere ultra vires quaerit, etiam quae bene intellexerat amittit. Hinc rursum dicit: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui* **645** *perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (**Ibid., 27**). Gloria quippe invisibilis conditoris, quae moderate inquisita nos erigit, ultra vires perscrutata premit. Itaque haeretici, quia de sublimi intelligentia quanto amplius repleri ambiunt, tanto amplius inanescunt, bene de eis dicitur: *Egestate et fame steriles*. Immoderatis namque ausibus cognitionis supernae scientiam quo plus appetunt, plus amittunt.

[*Vet. IX.*] 19. *Humiles coelestia intelligunt, aut non intellecta venerantur.*---At contra, hi qui in sancta Ecclesia veraciter sunt humiles, et veraciter docti, norunt de secretis coelestibus et quaedam considerata intelligere, et quaedam non intellecta venerari, ut et quae intelligunt veneranter teneant, et quae necdum intelligunt humiliter expectent. Unde nobis per

Moysen dicitur: *Ut comedentes agnum, quidquid de eo reliquum fuerit igni comburamus* (**Exod. XII, 10**). Agnum quippe comedimus, cum multa dominicae humanitatis intelligendo recondimus in ventrem mentis. Ex quo quaedam nobis remanent, quae comedi nequeunt, quia multa adhuc de illo restant, quae intelligi nequaquam possunt. Quae tamen igne comburenda sunt, quia ea quae capere de illo non possumus, humiliter sancto Spiritui reservamus. Quae plerumque humilitas ea etiam electorum sensibus aperit, quae ad intelligendum impossibilia esse videbantur. Nam perversae haereticorum mentes dum sibi superbe intellectum tribuunt, quasi certas dare sententias etiam de incognitis praesumunt. Unde fit ut ipsa eos elatio, quae intus apud semetipsos elevat, a veritate foras repellat, vixque in dictis Dei exteriora capiant, qui se secreta spiritalia penetrasse singulariter putabant. Unde hic quoque subditur:

CAPUT IX [*Rec. XI*].

VERS. 3, 4.---*Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria; et mandebant herbas, et arborum cortices.*

20. *Haeretici non medullam Scripturae sacrae comedunt, sed corticem rodunt.*---Rodi solet quod comedi non potest. Haeretici autem quia Scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt; quam dum non intelligunt, quasi non edunt. Et quia

per supernam gratiam non adjuti hanc comedere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Exterius quippe illam contrectant, cum quidem conantur, sed non ad ejus interiora perveniunt. Qui quia ab universalis Ecclesiae societate disjuncti sunt, non quolibet rodere, sed in solitudine memorantur. Ad quam nimirum solitudinem, quia praedicatores falsi sequaces suos traherent, longe ante Veritas praemonuit, dicens: *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire* (Matth. XXIV, 26). Qui recte perhibentur calamitate et miseria squalidi, quia et morum sunt pernicie, et sensuum pravitate despecti. Qui herbas quoque et arborum cortices mandunt, quia elationis suae obice repulsi, in sacro eloquio magna et intima percipere nequeunt, sed vix in illo quaedam tenera et exteriora cognoscunt. Per herbas quippe dicta planiora, per arborum cortices Patrum eloquia exteriora signantur. Qui ergo ea scire appetunt ex quibus docti nequaquam sint, sed esse videantur, dum in sacris voluminibus vim charitatis erga Deum ac proximum medullitus non exquirunt, quasi ex herba et cortice pascuntur, quia vel ima, 646 vel exteriora sunt, quae mentes superbientium nutriunt. Vel certe herbas mandere est de Scriptura sacra minima praecepta servare, majora contemnere. Quos bene Veritas increpat, dicens: *Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae, qui decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et reliquistis quae graviora sunt legis* (Matth. XXIII, 23). Qui arborum quoque cortices mandunt, quia sunt nonnulli qui in sacris voluminibus solam litterae superficiem venerantur, nec quidquam de spiritali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint esse suspicantur. Quos tamen in cunctis erroribus suis inanis gloriae appetitus possidet, eosque

honoris ambitus captivos tenet, et plerumque per ipsa quae loquuntur nihil aliud quam terrena lucra appetunt. De quibus per Paulum dicitur: *Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri (Rom. XVI, 18)*. Unde recte quoque subjungitur:

CAPUT X [*Rec. XII*]

VERS. 4.---*Et radix juniperorum erat cibus eorum.*

21. *Sola temporalia lucra quaerunt.*---Arbor namque juniperi pro foliis punctiones habet. Sic quippe sunt hirsuta quae profert, ut spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Unde justī voce et poenitentis dicitur: *Conversus sum in aerumna mea dum confringitur spina (Psal. XXXI, 4)*, quia scilicet mens ad lamentum vertitur, ut peccati punctio poenitendo frangatur. In translatione vero alia non confringi, sed configi spina perhibetur, quod videlicet ab eodem sensu non dissonat, quia poenitentis animus ad luctum ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur [*Vet. X*]. Quid ergo per radicem juniperi nisi avaritia designatur, ex qua peccatorum omnium spinae producuntur? De qua per Paulum dicitur: *Radix omnium malorum est cupiditas (I Tim. VI, 10)*. Ipsa quippe latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium patenter producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes, statim praedicator egregius insinuat, cum subdit: *Quam quidam*

appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (Ibid., 10). Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes innotuit ex hac radice punctiones. In juniperis ergo peccata, in radice vero juniperorum quid aliud quam avaritiam, id est, materiam intelligimus peccatorum? Quia igitur plerumque haeretici sola in verbis suis exteriora lucra sectantur, nec ignorant quia perversa astruunt, sed erroris praedicamenta non deserunt, dum sumptus percipere quasi doctorum volunt, bene de eis sancti viri nunc voce dicitur: *Et radix juniperorum erat cibus eorum*, quia dum totis mentis suae sensibus avaritiam cogitant, quasi eo alimento vescuntur, de quo nasci procul dubio peccatorum sequentium punctiones solent. Qui si quando in sacro eloquio quaedam quasi prudenter inveniunt, quae dum non intelligunt, pro suis esse assertionibus suspicantur, mox miseris auditoribus suis, quorum non animas, sed substantias appetunt, haec vociferantes apsergunt. Unde congrue subinfertur:

CAPUT XI [*Rec. XIII*].

VERS. 5.---*Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.*

22. *Obscuras Scripturae sacrae Patrumque sententias ad se detorquent et trahunt.*---De convallibus illa rapiunt, quia haec de humilibus dictis Patrum superbo spiritu colligunt. **647** Quae dum pro suis se partibus invenisse gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet omne

quod sentiunt appetitu laudis ad aures hominum diffamare conantur. Sequitur:

CAPUT XII

VERS. 6.---*In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terrae, vel super glaream.*

23. *Haeretici latebris et instabilitate sunt insignes.*--- Torrentes dicimus rivos qui aquis hiemalibus colliguntur, qui certis etiam temporibus arescunt. Jure itaque inventores perversorum dogmatum torrentes vocantur, quia a calore charitatis frigidi, quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt, quia non perpetua plenitudine profluunt, sed Catholicorum allegationibus quasi aestivis solibus exsiccantur. Et quidem inventores perversorum dogmatum contra sanctam Ecclesiam exorti, fervore jam veritatis extincti sunt, sed tamen eorum discipuli ea quae illi docuerunt tenere ac defendere non desistunt. Hi ergo qui illorum sequuntur errores, in desertis torrentium habitant, id est in eorum praedicatione confidunt, quorum eloquia Catholicorum jam responsione et ratiocinatione siccata sunt. [*Vet. XI.*] Quid vero aliud cavernas terrae quam occultas haereticorum praedicationes accipimus? Sic enim haeretici inter se clandestinis conventiculis coeunt, ut errori suo reverentiam, quam ex ratione non valent, praebeant ex occultatione, et infirmis animabus pravitatis sermo tanto reverendus appareat, quanto secretus. Unde apud Salomonem

mulier ex typo haereseos suadet dicens: *Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (**Prov. IX, 17**). Quae occulta scilicet praedicamenta detestatur Veritas, dicens: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere*. Et rursum: *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis* (**Matth. XXIV, 23, 26**). Hoc itaque illic in penetralibus, quod hic dicitur in cavernis. In cavernis ergo haeretici habitant, quia plerumque errorem suum secretis praedicationibus occultant, ut quo se doctioribus prudentioribusque non indicant, eo ad se vehementius imperitos trahant. Unde bene etiam subinfertur: *Vel super glaream*. Glaream quippe illos minutissimos lapides dicimus quos aqua fluvialis trahit. Doctores igitur perversorum dogmatum super glaream habitant, quia illas hominum mentes trahunt, quae nulla gravitatis stabilitate solidantur, quas velut de loco semper ad locum flumina errorum ducunt. Unde et praedicator egregius, cum auditores suos non temporaliter duci, sed forti cuperet gravitate solidari, admonuit dicens: *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinae* (**Ephes. IV, 14**). Sancta itaque Ecclesia ab adversariis ad modicum depressa, cum sibi audaces errantium mentes insultare conspexerit; quae eorum conversatio fuerit, ad memoriam reducit, dicens: *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terrae, vel super glaream*. Quia enim eorum perversa praedicatio, amisso igne charitatis, ex frigore mentis convaluit, profecto in torrentium desertis habitavit. Quia vero aperta et libera non fuit, in cavernis latuit. Quia autem plebem

non fixam, sed mobilem tenuit, non super petram, **648** sed super glaream mansit; de quibus adhuc subditur:

CAPUT XIII [*Rec. XIV*].

VERS. 7.---*Qui inter hujusmodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.*

24. *In rebus pessimis exsultant et delectantur.*---Quid nomine sentium nisi eas quas jam supra diximus (**Num. 21 hujus lib.**) punctiones peccatorum intelligimus? Quia autem perversae mentes gaudent in iniquitatibus, quas flere debuerunt, omnes haeretici tanto se inani laetitia extollunt, quanto magis ad pejora conualescunt; atque esse sub sentibus delicias deputant, quia inde perversam mentem ad gaudium sublevant, unde spinas peccatorum portant. Nam si quando ad errorem suum valuerint quempiam trahere, sese per laetitiam jactant; atque unde sibi peccata quotidie, etiam alios perdendo, congregant, inde se esse quasi duces ad justitiam exsultant. Bene ergo dicitur: *Qui inter hujusmodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.* Trahunt enim quos valent ad perditionem suam, et sub peccatis esse, vel culpis culpas addere credunt se virtutum opulentiam cumulare.

CAPUT XIV [*Rec. XV*].

VERS. 8.---*Filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes.*

25. *Parentes haereticorum stulti et ignobiles.*---Eorum videlicet filii, qui fuerunt errorum magistri. Filii igitur dicuntur, non de eorum semine, sed de imitatione generati, qui docendo perversa, stulti fuerunt per ignorantiam; vivendo nequiter, ignobiles per actionem. Qui Redemptori nostro nulla sapientiae, nulla vitae cognatione conjuncti sunt. De quo Salomonis voce in laude sanctae Ecclesiae dicitur: *Nobilis in portis vir ejus (Prov. XXXI, 23)*. Hi itaque quia perversa errantium exempla secuti sunt, filii stultorum et ignobilium esse memorantur. Recte autem subjungitur: *Et in terra penitus non parentes*, quia dum hic videri aliquid appetunt, nimirum a terra viventium exsortes fiunt.

26. *Eadem de carnalibus dici possunt quae de haereticis.*---Sed hoc quod in haereticorum typo diximus, omnino nil obstat si etiam de perversis atque carnalibus, quamvis in recta fide positus, sentiamus. Neque enim sancta electorum Ecclesia solos sibi adversarios deputat qui ab ejus fide positi extra dissentiant, sed eos quoque qui vitam illius male vivendo interius premunt. Contempletur igitur aerumna irruentis adversitatis afflicta, quomodo prosperitatis suae tempore iniquorum et intra se viventium pravitate gravata sit. Contempletur quod exigentibus meritis quorundam, non injuste in illa vita turbata sit omnium, et dicat: *Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria*. Sicut in prima hujus operis parte praefatus sum, per virtutem contemplationis nonnunquam solet intelligi solitudo mentis. Sed hoc in loco cum solitudo per objurgationem dicitur, quid aliud quam boni destitutio demonstratur? Unde et sub Judaeae

typo Jeremias peccatoris animam deplorat, dicens: *Quomodo sedet sola civitas plena populo (Thren. I, 1)*? Sed cum per beatum Job de pravis dicitur: *Rodebant in solitudine*, libet intueri hoc etiam quod per Psalmistam dictum est: *Inimici ejus terram lingent (Psal. LXXI, 9)*.

649 27. [*Vet. XII*]. *Alii adulatione, alii aperta vi avaritiae student.*---Duo quippe sunt genera hominum ambitioni suae servientium: unum videlicet quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguae; aliud vero quod aperta vi intendit rapinae. Nam rodimus, cum aliquid exterius forti adnisi atterimus. Lambitur enim quando hoc quod edi facile non potest, impressa linguae lenitate gustatur. Omnes igitur etiam sub specie fidei prave viventes, qui aliena appetunt, sed ea quae appetunt rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus et quasi mollitie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingunt? quia terrena quaeque quae virtute nequeunt auferre, mollitie linguae moliantur. Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, et concupiscentes aliena, blandiri quidem ex fraude despiciunt, quia etiam injusto robore possunt implere quod volunt, hi hoc quod appetunt non lambunt, sed rodunt, quoniam propinquorum vitam fortitudine virium velut adnisi dentium demoliuntur. Conspiciat itaque sancta Ecclesia veras divitias aeternae patriae; conspiciat frequentiam supernorum civium; conspiciat in electis suis cultum mentis, et innumerabilium bona virtutum, atque ab eis ad pravorum vitam omni bono destitutam, mentis oculum revocet; et ex illorum comparatione videat qualiter ista cunctis virtutibus sit vacua, quia superna deseruit, et infima concupivit. Videat quomodo plerumque id quod appetit, si fortasse praevallet,

etiam violenter rapit. Videat tales quasi intra se positos diu tolerasse, atque ex eorum culpis usque ad bonorum quoque pericula ac detrimenta pervenisse, et dicat: *Qui rodebant in solitudine*. Ac si aperte conqueratur, dicens: Aliena etiam violenter rapiendo non roderent, nisi prius ipsi in interioribus suis soli ac vacui a virtutum cultura remanerent. Bene autem eorum qualitatem explicat, dicens: *Squalentes calamitate et miseria*. Aegra namque caro si studiose curari negligitur, squalore desuper ducto in infirmitate deterius gravatur: et dum calamitati aegritudinis negligentiae miseria additur, gravior molestia oborto squalore toleratur.

28. *Naturae necessitatibus plus aequo servientes, ejus infirmitates augemus.*---Natura igitur humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriae voluntatis lapsa, in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita nisi unde affligeretur invenit. Sed cum eisdem naturae nostrae necessitatibus plerumque plus quam expedit deservimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiae infirmitati nostrae addimus squalorem culpaе. Necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quod saepe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium et quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, et infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendae utilitatis occultat. Infirmitatem vero naturae nostrae per negligentiam relaxare, nihil est aliud quam calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare. Unde sancti viri in omne quod agunt studiosissima intentione discernunt, **650** ne

quid plus ab eis naturae suae infirmitas, quam debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestionem sustinent; et quasi quidam rectissimi arbitri inter necessitatem voluptatemque constituti, hanc consolando sublevant, illam premendo frenant. Unde fit ut et si infirmitatis suae calamitatem tolerant, tamen ad squalorem miseriae per negligentiam non descendant. Hoc ipsum enim esse in calamitate, est necessitates naturae ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere. Quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me* (Psal. XXIV, 17). Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere; et ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli, quod nolens ex radice tolerabat.

29. *Carnales, dum necessitati obsequi videntur, voluptati serviunt. Utinam pravis mors sua sola sufficeret.*---At contra pravi gaudent in eis corruptionis suae necessitatibus, quia nimirum eas ad usum voluptatum retorquent. Cum enim reficiendis cibo corporibus naturae serviunt, per delectationem gulae in voluptatis ingluvie distenduntur. Cum tegendis membris vestimenta quaerunt, non solum quae tegant, sed etiam quae extollant expetunt; et contra torporem frigoris, non solum quae per pinguedinem muniant, sed etiam quae per mollitiem delectent; non solum quae per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quae per colorem oculos seducant. Necessitatis igitur causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suae squalorem miseriae sociare? Pressa itaque tempore adversitatis Ecclesia, reminiscatur eorum ex quorum merito talia sustinet, et dicat: *Qui rodebant*

in solitudine, squalentes calamitate et miseria. Calamitate scilicet non squalerent, si insitis necessitatibus voluptatum miseriam non superadderent. Quas videlicet necessitates ex parentis primi culpa meruimus. Hi vero qui calamitati suae miseriam adjungunt, ex cruciatu poenae ad augmenta prorumpunt culpa. Sed utinam tales cum ad melius permutari despiciunt, ita perversa agerent, ut non ea etiam aliis propinarent. Utinam illis mors sua sola sufficeret, et non virulentis persuasionibus alienam etiam vitam necarent. Invident enim alios esse quod non sunt, dolent alios adipisci quod perdunt. Nam si qua forte in aliorum actibus exoriri bona conspiciunt, mox ea manu pestiferae exprobrationis evellunt. Unde et sequitur [*Vet. XIII*]: *Et mandebant herbas, et arborum cortices.*

30. *Incipientes et in bono proficientes pervertere conantur.*--- Quid enim per herbas nisi tenera ac terrae proxima bene inchoantium vita, et quid per arborum cortices nisi exteriora opera eorum qui jam sublimia appetunt designantur? Pravi namque cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo, aut quasi consulendo contradicunt. Cum vero jam quosdam pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, a quibusdam illos suis operibus divertunt. Herbas itaque eis et arborum cortices mandere, est vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundam jam more arborum ad superiora tendentium pestiferis persuasionibus quasi quibusdam malitiae suae dentibus **651** dissipare. Herbas mandunt reprobis cum infirmorum initia irridendo consumunt. Arborum quoque cortices mandunt cum manu perversi consilii a vita recte crescentium tegmen bonorum operum subtrahunt. Hos autem in quibusdam actibus velut arbores

exspoliant; illos vero velut herbas, quia despicientes trahunt, quasi quae calcant comedunt. Quorumdam jam fortitudinem in alta surgentem ex parte demoliuntur; quorumdam vero teneritudinem et adhuc in imis positam penitus conterunt. Dicat igitur: *Mandebant herbas, et arborum cortices*, quia pravis irrisionibus in nonnullis exteriora opera, in nonnullis autem per spem virentia corda dissipabant.

31. *Aliqui sola virtutis specie, quasi cortice vescuntur.*---Vel certe herbas mandere est, levia quaedam ac tenera de antiquis patribus imitari. Arborum vero cortices edere est eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sunt enim nonnulli, qui dum praesentis mundi gloriam ejusdem mundi actionibus adipisci non possunt, speciem sanctitatis appetunt, habitum venerationis sumunt, imitatores antiquorum patrum videri concupiscunt, et quaedam quidem parva ac levia peragunt, sed eorum fortia, et quae ex solius charitatis radice prodeunt, imitari contemnunt. Hi videlicet herbas edunt, quia magna negligunt, et vilibus satiantur. Plerumque tamen etiam quaedam quasi robustiora opera exercent, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenent. Quibus profecto arborum cortices mandere est exteriores electorum actus assumere, et intentionem bonam in bonis actibus non habere. Dum enim pro humana laude recta opera exquirunt, sed imitari cor recte operantium negligunt, ex solis arborum corticibus replentur. Toto namque desiderio praesentis vitae gloriam, vel abundantiam quaerunt. Unde et recte subjungitur: *Et radix juniperorum erat cibus eorum.*

32. *Prava actio quae delectat in culpa, pungit in poena.*---Intus enim quamvis per fidem positi, dum plerumque avaritiae cogitationibus serviunt, quasi illud comedunt, unde in

extremo vitae suppliciorum aspera proferuntur. Qui dum frugem divini eloquii non concupiscunt, sed ad rerum temporalium ambitum serviunt, nequaquam pane tritici, sed radice juniperi satiantur. Ipsa quippe eos ab imis atque infimis oborta occupant, quae illos more juniperi postmodum ex durtia retributionum velut ex asperitate foliorum pungant. Contemnentes namque Deum hic, minime sentiunt quantum sit mali quod agunt. Adhuc enim juniperi radicem comedunt, sed hujus radicis quam sint rami asperi non attendunt, quia nimirum prava actio modo quasi ex radice delectat in culpa, sed postmodum quasi ex ramis pungit in poena. Ubi et bene subjungitur: *Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.*

33. *In praesentis vitae convalle, magno clamore pro vili stipe saepe litigatur.*---In comparatione videlicet supernorum, omnis praesens vita convallis est. Hi autem quia sublimia montium, id est fortia acta sanctorum contemplari nesciunt, semper in oblectatione infima quasi in convallibus conversantur et dum quodlibet lucrum vel parvi stipendii inveniunt, cum **652** clamore currunt, quia hoc abstrahere etiam jurgando moliuntur. In convalle enim repertis singulis cum clamore currere, est subortis causarum occasionibus etiam pro parva stipe litigare. Plerumque autem quem sanctum bona actio ostentat, oborta terreni commodi occasio examinat. Videas namque nonnullos jam sublimia agere, jam in abstinentiae, jam in doctrinae opere patrum praecedentium exempla sectari; sed cum repente praesentis vitae lucrum quasi fructum convallis invenerint, ad hoc cum clamore currunt, quia dirupta ad illud superductae sanctitatis tranquillitate prosiliunt.

[Vet. XIV]. 34. *Multi virtutis praemium, non virtutem quaerunt.*---Possunt quoque per herbas atque arborum cortices non solum; ut praedictum est, bonorum opera, sed in hac vita consolationes ac prosperitates intelligi. Saepe enim omnipotens Deus electos suos cum donis interioribus ditat, exterioribus etiam honoribus sublevat. Cumque eos praeferendo caeteris honorabiles reddit, latius imitabiles ostendit; et nonnunquam pravi eorum quidem vitam despiciunt, sed felicitatem in hoc mundo assequi concupiscunt. Quia igitur blandimenta hic transitoriae consolationis quaerunt, herbas comedunt, quia in cogitationibus suis exteriorem eorum gloriam meditantur, arborum cortices mandunt. Et quoniam in his omnibus soli avaritiae tota intentione deserviunt, radice juniperi replentur. Quae cuncta de convallibus rapiunt, quia ex amore hujus infimae et corruptibilis vitae immensis cupiditatibus inardescunt. Et cum singula reperiunt, ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet sanctorum patrum, quorum merita adipisci non quaerunt, loca atque regimina apprehendere satagunt; et cum tranquille nequeunt haec plerumque assequi, etiam dirupta concordiae pace moliuntur.

35. *Quae justi despiciunt, ea maxime concupiscunt.*---Qui pro eo quod longe a patrum praecedentium actione disjuncti sunt, recte subjungitur: *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terrae, vel super glaream.* In bona etenim parte recte torrentes, sanctos praedicatores accipimus, qui dum in praesenti vita divinis nobis eloquiis influunt, aquarum multitudine quasi in hieme colliguntur. Qui et aestivo sole adveniente se subtrahunt, quia cum aeternae patriae lux emicuerit, praedicare cessabunt. Horum torrentium deserta

sunt vitae temporalis commoda. Ea namque deserunt, et ad lucra se coelestia adipiscenda convertunt. Cuncta autem haec torrens ille reliquerat, qui dicebat: *Propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora (Phil. III, 8)*. Sed quia pravorum mentes ea in hac vita adipisci appetunt, quae despicientes iusti derelinquunt, in desertis torrentium habitare referuntur. Illa enim quae sanctis indigna sunt, ipsi percipere pro magno concupiscunt. Cavernae autem terrae sunt cogitationes pravae, in quibus se ab humanis oculis abscondunt. Pravi quippe ut sunt ab hominibus videri refugiunt, dumque aliud quam sunt simulant, sese in conscientiae suae latibulis quasi in terrae cavernis occultant. Qui cuncta haec non agerent, nisi de aeterna et solida vita desperarent, nisi in hoc incerto temporalitatis animum figerent. Unde bene subditur: *Vel super glaream*.

653 36. *Fluxis inhaerentes, ad ima devolvuntur*.---Glarea namque est vita praesens, quae indesinenter ad terminum suum ipso defectu mutabilitatis, quasi impulsu fluminis ducitur. Super glaream itaque habitare, et fluxui vitae praesentis inhaerere, et ibi intentionem ponere, ubi gressum nequeat fixe stando solidare. Est aliud in glarea quod nequaquam debeat tacendo praeteriri, quia cum pes in ejus superficie ponitur, ipsa ejus volubilitate labitur, atque ad ima devolvitur. Cui videlicet rei in nullo discrepat vita pravorum, quia cum pro amore mundi aliqua student licita atque honesta agere, quasi planum in superficie pedem ponunt; sed repente pes ad ima labitur, quia eorum actio dum plura semper appetit, usque ad iniqua et illicita descendit. Cum ergo sancta Ecclesia hujus temporis contraria tolerat, ad vitam carnalium, quos adversarios sibi etiam in prosperis

sustinuit, per memoriam recurrat, et quorum meritis haec patiaturn agnoscat, dicens: *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terrae, vel super glaream*. Quia enim patrum doctrina destituti sunt, in desertis torrentium, quia in occultis se cogitationibus tegunt, in cavernis terrae, quia vero in praesentis saeculi mobilitate intentionem suam figere appetunt, super glaream habitare referuntur. Sed utinam tales, quia peccata nolunt impugnare tentantia, flendo tergerent vel commissa! utinam mala sua saltem perpetrata cognoscerent, atque sterili ficulneae cophinum stercoris, id est infructuosae menti pinguedinem lamentationis admoverent!

[*Vet. XV*]. 37. *Malum quod agimus oculo mentis obicem ponit*.---Sed habet hoc plerumque humanus animus proprium, quod mox ut in culpam labitur, a sui adhuc longius cognitione separetur. Hoc ipsum namque malum quod agit menti se obicem ante oculum rationis interserit. Unde fit ut anima prius voluntariis tenebris obsessa postmodum bonum jam nec quod quaerat agnoscat. Quanto enim magis malis adhaeret, tanto minus intelligit bona quae perdit. Lux quippe veritatis quia subtiliter reproborum culpas examinat, quo habita negligitur, eo permittit districtius judicans, ut nec amissa requiratur; et cum ab actu repellitur, fugit a sensu, ut cujus quasi facies in opere contemnitur, ejus per recordationem jam nec terga videantur. Hinc itaque est quod reprobi subjecti flendis sceleribus gaudent, de quibus per Salomonem dicitur: *Qui laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (**Prov. II, 14**). Hinc est quod lacrymarum causas tripudiantes peragunt; hinc est quod mortis suae negotium ridentes exsequuntur. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT XV [*Rec. XVI*].

VERS. 7.---*Qui inter hujusmodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.*

38. *In transitoriis laetantes, gravibus curis affliguntur.*---Inter hujusmodi laetantur, quia nimirum attendunt transitoria quae percipiunt, et intueri negligunt permanentia bona quae perdunt. Cumque amore temporalium flagrant, veram laetitiam volentes ignorant. Quam si studiose cognoscere quaerent, quam flenda sint gaudia quae appetunt viderent. Sed dum meliora scire contemnunt, sola sibi velut summa eligunt, quae visibiliter oculis fugaci seductione blandiuntur. Visibilia scilicet sequentes cor figunt; et tanto extrinsecus **654** gaudent, quanto recordationem sui intrinsecus non habent. Miscentur tamen eorum gaudiis plerumque tribulationes, atque ex rebus ipsis ex quibus superbiunt flagellantur. Neque enim sine gravibus curarum molestiis possunt temporalia quae appetunt, vel non habita quaerere, vel quaesita servare, inter aequales praestantiorum gloriam appetere, a minoribus reverentiam plus quam oportet exigere, et minus quam debent eandem majoribus exhibere; plerumque potentiam per impotentiam ostendere; semper prava agere, et tamen ne opinionem pravitatis habeant, formidolose custodire. Haec profecto omnia miseros pungunt, sed easdem punctiones ipso rerum temporalium victi amore non sentiunt. Unde et recte nunc dicitur: *Et esse sub sentibus delicias computabant*, quia

peccatorum delectationibus pressi, ex affectu vitae praesentis quam sint aspera quae patiuntur ignorant.

39. *Delicias aestimant manere sub sentibus.*---Laetantur itaque, sed sub sentibus, quia rebus quidem temporalibus gaudent, sed tamen dum dispensare sine tribulatione eadem temporalia non valent, ea cura punguntur miseri qua premuntur. Manent sub sentibus, et hoc ipsum delicias aestimant, quia et dura quidem ex praesentis vitae amore tolerant, et tamen affectu nimiae cupiditatis obligati, laborem ejusdem tolerantiae voluptatem putant. Unde recte Jeremias totius in se humanae conversationis speciem sumens, per lamentum queritur, dicens: *Inebriavit me absynthio* (**Thren. III, 15**). Ut enim in superiori jam parte praediximus (**Lib. VII, n. 25**), ebrius quisque quod patitur nescit. Qui vero absynthio debriatur, et hoc quod sumpsit amarum est, et tamen non intelligit eandem amaritudinem qua repletur. Humanum igitur genus recto Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absynthio est ebrium, quia et amara sunt quae pro hujus vitae amore tolerat, et tamen eandem amaritudinem caecitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam prae ipsa ebrietate non sufficit. [*Vet. XVI.*] Amant enim perversi homines pro hujus mundi gloria etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, et gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. Quod bene sub Ephraïm specie Osee prophetante describitur, qui ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram* (**Osee X, 11**).

Vitula enim triturae laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis laboribus festinat, et usum miserae conversationis trituram laboris quaerit, ut a jugo mundanae servitutis cessare non libeat, etiam si liceat. Quod videlicet jugum Dominus a discipulorum cervice solvebat, cum dixit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (**Luc. XXI, 34**), illico adjunxit: *Et in curis hujus vitae; et superveniat in vos repentina dies illa*. Et rursus: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (**Matth. XI, 28**). Quid est enim Domino mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendae elationis difficultatibus plana quaedam bene vivendi itinera demonstrare? Sed quia pravorum mentes plus per aspera elationis quam per blanda humilitatis ac mansuetudinis delectantur, esse sub sentibus delicias deputant. Dura enim prae amore saeculi quasi quaedam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur.

40. *Asperitate laboris magis, quam quietis dulcedine, delectantur.*---Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctae quietis dulcedinem persuadet; et tamen vaesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter quam tenere blanda spiritualiter gaudet, plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur. Quod aperte in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit (**Exod. XVI, 3**),

qui dum refectionem mannae desuper perciperet, ab Aegypto ollas carnum, pepones, porros, cepasque concupivit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiae, suave sapiens, ad refectionem interioris vitae bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnum, nisi carnalia opera, vix tribulationum laboribus quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenae dulcedines? Quid per porros ac cepas exprimitur, quae plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitae praesentis, quae a dilectoribus suis et non sine luctu agitur, et tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cepasque quaesierunt, quia videlicet perversae mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitae itinera, etiam lacrymis plena, concupiscunt; contemnunt habere ubi spiritualiter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi et carnaliter gemant. Horum itaque vecordiam veridica voce Job reprehendat, quia nimirum perverso iudicio, perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria aeternis, suspecta securis anteponunt. Horum vecordiae sancta Ecclesia recordetur, cum saevis extrinsecus adversitatibus premitur, quos intra se velut fideles continuit, sed eorum vitam adversantem fidei diu toleravit, et dicat: *Qui inter hujusmodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant*, quia nimirum mala quae agunt ex iniquorum praecedentium pravitate didicerunt. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XVI [*Vet. XVII*].

VERS. 8.---*Filii stultorum et ignobilium.*

41. *Duplex est stultitia; alia summae nobilitati conjuncta.*--- Sciendum nobis est quod alii intra sanctam Ecclesiam vocantur stulti, sed tamen nobiles, alii vero sunt stulti et ignobiles. Stulti namque dicuntur, sed esse ignobiles nequeunt, qui carnis prudentiam contemnentes, profuturam sibi stultitiam appetunt, et ad novitatem internae prolis virtutis nobilitate sublevantur; qui stultam sapientiam mundi despiciunt, et sapientem Dei stultitiam concupiscunt. Scriptum quippe est: **656** *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus (I Cor. I, 25).* Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet, dicens: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens (Ibid., III, 18).* Hanc stultitiam qui perfecte secuti sunt, voce sapientiae audire meruerunt: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28).* Ecce relinquentes temporalia gloriam potestatis aeternae mercati sunt. Quid itaque in hoc mundo stultius quam sua deserere? Et quid in aeternitate nobilius quam cum Deo judices venire? Horum scilicet judicum nobilitas Salomone attestante memoratur, cum hoc quod jam praefatus sum dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae (Prov. XXXI, 23).* Valde quippe nobiles considerat, quos senatores vocat. Hanc in se nobilitatem Paulus aspexerat, cum cognationi conditoris per spiritum junctus dicebat: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, vel argento aut lapidi sculpturae artis, et cogitationi hominis divinum esse simile (Act. XVII, 29).* Genus videlicet Dei dicimur, non ex

eius natura editi, sed per spiritum illius, et voluntarie conditi, et adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur.

42. *Alia ignobilis, qua superna sapientia relinquitur.*---At contra sunt stulti et ignobiles, qui dum supernam sapientiam, semetipsos sequentes, fugiunt, in sua ignorantia quasi in abjectae prolis vilitate sopiuntur. Quo enim id ad quod conditi sunt, non intelligunt, eo etiam cognitionem acceptae per imaginem generositatis perdunt. Stulti sunt ergo et ignobiles, quos ab aeternae haereditatis consortio repellit servitus mentis. Scriptum quippe est: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (Joan. VIII, 34)*. Et voce egregii praedicatoris dicitur: *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19)*. Qui ergo dum terrena saperent ab intima generositate repulsi sunt, stulti simul et ignobiles fuerunt. Quorum dum plerique actus imitantur, filii stultorum et ignobilium fiunt; dumque eos sensibus ac moribus sequuntur, et stulti sunt, quia veram sapientiam non intelligunt, et ignobiles, quia nulla spiritus libertate renovantur. Sed hi quamvis iniquorum actus exerceant, plerumque tamen in hac vita occupant loca justorum, atque eorum se filios aestimant quorum per honoris concupiscentiam officia exterius administrant. Quos sancta correptio ad cognitionem sui revocat, ut, videlicet, in pravis desideriis positi, quorum sint filii attendant. Non enim eorum sunt filii quorum loca tenent, sed quorum opera exercent. Dicatur igitur recte: *Filii stultorum et ignobilium*. Ubi apte subjungitur:

CAPUT XVII.

IBID.---*Et in terra penitus non parentes.*

43. *Stulti sunt et ignobiles, quos Deus nescire profitetur. Multi veritatem cognoscendo premunt, non tangunt.*---Sicut enim plerique in terra sunt, et a cognitione hominum abjectione vilitatis suae quasi quadam superductione velaminis absconduntur, ita sunt nonnulli in Ecclesia qui dum se abjectioni pravorum operum subdunt, divino conspectui noti non sunt. Quibus et quandoque dicendum est: *Amen dico vobis, nescio vos* (**Matth. XXV, 12**). Esse ergo in terra et apparere, **657** est in fide recta per virtutem operis nobilitatem mentis ostendere. Esse vero in terra et penitus non apparere, et in Ecclesia quidem fide consistere, sed nil dignum fidei in opere demonstrare. Hi itaque intra sanctam Ecclesiam divinitatis oculis et videntur per iudicium, et tamen per bonae vitae meritum non videntur, quia ea quae confitendo tenent, vivendo non exhibent. De quibus Paulus dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (**Tit. I, 16**). Hi in sancta Ecclesia fidem quam tenere se asserunt premunt potius quam venerantur, dum sua magis illius nomine quam ejus adipisci lucra concupiscunt. [*Vet. XVIII*]. Electi autem dum servare fidei meritum rectis operibus curant, ad auctoris sui notitiam etiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod bene in Evangelio muliere sanguinis fluxu laborante signatum est, de qua cum Dominus diceret: *Quis me tetigit* (**Luc. VIII, 45**)? Petrus ratiocinando respondit: *Turbae te comprimunt et*

affligunt, et dicis: Quis me tetigit? Sed audire causas verae rationis meruit, cum ei Dominus dixit: *Tetigit me aliquis, nam et ego novi virtutem exisse de me.* Ecce turbae premebant Dominum, sed tamen sola tetigit quae ad illum humiliter venit, quia nimirum multi etiam in sancta Ecclesia reprobi veritatem cognoscendo premunt, quam bene vivendo tangere negligunt. Premunt, et longe sunt, quia divinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt. Premunt, inquam, sed longe sunt, quia eidem fidei, quam loquendo astruunt, agendo contradicunt. Sicut ergo hoc testimonio docemur quia nonnulli Dominum tangendo non tangunt, ita nonnulli non videntur a Domino etiam cum videntur, quia occultis ejus obtutibus et ad damnationis supplicium apparent, et ad electionis meritum non apparent. Dicatur igitur recte: *Et in terra penitus non parentes*, quia etsi illos specie tenus Ecclesia tenuit, eos tamen intra illam conditor quasi non vidit quos ignoravit. Qui tranquillitatis tempore idcirco fidem verbo tenus tenent, quia eandem fidem florere generaliter vident. Sed cum repentina contra illam procella adversitatis oboritur, mox ab ea negatione publica disjunguntur, et quidquid prius quasi venerantes tenuerant, contra hoc postmodum deridentes pugnant. Unde apte subditur:

CAPUT XVIII [*Res. XVII*].

VERS. 9.---*Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis proverbium.*

44. *Iniquis crescentibus, fides in opprobrium, et veritas in crimen erit.*---Quibus videlicet verbis illud sanctae Ecclesiae tempus exprimitur, quo publice a reprobis irridetur, quando iniquis crescentibus, in opprobrium fides, et veritas erit in crimen. Tanto quippe despectior unusquisque erit, quanto justior esse potuerit; tanto abominabilis, quanto laudabilis. Sancta itaque electorum Ecclesia afflictionis tempore proverbium pravis efficitur, quia cum bonos mori per tormenta conspiciunt, ab eis similitudinem maledictionis sumunt. Quo enim transitoriam mortem vident, sed permanentem vitam non vident; tanto magis deridendo mala praesentia fugiunt, quanto per intellectum intrinsecus ad bona permanentia non pertingunt. Sed ea quae subjuncta sunt, quia obscurioribus sententiis **658** implicata non sunt, debemus sub brevitate transcurrere, ut ad ea in quibus laborandum est valeamus citius pervenire. Sequitur:

CAPUT XIX.

VERS. 10.---*Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur.*

45. *Iniquorum irrisionibus non dejicitur sed erigitur et crescit Ecclesia.*---Longe a sancta Ecclesia fugiunt omnes iniqui non passibus gresuum, sed qualitatibus morum; longe fugiunt non loco, sed merito; dum, crescente superbia, aperta eam exprobratione contemnunt. Faciem namque ejus conspuere est non tantum in absentia bonis detrahare, sed unumquemque justum etiam in praesentia confutare. Quos

tunc pravi dum aperte irridendo despiciunt, in eorum contumeliis fluxa verba quasi defluentes salivas emittunt. [*Vet. XIX.*] Sed scit sancta Ecclesia in passionibus crescere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere; scit nec de adversis dejici, nec de prosperis gloriari; novit contra prospera mentem suam in dejectione sternere, novit contra adversa animum ad spem superni culminis exaltare; scit bona sua misericordiae Redemptoris, scit mala sua justitiae tribuere iudicis; quod et bona illo largiente habeat, et mala illo permittente patiatur. Unde et mox de Domino subjungit, dicens:

CAPUT XX.

VERS. 11.---*Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me.*

46. *Deo permittente, licet occulto iudicio, mala se perpeti novit.*---Quid per pharetram Dei, nisi occultum consilium designatur? Sagittam vero de pharetra Dominus jacet, quando de occulto consilio apertam sententiam emittit. Quia enim flagellatur quisque, cognoscimus; sed qua ex causa flagellum veniat, ignoramus. Cum vero post flagella vitae correctio sequitur, etiam ipsa consilii virtus aperitur. Pharetra igitur clausa est consilium occultum. Sed aperta pharetra affligimur, quando per id quod post flagellum sequitur quo consilio flagellamur videmus. Cum peccata Dominus videt, et tamen manum ad vindictam non commovet, quasi clausam pharetram tenet, sed feriendo indicat quantum ei in nobis displicuit hoc quod diu videndo toleravit. Sancta itaque

electorum Ecclesia tribulationibus pressa dicat: *Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me*. Quae adversariorum voces insolentes sustinens, dum cernit quod ejus praedicatio non admittitur, quorundam duritiam deserens, praedicationis suae verba moderatur. Perpendens etenim persecutores suos ad exhortationis suae vocem deteriores existere, magis eligit tacere. Cumque indignos qui audiant conspicit, praedicationem suam obducto silentio astringit. Unde apte subjungit:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et frenum posuit in os meum*.

47. *A praedicatione feriendum est, cum ii qui verbum Dei excipiunt, inde pejores fiunt*.---Frenum sibi apud quosdam positum cognoverant, qui dicebant: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes* (**Act. XIII, 46**). Frenum silentii sibi superimpositum sancti viri apud dura reproborum corda conspiciunt, qui per Prophetam dicunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (**Psal. CXXXVI, 4**)? Frenum poni etiam Paulus admonuit, qui discipulo praecepit, dicens: *Haereticum post primam et secundam correptionem evita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus* (**Tit. III, 10**). Sancti quippe doctores **659** plerumque alta consideratione resistentium corda conspiciunt, et dum ea derelicta divinitus vident, afflicti

gementesque conticescunt. An non aliquando frenum Salomon doctoribus imponit, qui dicit: *Noli arguere derisorem, ne oderit te* (**Prov. IX, 8**). Sed si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus, non jam lucra Dei, sed nostra quaerimus. Qua in re sciendum est quod nonnunquam cum redarguuntur pravi, deteriores existunt. Ipsis ergo et non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorum amore cessamus. Unde necesse est ut aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant bene vivendo quod non sunt. Quia igitur sancta Ecclesia, quae verba sua semper per charitatem exerit, ea etiam nonnunquam ex charitate restringit, dicat: *Frenum posuit in os meum*. Ac si aperte fateatur, dicens: Quia in quibusdam provectum non vidi praedicationis, ab eis impetum temperavi, ut vitam meam saltem per patientiam discerent, cum verba mea admittere per oblatam praedicationem nollent. [*Vet. XX.*] Sed plus nobis hoc plerumque in tribulationibus dolet, quod eas ab illis patimur, in quibus germano amore confidebamus. Unde et subditur:

CAPUT XXII [*Rec. XVII*].

VERS. 12.---*Ad dextram orientis calamitates meae illico surrexerunt.*

48. *Pro sinistra gentiles, pro dextera Judaei intelligendi.*--- Ad sinistram quippe calamitates surgerent, si a quibuslibet extra religionem positis, et aperte Christum negantibus, persecutionis adversa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi

fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriuntur, quia hi qui sub Christi nomine militant Christi in ea nomen impugnant. Ipso enim locutionis usu pro dextro habere dicimus quod pro magno pensamus, pro sinistro vero id quod despiciamus; quod Zacharias aperte insinuat, dicens: *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei (Zach. III, 1)*. Qui ut patentius hoc quod praemisit ostenderet, secutus adjunxit: *Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te, Satan, qui elegit Jerusalem. Nunquid non est iste torris erutus de igne? Et Jesus indutus erat vestibus sordidis (Ibid., 2)*. Sordidis enim vestibus Jesus indutus erat, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui venienti Satan a dextris stetit. Pro magno namque Dominus Judaicum populum, et pro nihilo gentes habere videbatur. Sed postquam incarnatus apparuit, gentilitas quae pro sinistro habita fuerat credidit; Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed quia ipse Judaicus populus, modo perditus, in fine est quandoque crediturus, propheta testante, qui ait: *Reliquiae salvae fient (Isa. X, 21)*, Satan a dextris suis Dominus removet, dicens: *Increpet Dominus in te, Satan (Zach. III, 1)*. Et ejusdem populi liberationem indicans, subdit: *Quia eligit Jerusalem (Ibid., 2)*. Qui nimirum populus, quia ad gehennae incendia, perfidia duce, defluebat, sed **660** dum ad fidem reducitur ab eodem aeterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur: *Nunquid non est iste torris erutus de igne?*

49. *Et Ecclesiae fidem sectantes, a quibus ipsa aliquando vim patitur.*---Sicut ergo illic pro dextra plebs Judaica, ita hoc in loco dextrae vocabulo fidelis populus sanctae Ecclesiae designatur. Unde et venturus judex haedos ad sinistram, agnos ad dexteram ponet (**Matth. XXV, 33**). Sed cum sanctam Ecclesiam adversitatis tempore ipsi quoque lacesunt qui fideles esse videbantur, ei procul dubio calamitates ad dextram surgunt. [*Vet. XXI.*] Bene autem haec ipsa dextra Orientis vocatur. De ipso quippe ejusdem capite scriptum est: *Oriens est nomen ejus* (**Zach. VI, 12**). Nam quia ab Oriente lux surgit, recte Oriens dicitur cujus justitiae lumine nostrae injustitiae nox illustratur. Ad Orientis ergo dextram calamitates surgunt, quia hi quoque ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur. Quas videlicet calamitates recte illico asserit surgere, quia dum non erant extranei qui persequuntur, ab eis repente mala et illico fiunt. Si vero dextra hi qui veraciter fideles sunt appellantur, calamitates ad dextram Orientis surgunt, quia erumpente persecutionis articulo, crudeles pravorum impetus justi patiuntur. Sequitur:

CAPUT XXIII [*Rec. XIX*].

IBID. Pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

50. *Ejus extrema membra quasi pedes quandoque subvertuntur.*---Quid per pedes Ecclesiae, nisi extrema illius

membra signantur? Quae dum ad opera terrena deserviunt, tanto celerius ab adversariis falli possunt, quanto sublimia minus intelligunt. Hos itaque pedes adversarii subvertunt, videlicet cum extrema membra illius ad sui dogmatis errorem trahunt. Subversi pedes viam tenere nequeunt, cum infirmi quique persecutorum suorum vel promissionibus persuasi, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, ab itinere recto deviant. Bene autem adversariorum semitae fluctibus comparantur, cum dicitur: *Et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis*, quia scilicet vita pravorum insolenti inquietudine molesta ad obruendam, ut ita dixerim, navem cordis quasi tempestas illabitur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur: *Quasi tempestas transiens non erit impius* (**Prov. X, 25**). Cumque infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus unda miserae imitationis mergit. Sequitur:

CAPUT XXIV.

VERS. 13.---*Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et praevaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium.*

51. *Occultis hostium insidiis ejus viae dissipantur, Deo ad tempus utiliter deserente.*---Dicat haec beatus Job de malignis spiritibus, videlicet hostibus occultis; dicat universa Ecclesia de pravis persequentibus, scilicet adversariis apertis. Ipsi quippe ejus itinera dissipant, cum in quorundam infirmorum mentibus, veritatis vias callida persuasione perturbant. Ipsi insidiantes praevalent, cum eos quos aperte ad

malum trahere nequeunt, bona simulando pervertunt. Sed mirum valde est quod subbjicit: *Non fuit qui ferret auxilium*, cum de divino adjutorio Psalmista clamet: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* (**Psal. IX, 10**); **661** et: *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinques quaerentes te, Domine*. Et cum rursum scriptum sit: *Quis speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Et quis invocavit illum, et despexit eum* (**Eccli. II, 11, 12**)? Qua itaque ratione nunc dicitur: *Non fuit qui ferret auxilium*, nisi quia omnipotens Deus eos quos in aeternum diligit aliquando ad tempus relinquit? Unde scriptum est: *Ad punctum in modico derelinqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui* (**Isai. LIV, 7**). Hinc etiam Psalmista deprecabatur, dicens: *Non me derelinquas usquequaque* (**Psal. CXVIII, 8**). Derelinqui igitur sese ad modicum posse utiliter noverat, qui ne usquequaque relinqueretur petebat. Sanctos etenim suos Dominus veniendo adjuvat, relinquendo probat; donis firmat, tribulationibus tentat. Unde recte quoque per quemdam sapientem dicitur: *In primis elegit eum, timorem et metum et probationem inducet super illum, et excruciat illum in tribulatione doctrinae suae, donec tentet illum in cogitationibus illius* (**Eccli. IV, 18**). Justi quippe animam gratia vocat, tentatio interrogat. Et omnipotens Deus electorum suorum adversarios temporaliter permittit excrescere, ut per malorum saevitiam purgetur vita bonorum.

52. *Utilitati justorum militat etiam potestas pravorum.*---
Nunquam quippe Dominus adversos bonis esse permetteret,

nisi etiam quantum prodessent videret. Nam dum iniusti saeviunt, iusti purgantur, et utilitati innocentium militat vita pravorum, dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius format. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Qui stultus est, serviet sapienti* (**Prov. XI, 29**). Et tamen saepe conspicimus sapientes subesse, stultos vero arcem domini tenere; sapientes serviliter obsequi, stultos tyrannica elatione dominari. Quomodo igitur definitione divinae sententiae sapienti stultus servit, dum plerumque hunc jure temporalis domini comprimere? Sed sciendum est quia contra sapientis vitam, dum stultus praeeeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat. Stultus ergo sapienti etiam dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit. Sic nonnunquam pupillis dominis ad disciplinae magisterium servi praesunt, terrent, premunt, feriunt, et tamen esse servi nullo modo desistunt, quia ad hoc ipsum ordinati sunt, ut proficientibus dominis etiam feriendo famulentur. Quia igitur mala reprobos bonos, dum cruciant, purgant, utilitati justorum militat etiam potestas iniquorum. Sed plerumque iusti tribulatione deprehensi, tardam manum subvenientis aestimant, cum se persequentium immanitas paulo longius angustat. Et concita quidem sunt ereptoris remedia, sed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolenti tardum videtur. Cumque adesse postulationi auxilium quaeritur, si vocem non statim sequitur, quia desit aestimatur. Unde nunc dicitur: *Et non fuit qui ferret auxilium*. Qua videlicet in voce ipsa vis passionis exprimitur, quia supernum auxilium, etsi ad est quantum ad ordinatam providentiam **662** protectoris,

deesse tamen creditur quantum ad concita vota patientis. Sequitur:

CAPUT XXV [*Vet. XXII, Rec. XX*].

VERS 14.---*Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.*

53. *Lugendus animae status, quando in eam hostes irruunt, rupto fidei muro, vel destructa disciplinae materia.*--- Quid hoc loco muri nomine nisi Redemptor humani generis appellatur? De quo pro sanctae Ecclesiae aedificatione per prophetam dicitur: *Ponetur in ea murus et antemurale* (**Isai. XXVI, 1**). Ipse enim nobis murus est, qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum cursum vetat. Qui nostrae quoque fidei etiam antemurale posuit, quia priusquam se per carnem ostenderet praedicatores sui mysterii prophetas misit. Recte quippe antemuralis nomine vocantur, quia dum subsequentem praedicaverunt Dominum, quasi ante murum steterunt. Sed quasi murus rumpitur cum pravorum persuasionibus fides quae in Redemptore nostro est in quorundam corde dissipatur. Cumque perversis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? Quasi rupto ergo muro, et aperta janua, super bonos irruunt mali, cum, accepta temporaliter potestate, perversi ipsa quoque in quorundam corde destruere munimina fidei conantur. De quibus apte dicitur: *Et ad meas miserias devoluti sunt*, quia videlicet prius, ad suas. Nisi enim perverse vivendo, ad suas ante miserias caderent, nequaquam ad eas postmodum

et alios suaderent. Sed post suas reprobi et ad nostras misérias devolvuntur, quando ad ea mala in quibus jam ipsi implicati sunt etiam quosdam nobis unitos trahunt.

54. Potest quoque intelligi muri nomine munitio disciplinae; Salomone attestante, qui ait: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticae, operuerant superficiem ejus spinae, et maceria lapidum destructa erat (Prov. XXIV, 30)*. Per agrum enim hominis pigri atque per vineam viri stulti transire est cujuslibet vitam negligentis inspicere, ejusque opera considerare. Quam urticae vel spinae replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria et punctiones pullulant vitiorum, quippe quia scriptum est: *In desideriis est omnis otiosus (Prov. XXVIII, 19, sec. LXX)*. Maceria lapidum destructa erat, id est, disciplina patrum ab ejus corde dissoluta. Nam quia destructa maceria lapidum, dissolutam esse disciplinam vidit, protinus illic secutus adjunxit: *Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinari (Prov. XXIV, 32)*. Quasi rupto ergo muro hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum, vel pravorum hominum persuasione callida, disciplinae munimina in corde dissipantur. Sed cum ejusdem disciplinae vigor in corde reproborum solvitur, ante eorum oculos cuncta honorum opera despectui habentur, nihilque esse aestimant quidquid de virtutibus electorum vident. Unde et subditur:

CAPUT XXVI.

VERS 15.---*Redactus sum in nihilum.*

55. *Despectis veris bonis, carnales fluxis, cum quibus pereunt, innituntur.*---Apud aestimationem quippe malorum in nihilum redigimur, quando ea quae ipsi quasi summa diligunt bona temporalia non tenemus. Despectis namque supernis promissionibus, terrena desiderant; et si quando in eorum mente aliquid de appetitu aeternitatis oritur, suborta citius transitoria **663** delectatione dissipatur. Unde et statim subjungitur:

IBID.--- *Abstulisti quasi ventus desiderium meum.*

Fidelis quippe populus se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Ventus ergo desiderium tollit, cum res quaelibet transitoria aeternitatis appetitum destruit. Unde adhuc congrue subinfertur:

IBID.---*Et velut nubes pertransiit salus mea.*

Nubes quippe in alto eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit. Sic nimirum, sic sunt temporalia iniquorum bona. Velut in alto quidem per honoris celsitudinem degere videntur; sed ad cursum vitae quotidie, quasi quibusdam mortalitatis suae flatibus impelluntur. Salus ergo ut nubes transit, quia perversorum gloria, quo alta est, fixa non est. Sed expletis desideriis actibusque infirmantium, ad electorum vocem sermo convertitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT XXVII.

VERS. 16.---*Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis.*

56. *Nunc in se marcescunt electi, sed in Deo virent.*--- Electorum quippe anima nunc marcescit, quia in illa postmodum aeterna exultatione viridescit. Modo eos dies afflictionis possident, quia dies laetitiae post sequuntur. Scriptum quippe est: *Timenti Deum bene erit in extremis* (**Eccli. I, 13, 19**). Et rursum de Ecclesia dicitur: *Ridebit in die novissimo* (**Prov. XXXI, 25**). Nunc enim tempus afflictionis est bonis, ut sequatur eos exultatio quandoque sine tempore. Hinc ab eis alias dicitur: *Humiliasti nos in loco afflictionis* (**Psal. XLIII, 20**). Locus namque afflictionis est vita praesens. Iusti ergo hic, id est in loco afflictionis, humiliati sunt, quia in aeterna vita, id est in loco gaudii sublimantur. Cum vero marcescere animam diceret, recte etiam praemisit, *In memetipso*, quia in nobismetipsis quidem afficitur, sed in Deo mens nostra refovetur; tantoque a viriditate gaudii longe fit, quanto adhuc ab auctoris repulsa lumine ad se recedit. Tunc vero ad verae laetitiae viriditatem pervenit, quando per aeternae contemplationis gratiam sublevata etiam semetipsam transit. Sed haec quae allegorica indagatione transcurrimus, oportet ut per omnia etiam juxta historiam teneamus. Quae tamen nunc idcirco praetereo, quia haec aperta esse legentibus non ignoro. Diebus autem persecutionis ultimae, quia multi sunt qui pereunt, et pauci qui salvantur; idcirco vir sanctus passionis suae tempore et pauca de bonis, et multa de perversis loquitur. Unde et mox ad eorum personam qui corruunt, verba convertit; sicque sua

insinuat, ut cadentibus possint congruere quae narrat. Nam sequitur

CAPUT XXVIII [*Rec. XXI, Vet. XXIII*].

VERS. 17.---*Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt.*

57. *Saeviente persecutione, fortes et qui in corpore Ecclesiae sunt velut ossa deficiunt.*---Si ipsi historiae intendimus, patet causa, quoniam sancti viri corpus per sinus ulcerum scaturiens vermium multitudo lacerabat. Si vero allegoriae mysterium perscrutamur, quid per ossa nisi fortes quique in sanctae Ecclesiae corpore designantur? 664 Qui quasi suo robore membra continent, dum mores infirmantium stabiliter portant. Sed cum tribulationis ultimae contra eam fervor excreverit, in nocte os illius perforatur doloribus, quia nonnunquam tormentis victi, etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur. Ait ergo: *Nocte os meum perforatur doloribus.* Ac si aperte dicat: Tribulationis tenebris pressi, ita afflictione terebrantur, ut et ipsi qui in me habebant vigorem fortitudinis, quasi jam quoddam habeant foramen timoris. Bene autem dicitur: *Et qui me comedunt non dormiunt*, quia maligni spiritus, qui carnales quosque de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravantur. Sed persecutores sanctae Ecclesiae quia valde perversi sunt, essent utinam pauci. Sequitur:

CAPUT XXIX [*Rec. XXII*].

VERS. 18.---*In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitis tunicae succinxerunt me.*

58. *Qui Ecclesiae velut vestimentum adhaerent, nonnunquam ab ea, vi tormentorum, separantur.*---Si historiae intendimus, quid aliud vestimentum beati Job quam ejus corpus accipimus? cujus videlicet vestimentum consumitur dum caro cruciatur. Juxta allegoriae vero mysterium, vestimentum est sanctae Ecclesiae fidelium vita. Nam sicut tota simul Ecclesia vestimentum Christi, ita fideles quique ejusdem Ecclesiae vestimenta deputantur. Si enim sancta Ecclesia vestimentum Christi non esset, Paulus profecto non diceret: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam (Ephes. V, 27)*; id est, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam, quia et per justitiam munda est, et per simplicem intentionem tensa. Quae igitur abluta est ne habeat maculam, tensa est ne habeat rugam, utique vestis est. Sicut ergo indumentum Christi tota generaliter Ecclesia dicitur, sic indumentum sunt Ecclesiae singulorum animae, quae ab errore conversae eandem Ecclesiam credendo eique fideliter inhaerendo circumdant. De quibus eidem Ecclesiae per prophetam Dominus dicit: *Vivo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris (Isai. XLIX, 18)*. Sed cum procella saevae persecutionis oboritur, plerique fidelium ab ejus amore separantur, qui ei sedulo inhaerere videbantur. Dicat ergo: *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, quia dum*

multi sunt qui cruciant, destruuntur plurimi qui ei connexione amoris inhaerebant.

59. *Reprobi vitam fidei et praedicationis vocem, in Ecclesia extinguere conantur.*---Bene autem subditur: *Et quasi capitio tunicae succinxerunt me.* Tunicae quippe capitium collum circumdat induentis. Collum vero si stringitur, vocis usus et vitalis flatus necatur. Sanctam ergo Ecclesiam reprobi quasi capitio tunicae constringunt, quia in ea persecutionibus suis vitam fidei, et praedicationis vocem extinguere conantur. Hoc quippe conari persecutores ejus specialiter solent, ut ab ea ante omnia verbum praedicationis tollant. Unde et hi qui sanctae fidei primordiis resistebant, caesis Apostolis denuntiabant, dicentes: *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto, et 665 ecce replestis Jerusalem doctrina vestra (Act. V, 28).* Corpus ergo sanctae Ecclesiae quasi capitio tunicae cinxerant, qui constrictis praedicatoribus, velut ejus collum prementes, in ea claudere iter vocis volebant. Sed electi quique persecutionis suae tempore paratiores sunt mori quam tacere. Qui dum in morte corporaliter corruunt, a stultis quibusque et carnalibus despecti ac viles aestimantur, quia cum videre reprobi nequeunt quae electi bona spiritaliter teneant, quos carnaliter exstingui conspiciunt, infelices arbitrantur. Unde et subditur:

CAPUT XXX.

VERS. 19.---*Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillae et cineri.*

60. *Hanc tanquam lutum, favillam et cinerem conculcant.*---
In reproborum quippe iudicio, sancta electorum Ecclesia luto comparatur, quia temporaliter conculcata despicitur. Favillae assimilatur et cineri, quia dum bona ejus interiora non vident, ad sola hanc mala pervenisse aestimant, quae in ea exhiberi corporaliter vident. Fidelis autem electorum populus, cum multos ex se cadere conspicit, optat, si obtinere valeat, adversitatis suae tempora mutari. Hujus quia oratio differtur, gemitus augetur, Unde adhuc subditur:

CAPUT XXXI. [*Vet. XXIV*].

VERS. 20.--- *Clamabo ad te, et non exaudies; sto, et non respicis me.*

61. *Ecclesiae liberari postulantis oratio non continuo exauditur. Qua ratione.*---Sancta quippe Ecclesia persecutionis suae tempore fide stat, desideriiis clamat. Sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Alto namque consilio omnipotens Deus, cum sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, eumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, differre solet voces petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Unde alias scriptum est: *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies, et nocte (Psal. XXI, 3).* Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur, cum

illic protinus subinfertur: *Et non ad insipientiam mihi (Ibid.)*. Ad multiplicandam quippe sanctorum sapientiam proficit quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda coelestia tanto fit capax, quanto fuerit expectando longanimis. Sed tamen inter haec sanctorum patientiam dolor urget ad vocem, et cum dilati proficiunt, metuunt ne deficientibus viribus despecti reprobentur. Sequitur:

CAPUT XXXII [*Rec. XXIII*].

VERS. 21.---*Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi.*

62. *De Deo nihil dignum dicere aut cogitare possumus.*--- Longe ab hac sententia vetus translatio dissonat, quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de adversariis ac persecutoribus memoratur. Sed tamen quia haec nova translatio ex Hebraeo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quidquid in ea dicitur, et oportet ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur. Ait ergo: *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi.* 666 In Scriptura sancta cum de Deo aliquid indignum dicitur, movetur legentis animus, velut si aliquando de Deo aliquid dignum dicatur. Pene omne quippe quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quo potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando

sufficiet loquens lingua? Sanctus autem Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia summa et divina, his etiam verbis nonnunquam de Deo utitur quae apud homines habentur in vitio, ut ex his quae indigna videntur hominibus, et tamen dicuntur de Deo, admoneantur scire homines quod nec illa jam Deo digna sint quae, dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.

63. *Quo sensu dicatur zelari, irasci, poenitere, misereri, praescire. Deo nihil praeteritum est aut futurum. Res non ideo videntur a Deo quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.*--- Dicitur enim Deus zelans, sicut scriptum est: *Dominus zelotes nomen ejus* (**Exod. XXXIV, 14**). Dicitur iratus, unde scriptum est: *Iratus est Dominus contra Israel* (**Num. XXXII, 13**). Dicitur Deus poenitens, sicut scriptum est: *Poenitet me fecisse hominem super terram* (**Genes. VI, 7**). Et rursus: *Poenitet me quod constituerim Saul regem in Israel* (**I Reg. XV, 11**). Dicitur misericors, sicut scriptum est: *Misericors et miserator Dominus, patiens et multum misericors* (**Psal. LXXXV, 15**). Dicitur praescius, sicut de illo ait Apostolus: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (**Rom. VIII, 29**), dum nec zelus, nec ira, nec poenitentia, nec proprie misericordia, nec praescientia esse possit in Deo. Haec namque omnia ab humanis in illum qualitatibus tracta sunt, dum ad nostrae infirmitatis verba descenditur, ut, quasi quibusdam nobis gradibus factis, et juxta nos positis, per ea quae nobis vicina conspiciamus ad summa ejus ascendere quandoque valeamus. Zelari enim dicitur qui cum cruciatu mentis castitatem custodit uxoris. Irasci dicitur qui fervore animi contra puniendum vitium accenditur. Poenitere dicitur cui id quod fecit displicet, et e contra mutando aliquid aliud

facit. Misericors dicitur qui pietate ad proximum permovetur. Misericordia autem a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intueatur quempiam miserum, atque ei compatiens, dum dolore animi tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet cui intendit. Praescire dicitur qui unamquamque rem antequam veniat videt, et id quod futurum est priusquam praesens fiat praevidet. Deus ergo quomodo zelans est, qui in custodienda castitate nostra nullo mentis cruciatu tangitur? Quomodo irascitur, qui in ulciscendis vitiis nostris nulla perturbatione animi commovetur? Quomodo est poenitens, qui id quod semel fecerit se fecisse nequaquam dolet? Quomodo habet misericordiam, qui cor nunquam miserum habet? Quomodo est praescius, dum nulla nisi quae futura sunt praesciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne quod nobis fuit et erit, in ejus conspectu praesto est; et omne quod praesens est, scire potest potius quam praescire. Et tamen dicitur zelans, dicitur iratus, dicitur poenitens, **667** dicitur misericors, dicitur praescius, ut quia castitatem animae uniuscujusque custodit, humano modo zelans vocetur, quamvis mentis cruciatu non tangatur. Et quia culpas percutit, dicitur irasci, quamvis nulla animi perturbatione moveatur. Et quia ipse immutabilis id quod voluerit mutat, poenitere dicitur quamvis rem mutet, consilium non mutet. Et cum miseriae nostrae subvenit, misericors vocatur, quamvis miseris subveniat, et cor miserum nunquam habeat. Et quia ea quae nobis futura sunt videt, quae tamen ipsi semper praesto sunt, praescius dicitur, quamvis nequaquam futurum praevideat, quod praesens videt. Nam et quaeque sunt, non in aeternitate ejus ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.

Dum ergo ad verba mutabilitatis nostrae descenditur, ex eis quibusdam gradibus factis ascendat qui potest ad incommutabilitatem Dei, ut videat sine zelo zelantem, sine ira irascentem, sine dolore et poenitentia poenitentem, sine misero corde misericordem, sine praevisionibus praescientem. In illo enim nec praeterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quae in scipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo praeterit quod transit, quia in aeternitate ejus modo quodam incomprehensibili, cuncta volumina saeculorum transeuntia manent, currentia stant.

[*Vet. XXV.*] 64. *Deus crudelis videtur, quando, etsi juste feriendo, non parcit.*---Sicut ergo accipimus sine zelo zelantem, sine ira irascentem, ita a sancto viro etiam sine crudelitate dici potuit crudelis. Crudelis quippe dicitur qui districte feriendo non parcit, ut videlicet hoc loco crudelis districte feriens possit intelligi, et ulciscendae culpae non parcens. Unde Isaias quoque cum videret ultimi judicii diem non jam cum venia, sed cum districtione esse venturum, ait: *Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et irae furorisque ejus, ad ponendam terram in solitudine, et peccatores ejus conterendos de ea (Isai. XIII, 9).* Sanctus igitur vir ut hanc eandem crudelitatem sibi potius assereret congruere posse, quam Deo, ait: *Mutatus es mihi in crudelem.* Ac si aperte dicat: Qui in teipso crudelitatis nihil habes, mihi quem respirare a percussione non sinis, crudelis videris. Ita enim Deus crudelis esse non potest, sicut nec mutari ullatenus potest. Sed quoniam in Deo nec crudelitas, nec mutabilitas unquam venit, dum mihi dicit, quod in semetipso Deum nec crudelem nec mutabilem sentiat

ostendit. Nam dum circa nos quaedam prospera et adversa variantur, in eo quod nos mutamur quasi ejus circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse vero in se incommutabilis permanens, aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum, pro qualitate meritorum. Nam et lux solis cum nequaquam est sibimetipsi dissimilis, infirmis aspera, sanis autem oculis lenis videtur, eorum videlicet immutatione, non sua. Unde, ut praediximus, dicens: *Mutatus es*, adjunxit, *Mihi*, ut ipsa haec crudelitas atque immutatio non sit in qualitate judicis, sed in mente patientis. Quod verbis quoque aliis retexit, dicens: *Et in duritia 668 manus tuae adversaris mihi*. Manus etenim Dei dura creditur cum, voluntati nostrae contraria, hoc quod ei in nobis displicet feriendo persequitur et flagella ingeminat cum dolentis anima clementiam exspectat. Quae tamen juxta allegoriae mysterium bene sanctae Ecclesiae verbis congruunt ex vocibus infirmorum, qui plerumque se plus feriri aestimant quam mereri putant, et quasi crudelitatem arbitrantur judicis distriktionem aequissimam sectionis, quia et cum vulnus aegri medicinali ferramento abscinditur, medicus crudelis vocatur, qui tamen per secantis manus duritiam adversatur vulneri, sed concordat saluti. Sequitur:

CAPUT XXXIII [*Rec. XXIV*].

VERS. 22.---*Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide.*

65. *Super ventum sedet, qui transitoriis successibus laetatur. Adversitas non dejicit, quem prosperitas non corrumpit.*---

Quia praesentis vitae gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur, velut elevatus super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria laetatur, quoniam ad hoc solum hunc fugitivae felicitatis aura sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia cunctis in honore est, infirmi quique in ea qui transitoriis successionibus laetantur, quo nisi super ventum positi videntur elevati? quia subsequente persecutionis tempore, dum prosperitatis aura pertransit, eorum protinus elevatio corrui, et repente cadentes discunt, quia elevati prius in ventum sederunt. Quae videlicet verba etiam sancti viri personae specialiter congruunt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse videbatur. Neque enim mentem illius prosperitas fugitiva levaverat, quam inter tot rerum affluentias miro semper virtutis pondere premebat; sed juxta hoc quod videri exterius potuit, qui in suis humilis, in alienis oculis elevatus fuit, et quasi super ventum positus, elisus est valide, quia rebus exterioribus fultus, unde aestimabatur surgere, videbatur inde cecidisse. Quem videlicet casum sanctus vir in mente non pertulit, quia nulla adversitas dejicit, quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhaeret, vanitati nullo modo succumbit, quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerit, omne quod foras mutabiliter agitur, ad arcem mentis minime pertingit. Sequitur:

CAPUT XXXIV [*Vet. XXVI, Rec. XXV*].

VERS. 23.---*Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.*

66. *Nemo mortem effugit; pauci voluptatum foveam et interitum. Elias mortem distulit, non evasit.*---In superiori hujus operis parte (**Supra, lib. XII, cap. 6, Edit. Gussanv. novae, n. 13**) tractatum est quod ante adventum Domini ad inferni receptacula etiam justi descenderent, quamvis non in suppliciis, sed in requie servarentur. Quod nunc testimoniis edocere negligimus, quia in ea jam sufficienter probatum putamus. Hoc ergo quod dicitur: *Scio quia morti trades me, ubi constituta domus est omni viventi*, recte beato Job etiam juxta historiam congruit, dum nimirum constat quia ante Redemptoris gratiam ad inferni claustra etiam justi ducerentur. Ipsa quippe inferni receptio domus omnium viventium dicitur, quia nullus huc venit qui ante Mediatoris adventum non **669** illuc ipsa corruptionis suae conditione pertransiit, nullus huc venit qui ad carnis mortem ejusdem corruptionis suae gressibus non tetendit. De qua videlicet morte per Psalmistam dicitur: *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem* (**Psal. LXXXVIII, 49**)? Nam etsi ad coelum raptus Elias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit. De ipso quippe ore veritatis dicitur: *Elias quidem venturus est, et restituet omnia* (**Matth. XVII, 11**). Veniet enim restitutus omnia, quia ad hoc nimirum huic mundo restituitur, ut et praedicationis munera impleat, et carnis debitum solvat. Quae tamen sancti viri sententia juxta allegoriae mysterium sanctae Ecclesiae vocibus ex persona congruit infirmorum, qui fidem verbo tenus tenent, sed contra praecepta fidei suis desideriis famulantur. Ait etenim: *Scio quia morti trades me, ubi constituta domus est omni viventi*. Quia enim multos in se voluptatibus deditos conspicit, eorumque jam interitum praescit, pensat quod in via vitae praesentis suis quidem desideriis serviunt, sed tamen ad

mortis domum perveniunt omnes qui in ea carnaliter vivunt. Sunt vero nonnulli qui in voluptatum suarum foveam corruunt, sed tamen per lamenta poenitentiae ab imis citius pedem reducunt, quos supernae percussione verbera ad eruditionem potius quam ad extinctionem secant. Ex quibus apte subjungitur:

CAPUT XXXV.

VERS. 24.---*Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam et si corruerint, ipse salvabis.*

67. *Nonnulli a Deo percussi ad eruditionem non ad extinctionem a peccato liberantur.*---In quibus profecto verbis hoc solerter debet intelligi, quod beatus Job, dum sua narrat, in se alios transfigurat. Velut enim de se specialiter dicebat: *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide; scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi;* et tamen non de se, sed de aliis adjugit: *Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam.* Dum enim de se loquens ratiocinando causas de aliis subdit, quam multorum personas in se significet ostendit. Manum itaque suam Dominus ad consumptionem peccantium non emittit, cum feriendo a peccatis corripit, et corruentes salvat, dum cadentes ad culpam in salutem corporis vulnerat, ut prostrati exterius, interius surgant, quatenus jacentes corpore ad interiorum statum redeant, qui stantes exterius a statu mentis jacebant. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXVI*].

VERS. 25.---*Flebam quondam super eo qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

68. *Eleemosyna ex mentis affectu quo fit, potissimum aestimanda. Largitorem non faciat rerum abundantia, sed compassio.*---Quamvis vera compassio est passioni proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen, cum exteriora quaeque abunde ad largiendum suppetunt, celerius dantis manus dationem invenit quam animus dolorem. Unde scire necesse est quia ille perfecte tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit afflicti quoque in se animum sumit, ut prius in se dolentis passionem transferat, et tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam saepe, ut praediximus, largitorem muneris rerum facit abundantia, et non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfecte compatitur, **670** plerumque et hoc indigenti tribuit, in quo ipse si dederit angustatur. Et tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiae pro proximo suscipere non metuimus, ut illum a passione liberemus.

69. *Pietatis formam Christus nobis dedit, et docuit Paulus.*---Quam videlicet pietatis formam Mediator nobis Dei et hominum dedit. Qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit, quia nos videlicet minus amasset, nisi et vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suae dilectionis ostenderet, nisi hoc quod a nobis tolleret ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe

mortalesque nos reperit, et qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est quod esse nos noluit, ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam a nobis in perpetuum fugaret. An non in divinitatis suae divitiis nobis invisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? [*Vet. XXVII.*] Sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus. Unde et praedicator egregius, ut ad largitatis gratiam viscera nostrae compassionis accenderet, dixit: *Propter nos egenus factus est, cum dives esset (II Cor. VIII, 9).* Qui sic etiam dicit: *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio (Ibid., 13).* Haec procul dubio condescendendo infirmis intulit, quoniam quibusdam inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere quam post largitatem suam ex inopiae angustia murmurare. Nam ut ad magna largiendi studia audientium mentes accenderet, paulo post intulit, dicens: *Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet (II Cor. IX, 6).* Plus autem nonnunquam esse dicimus compati ex corde, quam dare, quia quisquis perfecte indigenti compatitur, minus aestimat omne quod dat. Nisi enim dantis manum bona voluntas vinceret, idem praedicator egregius discipulis non dixisset: *Qui non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priori (II Cor. VIII, 10).* Facile quippe est in bono opere obedire etiam nolentem. Sed haec magna in discipulis virtus exstiterat, eos bonum quod illis praeceptum est et ante voluisse.

70. *Exteriora largiens, aliquid de suo, compassionem impendens, aliquid dat de seipso.*---Quia itaque vir sanctus apud omnipotentem Deum aliquando majus datum noverat

mentis esse quam muneris, dicat: *Flebam quondam super eo qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi*. Exteriora etenim largiens, rem extra semetipsum praebeuit. Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. Idcirco autem plus compassionem quam datum dicimus, quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur, nunquam autem qui vere compatitur quod necessarium proximo conspiciat negat.

71. *Ecclesia filiis suis poenitentibus compatiens, lacrymas et orationes jungit.*---Quae nimirum sententia bene quoque sanctae Ecclesiae vocibus congruit: quae dum afflictos quosque per lamenta poenitentiae conspiciat, suos ei oratione continua fletus jungit, et toties egero **671** compatitur, quoties menti virtutibus nudatae interventionis suae precibus opitulatur. Super afflictum quippe compatientes plangimus, quando aliena damna nostra deputamus, et culpas delinquentium nostris mundare fletibus nitimur. Quod videlicet agentes, plus plerumque nobis quam his pro quibus agitur subvenimus, quia apud intimum arbitrum et gratiam charitatis aspirantem, commissa quaeque perfecte diluit propria, qui pure plangit aliena. Persecutionis igitur ultimae sancta Ecclesia tribulatione deprehensa, reducat ad memoriam pacis tempore bona quae gessit, dicens: *Flebam quondam super eo qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi*. Quae internae lucis gaudia aeterna desiderans, sed tamen adhuc dilata, quia malis exterioribus premitur, sancti viri vocibus adjungat:

CAPUT XXXVII [*Rec. XXVII*].

VERS. 26.---*Exspectabam bona, et venerunt mihi mala; praestolabor lucem, et eruperunt tenebrae.*

72. *Electorum, Ecclesiaeque dolor, etiam tempore pacis, a suis persecutionem tolerantium.*---Fidelis enim populus exspectat bona, sed mala suscipit; praestolatur lucem, et tenebras incurrit, quia per remunerationis gratiam interesse jamjamque angelorum se gaudiis sperat, et tamen hic diutius dilatus, manus persequentium tolerat; et qui se quantocius aestimat aeternae lucis retributione perfrui, hic adhuc compellitur persecutorum suorum tenebras pati. Quae videlicet mala persequentium minus dolerent, si ab infidelibus adversariisque consurgerent. Sed eo deterius mentem electorum cruciant, quo ab illis veniunt, de quibus bona praesumebant. Unde adhuc subditur:

VERS. 27.---*Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie.*

Sanctae quippe Ecclesiae interiora effervescere est ipsos quoque quos per amorem fidei velut viscera ante gestaverat in persecutionis atrocitate tolerare. Qui secreta prius illius cognoscentes, quanto sciunt ubi magis doleat, tanto deterius ab afflictione ejus minime quiescunt. Quos tamen et pacis suae tempore graviter tolerat, quia suis praedicationibus eorum mores contrarios pensat. Gemit enim, cum eorum vitam sibi dissimilem conspicit. De quibus et apte subjungitur:

IBID.---*Praevenerunt me dies afflictionis.*

[*Vet. XXVIII.*] Scit namque sancta electorum Ecclesia quod persecutione ultima, mala multa passura sit; sed hanc afflictionis suae dies praeveniunt, quia malorum vitam intra se graviter etiam tempore pacis portat. Nam quamvis diebus ultimis aperta infidelium persecutio sequatur, hanc tamen et priusquam appareat, hi qui in ea verbo tenus fideles sunt, pravis moribus antecurrunt. Sequitur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XXVIII.*].

VERS. 28.---*Moerens incedebam, sine furore consurgens in turba clamavi.*

73. *Sancti in honoris culmine humilitatem, in rebus laetis moerorem servant. Contra prosperitatem intus dimicant. Omne quod sine Dei visione abundat, inopia est.*---Notandum sollicitate juxta historiam video quod sanctus vir, qui paulo superius dixit: *Elevasti me*, inferius adjungit: *Moerens incedebam*. Miro enim ordine, uno eodemque tempore convenire in actibus bonorum solet et foris honor culminis, et intus afflictiae moeror humilitatis. Unde sanctus quoque vir elevatus rebus et honoribus moerens incedebat, quia etsi hunc praelatum hominibus gloria potestatis ostenderat, **672** interius tamen moerore suo secretum sacrificium Domino contriti cordis offerebat. *Sacrificium quippe Deo est spiritus contribulatus* (**Psal. L, 19**). Sciunt autem electi quique consideratione intima contra exterioris excellentiae tentamenta pugnare. Qui si ad exteriorem felicitatem suam cor apponerent, justi profecto non essent. Sed quia cor

humanum non potest de ipsis prosperitatibus rerum quantulacunque gloria nullo modo tentari, contra ipsam prosperitatem suam sancti viri intrinsecus dimicant, non dico ne in elatione, sed ne in ejus saltem amore succumbant. Cui valde succubuisse est, captivam mentem ejus desideriis subdidisse. Quis autem terrena sapiens, temporalia amplectens, beatum Job inter tot prospera laetum non crederet, cum ei suppeteret salus corporis, vita filiorum, incolumitas familiae, integritas gregum? Sed quia in his omnibus non gauderet, ipse sibi testis est, qui ait: *Moerens incedebam*. Sancto enim viro adhuc in hac peregrinatione posito omne quod sine visione Dei abundat inopia est, quia cum sibi omnia electi adesse vident, gemunt quod omnium auctorem non vident; eisque totum hoc minus est, quia adhuc species unius deest; sicque eos foris exaltat gratia supernae dispensationis, ut tamen intus sub disciplina teneat moeror magistrae charitatis. Per quam videlicet discunt ut de his quae exterius accipiunt, apud semetipsos semper amplius humilientur, mentem sub jugo teneant disciplinae, nunquam ex potestatis licentia ad impatientiam erumpant. Unde et apte subjungitur: *Sine furore consurgens in turba clamavi*. Saepe namque seditiosorum tumultus hominum, praepositorum suorum mentem laccessunt, suique ordinis limitem inordinatis motibus excedunt.

74. *Amica potestati pene semper impatientia est, quam superant boni.*---Et plerumque qui praesunt, nisi in ore cordis Spiritus sancti freno teneantur, in iratae retributionis atrocitatem prosiliunt, quantumque praevalent agere, tantum sibi in subditis aestimant licere. Amica etenim potestati pene semper impatientia est; eique etiam malae subjectae imperat,

quia quod ipsa sentit, potestas exsequitur. Sed sancti viri plus se interius patientiae jugo subjiciunt, quam foris hominibus praesunt; et eo veriore principatum foris exhibent, quo humiliorem Deo intrinsecus famulatum tenent; atque idcirco saepe plus quosdam tolerant, quo se de eis ulcisci amplius possunt; ac ne unquam ad illicita transeant, plerumque nolunt pro se exsequi etiam quod licet; subjectorum strepitus sufferunt, per amorem increpant quos per mansuetudinem portant. Unde nunc recte dicitur: *Sine furore consurgens in turba clamavi*, quia nimirum boni contra tumultus insolentium clamorem habent, et furorem non habent, quoniam eos quos clementer tolerant docere non cessant. Sed haec quae juxta historiam de uno diximus, juxta allegoriam necesse est ut de diversis electis Ecclesiae sentiamus. Ipsa quippe in electis suis etiam per prospera incedit moerens, quia nil sibi vere prosperum deputat, quousque bonum quod singulariter quaerit apprehendat. Fideles quippe illius temporali quidem pace perfruuntur, sed perpetuo suspirant; honorantur, et afflicti sunt; quia plerumque ibi videntur in culmine, ubi cives non sunt. **673** Ipsa etiam in turba sine furore consurgit, et clamat, quia pravorum vitam studio rectae aemulationis, non autem vesania furoris insequitur. Irascitur et amat, saevit et tranquilla est, quatenus infirmos suos corrigat ex aemulatione, faveat ex pietate. Sequitur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXIX*].

VERS. 29.---*Frater fui draconum, et socius struthionum.*

75. *Nulla vera sanctitas, nisi quae inter malos probata fuit.*--
-Quid draconum nomine nisi malitiosorum hominum vita signatur? De quibus et per prophetam dicitur: *Traxerunt ventum quasi dracones* (**Jerem. XIV, 6**). Perversi etenim quique ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur. Qui autem struthionum appellatione intelligi, nisi simulatores solent? Struthio etenim pennas habet, et volatum non habet; quia simulatores quique speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent. Visio quippe eos bonae actionis decorat, sed a terra minime penna virtutis levat. Electus itaque sanctae Ecclesiae populus, quia pacis suae tempore intra se quosdam malitiosos ac simulatores patitur, dicat: *Frater fui draconum, et socius struthionum*. Quod beati quoque Job vocibus specialiter congruit, qui ad culmen magnae fortitudinis bonus inter malos fuit. [*Vet. XXIX.*] Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Qui enim aequanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est quia a boni plenitudine longe distat. Abel quippe esse renuit (**7, q. 1, c. Adversitas, § 3, p. Abel**), quem Cain malitia non exercet (**Genes. IV, 3 seq.**).

76. *Mali inter bonos hic permisti, cur?*---Sic in tritura areae grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, et rosa quae redolet crescit cum spina quae pungit. Duos namque filios habuit primus homo, sed unus electus alter reprobus fuit (**Genes. IV, 1, 2**). Tres quoque filios Noe arca continuit, sed duobus in humilitate persistentibus, unus ad patris irrisionem ruit (**Ibid., IX, 18**). Duos Abraham filios habuit, sed unus innocens, alius vero fratris persecutor fuit (**Ibid., XVI, 15; XXI, 9**). Duos quoque Isaac filios habuit, unus in

humilitate servatus, alter vero et priusquam nasceretur reprobatus est (**Ibid.**, **XXV, 24 seq.**). Duodecim Jacob filios genuit, sed ex his unus per innocentiam venditus, caeteri vero per malitiam venditores fratris fuerunt [**Ibid.**, **XXXVII, 27**]. Duodecim quoque apostoli in sancta Ecclesia sunt electi, sed ne improbatum remaneret, unus eis admistus est, qui eos persequens probaret. Sic namque justo peccator cum malitia jungitur, sicut in fornace auro palea cum igne sociatur, ut quo ardet palea, purgetur aurum. Hi ergo veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt. Hinc etiam sponsi voce sanctae Ecclesiae dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (**Cant. II, 2**). Hinc ad Ezechielem Dominus dicit: *Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* (**Ezech. II, 6**). Hinc Petrus vitam beati Lot glorificat, dicens: *Et justum Lot oppressum a nefandorum injuria conversatione eripuit* (**II Pet. II, 7**). Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justum iniquis operibus cruciabant. Hinc Paulus discipulorum vitam glorificat, et glorificando **674** confirmat, dicens: *In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes* (**Philip. II, 15**). Hinc per Joannem angelus Pergami Ecclesiae attestatur, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam* (**Apoc. II, 13**). Beatus igitur Job ut ostendat cujus fortitudinis fuerit, insinuet cum quibus vixit, dicens: *Frater fui draconum, et socius struthionum*. Quia minus esset quod ipse bona ageret, nisi et ad bonitatis suae cumulum ab aliis mala toleraret. Sequitur:

CAPUT XL [Rec. XXX].

VERS. 30.---*Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt prae caumate.*

77. *Propter infirmorum casum, fortes zeli sui igne aduruntur.*-

--Haec juxta historiam pensare negligimus, quia videlicet sermonis virtus patet ex poena passionis. Sed quia, ut saepe jam diximus, plerumque beatus Job sic narrat gesta, ut gerenda praenuntiet, bene hoc sanctae Ecclesiae vocibus congruit, quae dolorem persecutionis ultimae in infirmis graviter sentit. Cumque ab illa alii pereunt, valentiores quique moerore cruciantur. Exterior quippe causa ejus est terrena dispensatio, interior vero cura coelestis. Cutis ergo nomine infirmi signantur, qui nunc in ea exteriori utilitati deserviunt. Per ossa vero fortes ejus figurati sunt, in quibus corporis illius tota compago solidatur. Quia igitur aut provocati muneribus, aut persecutionibus afflicti, multi in ea ab statu fidei infirmi cadunt, eamque ipsi postquam ceciderunt persequuntur, quid aliud quam cutis suae nigredinem patitur, ut in ipsis postmodum foeda appareat, in quibus prius pulchra videbatur? Dum enim hi qui prius exteriora bene dispensare consueverant contra electos Dei postmodum saeviunt, quasi cutis Ecclesiae anteactae justitiae colorem perdidit, quae ad nigredinem iniquitatis venit. Quod Jeremias etiam sub praecipui metalli specie deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (Thren. IV, 1)?* Perversi ergo dum ab ejus sacramentis exeunt, plerumque inter reprobos locum honoris sumunt, ut ipsi contra sanctam Ecclesiam ex auctoritate saeviant, qui hanc atrocius quasi sciendo contemnunt. Unde et cum diceret: *Cutis mea*

denigrata est, addidit, super me, quia hos quos prius ad decorem justitiae quasi candidos habuit, post deterius nigros portat. Sed cum cutis ad nigredinem vertitur, fortes qui in illa sunt zelo fidei contabescunt. Unde apte subjungit: Et ossa mea aruerunt prae caumate. Sic namque et priori tempore os fortissimum sanctae Ecclesiae quadam ariditate taedii Paulus aestuabat, cum quibusdam cadentibus diceret: Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. XI, 29)? Cutis ergo denigratur, et ossa prae caumate arescunt, quia dum infirmi ad iniquitatem prosiliunt, fortes quique zeli sui igne cruciantur, Sequitur:

CAPUT XLI [*Vet. XXX, Rec. XXXI*].

Vers. 31.---Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.

78. Verbi divini ministri, cum despiciuntur, sileant, et ad poenitentiae luctum confugiant. Abstinenciam discretio moderetur. Vitia carnis extinguantur, non caro.---Quia organum per fistulas, et cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, 675 per organum vero sancta praedicatio designari. Per fistulas quippe organi ora praedicantium, per chordas vero citharae intensionem recte viventium non inconvenienter accipimus. Quae dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intensionem admirationem sonat. Siccatur etenim chorda, ut congruum in cithara cantum reddat, quia et sancti viri castigant corpus suum, et servituti subjiciunt (I Cor. IX,

27), atque ab infimis ad superiora tenduntur. Pensandum quoque est quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat; si amplius, raucum sonat, quia nimirum virtus abstinentiae aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat quantum valet; aut valde inordinata est, si corpus atterit plus quam valet. Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt exstinguenda, non caro; et tanto quisque sibimet debet moderamine praeesse, ut et ad culpam caro non superbiat, et tamen ad effectum rectitudinis in operatione subsistat. Intueri inter haec egregium praedicatorem libet, quanta arte magisterii fidelium animas velut in cithara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, atque alias a tensione sua relaxando conservat. Aliis etenim dicit: *Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis* (**Rom. XIII, 13**). Et rursus ait: *Mortificate membra vestra quae sunt super terram* (**Coloss. III, 5**). Et tamen praedicatori charissimo scribit, dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates* (**I Tim. V, 23**). Illas ergo chordas extenuando tendit, ne non tensae omnimodo non sonent; hanc vero a tensione temperat, ne dum plus tenditur, minus sonet.

79. *Duplex exhortationis modus, alius verbis, alius operibus.* --Sive autem sancti praedicatores in Ecclesia, seu quilibet simplices et abstinentes, prout vires accipiunt, in ea proximis suis canticum bonae exhortationis reddunt. Nam et prudentes quique ad praedicationis fructum solerter invigilant, atque ut alios ad vitam pertrahant, sono magnae persuasionis elaborant; et qui in ea tardioris ingenii videntur, ex ipso suae vitae merito in quantum se posse conspiciunt, exhortationis

erga alios **676** auctoritatem sumunt, atque ad coelestem patriam quos valent trahere non desistunt. Sed sancta Ecclesia extremis persecutionibus pressa, cum verba sua a reprobis contemni considerat, amoris sui gratiam ad sola lamenta format, quia nimirum deflet quos exhortando trahere non valet. Dicat ergo: *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium*. Ac si aperte fateatur dicens: Pacis quidem meae tempore per alios parva more citharae, per alios vero more organi magna et sonora praedicabam, sed nunc in luctum cithara, et organum in vocem flentium versum est, quia dum me contemni conspicio, eos qui praedicationis cantum non audiunt deploro. Haec per quosdam sancta Ecclesia in fine factura est. haec per quosdam in suis jam exordiis fecit. Primus quippe martyr Stephanus Judaeis persequentibus prodesse praedicando conatus est, quos tamen post verba praedicationis, dum videret ad jaciendos lapides convolasse, fixis genibus orabat, dicens: *Domine Jesu, ne statuas illic hoc peccatum* (**Act. VII, 59**). Quid ergo huic, qui diu et parva et magna narraverat, nisi jam suae citharae atque organi cantus silebat atque in luctum versa fuerant, quia eos quos praedicando non traxerat, amando flebat? Quod nimirum quotidie sancta Ecclesia agere non desistit, quae praedicationis verbum pene ubique conticuisse jam conspicit. Alii namque loqui dissimulant, alii recta audire contemnunt. Sed electorum mens dum tacere cantum praedicationis conspicit, gemens ac tacita ad fletus redit. Dicat ergo: *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium*, quia electus quisque quo sanctae praedicationis vox siluit, eo damna Ecclesiae gravius plangit.

Hucusque beatus Job descripsit mala quae pertulit, hoc vero ex loco incipit narrare subtilius bona quae fecit. Sed doloris verba historica atque allegorica expositione transcurrimus, virtutum vero opera ex magna parte juxta solius historiae textum tenemus, ne si haec ad indaganda mysteria trahimus, veritatem fortasse operis vacuare videamur.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS. *Exponitur cap. XXXI lib. Job, ad versum 24 exclusive, et laudatis prius castitate, humilitate, misericordia, multa de occasione peccati fugienda potissimum docentur.*

CAPUT PRIMUM.

1. *In explicandis sacris Scripturis, nec solus historicus sensus sequendus est, nec semper allegoricus.*---Intellectus sacri eloquii inter textum et mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiae discussionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriae vacuum relinquat. Multae quippe ejus sententiae tanta allegoriarum conceptione sunt gravidae, ut quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam privetur. Nonnullae vero ita exterioribus

praeceptis inserviunt, ut si quis eas subtilius penetrare desiderat, 677 intus quidem nihil inveniatur, sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur abscondat.

2. *Probatur prior propositio.*---Unde bene quoque narratione historica per significationem dicitur: *Tollens Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his quae exspoliata fuerant candor apparuit; illa vero quae integra erant viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius (Genes. XXX, 37).* Ubi et subditur: *Posuitque eas in canalibus in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia, et diverso colore respersa (Ibid., 38, 39).* Quid est enim virgas virides, amygdalinas, atque ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per Scripturae sacrae seriem antiquorum Patrum vitas atque sententias in exemplum populis praebere? Quae nimirum quia juxta rationis examen rectae sunt, virgae nominantur. Quibus ex parte corticem subtrahit, ut in his quae exspoliantur, intimus candor appareat; et ex parte corticem servat, ut sicut fuerant exterius, in viriditate permaneant; variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostrae oculos praecedentium patrum sententiae quasi virgae variae ponuntur. In quibus dum plerumque intellectum litterae fugimus, quasi corticem subtrahimus, et dum plerumque intellectum litterae sequimur, quasi corticem reservamus. Dumque ab ipsis cortex litterae subducitur, allegoriae candor interior demonstratur, et dum

cortex relinquatur, exterioris intelligentiae virentia exempla monstrantur. Quas bene Jacob in aquae canalibus posuit, quia et Redemptor noster in libris eas sacrae scientiae, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt, quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscuntur, ut tales fetus operum procreent, qualia exempla praecedentium in vocibus praeceptorum vident; et diversum colorem proles boni operis habeat, quia et nonnunquam subtracto litterae cortice, acutius interna considerat, et reservato nonnunquam historiae tegmine, bene se in exterioribus format.

3. *Probatur altera.*---Nam quia divinae sententiae aliquando interius rimandae sunt, aliquando exterius observandae, per Salomonem quoque dicitur: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emungit, elicit sanguinem (Prov. XXX, 33).* Ubra quippe fortiter premimus, cum verba sacri eloquii subtili intellectu pensamus, qua pressione dum lac quaerimus, butyrum invenimus, quia dum nutriri vel tenui intellectu quaerimus, ubertate internae pinguedinis ungimur. Quod tamen nec nimie nec semper agendum est, ne dum lac quaeritur ab uberibus, sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam dum verba sacri eloquii plus quam debent discutunt, 678 in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit, quia carnale efficitur hoc quod ex nimia spiritus discussione sentitur. Unde necesse est ut beati Job opera, quae inter increpantium amicorum verba idcirco narrat ne afflicta mens illius in desperatione deficiat, juxta pondus historiae perscrutemur, ne si haec

animus plusquam necesse est spiritaliter investiget, a verborum ejus uberibus sanguis nobis pro lacte respondeat. Si quando vero quaedam mystica in suorum operum narratione permiscet, ad haec necesse est ut mens concita redeat, ad quae hanc ipse, ut datur intelligi, ordo loquentis vocat. Nam sanctus vir postquam ea quae sibi per flagellum Domini fuerant inflicta narravit, nunc per ordinem proprias enumerando virtutes, qualis ante flagellum fuerit innotescit; sic vitae suae historiam texens, ut ei perrarum aliquid quod allegorice intelligi possit interserat, quatenus et ex magna parte historica sint quae memorat, et tamen aliquando per haec eadem ad spiritalem intelligentiam consurgat. Qua itaque fortitudine ab omni lapsu exteriora sua custodiae interioris disciplina constrinxerit, insinuat dicens:

CAPUT II.

CAP. XXXI, VERS. 1.---*Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

4. *Ne mens illicita concupiscat, cohibendi sunt sensus exteriores qui sunt aditus mentis. Intueri non decet quod concupiscere non licet.*---Cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhaerens corpori quasi quaedam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, et tactus, quasi quaedam viae mentis sunt, quibus foras veniat, et ea quae extra ejus sunt substantiam concupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per

fenestras quasdam exteriora quaeque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras* (**Jerem. IX, 21**). Mors quippe per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quod contra hoc quod jam saepe diximus de justis per Isaiam dicitur: *Qui sunt hi qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas* (**Isai. LX, 8**)? Justi namque volare ut nubes dicti sunt, quia a terrenis contagiis sublevantur; et quasi columbae ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora quaeque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis vero per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit; atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Praeceptis quippe anima dum ante non providet, ne incaute videat quod concupiscat, caeca post incipit desiderare quod vidit. Unde et Prophetas mens, quae sublevata saepe mysteriis internis intererat, quia alienam conjugem incaute vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicite conjunxit (**II Reg. XI, 2**). Sanctus autem vir, qui acceptis corporis sensibus velut subjectis **679** ministris quidam aequissimus iudex praest, culpas conspicit antequam veniant, et velut insidianti hosti fenestras corporis claudit, dicens: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Ut enim cogitationes cordis caste servare potuisset, foedus cum oculis pepigit, ne prius incante aspiceret quod postmodum invitatus amaret. Valde namque est quod caro deorsum trahit, et semel species formae cordi per oculos illigata vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quaedam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis

est; quia intueri non decet quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur a lascivia voluptatis suae deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incaute respiceret. Scriptum quippe est: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit* (**Genes. III, 6**). Hinc ergo pensandum est quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos qui mortaliter vivimus, si et mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Judaeae voce, quae exteriora videndo concupiscens bona interiora perdiderat, propheta dicit: *Oculus meus depraedatus est animam meam* (**Thren. III, 51**). Concupiscendo enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quae ergo interiorem fructum per exteriorum visum perdidit, per oculum corporis pertulit praedam cordis. Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere et quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quaeque et levia mentem enervem trahunt.

5. Exemplum Job non solum carnis, sed etiam cordis et mentis luxuriam refrenantis. Per Moysen luxuria perpetrata, per Christum etiam cogitata damnatur. Qui coeli civis est luxuriam deserat, non timore, sed charitate.---Videamus igitur quomodo beatus Job id quod in eo fluxum ac puerile caro sapere potuit, juvenili sapientiae vigore restrinxit. Ait enim: *Pepigi foedus cum oculis meis*. Et quia non in se

actionem tantummodo, sed et cogitationem luxuriae exstinxit, secutus adjunxit: *Ut ne cogitarem quidem de virgine*. Sciebat nimirum luxuriam esse in corde refrenandam, sciebat, per sancti Spiritus donum, quod Redemptor noster veniens legis praecepta transcenderet, et ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret, dicens: *Scriptum est: Non adulterabis; ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* (**Matth. V, 27**). Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiae luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesiae pastor dicit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam quae offertur vobis gratiam* (**I Pet. I, 13**). Lumbos enim carnis succingere est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos vero mentis succingere est hanc etiam a cogitatione restringere. Hinc est quod angelus, qui Joannem alloquitur (**Apoc. I, 13**), zona aurea super mamillas cinctus **680** esse perhibetur. Quia enim Testamenti Novi munditia etiam cordis luxuriam frenat, angelus qui in eo apparuit in pectore cinctus venit. Quem bene zona aurea stringit, quia quisquis supernae patriae civis est, non jam timore supplicii, sed amore charitatis immunditiam deserit. Malum vero luxuriae aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque hostis noster cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere cogitatione molitur. Unde et serpenti a Domino dicitur: *Pectore et ventre repes* (**Genes. III, 14**). Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita usque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriae non valet polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit

ex ventre. Alius autem perpetranda versat in mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad explenda opera pervenitur, recte serpens prius pectore, et postmodum repere ventre describitur. [*Rec. III.*] Unde beatus Job, quia disciplinam etiam in cogitatione tenuit, una custodia serpentis pectus ventremque superavit, dicens: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* [*Vet. III.*] Quam nimirum cordis munditiam quisquis adipisci non appetit, quid aliud quam ejusdem a se munditiae auctorem repellit? Unde et beatus Job protinus subdit:

CAPUT III.

VERS. 2.---*Quam enim partem Deus haberet in me desuper, et haereditatem Omnipotens de excelsis?*

6. *Ut Dei haereditas simus, in nobis peccatum non regnet. Nihil prodest vel superba castitas, vel humilitas non casta.*---
Ac si aperte dicat: Si mentem in cogitatione polluero, ejus qui munditiae auctor est, esse haereditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt caetera, si occulti judicis oculis castitatis testimonio non approbantur. Omnes quippe virtutes in conspectu conditoris vicaria ope se sublevant, ut quia una virtus sine alia vel nulla est omnino, vel minima, vicissim sua conjunctione fulciantur. Si enim vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas relinquat, apud auctorem humilitatis et munditiae prodesse quid praevalet vel superba castitas, vel humilitas inquinata? Sanctus igitur vir ut ab

auctore suo in bonis reliquis possideri mereatur, cordis munditiam custodiens, dicat: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desuper, et haereditatem Omnipotens de excelsis?* Ac si aperte fateatur, dicens. Habere me possessionem suam excelsorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infimis desideriis tabescit.

7. *Cogitatio immunda non inquinat cum pulsatur, sed cum per delectationem subjugatur. In carne corruptibili sufficit peccatum non regnare.*---Sed inter haec (**De poenit., dist. 2, c. 23**) sciendum est aliud esse quod animus de tentatione carnis patitur, aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur, sed renititur; plerumque autem cum perversum quid concipit, hoc intra semetipsum etiam per desiderium volvit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat cum pulsatur, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Hinc etenim praedicator egregius dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (**I Cor. X, 13**). Humana quippe tentatio est, **681** qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia ut nonnunquam et illicita ad animum veniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero daemoniaca est, et non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit per consensum se animus astringit. Hinc iterum dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (**Rom. VI, 12**). Peccatum quippe in mortali corpore nequaquam non esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est, quo quia quandiu vivimus perfecte omnimodo non caremus;

sancta praedicatio quoniam hoc expellere plene non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, ut appetitus illicitus etsi plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se quasi fur inserit, saltem si ingreditur, non dominetur. Vir igitur sanctus dicens: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, nequaquam vult intelligi quia ejus animum culpa in cogitatione non contigit, sed quia nunquam hunc ex consensu superavit. Nam velut integerrimam possessionem Dei mentem suam contra adversarii depraedationem vindicat, qui protinus adjungit: *Quam enim partem haberet Deus in me desuper, et haereditatem Omnipotens de excelsis?* Ac si aperte dicat: Carne quidem mortali corruptionis conditioni subjaceo, sed auctori unde servio, si ei integrum a consensu culpaе animum non defendo? Sequitur:

CAPUT IV [*Vet. et Rec. IV*].

VERS. 3.---*Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus iniquitatem.*

8. *Justi per asperum iter ad salutis patriam, reprobi per amaena prata ad foveam tendunt.*--- Festina consolatio bonorum est consideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt quod evadunt, leve existimant quidquid adversi in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, et delectationum suarum desideria compleant, in finis sui damnatione sensuri sunt quia mortem male viventes amaverunt. Transitorio autem verbere affligantur

electi, ut a pravitate flagella corrigant quos paterna pietas ad haereditatem servat. Nunc etenim flagellatur justus, et verbere disciplinae corrigitur, quia ad aeternae haereditatis patrimonium praeparatur. In suis autem voluptatibus relaxtur injustus, quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto aeterna denegantur. Injustus ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus utitur, quia et vituli qui mactandi sunt in liberis pastibus relinquuntur. At contra justus a delectationis transitoriae jucunditate restringitur, quia et nimirum vitulus ad laboris usum vitae deputatus sub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena, quia et aegris, quibus spes vivendi est, nequaquam a medico cuncta quae appetunt conceduntur. Dantur autem reprobis bona quae in hac vita appetunt, quia et desperatis aegris omne quod desiderant non negatur. Perpendant igitur justi quae sint mala, quae iniquos manent, et nequaquam eorum felicitati invideant quae percurrit. Quid est enim quod de eorum gaudiis admirentur, quando et ipsi per iter **682** asperum ad salutis patriam, et illi quasi per amoena prata ad foveam tendunt? Dicat ergo vir sanctus: *Nunquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus iniquitatem?* Quod videlicet alienationis verbum durius sonaret, si hoc interpretes in suae linguae voce tenuisset. Quod enim apud nos alienatio, hoc apud Hebraeos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit reprobis, cum ab haereditate districti iudicis se anathema esse conspiciunt, quia hic eum perversis moribus contempserunt. Floreant igitur iniqui, a flore aeternae haereditatis alieni; justi vero semetipsos solerter inspiciant, et in cunctis actionibus suis a Domino se videri pertimescant. Unde et apte mox subditur:

CAPUT V.

VERS 4. *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?*

9. *Minutissimae cogitationes, et tenuissima verba quae parvi pendimus, in iudicio Dei non praetermittentur. Per gradus culpae, crescit ordo sententiae condemnatoriae.*---Quid viarum nomine nisi actiones denuntiat? Hinc enim per Jeremiam dicitur: *Bonas facite via, vestras et studia vestra (Jerem. VII, 3)*. Quid vero gressuum appellatione, nisi vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum? Quibus profecto gressibus ad semetipsam nos Veritas vocat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis (Matth. XI, 28)*. Ad se quippe venire nos Dominus praecipit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis. Ipse namque ait: *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem (Joan. IV, 21)*. Et paulo post: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, nam et Pater tales quaerit qui adorent eum (Ibid., 23)*. In corde ergo esse gressus insinuat, quando et ut veniamus vocat et tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denuntiat. [*Vet. V.*] Sic autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimae quidem cogitationes ejus iudicio ac verba tenuissima, quae apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc enim dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo: Racha, reus erit concilio. Qui dixerit: Fatue, reus gehennae ignis (Matth. V, 22)*. Racha

quippe in Hebraeo eloquio vox interjectionis est, quae quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiae exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata; ad extremum quoque cum dicitur: *Fatue ira redarguitur*, quae cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse iudicio; in voce irae, quod est *racha*, reum concilio; in verbo vocis quod est *fatue*, reum gehennae ignis. Per gradus etenim culpa crevit ordo sententiae, quia in iudicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam causae sententia definitur, in gehenna vero ignis ea quae de concilio egreditur sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce, iudicio; ira in voce, concilio; ira vero in voce atque sermone, gehennae ignibus mancipatur. Hanc subtilitatem considerationis ejus propheta aspexerat, cum dicebat: *Fortissime, magne, potens Dominus exercituum; nomen tibi, magnus consilio, incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti 683 sunt, super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus (Jerem. XXXII, 18).*

10. *Nulla sine mercede bona, nulla mala sine poena.* ---Sic easdem vias Dominus subtili examinatione considerat, ut in unoquoque nostrum nec ea quae remuneret bona praetereat, nec mala, quae videlicet displicent, sine increpatione derelinquat. Hinc est enim quod angelum Ecclesiae Pergami et in quibusdam laudat, et in quibusdam redarguit dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanae, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam (Apoc. II, 13, 14).* Et paulo post: *Sed*

habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. Hinc angelo Ecclesiae Thyatirae dicitur: Novi opera tua, et charitatem tuam, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus; sed habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos, et fornicari, et manducare idolothytum (Ibid., 19). Ecce bona memorat, nec tamen resecanda mala sine poenitentia relaxat, quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat, ut subtili examine perpendat vel quantum quisque ad bona proficiat, vel quantum ad mala devians suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritorum, quod bonae vitae studiis augetur, plerumque mali admistione retrahitur; et bonum quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertit. Unde sancti viri tanto se subtilius in cogitatione constringunt, quanto a superno iudice districtius considerari conspiciunt. Mentem quippe discutiunt, invenire si qua dereliquerint quaerunt, ut tanto fiant irreprehensibiles iudici, quanta semetipsos quotidie et sine cessatione reprehendunt. Nec tamen hac de re jam gaudia securitatis sumunt, quia ab illo se videri considerant qui in eis et illa videt quae videre ipsi in semetipsis non valent. Et quidem beatus Job perfectionis vitam inter veteres tenuit; sed quia ejus intentio ad Redemptoris adventum prophetico spiritu erumpit in illius praeceptis, pensat ipse quam multa de perfectione minus habeat. Unde et subdit:

CAPUT VI [*Vet. VI, Rec. V*].

VERS. 5, 6.---*Si ambulavi in vanitate, et festinavi in dolo pes meus, appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.*

11. *Sancti merita sua in Christo tanquam in statera cuncta appendere, ut quod minus habent, agnoscant.*--- Scire Deus dicitur scire nos facere, usitato nostrae locutionis modo, qui laetum diem dicimus, ex quo contingit ut laetemur. Hinc est enim quod ad Abraham Dominus dicit: *Nunc cognovi quod timeas Deum (Genes. 22, 12)*. Neque enim creator temporum quidquam cognovit ex tempore; sed cognoscere ejus est ex cujuslibet causae emergentis articulo nobis cognitionem praebere. Quis vero staterae nomine nisi Mediator Dei et hominum designatur? In quo aequa lance omnia merita nostra pensantur, et in cujus praeceptis agnoscimus quid in nostra vita minus habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitae ejus exempla provocamur. Hinc namque scriptum est: *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini 684 vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur (I Pet. II, 21)*. Hinc per Paulum dicitur: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta (Hebr. XII, 1)*. Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla praebendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Cum ergo nulla in se beatus Job jure redarguenda reperit, ad excedentem omnia Redemptoris vitam mentis oculos tendit, ut in illa cognoscat ipse quid minus habeat, cum

dicit: *Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus, appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.* Ac si aperte dicat: Si qua unquam leviter, si qua perniciose perpetravi, Dei et hominum Mediator appareat, ut in ejus vita cognoscam an ego veraciter simplex fuerim. Qui enim, ut diximus, suorum temporum viros excesserat, Mediatorem Dei et hominum quaerebat, ut in illo pensatus agnosceret si vitam simplicem vere tenuisset. Dicat ergo: *Appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.* Quod est scire me faciat. Ac si patenter fateatur, dicens: Quantum ad humanae vitae modum, nulla in me reprehendenda jam video; sed nisi Mediator Dei et hominum cum subtilioris vitae praeceptis appareat, quantum adhuc a vera simplicitate discrepem, non cognosco. Rectus vero ordo servatur, si prius in vanitate, et postmodum pes in dolo festinasse dicatur. Vanitas quippe ad levitatem, dolus vero ad malitiam pertinet. Et nonnulli plerumque ad quaedam post malitiosa perveniunt, quia prius levia non declinant. Sequitur.

CAPUT VII [*Vet. VII*].

VERS. 7.---*Si declinavit gressus meus de via.*

12. *A via declinamus, quoties errori consentimus.*---Toties gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio iter rectitudinis per consensum relinquit erroris. Quasi vero tot gressus extra viam ponimus, quot perversis desideriis a

coelestis vitae delectatione separamur. Ut enim praefati sumus, adhuc carnis corruptibilis pondere gravati, nequaquam valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpae delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud consentientem animum perimi. Sancti autem viri tanto vigilantiori se circumspectione custodiunt, quanto se pulsari sinistris motibus vel transitoriae delectationis dedignantur. Unde et adhuc subditur:

CAPUT VIII [*Rec VI*].

IBID.---*Si secutus est oculus meus cor meum.*

13. *Cordi illicita concupiscenti oculus famulari deneget. Tentatio aliquando per oculos trahitur, aliquando intrinsecus concipitur. Qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo juste caecatur.*---Ecce iterum per interioris vigoris custodiam ad exteriorum membrorum disciplinam redit, ut si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus disciplinae magisterio oculus videre recusaret. Sicut enim saepe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res quaelibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiae gladio confoditur. Non enim, ut exempli causa jam diximus, **685** David Uriae conjugem ideo studiose respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit quia incaute respexit. Fit vero rectae retributionis examine ut qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo non injuste

caecetur. Saepe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit caecitatis. Unde sancti viri cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per quae formae species ad mentem ingreditur disciplinae magisterio lumina restringunt, ne pravae cogitationi visio lenocinata famuletur. Quae si unquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit. Unde et mox subditur:

CAPUT IX [*Rec. VII*].

IBID.---*Et si in manibus meis adhaesit macula.*

14. *Ne culpa ad opus prodeat, intus ubi nascitur, extinguatur.*---Sanctus ergo vir sciens quod plerumque prava cogitatio per oculos veniat ad mentem, paulo superius dixit: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Perpendens etiam quod nonnunquam in mente oritur, sed huic obortae oculi perverse famulantur, ait: *Si secutus est oculus meus cor meum.* Ac si aperte dicat: Nec passim videre volui quae concupiscerem, nec videndo unquam secutus sum quae concupivi. Dicat ergo: *Si secutus est oculus meus cor meum,* quia et si quid unquam illicitum mens ejus, ut videlicet humana, concepit, altioris disciplinae magisterio constrictos sequi se per illicita sibi que famulari oculos noluit. Pensemus ad haec conscientias nostras, et

quanti culminis vir iste fuerit, ex nostri cordis dejectione videamus. Ecce si qua illicita aliquando cogitavit, quia ea citius intra arcana cordis gladio sancti vigoris exstinxit, pervenire illa usque ad opera non permisit. Unde, ut praemisimus, illico subjungit. *Et si in manibus meis adhaesit macula.* Quando enim macula in manibus, id est culpa actionibus inhaeret, quam censura disciplinae non sinebat in cogitatione proficere? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus ubi nascitur exstinguatur. Si autem tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem qua nutritur mora roboratur; et existens foris in operibus, vinci vix praevalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet. Quia vero vir sanctus superiora omnia sub conditione intulit, si haec unquam perpetraverit, sententia se maledictionis astringit, dicens:

CAPUT X [*Rec. VIII*].

VERS. 8.---*Seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur.*

15. *Serit jejunos praedicator, et alius comedit, quando quae docet non operatur.*---More sacri eloquii serere dicimus, verba vitae praedicare. Hinc etenim propheta ait: *Beati qui seminatis super omnes aquas (Isai. XXXII, 20).* Sanctae quippe Ecclesiae praedicatores super omnes aquas seminare conspexit, quia cunctis late populis verba vitae, quasi coelestis panis grana, tradiderunt. Comedere autem est bonis operibus satiari. Unde per semetipsam Veritas dicit: *Meus cibus est ut*

faciam voluntatem ejus qui misit me (Joan. IV, 34). Si ergo ea quae protulit facere praetermisit, ait: *Seram, et alius comedat.* Ac si aperte dicat: Quod os meum loquitur, non ego, sed alter operetur. Praedicator quippe **686** qui a suis vocibus moribus discrepat, jejunos serit quod alius manducet, quia suo semine ipse non pascitur, quando a verbi sui rectitudine prava actione vacuatur. [*Vet. VIII.*] Et quia plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita operum exemplo destruuntur, recte subjungitur: *Et progenies mea eradicetur.*

16. *Ejus progenies eradicatur, quia quos per verbum gignit, per exemplum necat.*---Doctoris enim progenies eradicatur quando is qui per verbum nascitur per exemplum necatur, quia quem lingua vigilans gignit, vitae negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum quod apud Salomonem mulier filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens interemit (**III Reg. III, 19**), quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias praedicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt, et habere discipulos vitae laudabilis nequeunt, et alienos sibi attrahere conantur, quantenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quae agunt, et quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Unde illic mulier filium quia exstinxit proprium, quaesivit alienum. Sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat, extremo examine ira districti judicis demonstrat. Ubi et illud est

solenter intuendum, quod vivens filius prius dividi praecipitur, ut soli postmodum matri reddatur, quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Deum meritum, alter vero apud homines laudem habere permittitur.

17. *Amissis propriis filiis, alienos vivere invidet.*---Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit, quia arrogantes magistri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiae enim face succensi, nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. Unde illic perversa mulier clamat. *Nec meus sit, nec istius (Ibid., 26).* Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit ut ejus filius saltem apud extraneam sit et vivat, quia concedunt veraces magistri ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitae iidem discipuli non amittant. Per quae pietatis viscera haec eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur; et sola recipere totum meruit, quae quasi totum concessit, quia fideles praepositi, pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectae retributionis gaudia consequuntur. Haec paucis per excessum diximus, ut auditorum progenies per doctorum negligentiam qualiter exstinguitur monstraremus, quia quisquis juxta hoc quod loquitur non vivit, quos verbo genuit a stabilitate rectitudinis opere evellit. Sed beatus 687 Job, quos praedicatione vigilans

edidit, nequaquam actione dormiens exstinxit, atque ideo fidenter dicit: Si quominus praedicta complevi, *Seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur*. Qui adhuc se de iniquatione pravi operis discutiens, subdit:

CAPUT XI [*Vet. et Rec. IX*].

VERS. 9.---*Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum.*

18. *In sacris litteris adulterium et fornicatio aliquando distinguuntur, aliquando idem sonant. Utrumque prohibitum. Ab utriusque vel cogitatione Job abstinuit.*--- Quamvis nonnunquam a reatu adulterii nequaquam discrepet culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit (D. 32, q. 5, cap. 13) mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo (Matth. V, 28)*. (Quia enim Graeco verbo moechus adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit quia etiam solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.) Tamen plerumque ex loco, vel ordine concupiscentis discernitur, quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriae distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, quia ab adulterii reatu discernitur, praedicatoris egregii lingua testatur, qui inter caetera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, regnum Dei possidebunt (I Cor. VI, 9)*. Quod enim disjuncto reatui

sententiam subdit, quam valde a se dissideat ostendit. Per hoc ergo quod dicitur: *Si deceptum est cor meum super muliere*, neque cogitasse vir sanctus de fornicationis macula demonstratur. Per hoc autem quod subjicit: *Et si ad ostium amici mei insiditatus sum*, patenter innotescit quod a reatu adulterii liber fuit. Sed ad haec fortasse aliquis dicat: Quid de se mirum sanctus vir asserit, si non solum ab adulterii crimine, verum etiam a fornicationis iniquatione se liberum servavit? Haec autem parvipendimus, si virtutum ejus tempora minime pensamus. Necdum enim ad restrictionem carnis revelatae gratiae districtior censura processerat, quae non solum corporis, sed et cordis lasciviam reprehendit. Necdum multorum continentium castitatis bona imitanda prodierant, et tamen beatus Job exempla munditiae, quae non acceperat, tradebat. A multis autem nunc etiam post prohibitionem Dei carnis immunditia perpetratur. Hinc ergo colligendum est, cum tanta culpa nunc etiam post praeceptum in gravibus delinquitur, cum quanta laude antea a gravibus abstinebatur. Qui si hoc unquam fecerit, eandem culpam verti sibi expetit in poenam, dicens:

CAPUT XII.

VERS. 10.---*Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii.*

19. *Luxuriae crimen usque ad perditionem vorat, omnesque virtutes destruit. Nemo hic sine peccato.*---Et quia plerumque hoc quod faciendo non perpendimus quam grave sit, patiando

pensamus ejusdem vim facinoris quod se pati, si reus sit, debere denuntiat, exprimendo manifestat, dicens:

VERS. 11, 12.---*Hoc enim nefas est et iniquitas maxima; ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.*

688 Hoc inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde et praedicator sanctus, cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: Si quis sine peccato; sed, *Si quis sine crimine est (Tit. I, 6)*. Quis vero esse sine peccato valeat, cum Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. I, 8)*. In qua videlicet peccatorum, et criminum distinctione pensandum est quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina exstinguunt. Unde beatus Job crimen luxuriae definiens, ait: *Ignis est usque ad perditionem devorans*, quia nimirum reatus hujus facinoris non solum usque ad iniquitatem maculat, sed usque ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona opera, si luxuriae scelus non abluatur, immensitate hujus criminis obruuntur, secutus adjunxit: *Et omnia eradicans genimina*. Genimina quippe sunt animae operationes bonae. Cui tamen si perverso ordine caro dominatur, igne luxuriae omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos justitiae pietatisque sunt opera, quae corruptionis contagio monstrantur immunda. Quid enim prodest si pie quisquam necessitati compatitur proximi, quando impie semetipsum destruit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam libidinis flamma non exstinguitur,

incassum quaelibet virtutes oriuntur, sicut per Moysen dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum; comedet terram, et nascentia ejus* (Deut. XXXII, 22). Ignis quippe terram atque ejus nascentia comedit, cum libido carnem, atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quidquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Dicat ergo: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina*, quia si corruptionis malo non resistitur, et illa procul dubio pereunt quae bona videbantur. Sed solent nonnullos ad humilitatem vitia sternere, atque ad tumorem mentis virtutes elevare. [*Vet. I.*] Quaerendum ergo nobis est, si beatus Job in tanta castitatis munditia etiam humilis fuit. Sed sanctus vir cum alta virtutum teneat, quam de se humilia sentiat, repente aperit, cum subjungit:

CAPUT XIII.

VERS. 13.---*Si contempsisti judicium subire cum serva meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me.*

20. *Mira Job in tanta vitae innocentia humilitas.*--- Qui enim judicari cum servis ancillisque non renuit, liquido indicat quod contra nullum unquam proximum apud se tumidus fuit. Inter haec autem libet intueri, vitam suam in omnibus quanta vir sanctus discretionem custodivit. Non enim longe superius dixit: *Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant; principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant duces, et*

lingua eorum gutturi suo adhaerebat. (Reg. X.] Nunc vero ait: Si contempsisti iudicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum 689 disceptarent adversum me. Quis digne considerare valeat huius viri tam sublimia virtutum moderamina? In quo tanta est auctoritas regiminis, ut ad silentium restringantur duces: tanta humilitas cordis, ut ex aequo ad iudicium venire permittantur ancillae. Ecce apparet miro modo in potestate principibus potior, in certamine servis aequalis; in coetu principum memor regiminis, in certamine famulorum memor conditionis. Se quippe sub vero domino famulum conspicit, ideoque cordis altitudine se super famulos non extollit. Unde et protinus subdit:

CAPUT XIV.

VERS. 14.---*Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi?*

21. *Qui aliis praesunt, Deo se subesse semper attendant.*--- Qui venturum iudicem cogitat, indesinenter quotidie rationum suarum in melius causas parat; qui aeternum Dominum tremore cordis intuetur, iura temporalis dominii super subjectos moderari compellitur. Perpendit enim nil esse quod temporaliter praestet caeteris, quando illi ad reddendam rationem subest qui sine fine dominatur. Saepe namque transitoria potestas animum per abrupta elationis rapit. Et quia eo quisque extollitur, quo se esse super aliquos videt, illum oportet qui super se est semper aspiciat, ut ejus metu qui supra omnia est crescentem intrinsecus animi

tumorem premat. Intuetur enim qui sub ipso sint, sed consideret sub quo ipse sit, ut ex consideratione veri domini, decrescat tumor falsae dominationis. Unde beatus Job, quia ejus judicium qui super omnia est metuit, hic ad temporale judicium famulis aequalis venit, dicens: *Si contempsi judicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi?* Qui ut semper cor in humilitate deprimat, nequaquam in eisdem famulis conspicit, quod sibi status est dispar, sed quod natura communis. Unde etiam subdit:

CAPUT XV [*Vet. XI*].

VERS. 15.---*Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit in vulva unus?*

22. *Cogitent aequalitatem conditionis, non potestatem ordinis? et plus prodesse quam praeesse studeant.*--- Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata aequalitas conditionis. Omnes namque homines natura aequales sumus; sed accessit dispensatorio ordine, ut quibusdam praelati videamur. Si igitur hoc a mente deprimimus quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Plerumque enim se animo accepta potestas objicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimae considerationis deprimendus est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mens descendit de vertice culminis, citius planitiem invenit naturalis aequalitatis. Nam, ut praefati

sumus, omnes homines natura aequales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis dispensatio occulta postponit. Ipsa autem diversitas, quae accessit ex vitio, recte est divinis judiciis ordinata, ut quia omnis homo iter vitae aequae non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum praesunt, non in se potestatem ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt, nec praeesse gaudent hominibus, sed prodesse. Sciunt enim quod antiqui patres nostri, non tam reges hominum quam pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noe Dominus filiisque ejus diceret. **690** *Crescite et multiplicamini et implete terram*, subdit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae* (**Genes. IX, 1, 7**). Non enim ait: Sit super homines, qui futuri sunt; sed, *Sit super cuncta animalia terrae*.

23. Homo irrationalibus animantibus, non autem caeteris hominibus natura est praelatus.---Homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem caeteris hominibus natura praelatus est; et idcirco ei dicitur, ut ab animalibus et non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab aequali velle timeri, quamvis plerumque a subditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab eisdem subditis Deum minime timeri deprehendunt, ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam ergo praepositi ex hoc quaesito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quaerunt. In eo enim quod metum sibi a perverse viventibus exigunt, quasi a non hominibus, sed brutis animalibus dominantur, quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea etiam debent formidini jacere substrati.

24. *Nulla cogente vitii corrigendi necessitate, praelati metui refugiant, et pluris aestimari.*---Cum vero deest vitium quod corrigatur, non de excellentia potestatis, sed de aequalitate conditionis gaudent; et non solum ab eis metui, sed etiam plus quam necesse est honorari refugiunt. Neque enim leve se perpeti damnum humilitatis credunt, si ab eis pro merito fortasse ordinis pluris aestimentur. Hinc est enim quod primus pastor Ecclesiae, cum, adorante se Cornelio, super se sibi honorem videret oblatum ad aequalitatem conditionis suae citius recurrit, dicens: *Surge, et ipse ego homo sum (Act. X, 26)*. Quis enim nesciat quod conditori suo homo debeat et non homini prosterni? Quia ergo humiliari sibi plus quam debuit proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata aequalitate conditionis. Hinc a Joanne angelus adoratus, creaturam se esse cognovit, dicens: *Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum (Apoc. XIX, 10; XXII, 9)*. Hinc propheta, cum ad videnda sublimia rapitur, filius hominis vocatur (*Ezec. III, 1*), ut ductus ad coelestia, hominem se esse meminerit. Ac si eum divina vox verbis apertioribus admoneat dicens: Memento quid sis, ne de his ad quae raperis extollaris, sed altitudinem revelationis tempera memoria conditionis. Ex eo ergo colligendum est quanta communis naturae memoria in corde deprimi debeat terrenae potestatis tumor, si ex humanitatis vocabulo agitur, ne cogitationis elatio ex secretis coelestibus generetur. Cujus videlicet humanitatis bene beatus Job semper recordationem tenuit, qui ait: *Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit in vulva unus?* Ac si aperte dicat: Cur non aequae debeamus in cujuslibet negotii judicio discuti, qui per conditoris potentiam

sumus aequaliter facti? Sed quia castitatis ejus atque humilitatis acta cognovimus, nunc liberalitatis opera cognoscamus. Sequitur:

CAPUT XVI [*Vet. XII, Rec. XI*].

VERS. 16.---*Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae exspectare feci.*

25. *Liberalitas Job pauperibus dantis ad eorum votum. Qui extra metas inopiae petunt, obtinere non merentur.* ---Per haec dicta vir sanctus ostenditur, non solum ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deservisse. Sed quid si ipsa vellent **691** pauperes quae fortasse accipere non expediret? An quia in Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola aestimanda sunt quae accipere pauperes volunt, quae humiles petunt? Et procul dubio oportet ut incunctanter detur quidquid cum vera humilitate requiritur; id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde jam superbire est, extra metas inopiae aliquid desiderare. Unde et superbe petentibus dicitur: *Petitis et non accipitis, ec quod male petatis* (**Jac. IV, 3**). Quia ergo illi sunt veraciter pauperes, qui inflati per superbiae spiritum non sunt, quos aperte Veritas exprimit, cum dicit: *Beati pauperes spiritu* (**Matth. V, 3**); recte nunc per sanctum virum dicitur: *Si negavi quod volebant pauperibus*, quoniam qui ea volunt quae profecto liquet quod eis non expediunt, eo ipso quod superbiae abundant spiritu, jam pauperes non sunt. Sed beatus Job dum pauperes humiles appellat, quidquid ab eo accipere

pauper voluit, non negavit, quia veraciter quisque humilis quod non potuit oportere, nec voluit.

26. *Munificentia Job non solum ex munere, sed ex dandi celeritate pensanda.*---Sed cum largitatem mentis suae indicat, quia ad votum se pauperibus concurrisse manifestat, necesse est ut quaeramus ne lumen misericordiae dationis tarditate fuscaverit. Unde subjungit: *Et oculos viduae expectare feci.* Petentem se viduam expectare noluit, ut non solum ex munere, sed etiam ex celeritate muneris, bonorum operum merita augeret. Unde alias scriptum est: *Ne dicas amico tuo, vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare (Prov. III, 28).* Sed nonnulli solent exterius multa largiri, communis autem vitae gratiam repellentes habere pauperes socios in domestica conversatione refugiunt. Unde beatus Job, ut non solum se insinuet exterius multa praebuisse, sed apud se quosque inopes etiam in domestica conversatione recepissee, protinus adjungit:

CAPUT XVII [*Rec. XII*].

VERS. 17.---*Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

27. *Inopes hospitio recipiendi et ad mensam adhibendi.* --- Scilicet pietati se praejudicium facere aestimans, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. Quae profecto communio conversationis esse cum talibus intra domesticos parietes debet, ex quibus aeternae proficiant merita retributionis. Unde sanctus vir non quemlibet, sed ad

manducandum socium pupillum se habuisse perhibet. Sed tanta haec pietatis viscera utrum a semetipso habuerit, an conditoris sui gratia sit consecutus, innotescat. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Rec. XIII*].

VERS. 18.---*Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.*

28. *Sancti bona sua non sibi, sed Deo tribuunt. Quidam dum aetate crescunt, ab innocentia decrescunt.*---Miseratio etenim etsi ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret, liquet tamen quia ejus arbitrii non fuit ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo quia suae virtuti nil tribuit, qui profecto testatur quia hoc ex conditionis munere accepit. Bonum igitur quod a conditione habuisse se intimat, liquet procul dubio quia ad laudem conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse ut pius esset, a quo accepit ut esset, quia sicut suo opere in utero conditus non fuit, ita nec sua virtute ab utero **692** pius fuit. Sed pensandum nobis est, quod asserit: *Crevit mecum*. Nonnulli enim quoad aetatem crescunt, ab innocentia decrescunt. Electis vero cum foris aetas corporis, intus, si dici liceat, crescit aetas virtutis. Sequitur:

CAPUT XIX [*Vet. XIII, Rec. XIV*].

VERS. 19, 20.---*Si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem; si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.*

29. *Misericordiam in pauperes comitetur humilitas. Qui praemissis probris eleemosynam tribuunt, vix pro illata injuria satisfaciunt.*---Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit; quod autem operuit, pietatis. Duae quippe istae virtutes ita sibimet esse connexae debent, ut vicario semper opere fulciantur; quatenus nec humilitas, cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat, nec pietas cum largitur intumescat. Erga indigentiam itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem, ut cum indigentem rebus necessariis naturae tuae consortem videris, nec per impietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari quem tegis. Nam sunt nonnulli qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in eos prius contumeliosa verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt; ita ut plerumque videatur quia illatae jam injuriae satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuunt, quia ipso dationis suae munere vix eundem excessum sermonis tegunt. Quibus bene per Ecclesiasticum librum dicitur: *Omni dato non des tristitiam verbi mali (Eccli. XVIII, 16).* Et rursum: *Ecce verbum super datum bonum, et utraque cum homine justificato (Ibid., 17),* videlicet, ut datum exhiberi debeat per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. At contra, alii egenos fratres non student rebus fulcire cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere.

Quos vehementer Jacobi praedicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quae necessaria sunt corpori, quid vobis proderit?* Quos Joannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere et veritate* (**I Joan. III, 13**). Dilectio namque nostra semper exhibenda est et veneratione sermonis, et ministerio largitatis.

[*Vet. XIV.*] *Pauperibus eleemosynam dantes, patronis munera offerimus. Seminamus quae postea cum magno fenore metamus.*---Multum vero ad edomandam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit verba sollicite magistri coelestis penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula* (**Luc. XVI, 9**). Si enim eorum amicitias aeterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum* (**II Cor. II, 14**). Ut videlicet sollicite perpendamus quia et eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus; et **693** qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quae quod acceperit uberius reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit agit ut in perpetuum pauper non sit. Beatus igitur Job ut diligenter ostenderet humilitas atque

misericordia quanta in eo fuerit consideratione sociata ait: *Si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem; si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.* Ac si aperte diceret: In amore proximi uno eodemque ordine et superbiae vitium, et impietatis premens, praetereuntem quempiam et humiliter aspiciens non despexi, et misericorditer calefeci. Quisquis enim super eum cui aliquid tribuit fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo, mercedem, fitque ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens; eoque agit ut se ipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat. Minus quippe inops est qui vestem non habet quam qui humilitatem. Unde necesse est ut cum naturae nostrae consortes exteriora non habere conspiciamus, quam multa nobis desint bona interiora pensemus; quatenus sese super inopes cogitatio non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius quanto et interius indigentes sumus.

31. *Etiam incognitis erogetur eleemosyna.*---Et quia sunt nonnulli qui pietatis suae viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiae didicerint miserentur, apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur, bene nunc per beatum Job dicitur: *Si despexi praetereuntem, eo quod non habuerit indumentum.* Ignoto enim proximo misertum se indicat, quem praetereuntem vocat, quia videlicet apud piam mentem plus natura valet quam notitia. Nam et unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, ei jam incognitus non est. Sequitur:

CAPUT XX [*Rec. XV*].

VERS. 21.---*Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.*

32. *Sancti libenter injuriam patiuntur, et quae sibi debentur cavent districtius exigere.*---Mos apud veteres fuit ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione discernerent; quatenus urbem, in qua concorditer oporteret vivere, discordes minime intrarent. Unde et per prophetam Dominus dicit: *Constituete in porta judicium. (Amos. V, 15).* Hoc itaque loco quid portae nomine exprimitur nisi id quod agebatur in porta? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo quod pugnatur ex castris; ita judicium, quod in porta agi consueverat, porta nominatur. In porta ergo se superiorem videt, qui se melioris partis esse in judicio aequitatis merito conspicit. Beatus igitur Job, quia nec tunc contra pupillum manum exeruit, cum se etiam per justitiae meritum potiolem vidit, nobis timoris regulam insinuans, dicit: *Si levavi super pupillum 694 manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem.* Ac si patenter dicat: Neque tunc utilitatis meae negotia virtute contra pupillum exsequi volui, quando me in judicio etiam ex justitia potiolem vidi. [*Vet. XV.*] Sancti etenim viri quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. Sciunt quippe quia omnis humana justitia injustitia esse reprehenditur, si divinitus districte judicetur. Unde hoc quod sibi competit cavent vehementer exigere, ne eorum actus

supernam rectitudinem contingat subtiliter examinare. Sed ut inveniri justi in divino examine valeant, plerumque apud humana judicia gravari se et injuste patiuntur. Beatus autem Job vitae suae celsitudinem narrans, et multa sunt et mira quae dixit. Sed quia plerumque humana mens renuit bona credere, quae nescit operari, maledicti sibi sententiam protinus subjicit, si qua horum quae dixerat opere non implevit, dicens:

CAPUT XXI [*Rec. XVI*].

VERS. 22.---*Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum ossibus suis conteratur.*

33. *Concordia in societate, sine patientia perseverare non potest.*---Quia operatio corporea per humerum ac brachium agitur, bona quae ore protulit, si opere non implevit, cadere sibi humerum et conteri brachium exoptat. Ac si aperte dicat: Si ea quae dixi operari renui, ipsum quod mihi ad operandum datum est corporis membrum perdam, ut videlicet cadat a corpore, quod exercere nolui ad utilitatem. Si vero haec maledicti sententia ad spiritualem est intelligentiam referenda, liquet profecto quod brachium corpori per humerum jungitur. Et sicut per brachium bona operatio, ita per humerum socialis vitae conjunctio designatur. Unde propheta quoque intuens sanctos universalis Ecclesiae populos Deo concorditer servituros, ait: *Et servient ei in humero uno* (**Sophon. III, 9**). In eo ergo quod dicit: *Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem*, miram virtutem patientiae servasse se asserit, qui

gravari se a personis minimis, nec contra hoc quod sibi juste competere poterat, declinavit. Quod tamen si minime fecerit, adjungit: *Humerus meus a junctura sua cadat*. Quia nimirum qui patientiam servare contemnit socialem vitam citius per impatientiam deserit. A junctura etenim humerus cadit, cum adversitatis aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit; et quasi membrum separatur a corpore, cum is qui operari bona poterat a bonorum omnium abscinditur universitate. Neque enim unquam servari concordia nisi per solam patientiam valet. Crebro namque in humana actione nascitur, unde mentes hominum vicissim a sua unitate ac dilectione separentur; et nisi ad adversa toleranda se animus praeparet, procul dubio humerus corpori non inhaeret. Hinc etenim Paulus ait: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (Galat. VI, 2)*. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras (Luc. XXI, 19)*.

[Vet. XVI.] 34. *Sine patientia charitati conjuncta bona opera pereunt.*---Recte autem, humero cadente, subjungitur: *Et brachium meum cum ossibus suis conteratur*: **695** quia nimirum cuncta nostra operatio, cum quibuslibet videatur esse virtutibus, solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur. Sua enim bona perdit operari qui aliena mala renuit perpeti. Fervore quippe iracundi spiritus laesus quisque a dilectione resilit, et cum se exterius gravari non tolerat, intus se per amissum lumen charitatis obscurat; nec videt jam quo tendat pedem boni operis, qui oculum perdidit dilectionis. Sed sancti viri humerus a junctura sua non cadit, quia videlicet ejus dilectio a socialis vitae concordia per impatientiam non recedit. Ejusque brachium minime frangitur, quia omnis ejus

operatio in conjunctione humeri, id est in charitatis connexionem custoditur, Sed qua consideratione bona haec tanta egerit, atque a malis omnibus sese abstinuerit, adjungit dicens.

CAPUT XXII [*Rec. XVII*].

VERS. 23.---*Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.*

35. *Timoris Dei quanta vis ad omnium contemptum persuadendum. Extremi judicii signa praevia.*---A pavore tantae similitudinis pensemus, si possumus, quanta in sancto viro fuerit vis timoris. Fluctus etenim cum tumentes desuper imminet, cumque eam quam deferunt mortem minantur, nulla tunc navigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducit; ea ipsa quoque ex navi projiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt; cunctae res in despectum mentis veniunt, amore vivendi. Quasi ergo tumentes super se fluctus Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit quae hic possidens portat. Nam velut tempestate deprehensi pondus navis abjicimus, quando ab oppressa mente desideria terrena removemus. Fitque ut sublevata navis enatet, quae mergebatur onerata, quia nimirum curae quae in hac vita deprimunt mentem in profundum trahunt. Quae videlicet mens tanto altius inter tentationum fluctus attollitur, quanto sollicitius ab hujus saeculi cogitatione vacuatur. Est vero et aliud quod de maris

concussione debeat solerter intueri. Tempestas quippe cum oritur, prius lenes undae, et postmodum volumina majora concitantur; ad extremum fluctus se in alta erigunt, et navigantes quosque ipsa sua altitudine subvertunt. Sic sic nimirum extrema illa properat, quae universum mundum **696** subruat tempestas animarum. Nunc enim bellis et cladibus quasi quibusdam undis sua nobis exordia ostendit, et quanto ad finem quotidie propinquiore efficimur, tanto graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum vero commotis omnibus elementis, supernus iudex veniens finem omnium apportat, quia videlicet tunc tempestas fluctus in coelum levat. Unde et dicitur: *Adhuc modicum, et ego movebo non solum terram, sed etiam coelum* (**Aggae. II, 7**). Quam scilicet tempestatem quia sancti viri vigilanter aspiciunt quasi tumentes super se quotidie fluctus expavescunt, atque ex his tribulationibus quae mundum feriunt praevident quae sequantur.

36. *Judicium extremum sancti formidant; quanto magis expavescere debent peccatores.* Bene autem subditur: *Et pondus ejus ferre non potui*, quoniam qui extremi iudicii adventum intenta mente considerat, profecto videt quia tantus pavor imminet, quantum non solum tunc videre, sed se etiam nunc praevidere pertimescat. Consideratione namque tanti terroris metu animus palpitat, et intentionis suae oculos declinans, intueri quod praevidet recusat. Bene ergo dicitur: *Et pondus ejus ferre non potui*, quia cum supernae majestatis vim ad iudicium venientis terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad semetipsum refugiens, sese expavescit invenisse. Sed inter

haec pensandum est quia beatus Job ista de se loquitur laudatus et flagellatus. Si igitur saltem ad meritorum profectum ita percussus est qui sic timuit, quomodo feriendus est qui contemnit? Quomodo depressura sunt Dei judicia eos qui se elevant, si et illos ad tempus deprimunt qui haec semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre qui despicit, si hoc et ille in verberare pertulit qui per timorem praevidit? Unde summopere formidandum nobis est illud tantae districtiois examen. Constat autem quia in hac vita cum percutit, si percussione correctio sequitur, disciplina patris est, non ira iudicis; amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso ergo praesenti verberare judicia aeterna pensanda sunt. Hinc etenim perpendere summopere debemus quomodo feratur illa quae reprobatur, si ferri modo vix valet ejus ira quae purgat.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS. *Quod supererat capitis XXXI libri Job explicatur, commendanturque praesertim animi demissio et moderatio, patientia, charitas, et erga subditos sollicitudo.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Ad cavendam desperationem, licet recte a se gestorum recordari.*--- Quod a me saepe jam dictum est, hoc me crebro repetere onerosum non est, quia et praedicator egregius dicit: *Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium* (**Phil. III, 1**). Beatus Job idcirco gestas virtutes narrat, quia inter increpationis verba et percussione verbera deprehensus, a spei fiducia mentem suam labefactari considerat. Multa quippe et egisse se mala ab increpantibus amicis audierat, et ne verbis pariter et flagellis pressa in desperationem mens corruat, hanc per suarum virtutum memoriam ad spem reformat, ut nequaquam se debeat in calamitate dejicere, quae tranquillitatis suae tempore se meminerat tam sublimia egisse. Quia igitur intentionis ejus **697** causam diximus, restat ut auditas virtutes illius subtiliter perpendamus.

2. *Una virtus sine aliis, aut nulla est, aut minima.*---Hoc autem primum sciendum est, quia quisquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitiis ex alia parte non subjacet. Nam si ex alio vitiis subditur, nec hoc est solidum, ubi stare putabatur. Unaquaeque enim virtus tanto minor est, quanto desunt caeterae: Nam saepe quosdam pudicos quidem vidisse nos contigit, sed non humiles; quosdam vero quasi humiles, sed non misericordes; quosdam quasi misericordes, sed nequaquam justos; quosdam vero quasi justos, sed in se potius quam in Domino confidentes. Et certum est quia nec castitas in ejus corde vera est, cui humilitas deest, quippe quia superbia se intrinsecus corrumpente fornicatur, si semetipsum diligens, a divino recedit amore. Nec humilitas vera est cui misericordia juncta non est, quia nec debet humilitas dici, quae ad compassionem

fraternae miseriae nescit inclinari. Nec misericordia vera est quae a rectitudine justitiae existit aliena, quia quae potest per injustitiam pollui, nescit procul dubio sibimetipsi misereri. Nec justitia vera est quae fiduciam suam non in conditore omnium, sed in se fortasse, aut in rebus conditis ponit, quia dum a creatore spem subtrahit, ipse sibi principalis justitiae ordinem pervertit. Una itaque virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Ut enim, sicut quibusdam visum est, de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia, fortitudine, atque justitia; tanto perfectae sunt singulae, quanto vicissim sibimet conjunctae. Disjunctae autem perfectae esse nequaquam possunt, quia nec prudentia vera est quae justa, temperans et fortis non est, nec perfecta temperantia quae fortis, justa et prudens non est, nec fortitudo integra quae prudens, temperans et justa non est, nec vera justitia quae prudens, fortis et temperans non est.

3. *Omnes in Job convenerunt.*---Beatus itaque Job, quod non unam sine alia, sed conjunctas in se virtutes habuerit, enumerando singulas innotescit. Nam bona pudicitiae insinuans, dicit: *Si deceptum est cor meum super mulierem (Cap. XXXI, 9).* Atque ut eidem pudicitiae demonstraret humilitatis gratiam nullatenus defuisse, post caetera subjungit: *Si contempsi subire judicium cum servo meo (Vers. 13).* Qui ut humilitati suae ostenderet misericordiam fuisse conjunctam, paulo post dicit: *Si negavi quod volebant pauperibus (Vers. 16).* Atque ut misericordiam suam ostenderet de justitiae radice descendere, paulo superius praemisit, dicens: *Si ambulavi in vanitate, et festinavi in dolo pes meus (Vers. 5).* Atque ut monstraretur quam fuerit ad cuncta pavidus, et ad omnia circumspectus inferius asserit,

dicens: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum (Vers. 25)*. Qui scilicet in prosperis positus, atque abundantia rerum fultus, si spem aut in suis actibus aut in circumfluentibus rebus poneret, profecto justus non esset. Sed quando iste vir sanctus in se spem posuit, qui aperte dicit: *Ecce non est auxilium mihi in me (Job. VI, 13)? [Vet. et Rec. II.]* Quid ergo nunc superest, nisi ut ipsas quoque divitias qua mente possederit innotescat? Ait enim:

698 CAP. XXXI, VERS. 24.---*Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea.*

CAPUT II.

4. *Non in labentibus divitiis, sed in Deo solo confidendum.* Obryzum dicimus obrude aurum. Sanctus ergo vir nec aurum robur, nec sibi esse obryzum, id est rudis auri molem fiduciam credidit, quia spem atque delectationem suam in solius gratia conditoris figens, neque de quantitate auri, neque de specie peccavit. De creatore quippe desperasse fuerat, spem in creatura posuisse. In rebus autem dubiis spem fixerat dives ille, qui dicebat: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Sed hunc superna vox increpat, dicens: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cujus erunt (Luc. XII, 19, 20)?* Eadem enim nocte sublatus est, qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat praestolatus, ut scilicet qui in longum sibi subsidia colligendo prospiceret, subsequenter diem vel unum minime videret.

Quasi in aquis enim defluentibus fundamentum ponere est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Stante enim in perpetuum Deo, transeunt omnia. Quid ergo a stante fugere est, nisi transeuntibus rebus inhaerere? Quis namque unquam decurrentium fluminum tumidis vorticibus raptus manere ipse fixus potuit, deorsum unda defluente? Quisquis ergo defluere devitat, superest ut quod defluit fugiat, ne per hoc quod amat in hoc cogatur pervenire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhaeret, illo videlicet trahitur, quo tendit quod tenet. Prius itaque curandum est ne quis temporalia diligat, ac deinde ne in eisdem temporalibus quae non ad delectationem sibi, sed ad usum retinet, fiduciam ponat, quoniam conjunctus decurrentibus mox statum suum animus perdit. Nam vitae praesentis fluctus trahit quem levat, et valde demens est qui in unda volvitur, et plantam figere conatur. Sed sunt plerique qui etsi in rebus transeuntibus fiduciam nequaquam ponunt, cum tamen sibimet ad usus necessarios abunde adsunt, mente tacita laetantur. Qua in re dubium non est, quia tanto quisque minus dolet quod desint aeterna, quanto magis gaudet quod adsint temporalia; et qui minus dolet quod desint temporalia, certius expectat ut adsint aeterna. Hoc itaque de terrenis rebus gaudium beatus Job non se habuisse testificans, subjungit dicens:

CAPUT III [*Vet. III*].

VERS. 25.---*Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea.*

5. *Sancti bonorum temporalium onus aut largiendo partiuntur, aut contemnendo totum deponunt.*---Sancti quippe viri in hujus peregrinationis aerumna, quoniam eam quam appetunt adhuc creatoris sui speciem contemplari minime sinuntur, omnem praesentis vitae copiam inopiam deputant, quia videlicet nil extra Deum sufficit menti quae veraciter Deum quaerit; et plerumque eis ipsa sua abundantia fit vehementer onerosa, quia hoc ipsum graviter tolerant, quod festinantes ad patriam in itinere multa portant. Unde fit ut haec cum indigentibus proximis devote partiantur, quatenus dum sumit iste quod non habet, deponat ille quod amplius habebat; nec conviator vacuus ambulet, nec eum quem retardare in via poterat nimium onus gravet. Electi ergo de multa abundantia minime **699** laetantur, quam videlicet pro amore coelestis patrimonii aut largiendo dispergunt, aut despiciendo deserunt. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 26-28.---*Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare; et laetatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.*

6. *Sensus coercent, et continuo studio intra mentem suam se colligunt.*---Incertum non est quod utraque haec luminaria humanis ministeriis deputata, coeli militiae vocantur. In quorum cultum multos novimus, scriptura teste, cecidisse, sicut scriptum est: *Adoraverunt universam militiam coeli* (IV

Reg. XVII, 16). Et quia sol et luna aliter videntur ad usum, aliter ad venerationem, eo more quo a cultoribus suis venerari solent, solem et lunam beatus Job nequaquam vidisse se perhibet, nec laetatum fuisse cor suum, nec osculatum manum ore suo. In qua videlicet osculatione, quid aliud quam gratia venerationis exprimitur? Quod si fecisset unquam, hoc iniquitatem maximam et Dei negationem vocat. Sed postquam tanta de se locis superioribus virtutum culmina narravit, quid nunc mirum memorat, si solem ac lunam non se adorasse manifestat? Unde pensandum est quod postquam in auro non habuisse fiduciam, nec in multis divitiis laetatum se fuisse testatur, adhuc ad sublimiora ducitur, ut tanto nos magis erudiat, quanto de se aliqua subtilius narrat. Ait enim: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est in abscondito cor meum.* Quid hoc in loco videre dicitur, nisi desideranter intueri? Unde Psalmista ait: *Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiat Deus (Psal. LXV, 18).* Quae nimirum iniquitas in ore exprimi non posset, si non conspiceretur in corde. Sed aliud est videre per iudicium, aliud per appetitum. Beatus ergo Job fulgentem solem, et clare incedentem lunam nequaquam vidisse se perhibet, ut se demonstret praesentis lucis speciem non appetisse. Ac si post despectum terrenae suae abundantiae patenter insinuet: Quid dicam, quia nequaquam in auro laetatus sum, qui in ipsa quoque luce corporea delectatus non sum? Sancti etenim viri postquam omnia praesentis vitae oblectamenta despiciunt, prae illius lucis internae dulcedine, ab hac exteriori animum luce quasi a tenebris avertunt: multumque secum intrinsecus contendunt, ne hujus lucis, quae fulget extrinsecus, delectatione rapiantur. Lux quippe visibilis si incaute diligitur, a luce invisibili cor caecatur, quia quanto extra se inhians

animus funditur, tanto amplius in internis obtutibus reverberatur. Unde solertes quique ne corporeis sensibus nimis ad exteriora dilabantur, continuo studio intra mentem suam occulta custodiae disciplina se colligunt, ut tanto magis inveniantur interius integri, quanto minus sunt exterius fusi. Hoc enim vigore disciplinae intra mentis suae se arcana constrinxerat, qui exterioris vitae appetitum fugiens, dicebat: *Diem hominis non concupivi, tu scis* (**Jerem. XVII, 16**). Quod ergo apud prophetam dicitur: *Diem hominis non concupivi, tu scis*, hoc de semetipso beatus Job verbis aliis asserit, quia fulgentem solem et lunam incedentem clare non viderit, atque ex his in cordis abditis laetatus non sit, quia nimirum gaudere non poterat de his quae per delectationis desiderium non videbat.

[*Vet. IV.*] 7. *Cavent ne suae prudentiae innitantur.*---Si vero cuncta haec quae juxta historiam tractando **700** discurremus per allegoriae quoque mysteria perscrutemur, quid hoc in loco aurum accipimus, nisi praeclari intellectus ingenium; quid obryzum, nisi mentem? quae dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quae studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: *Renovamini spiritu mentis vestrae* (**Ephes. IV, 23**). Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: *Dixi, nunc coepi* (**Psal LXXVI, 11**), quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus. Nec abhorret a rationis ordine quod auro dicimus ingenium designari, quia sicut in ornamento aurum supponitur, ut gemmarum desuper ordo

disponatur, ita clara sanctorum ingenia divinis muneribus humiliter substernuntur, et distincta super se gratiarum dona percipiunt. Et nisi quid simile aurum cum sapientia haberet, quidam sapiens minime dixisset: *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quae utilitas in utriusque* (**Eccli. XX, 32; XLI, 17**)? Sancti autem viri robur suum aurum non deputant, quia quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse ex suis viribus pensant. Et cum sentire omnia valenter possunt, prius intelligere semetipsos cupiunt, quatenus lumen ingenii more solis prius illustret locum in quo oritur, et postmodum caetera, ad quae procedendo dilatatur, ne si intendendo cognoscendis aliis semetipsos nesciant, ibi solis radius ubi oritur obtenebrescat. Ingenii itaque virtutem ad cognoscendam propriam infirmitatem dirigunt, atque ex infirmitatis suae melius cognitione convalescunt. Aurum ergo robur non creditur, si in accepto ingenio fiducia non habetur. Quod bene Salomon admonens, ait: *Habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae* (**Prov. III, 3**). Dicat ergo: *Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea*. Ac si aperte fateatur, dicens: Nec quae veraciter intellexi, meo ingenio tribui, nec menti propriae, si qua egisse me bona contigit, haec principaliter deputavi. Qui adhuc subtilius humilitatem nobis sui cordis insinuans, adjungit dicens:

CAPUT V [*Rec. III*].

VERS 25.---*Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea.*

8. *Multa in sacris litteris intelligere periculosum, nisi intellecta custodiantur.*---Quid multas divitias appellatas per significationem credimus, nisi abundantia acumina consiliorum? Quae quaerentis manus invenit, cum haec cogitatio tractantis gignit. Has etenim Salomon sapientiae divitias contemplatus ait: *Corona sapientium divitiae eorum* (**Prov. XIV, 24**). Qui quia divitias non metalla terrena, sed prudentiam nominat, illico per contrarietatem subdit: *Fatuitas stultorum imprudentia* (**Ibid., 24**). Si enim coronam sapientium terrenas divitias diceret, procul dubio fatuitatem stultorum paupertatem potius quam imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientum divitias quia prudentiam dixerit, indicavit. Has in se Paulus scientiae divitias contemplatus, et contemplationem suam consideratione humanae fragilitatis humilians, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (**II Cor. IV, 7**). Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiae, sacra eloquia investigando percipimus, atque in his plura, nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem segura laetitia **701** in divinis paginis vel fortia, vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo debeat agnoscit. Quanto enim intellectu latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus repetent ab eo* (**Luc. XII, 48**).

[*Vet. V.*] 9. *Intelligentia data, est quasi pecunia mutuo accepta, cum fenore reddenda.*---Deputemus igitur intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam, quia quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in

opere; et plerumque eadem intelligentiae accepta pecunia, cum ad usuras auditoribus datur, amittitur, nisi caute tribuatur. Neque enim negligenter intuendum est in Regum volumine, quod prophetarum filii cum in Jordane ligna caederent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit (**IV Reg. VI**). Ferrum quippe in manubrio est donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc caedere est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanae gloriae in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeat actione restitui. Unde recte is qui ferrum amiserat clamabat: *Heu! heu! heu! domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam* (**IV Reg. VI, 5**). Habent enim hoc electi proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanae gloriae culpa subrepat, ad cor velociter redeant, et quidquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequantur. Qui flentes non solum caute inspiciunt mala quae commiserunt, sed ex accepto munere quae reddere etiam bona debuerunt, quia nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis quae agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit, clamabat: *Heu! heu! heu! et hoc ipsum mutuo acceperam*. Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiae perdidi, quod ut per bona opera redderem ex gratia creditoris accepi. Sed nunquam Deus mentem deserit quae in peccatis se veraciter agnoscit. Unde et mox Eliseus veniens, lignum deorsum mittit, et ferrum in superficiem attollit, quia videlicet Redemptor noster pie nos respiciens, cor peccatoris humiliat, et ei quam amiserat intelligentiam reformat, lignum mergit, et ferrum relevat, quia cor affligit, et scientiam reparat. Unde

bene in alia translatione dicitur quod confregit lignum atque jactavit, et sic ferrum sustulit. Lignum namque confringere est cor ab elatione conterere. Lignum ad ima jactare est elatum cor in cognitione, ut diximus, propriae infirmitatis humiliare. Atque illico ferrum ad superficiem redit, quia ad usum exercitationis pristinae intelligentia recurrit.

10. *Hinc de dono sibi credito justi plus timent quam gaudeant.*---Igitur quoniam donum intellectus quod accipitur vix cum tot difficultatibus custoditur (curandum quippe est ne otio torpeat, curandum ne in exercitatione operis vitio elationis evanescat), sancti viri, minime exsultant cum cognoscunt **702** quae faciant, sed cum faciunt quae cognoverant; et si intelligendo congaudent muneri largitoris, moerentes tamen considerant debitum operis, ut videlicet actione persolvant quod eis praerogatum est in cognitione. Stultus namque est debitor qui gaudens pecunias mutuas accipit, et tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem laetitia accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. Quia igitur viri justi in his quae vigilanter intelligunt segura laetitia non extolluntur, dicatur recte: *Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea.* Ac si aperte diceretur: Nequaquam me in eo locupletem ex justitia credidi, quo recta quae agere debui etiam multa cognovi, nec intelligentia cor extulit, quia illud consideratio debitae operationis pressit. [*Vet. VI.*] Sciendum vero est, quod plerumque contingit, ut cum intelligentiae altitudo percipitur, circa semetipsum animus valde sollicitus ab elationis lapsu teneatur. Sed cum mira quae intelligit etiam operari coeperit, eo ipso nonnunquam quo foras ostenditur labitur, atque in suis actibus

se caeteros praeire gloriatur. Beatum igitur Job sicut intelligentiae aurum non extulit, nec lumen quoque ante humanos oculos mirae operationis elevavit. Unde et apte subjungit:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 26.---*Si vidi solem cum fulgeret.*

41. *Ad bonorum operum suorum fulgorem non exsultant. Non absolvitur debitor qui multa reddit, sed qui omnia.*---Sol quippe in fulgore est bonum opus in manifestatione. Scriptum namque est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in coelis est (Matth. V, 16).* Et rursum: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes (Luc. XII, 33).* Quod enim hoc in loco fulgente sole, id in Evangelio lucernis ardentibus designatur. Bonum quippe opus cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte; cum vero in Ecclesia resplendet, sol fulget in die. Bonum opus si adhuc tale est, quod soli mali mirantur, lucerna videlicet in nocte est; si autem ita proficit, ut mirari a bonis ac perfectioribus possit, nimirum sol est in die. Bonum opus cum per activam vitam corporis lucet, quasi lucernae more, lumen ex testa resplendet. Cum vero per solam virtutem mentis in contemplatione attollitur, quasi more solis de coelo veniens lux videtur. Quia igitur multa beatus Job hospitalitatis ac misericordiae de se bona narraverat, quae profecto tanto adhuc minima, quanto et corporaliter noverat gesta, ad virtutum spiritualium culmen mentis oculum revocans,

perfectionis suae meminit, et lucem exemplorum, quam de se aliis tribuit, solem vocavit. [Reg. V.] Sunt vero nonnulli qui cum bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum protinus obliviscuntur, et cordis oculum in consideratione bonorum operum quae exhibent figunt; atque eo se jam sanctos existimant, quo inter bona quae agunt malorum suorum, in quibus et fortasse adhuc implicati sunt, memoriam declinant. Qui scilicet si distractionem iudicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent quam de imperfectis bonis exsultarent, **703** plus inspicerent quod de his quae adhuc eis agenda sunt debitores tenentur, quam quod operantes quaedam jam debiti partem solvunt. Neque enim absolutus est debitor qui multa reddit, sed qui omnia; nec ad bravium victoriae pervenit qui in magna parte spectaculi velociter currit, si juxta metas veniens in hoc quod est reliquum deficit. Nec ad quaelibet destinata loca perguntibus inchoando prodest longum iter carpere, si non etiam totum valeant consummare. Qui ergo aeternam vitam quaerimus, qui aliud quam quaedam itinera agimus, per quae ad patriam festinamus? Sed quid prodest quod carpinus tam multa, si ea quae ad perveniendum restant, negligimus reliqua?

12. *Non quid itineris jam peractum sit, consideremus, sed quid supersit peragendum.*---More itaque viatorum, nequaquam debemus aspicere quantum jam iter egimus, sed quantum superest ut peragamus, ut paulisper fiat praeteritum quod indesinenter et timide adhuc attenditur futurum. Amplius igitur debemus inspicere quae bona necdum fecimus, quam ea quae jam nos fecisse gaudemus. Sed habet hoc humana infirmitas proprium, ut plus ei intueri libeat quod sibi in se placet quam quod sibi in se displicet. Aeger quippe

oculus cordis, dum laborare in consideratione sua metuit, quasi quoddam stratum delectationis in animo, ubi molliter jaceat, requirit; atque idcirco quae commoda de peractis bonis sit assecutus intelligit, sed quae damna de neglectis patitur nescit. Plerumque enim hoc vitio tentantur etiam electi. Plerumque eorum cordi suggeritur ut bona quaeque quae fecerunt ad animum revocent, et securitatis jam laetitia exsultent. Sed si vere electi sunt, ab eo in quo sibi placent mentis oculos divertunt, omnem in se de peractis bonis laetitiam deprimunt, et de his quae se minus egisse intelligunt tristitiam requirunt, indignos se aestimant, et pene soli bona sua non vident, quae in se videnda omnibus ad exemplum praebent. Hinc est quod Paulus, dum expleta in se bona postponeret, et sola adhuc reliqua quae essent explenda cogitaret, dixit: *Ego me non arbitror apprehendisse* (**Philip. III, 13**). Hinc est quod ut posset se de bonis quae agebat humiliare, studebat ad animum praeterita mala reducere, dicens: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (**I Tim. I, 13**).

[Vet. VII.] 13. Quando bona a se facta in memoriam revocari, aut narrare liceat.---Qui et si aliquando dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servari* (**II Tim. IV, 7**)? Intuendum summopere est quia illud eo tempore intulit quo jam ex corpore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe praemisit dicens: *Ego enim jam delibor, et tempus meae resolutionis instat* (**Ibid., 6**). Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam praevidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim, dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere, ne extollant, ita appropinquante exitu, plerumque ea ad

memoriam iterum revocamus, ut videlicet fiduciam praebeant, et desperatum timorem premant. Qui etsi Corinthiis bona sua enumerando narravit, **704** illos confirmare studuit, non se ostendere. Nam quia eadem bona non in se attenderet, patefacta tribulatione propriae tentationis edocuit qua expressa subjunxit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis* (**II Cor. XII, 10**). Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat; ut vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixerat. Habent itaque proprium sancti viri, ut bona quidem quae agunt videant; et tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant. Unde recte per beatum Job dicitur: *Si vidi solem cum fulgeret*. Ac si aperte diceret: Opus meum etiam cum aliis exemplorum, lucem tribueret, ad praesumptionis gratiam non attendi, quia dum de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti. Sequitur:

CAPUT VII.

IBID.---*Et lunam incedentem clare.*

14. *Fama ex bonis operibus non aucupanda*.---Post praemissum solem, apte quoque incedentem clare lunam subdidit, quia videlicet post opus bonum, fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac praesentis vitae nocte possidetur. Si autem verum est quod quidam putant, illustrationem lunam per occultum circulum a radio solis accipere, ut possit lucem nocturnis cursibus exhibere, ab hujus

significationis ordine haec quoque suspicio non abhorret. Fama quippe a bono opere vires accipit, et favoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Est et aliud in luna quod per similitudinem bona spargenti famae conveniat. Lux namque ejus etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit, quia et dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercitium boni operis illustrat; cumque illius opinio clara cognoscitur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen praebetur. Sed nonnunquam opus quod ab aliena opinione sumitur minus mundo desiderio in animo formatur. Nam infirmas mentes cum bona de aliis audiunt, aliquando se ad operationem rectam non amore virtutis, sed delectatione laudis accendunt. Et profecto liquet quia sicut natura solis est ut quaeque attigerit accendat et siccet, ita lunaris ignis est proprium ut quidquid contigerit exurat quidem, sed exurendo humidum reddat. Ad vitam igitur bonam alios pro amore Dei affectus recti operis, alios vero amor laudis inflammat. Sed cum recti operis affectu accendimur, quasi per ignem solis a vitiorum humore siccamur. Eum vero quem ad opus bonum laudis amor provocat, concupita fama, quasi luna, attingit, quia videlicet ejus animum et accendit et resolvit. Accendit scilicet ad exercitium operis, resolvit vero ad concupiscentiam favoris. Plerumque tamen ad exercenda bona opera aliena nos utiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis alienae bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi famae splendor irradiat, mens nostra, ut praediximus, quae ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunae lumine gressus ponit. Sed sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque, si famae nostrae laudibus intendimus, a virtute vacuumur, **705** quia

cum delectatur animus in hoc quod de se extrinsecus haberi considerat, illud obliviscitur ad quod introrsus anhelabat.

[*Vet. VIII.*] 15. *Intelligentia, bona opera, laudes, humilitati Job (quod raro accidit) nihil nocuerunt.*---Quia igitur sanctum virum intelligentia scientiae non corrumpit, de multis divitiis gaudere despexit. Quia vero eum magnitudo operis non inflavit, solem fulgentem non vidit. Quia autem illum nec fama laudis extulit, clare incedentem lunam minime attendit. Sunt enim nonnulli qui eo in elationem corruunt, quo per subtilem intelligentiam vel quae non faciunt bona cognoscunt. Hi nimirum super multis divitiis laetantur, cum quaelibet summa intelligendo reperiunt, atque in elatione ipsis inventionibus corrumpuntur. Sunt vero nonnulli quos intelligentia quidem non elevat, sed exhibita operatio exaltat. Qui dum actiones suas respiciunt, apud mentem suam sibi caeteros dedignando postponunt. Hi videlicet etsi in multis divitiis non gaudent, solem tamen fulgentem vident quia de sola boni operis magnitudine quasi alios despiciendo tument. Et sunt nonnulli quos nec operatio propria extollit; sed cum laudari ab hominibus pro hac eadem bona operatione coeperint, ipsis hominum favoribus devicti, quasi magnos se quosdam in sua cogitatione conspiciunt, atque a cordis custodia dissolvuntur. Hi profecto etsi fulgentem solem videre noluerunt, lunam tamen clare incedentem respiciunt, quia inter hujus vitae tenebras dum in opinionis suae claritate animum defigunt, humilitatis gratiam quasi ex nocturno lumine amittunt; et intuentes lunam, se non vident, qui semetipsos nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium favorem defigunt.

16. *Varii ad virtutem progressus et gradus. Quid in uno quoque metuendum.*---Sic autem profectus est hominum, sicut incrementa esse conspiciamus arbustorum. Vis quippe futurae arboris prius in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producit in ramos. Sic nimirum sic uniuscujusque virtus succrescit operantis. Seminatur namque in intelligentia, oritur in operatione, atque ad ultimum convalescit usque ad profectus magni latitudinem. Sed cum quemlibet sua intelligentia extollit, arbor quae oriri poterat in semine putrescit. Cum autem post operationem bonam elationis peste corrumpitur, quasi jam orta siccatur. Cum vero neque intelligentia, neque operatio corrumpit, sed excrescente magnitudine, dum favor laudantium sequitur, atque a statu suo bene operantis animum evertit, linguarum ventos arbor pertulit, et omne quod in ea robustum creverat tempestas famae radicitus evulsit. Quo enim arbor altius ad superiora surrexerit, eo ventorum vim vehementius sentit, quia quo plus quisque in bonis operibus attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. Si itaque adhuc arbor in semine est, metuendum est ne ipsa scientiae cognitione putrefiat. Si jam ad virgultum prodiit, curandum est ne hanc manus elationis tangat, atque a viriditate suae actionis arefaciat. Si autem valenti robore jam ad alta se sublevat, valde formidandum est, ne hanc admotae laudis ventus gravior radicitus evellat.

[*Vet. IX.*] **706** 17. *Periculo ex fama et humanis laudibus, Deus permittit opponi detractones.*---Sed inter haec sciendum est quia ne immoderatis laudibus eruamur, plerumque miro rectoris nostri moderamine etiam detractationibus lacerari permittimur, ut cum nos vox laudantis elevat, lingua

detrahentis humiliet, quia et arbor saepe quae unius venti impulsu ita impellitur, ut pene jam erui posse videatur, alterius e diverso venientis flatu erigitur, et quae hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad statum redit. Unde et illa arbor alte radicata quasi inter adversantes ventos fixa steterat, quae dicebat: *Per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* (II Cor. VI, 8). Saepe enim laus bene agentis auribus insolenter admota, dum foris sermonibus perstrepat, intus quamdam menti per tacitum, elationis tempestatem gignit: fitque ut hoc, quod animus de humanis favoribus gaudet, non facile exterius ostendat, sed tamen corruptionis vim non tenuiter interius sentiat. Et sunt nonnulli quos ita laus inflat, ut usque ad verba elationis pertrahat. Quidam vero, ut praediximus, hoc ipsum patefacere quod elevantur erubescunt, atque auditis suis praeconiis extolluntur; sed tamen usque ad elationis verba non exeunt, et gaudere se in talibus non ostendunt. Unde beatus Job, quia noverat arrogantem se non solum nullo modo in verbis, sed etiam in cogitatione quoque tacita minime fuisse, postquam dixit: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare*, illico subdidit:

CAPUT VIII.

VERS. 27.---*Et laetatum est in abscondito cor meum.*

18. *De suis laudibus vel tacite laetari vetitum.*---Qua videlicet attestatione quid nobis innuitur, nisi quod magno metu et circumspectione opus est, ne mens nostra unquam de

suis laudibus vel tacita laetetur? Quisquis enim quasi claritatem lunae famae suae magnitudinem conspicit, sibi in occulto mentis gaudium facit, cui iste nisi auctori se praetulit, cuius dono ut bene operaretur percepit, et tamen in ejus munere de gratia suae laudis hilaescit? Despecto enim honore conditoris, semetipsum plus amare convincitur, cuius praeconiis laetatur. Quamvis nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudeant; sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non jam de opinione sua, sed de proximorum gaudent utilitate quia aliud est favores quaerere, et aliud de profectibus exsultare. Qua in re necesse est ut cum audientium utilitati non proficit, mentem nostram fama laudabilis non eleve, sed fatiget. Cum enim humanae linguae attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimus quid de nobis ipsis sentiamus. Superba etenim mens etiam cum de se falsa bona dicuntur exsultat, quia non apud Deum qualiter vivat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat. Judicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, et solummodo hominum quaerens, inter auditas laudes extollitur, et quae hoc solum quaesierat, quasi de bravio operis laetatur. At contra, si cor veraciter humile est, bona quae de se audit, aut minime recognoscit, et quia falsa dicuntur metuit; aut certe si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat ne ab aeterna Dei retributione sint perdita, quo haec considerat hominibus divulgata, **707** pavetque vehementer ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris.

19. *Sancti suis laudibus cruciantur.*---Qua ex re agitur ut electorum animus magno laudum suarum igne crucietur, atque ab omni torporis sui rubigine moerore cogitationis excoquatur. Cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his

in quibus laudatur et non sunt majus Dei judicium inveniat, aut de his in quibus laudatur et sunt competens praemium perdat. Unde plerumque fit ut sicut injustus ex laude sua polluitur, ita vir justus audita sua laude purgetur. Nam dum bona quae egit ab hominibus proferri cognoscit, subtile contra se, ut dictum est, extremi judicii examen metuit, ac trepidus ad conscientiam recurrit, et quidquid illic inest reprehensibile corrigit. Dum enim bona sua innotuisse formidat, subtilitatem secuturi examinis pertimescens, si qua in se mala occulta sunt amputat. Pavet namque si saltem talis Deo non ostenditur qualis ab hominibus putatur, et neque contentus est ut in quo potuit innotescere, in hoc debeat remanere. Jam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam aestimat, nisi eis et alia quae ab hominibus nesciuntur adjungat. Unde bene per Salomonem dicitur: *Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis* (**Prov. XXVII, 21**). Argentum quippe vel aurum, si reprobum est, igne consumitur; si probum vero, igne declaratur. Sic nimirum est et sensus operantis. Nam qualis sit, in eo quod laudatur ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quam aurum vel argentum reprobum fuit, quem videlicet fornax linguae consumpsit? Si autem favores suos audiens, ad superni judicii considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum gravetur metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit, et unde incendium trepidationis sustinet, inde clarius fulget. Beatus igitur Job, quia nequaquam de operatione se praetulit, fidenter dicit: *Si vidi solem cum fulgeret*. Quia vero hunc a judicii interioris intuitu fama laudabilis non divertit, adjungit: *Et lunam incedentem clare*. Quia autem opinionis suae gratia animum devinci, nec tacita cogitatione permisit, protinus subdidit: *Et*

si laetatum est in abscondito cor meum. [Vet. X.] Et quia plerumque inconsiderata mens, dum transitorio favori non renititur, ad hoc usque pertrahitur, ut laudet ipsa quod facit, conditioni quae praemissa est quasi congrue subinfertur:

CAPUT IX.

IBID.---*Et osculatus sum manum meam ore meo.*

20. *Deo, non sibi, sua bona opera tribuunt. Gratia praeveniens.*---Per manum quippe operatio, per os autem locutio designatur; sicut per Salomonem dicitur: *Abscondit piger manum suam sub axilla sua, et laborat si ad os suum porrigat eam (Prov. XIX, 24)*. Pigro labor est manum suam ad os porrigere, quia desidiosus quisque praedicator nec hoc vult operari quod dicit. Manum quippe ad os porrigere est voci suae opere concordare. Manum ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit, et testimonio propriae locutionis sibi virtutem tribuit operis. Qua in re quis despicitur, nisi is qui ipsa operandi munera largitur? Unde bene per egregium praedicatorem dicitur: *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem 708 accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis (I Cor. IV, 7)*? Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, et non virtute propria, sed praeveniente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos; et quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum; quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis gratiae cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui et praeveniendo dedit

eis bonum velle quod noluerunt, et subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Joannem dicitur: *Adoraverunt viventem in saecula saeculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini (Apoc. IV, 10).* Coronas namque suas ante thronum Domini mittere est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis. Beatus ergo Job, quia sic bona quae operatus est narrat, ut tamen haec suae operationi non tribuat, sed ad auctoris laudem recurat, manum suam ore suo osculatum fuisse se denegat. Ac si patenter dicat: Ego mea opera tanquam mea non profero, quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Unde et protinus subdit:

CAPUT X.

VERS. 28.---*Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.*

21. *Deum negat qui de viribus suis praesumit.*---Liquet etenim quia illum negat, cujus despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat. Quod recte quoque et iniquitas maxima vocatur, quoniam omne peccatum quod ex infirmitate est spem nequaquam perdit, quia a superno iudice veniam requirit. Praesumptio autem virtutis propriae tanto gravius in desperatione est, quanto longius ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adiutorium non recurrit auctoris; fitque

ut eo gravius peccator pereat, quo et ipsum hoc, quia est peccator, ignorat. Sequitur:

CAPUT XI [*Rec. VI*].

VERS. 29.---*Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.*

22. *Dei discipulos nos facit sola charitas. Charitatis argumenta et signa.*---Omnipotentis Dei nos esse discipulos, sola custodia charitatis probat. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (Joan. XIII, 35).* Quae nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet, scilicet si et amicos in Deo, et inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius laetamur. Nam saepe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere aestimat, si ejus vitae contrarius non existat. Sed dilectionis vim occulte et veraciter aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit, nisi eum quem sibi adversarium credit in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit. Si enim de prosperitate addicimur, et de calamitate se odientis laetatur, constat quia non amat quem non vult esse meliorem, eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.

[Vet. XI] 709 23. *Qui possumus illaesa charitate de inimici ruina laetari, aut de ejus gloria dolere. Quid hac in re cavendum.*---Sed inter haec sciendum est quia evenire plerumque solet ut non amissa charitate et inimici nos ruina laetificet, et rursum ejus gloria sine invidiae culpa contristet, cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur attendit. Sed ad haec servanda valde est necessarium subtilissimae discretionis examen, ne cum nostra odia exsequimur, fallamur sub specie utilitatis alienae. Si enim de inimici morte gaudendum omnino non esset, Psalmista non diceret: *Laetabitur justus, cum viderit vindictam impiorum* (Psal. LVII, 11). Sed aliud est impium, aliud vero inimicum perpeti. Nam sunt plerique inimici qui non sunt impii; et sunt nonnulli impii, qui nobis specialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem quem inimicum tolerat, etiam impium et iniquum putat, quia ejus culpas apud cogitationem suam livor accusator exaggerat. Quibuslibet vero flagitiis prematur, minus iniquus creditur, si adversarius minime sentitur. Qua in re discernendum est aliud esse quod nobis, aliud vero quod sibi et caeteris noster inimicus nocet. Nam si aliis bonus est, sine nostra forsitan culpa esse non potest nobis malus; nec omnino jam de ejus ruina gaudendum est, cujus nos solos certum est adversa tolerasse. Cum vero noster ac multorum hostis perimitur, de ereptione proximorum potius quam de inimici interitu necesse est ut animus laetetur.

24. *Condolendum est miseriae pereuntis, et congaudendum justitiae judicis.*---Oportet namque ut pereunte adversario subtiliter pensare debeamus, et quid debemus ruinae peccatoris, et quid justitiae ferientis. Nam cum perversum quemque Omnipotens percutit, et condolendum est miseriae pereuntis, et congaudendum justitiae judicis, ut nobis et in luctu sit poena morientis proximi, et rursus in gaudium veniat exhibita aequitas judicantis Dei, quatenus nec pereunti homini existamus adversarii, nec judicanti Deo inveniamur ingrati. Beatus igitur Job, quia cuncta in adversitate odia perfecte calcavit, dicat: *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum;* qui videlicet et inimicum diligens, dum adversario ruenti condoluit, in malis illius ipse ad bonum crevit, ut inde iste ad benignitatem cresceret, unde illum mala quae merebatur invenissent.

Quia vero saepe nonnulli eos quos sibi adversarios aestimant maledictione feriunt, quoniam virtute nequaquam possunt; in quibus patenter apparet quae mala si possent facerent, qui ea quae facere nequeunt imprecari minime desistunt; beatus Job ostendens se a culpa etiam maledictionis alienum, secutus adjunxit:

CAPUT XII.

VERS. 30.---*Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.*

25. *A maledictis abstinendum.*---Peccaret quippe si hoc optaret a Deo fieri, quod ipse facere, vel omnino non posset,

vel, si posset, minime deceret. Nam qui maledictionibus **710** inimicum impetunt, quid aliud in illo facere Deum volunt, nisi quod ipsi facere aut nequeunt, aut erubescunt? Mortem namque adversario exoptant, quam et si possunt inferre metuunt, ne aut perpetrati homicidii rei teneantur, aut iniqui appareant etiam cum sint. Quid est ergo Deo dicere: *Occide quem odi*, nisi apertis ei vocibus clamare: Hoc fac meo adversario, quod me in illum facere nec peccatorem decet? In quibus profecto verbis pensandum nobis est, ubi iste vir legerat: *Diligite inimicos vestros* (**Luc. VI, 27, 35**); ubi legerat: *Benedicite, et nolite maledicere* (**Rom. XII, 14**); et rursum: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto* (**I Petr. III, 9**). Sed exterius non audita supernae gratiae praecepta servabat, quia haec in mente illius sancti Spiritus afflatus scribebat. Cui tamen minus esset quod positos extra diligeret, nisi et interius viventes secumque quotidie conversantes etiam familiares adversarios toleraret. Unde subjungit:

CAPUT XIII [*Rec. VII*].

VERS. 31.---*Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?*

26. *Domesticos et familiares nobis adversantes patienter tolerare debemus. Altaris sacrificium. Adversa patienda sunt exterius fortiter, et interius clementer.*---Quae nimirum sententia potest quoque per mysterium ex voce Redemptoris intelligi. Viri quippe ejus tabernaculi de carnibus illius

saturari cupierunt, vel Judaei scilicet persequentes, vel gentiles credentes, quia et illi moliti sunt corpus illius, quasi consumendo, extinguere, et isti esurientem mentem suam desiderant per quotidianum immolationis sacrificium de ejus carnibus satiare. [*Vet. XII.*] Sed nunc solius historiae virtutem sequentes, pensemus quanta fortitudine sancti viri animus extra intraque sollicitus ad omnia partitur. Qui si injuste agentibus aut unquam per silentium cederet, aut per rectitudinem non contraheret, profecto adversarios non habuisset. Sed in eo quod vias vitae tenuit, exoptatores suae mortis invenit. Foris patentes adversarios pertulit, intus latentes. Minor est autem virtus certaminis foris quempiam videre mala quae superet, et intus quod toleret non habere. Perfectae autem magnitudinis laus est adversa perpeti ei exterius fortiter, et interius clementer. Nam sunt nonnulla quae in ipsa quoque familiarium conversatione corrigi nequeunt sine culpa corrigentis; atque ideo cum vel corrigentem inquinant, vel non omnino haec agentem gravant, magna magisterii arte dissimulanda sunt, ipsaque hac dissimulatione toleranda. Quae contra nos illata citius a corde laxamus, si nostra circa proximos errata cognoscimus. Unde bene quoque per Salomonem dicitur: *Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi. Scit enim tua conscientia, quia et tu crebro maledixisti aliis (Eccle. VII, 22, 23).* Dum enim pensamus quales erga alios fuimus, esse circa nos tales alios minus dolemus, quia aliena injustitia in nobis vindicat quod in se juste nostra conscientia accusat. Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. VIII*].

VERS. 32.---*Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

27. *Misericordiae in parcendo succedat misericordia in largiendo.*---Quia, teste Paulo, charitas patiens et benigna 711 describitur (**I Cor. XIII, 4**), per patientiam aliena mala aequanimiter tolerat, per benignitatem quoque bona misericorditer impendit sua. Unde beatus Job et patienter domesticos maledicentes pertulit, et viatores atque peregrinos apud se benigne suscepit: illis morum exempla tribuens, istis exteriorum ope concurrans; illis per mansuetudinem non concitus ad irascendum, istis per misericordiam ad subveniendum paratus. Vir enim sanctus Redemptorem generis humani per prophetiae spiritum intuens, praedicamenta quoque illius in opere servabat, quibus nos admonet, dicens: *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (**Luc. VI, 37**). Dare namque nostrum ad res pertinet quas exterius habemus, dimittere autem ad relaxandum dolorem quem interius ex aliena culpa contraximus. Sed sciendum est quia qui dimittit, et non dat, etsi non plene operatus est, meliorem tamen partem misericordiae tenuit. Qui autem dat, et minime dimittit, omnino misericordiam nullam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur.

28. *Eleemosynae meritoriae conditiones.*---Mundari etenim debet prius animus qui eleemosynam praebet, quia omne quod datur Deo ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiae macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione

tergenda est, quia iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Unde scriptum est: *Respexit Deus ad Abel et ad munera ejus, ad Cain autem et ad munera ejus non respexit* (**Genes. IV, 4, 5**). Neque etenim sacrum eloquium dicit: Respexit ad munera Abel, et ad Cain munera non respexit; sed prius ait quia *respexit ad Abel*, ac deinde subjunxit, *Et ad munera ejus*. Et rursum dicit quia *non respexit ad Cain*, ac deinde subdidit, *Nec ad munera ejus*. Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quam ad illa quae dabat. Unde bene beatus Job dicturus nobis in hospitalitatis gratia largitatem suam, prius circa adversarios protulit patientiam et benignitatem suam: quod de ruina non exsultavit inimici, quod verbis maledicis persecutores suos non impetiit, quod saevientes intrinsecus aequanimiter toleravit, et tunc demum hospitalitatis suae munificentiam protulit; ut audito scilicet narrationis ejus ordine, discamus quia exteriora munera ex interna cordis munditia condiuntur, ut virtutum ejus contextio lectorem doceat qualis apud se esse debeat, cum exteriora bona aliis subministrat.

29. *In bonis operibus cavenda elatio.*---Sed quis se inter tanta virtutum culmina sanctum esse non crederet? Quis non utcunque ipsis tot meritis tentaretur, ut si quando ut homo delinqueret, delictum suum hominibus nollet innotesci; et leve esse crederet, si quid in minimis **712** peccaret; culpamque suam mallet silentio tegere quam voce confessionis aperire? Saepe namque contingit ut elatus virtutibus animus, dum multa bona in aestimatione proximorum de se spargi

cognoverit, agnosci non velit si quid est quod reprehensibiliter facit. Quas videlicet erroris tenebras idcirco mens tolerat, quia cordis oculum tumor gravat. Unde beatus Job inter tot eximia facta virtutum, qui tam summus exstitit in operatione, ut demonstraret quam humilis fuerit in mente, protinus adjunxit:

CAPUT XV [*Vet. XIII, Rec. IX*].

VERS. 33.---*Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.*

30. *Humilitatis argumentum est culpam suam confiteri; superbiae, excusare. Peccata excusando, graviora reddimus.*---Haec sunt namque verae humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam voce confessionis aperire. At contra, usitatum humani generis vitium est, et latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis haec augmenta nequitiae ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpaе. Sic namque ille dum lignum vetitum contigisset, abscondit se a facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione, scilicet quia Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur. Qui cum argueretur a Domino, quod de ligno vetito contigisset, illico respondit: *Mulier quam dedisti mihi sociam ipsa mihi dedit de ligno, et comedi* (**Genes. III, 12**). Ipsa quoque mulier inquisita respondit, dicens: *Serpens decepit me, et comedi* (**Ibid., 13**). Ad hoc quippe requisiti

fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant confitendo delerent. Unde et serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut perpetrata culpam respiceret, et confitendo cognosceret quam longe a conditoris sui facie abesset. Sed adhibere sibimet utrique defensionis solatia quam confessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: oblique Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor exstiterit, qui mulierem fecit; et Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset. Qui enim ore diaboli fallentis audierant: *Eritis sicut dii (Ibid., 5)*, quia Deo esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum Deum sibi facere similem in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt ut culpa eorum atrocior discussa fieret quam fuerat perpetrata.

31. *Multi Adamum imitantur, velut arborum foliis peccatum abscondere cogitantem. Peccator e sepulcro exit per confessionem.*---Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, ut cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba quasi sub quaedam se arborum folia abscondat, et velut ad quaedam excusationis suae opaca secreta faciem conditoris fugiat, dum non vult **713** cognosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis, quia sibimetipsi jam parcere renuit, qui malum non erubescit confiteri quod fecit; et qui

defendendo accusari potuit, accusando se celerrime defendit. Unde et mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur: Revivisce, sed: *Veni foras* (**Joan. XI, 43**). Ex qua scilicet resurrectione, quae gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur: *Veni foras*, ut nimirum homo in peccato suo mortuus, et per molem malae consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a semetipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim *Veni foras* dicitur, ut ab excusatione atque occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur. Unde David propheta, ab illa tanti morte facinoris reviviscens, ad vocem Domini quasi foras exiit, dum, per Nathan correptus, quod fecerat accusavit (**II Reg. XII, 13**).

32. *Occultandi peccati culpa vehementer excrevit.*---Quia igitur haec occultationis culpa in humano genere vehementer excrevit, bene beatus Job cum diceret: *Si abscondi peccatum meum*, interposuit: *quasi homo*. Hominis quippe esse proprium conspicit, quod ex parentis veteris imitatione descendit. Ubi apte subditur: *Et celavi in sinu meo iniquitatem meam*. [*Vet. XIV, rec. X.*] Scriptura etenim sacra plerumque sinum ponere pro mente consuevit, sicut voce Ecclesiae de persecutoribus nostris, qui nobis natura quidem conjuncti sunt, sed vita disjuncti, per Psalmistam dicitur: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum* (**Psal. LXXVIII, 12**). Ac si aperte diceret: In mente sua recipiant hoc quod in nostris corporibus saevientes operantur, ut dum nos exterius ex parte puniunt, ipsi interius perfecte puniantur. Quia igitur sinus secretum mentis accipitur, in sinu

iniquitatem celare est hanc in conscientiae latibulis occultare, nec per confessionem detegere, sed per defensionem velare. Quo contra Jacobus dicit: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (Jac. V, 16)*. Salomon quoque ait: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et dereliquerit ea, misericordiam consequetur (Prov. XXVIII, 13)*.

33. *Ficta est peccati confessio sine humilitate. Sincerae confessionis indicia.*---Sed inter haec sciendum est quod plerumque homines et culpas confitentur, et humiles non sunt. Nam multos novimus qui arguente nullo peccatores se esse confitentur; cum vero de culpa sua fuerint fortasse correpti, defensionis patrocinium quaerunt, ne peccatores esse videantur. Qui si tunc cum id sponte dicunt peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cum arguuntur ab aliis, esse se quod confessi fuerant non negarent. Qua in re indicia verae confessionis sunt, si cum quisque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit. Nam quia scriptum est: *Justus in principio accusator est sui (Prov. XVIII, 17)*, non magis peccator, sed justus videri appetit, cum peccatorem 714 se quisque nullo arguente confitetur, sed confessionis veritatem probat, cum alter malum quod fecimus increpat. Quod si superbe defendimus, liquet quia peccatores nos ex nobis fecte dicebamus. Unde summopere curandum est ut mala quae fecimus, et sponte fateamur, et haec aliis arguentibus non negemus. Superbiae quippe vitium est ut quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur

34. *Job in peccati confessione humilitas. Saepe gravioris certaminis est peccata confiteri quam vitare.*---Beatus itaque

Job quantae fuerit humilitatis ostendit, qui se et inter adversarios noverat vivere, et tamen non verebatur culpas voce confessionis aperire. Sed notandum quod superius virtutes suas loquitur, inferius peccatum fatetur. Hinc enim liquido demonstrat quam vera de bonis suis dixerat, qui noluit tacere de malis. Modo virtutes suas indicat, modo culpam, quia et perpetraverit peccatum, et non tacuerit, manifestat. Unde certissime apparet quantae munditiae in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui et vitavit mala, ne committeret, et tamen quae eum committere contigit, hominibus non abscondit, quatenus ei et justitiae sit gloria declinasse peccatum, et justitiae custodia quod non potuit declinare prodidisse. Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certe sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiae, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum quam tot sublimia gesta virtutum. Scio enim quod per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere quam non admissa vitare, et unumquodque malum quamvis robustius vitetur, tamen humiliter proditur. Beatus ergo Job, qui, tot magnis operibus fultus, confiteri culpam non erubuit, ostendit in virtutibus quam humilis fuit. Sed quia ex humilitate vera secunda semper auctoritas nascitur, ut tanto foris nil metuat, quanto ad rerum culmina animus per elationis desiderium non anhelat, expressa confessione peccati, recte subjungitur:

CAPUT XVI.

VERS. 34.---*Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me; et non magis tacui, nec egressus sum ostium.*

35. *Cordis a terrenarum rerum cupiditate liberi mira securitas. Quae tamen a custodiae disciplina non eximit.*--- Magna est securitas cordis, nil concupiscentiae habere saecularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat; et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si vero semel in appetitione supernae patriae forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eandem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit, ibique incommutabili inhaerens, et mutabilia cuncta transcendens, ipsa jam tranquillitate quietis suae in mundo extra mundum est. Excedit profecto ima omnia intentione summorum, **715** et cunctis rebus quas non appetit libertate quadam se superesse sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris. quia terrena omnia, quae concupita opprimere mentem poterant, despecta subterjacent. Unde bene per prophetam dicitur: *Statue tibi speculam* (**Jerem. XXXI, 21**), ut dum quisque speculatur summa, superemineat infimis. Hinc etiam Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo* (**Habac. II, 1**). Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinae terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet, ut dum

semper stantem appetit aeternitatem, infra sit ei omne quod transit.

36. *Quia carnis infirmitates et perturbationes non excludit. Sancti Dei dono imperturbabiles, propria infirmitate perturbationibus subjacent.*---Tamen quia sanctus vir quantalibet virtute profecerit, eum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, ut scriptum est: *Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur* (**Psal. XXXVIII, 7**), plerumque agitur, ut et turbetur exterius, et imperturbabilis perduret interius; et quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis sit, quamvis quod in imagine Dei ambulat, de virtute mentis, quatenus et roboretur intus divino adiutorio, et tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Unde bene Habacuc iterum unam sententiam protulit ad utraque servientem. Ait enim: *Et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est virtus mea* (**Habac. III, 16**). Ac si diceret: Non mea virtus est in qua superius raptus imperturbabilis maneo, et mea virtus est in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis, quia super se ascenderat, in quantum rapiebatur ad summa; et sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias trahebat in infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei jam contemplationem transierat; ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat. Huic sententiae David propheta concinens, ait: *Ego dixi in excessu mentis meae: Omnis homo mendax* (**Psal. CXV, 2**). Cui responderi potest: Si omnis homo, et tu, falsaque jam erit sententia quam mendax ipse protulisti. Si vero ipse non es mendax, vera jam sententia non erit, quia dum tu verax es, non omnis homo cognoscitur

mendax. Sed notandum est quod praemittitur: *Ego dixi in excessu mentis meae*. Per excessum ergo mentis etiam semetipsum transiit, cum de hominis qualitate definivit. Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse super hominem fui. In tantum vero et ipse mendax, in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.

37. *Haec internae quieti et contemplationi non officiunt.*---Sic itaque sic perfecti omnes, quamvis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerant, jam tamen intrinsecus tranquillissimo secreto perfruuntur per contemplationem mentis, ut quidquid acciderit exterius, in nullo turbet interius. Unde beatus Job securitatem sanctae mentis ostendens, postquam de se tot virtutum praedicamenta protulit, hoc quod praemisimus secutus, adjunxit. [*Vet. XVI, Rec. XI.*] *Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum* **716** *terrui me; et non magis tacui, nec egressus sum ostium.* Ac si apertius dicat: Turbatis contra me extrinsecus aliis, ipse in me intrinsecus imperturbabilis mansi. Quid namque in hoc loco ostium nisi os debemus accipere? Per hoc quippe quasi egredimur, dum verbis quibus possumus secreta nostri cordis aperimus; et quales intus manemus in conscientia, tales foras egredimur per linguam.

38. *Sancti commotionis tempore silent. Secus alii. Silendum, nisi loquendo aliis prodesse possimus.*---Sunt vero nonnulli qui omnino despici metuunt, ac ne viles fortasse judicentur, sapientes videri appetunt. Hi coguntur ostium egredi, quia pulsati contumeliis, quam magni apud se lateant loquentes denuntiant. Dumque per impatientiam victi quaedam de se

quae nesciebantur produnt, tanquam per oris ostium egrediuntur. Unde beatus Job dicturus quod oris ostium non fuisset egressus, bene praemisit: *Tacui*, quia videlicet impatentia turbatus a domo conscientiae exisset, si tacere nescisset. [Rec. XII.] Sancti etenim viri in commotionis tentatione semetipsos ostendere omnino refugiunt, et cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de sapientiae suae ostentatione glorientur. Cumque aliquid dicunt prudenter, non quaerunt gloriam suam, sed auditorum vitam. Cum vero conspiciunt quia auditorum vitam loquendo lucrari non possunt, tacendo abscondunt scientiam suam. Ad imitandam quippe vitam Domini, quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus. Ipse enim, quia Herodem vidit non profectum quaerere, sed signa vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit, et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit. Scriptum namque est: *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri* (Luc. XXIII, 8). Ubi et subditur: *Interrogabat autem illum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat*. Tacens vero Dominus quam sit despectus ostenditur, cum illic protinus subinfertur: *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo, et illusit*. Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, et illorum culpa quae erat esse non desinat, et nostra quae non erat fiat.

[Vet. XVII.] 39. Unde sciri queat utrum auditores ex praedicatorum doctrina proficiant. Quid sit loqui ex Deo et

coram Deo.---Dicat fortasse aliquis: Unde novimus quo corde quis audiat? Sed multa sunt quae audientis animum produnt, maxime si auditores nostri et semper laudant quod audiunt, et nunquam quod laudant sequuntur. Hanc inanem loquendi gloriam praedicator egregius fugerat, cum dicebat: *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Adulterari namque verbum Dei, est aut aliter de illo sentire quam est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fetus quaerere laudis humanae. Ex sinceritate vero loqui, est nil in eloquio extra quam oporteat quaerere. **717** Sicut ex Deo autem loquitur qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse quod dicit. Coram Deo vero loquitur qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei praesentiae intendit; non suam, sed auctoris gloriam requirit. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, et tamen dicendo propriam gloriam quaerit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo, quia eum quem cordi suo non proponit cum praedicat quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur, et coram Deo, quia et ab eo se sciunt habere quod dicunt, et ipsum suis sermonibus adesse iudicem auditoremque considerant. Unde fit ut cum se a proximis despici agnoscunt, suaque dicta vitae audientium non prodesse, abscondant quantae virtutis sint, ne si secretum cordis inutiliter sermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat.

40. *Job ad suas virtutes narrandas, nec superbia nec impatientia coegit.*---Beatus igitur Job inter obstinatas mentes non appetens ex virtutis suae patefactione clarescere, ait: *Si despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, nec*

egressus sum ostium. Qui enim per humilitatem solidus nequaquam despici timuit, hunc ut foras lingua ejiceret impatientia non evicit. Ubi bene praemittitur: *Si expavi ad multitudinem nimiam*, ut cujus constantiae fuerit agnoscatur, quia videlicet nequaquam terret exterius numerus hominum, quem non devastat interius turba vitiorum. In hac etenim vita, qui nulla prospera appetit, nulla procul dubio adversa pertimescit.

41. *Quae de se narrat Job, de Christo sunt intelligenda.*--- Quae scilicet verba si ad intellectum mysticum pertrahimus, in eis citius operationem nostri Redemptoris invenimus. Ipse quippe ad multitudinem nimiam non expavit, qui persecutores suos cum gladiis et fustibus venientes una tantum responsione perculit, dicens: *Ego sum (Joan. XVIII, 6)*. Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab aeternis suppliciis liberans, palmas in facie aequanimiter accepit. Ipse tacuit, et ostium egressus non est, qui sub ipsa jam hora passionis cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis suae potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei et hominum quasi egredi ostium fuisset, si cum teneretur ut homo, majestatis suae potentiam voluisset ostendere, et per divinitatis magnitudinem susceptae carnis infirma transire. Ut enim apertus homo mori posset, Deus mansit occultus: *Quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (I Cor. II, 8)*. Non est ergo egressus ostium, qui et requisitus a Pilato tacuit; atque inter persecutorum manus et corpus passioni obtulit quod pro electis assumpserat, et resistantibus noluit demonstrare quod erat. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Posuerunt me in abominationem sibi, traditus sum, et non egrediebar (Psal. LXXXVII, 9)*. Cum enim despiceretur

quia homo videbatur, egressus fuisset, si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit; in eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exivit. Qui tamen ad electos exit, quia divinitatis suae suavitatem quaerentibus aperit. Unde ei per prophetam dicitur: *Existi in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos* (**Habac. III, 13**). Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. XVIII, Rec. XIII*].

718 VERS. 35.---*Quis mihi tribuat adiutorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat?*

42. *Nemo suis meritis innitatur. Quaerendus adiutor et Mediator Christus.*---Sanctus vir postquam tot virtutum suarum sublimia gesta narravit, sciens quod suis meritis ad summa pervenire nequeat, adiutorem quaerit. Et quem nimirum nisi unigenitum Dei Filium contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem dum suscepit adjuvit? Ipse quippe adjuvit hominem factus homo, ut quia puro homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longe quippe distabamus a justo et immortali, nos mortales et injusti. Sed inter immortalem et justum et nos mortales et injustos apparuit Mediator Dei et hominum mortalis et justus, qui et mortem haberet cum hominibus, et justitiam cum Deo, ut quia per ima nostra longe distabamus a summis, in seipso uno jungeret ima cum summis, atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. Hunc ergo beatus Job per

totius Ecclesiae significationem loquens, Mediatorem requirit, qui cum dixisset: *Quis mihi tribuat adiutorem*, apte subdidit: *Ut desiderium meum Omnipotens audiat*. Sciebat quippe quod ad requiem liberationis aeternae humanae preces nisi per advocatum suum audiri non possent. De quo per Joannem apostolum dicitur: *Si quis peccaverit. advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (Joan. II, 1, 2)*. De quo Paulus apostolus dicit: *Christus Jesus, qui mortuus est pro nobis, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom. VIII, 34)*. Unigenito enim Filio pro homine interpellare est apud coaeternum Patrem seipsum hominem demonstrare, eique pro humana natura rogasse est eandem naturam in divinitatis suae celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit. Adjutor ergo quaeritur ut desiderium exaudiat, quia nisi pro nobis interpellatio Mediatoris intercederet, ab aure Dei procul dubio nostrarum precum voces silerent.

43. *Non verba sed desideria cordis Deus exaudit.*--- Notandum quoque est quod nequaquam dicitur preces, sed *desiderium meum Omnipotens audiat*. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Aeternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Hinc est, quod in eremo populus vocibus perstrepat, et Moyses a strepitu verborum

tacet; et tamen silens aure divinae pietatis auditur, cum dicitur: *Quid clamas ad me* (**Exod. XIV, 15**)? Intus ergo in desiderio est clamor secretus, qui ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum conditoris replet. Hinc est quod Anna ad Templum pergens, ore quidem tacuit, et tamen tot sui desiderii voces emisit (**I Reg. I, 13**). Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (**Matth. VI, 6**). 719 Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui, tacente ore, in conspectu supernae pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; praeparationem cordis eorum audivit auris tua* (**Psal. XIX, 17**). Sed beatus Job quem sibi in exaudiendo desiderio adiutorem quaerat, subunctis verbis aperit, dicens:

CAPUT XVIII [*Vet. XIX*].

IBID.---*Et librum scribat ipse qui judicat.*

44. *Quaerendus adjutor Christus, qui est legislator et judex. Ezechielis de eo vaticinium.*---Quia enim timenti adhuc populo lex est transmissa per servum, diligentibus vero filiis Evangelii gratia est collata per Dominum, qui ad redemptionem nostram veniens novum nobis testamentum condidit, sed de ejusdem nos testamenti mandato discutiens, quandoque etiam judex venit, necessarium non est ut per expositionem clarescat quia librum scribit ipse qui judicat.

Ipsa enim per se Veritas dicit: *Pater non judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio (Joan. V, 22)*. Erit ergo tunc auctor iudicii, qui nunc est conditor libri, ut tunc districtus exigat quod modo mansuetus jubet. Sic namque quotidie conspiciamus quod magistri pueris elementa litterarum blandientes imponunt, sed haec ab eis saevientes exigunt; et quae dant cum mansuetudine, cum verbere requirunt. Blanda namque nunc sonant eloquii divini mandata, sed erunt aspera in exactione sentienda. Mansueta modo est admonitio vocantis, sed tunc districta ventura est justitia iudicis, eo quod certum est quia nihil vel minimi mandati sine discussione praetereat. Quo videlicet constat quia librum scripsit ipse qui iudicat. Quem scilicet librum Novi Testamenti, quia ipse per se humani generis Redemptor in extremo conderet, bene Ezechiel propheta denuntiat, dicens: *Ecce sex viri veniebant de via portae superioris, quae respicit ad Aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus (Ezech. IX, 2)*. Quid namque aliud in sex viris venientibus nisi sex aetates humani generis designantur? Qui de via portae superioris veniunt, quia a conditione paradisi, sicut ab ingressu mundi, a superioribus generationibus evolvuntur. Quae porta ad Aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem charitatis deserens torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. *Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus*, quia unaquaeque generatio singulis quibusque aetatibus evoluta, ante Redemptoris adventum in sua operatione habuit, unde poenam damnationis sumpsit. *Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis*, quia Redemptor noster, etiam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere

dignatus, vestitus lineis venire perhibetur. Vel certe quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur, quia indumentum sui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commistionis sumpsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. *Et atramentarium scriptoris ad renes ejus.* In renibus posterior corporis pars est. Et quia ipse Dominus postquam pro nobis **720** mortuus est, et resurrexit, et ascendit in coelum, tunc Testamentum Novum per apostolos scripsit, vir iste atramentarium ad renes habuit. Qui enim scripturam Testamenti Novi postquam discessit condidit, atramentarium quasi a tergo portavit. Hoc ergo atramentarium viro lineis vestito inhaerere considerat, qui dicit: *Et librum scribat ipse qui judicat.* Sed cur, beate Job, ab eo qui judex est, librum scribi desideras? Sequitur:

CAPUT XIX [*Vet. XX, Rec. XIV*].

VERS. 36.---*Ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi.*

45. *Scriptura sacra humero portanda per operationem, ut sicut corona circumdetur per remunerationem.*---Librum quippe in humero portare, est Scripturam sacram operando perficere. Et notandum quam ordinate describitur, et prius in humero portari, et postmodum sicut corona circumdari, quia videlicet sacri eloquii mandata, si modo bene portantur in opere, post nobis coronam victoriae exhibent in retributione. Beatus autem Job cur scribi librum a iudice postulat, qui ad Testamenti Novi pervenire tempora non valebat? Sed sicut

saepe jam dictum est, electorum vocibus utitur, atque ex eorum significatione postulat, quod profuturum eis per omnia praevidebat. Ipse namque per spiritum, hunc apud se librum jamdudum tenebat, quem per gratiam aspirationis acceperat et vivendo cognoscere et praevidendo nuntiare.

Sed inter haec sciendum est quia cum ejusdem sacri eloquii praecepta cogitamus, cumque mentem a vitae corruptibilis amore divertimus, quasi quibusdam cordis passibus ad interiora properamus. Nemo autem infima deserens, repente fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc procul dubio velut ascensionis quibusdam gradibus pervenitur. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT XX.

VERS. 37.---*Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.*

46. *Varii sunt gradus ad perfectionem. Ut ad Deum proficiamus a nobis deficiendum.*---De his quippe meritorum gradibus per Psalmistam dicitur: *Ambulabunt de virtute in virtutem (Psal. LXXXIII, 8).* De his iterum sanctam Ecclesiam contemplatus, ait: *Deus in gradibus ejus dignoscitur, dum suscipiet eam (Psal. XLVII, 4).* Neque enim, sicut dictum est, repente ad summa pervenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur. Hinc namque est quod Propheta idem iterum dicit: *Exercitatus sum, et defecit paulisper spiritus meus (Psal. LXXVI, 4).* Quid est itaque, quod ait: *Spiritus meus*, nisi spiritus hominis, videlicet

spiritus elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non a nobis subito penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc vero in Deo plene proficimus, cum a nobis ipsis funditus defecerimus. Hae itaque crescentium mensurae virtutum, sancti viri vocibus gradus dicuntur. Electus etenim quisque a rudimenti sui prius teneritudine inchoat, ad robusta postmodum et fortia convalescit. Quod aperte in Evangelio demonstrat Veritas, dicens: *Sic 721 est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem in terram, et dormiat, et exsurgat nocte ac die, et semen germinet, et increseat, dum nescit ille (Marc. IV, 26)*. Cujus nimirum seminis incrementa denuntians, adjungit: *Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*. Cujus profectus quoque etiam finem subrogat, dicens: *Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam venit tempus messis*. Ecce Veritatis voce per qualitates frugum distincta sunt incrementa meritorum. Ait enim: *Primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*. An non herba adhuc tunc fuerat Petrus cum ab ancillae ore subito unius flatu sermonis inflexus est, jam quidem per devotionem viridis, sed adhuc per infirmitatem tener. Plenum vero frumentum in spica inventus est quando persequentibus principibus resistebat, dicens: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus (Act. V, 29)*. Plenum vero frumentum in spica inventus est, quando in tritura persecutionis tot verbera pertulit, et tamen nequaquam palearum more imminutus est, sed granum integrum mansit. Paulisper quippe in unaquaque anima, ut ita dicam, internae gratiae humor exuberat, ut herba

in frugem crescat. Nemo ergo quemlibet proximum, cum adhuc herbam videt, de frumento desperet. Ad herbarum quippe foliis, quae huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum grana solidantur.

[*Vet. XXI.*] 47. *Diversi profectuum gradus per Danielelem expressi.*---Bene autem Daniel propheta, loquente ad se Domino, dum positionem nobis sui corporis insinuare studuit, haec meritorum incrementa signavit. Ait enim: *Audivi vocem verborum ejus, et audiens jacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus haerebat terrae. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum, et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo; nunc enim missus sum ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, et ait ad me: Noli metuere (Dan. X, 9).* Quam videlicet positionem sui corporis, dum verba intrinsecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, si a mysteriis vacare cognovisset. In Scriptura enim sacra justi viri non solum quod dicunt prophetia est, sed etiam plerumque quod agunt. Vir itaque sanctus internis mysteriis plenus per positionem quoque corporis exprimit virtutem vocis, et per hoc quod primum in terra prostratus jacuit, per hoc quod se postmodum in manuum suarum articulis et in genibus erexit, per hoc quod ad extremum erectus quidem sed tremens constitit, in semetipso nobis omnem ordinem nostri profectus innotescit. Verba enim Dei in terra jacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenae pollutioni conjuncti, sanctorum voce spiritalia praecepta cognoscimus. Ad quae praecepta quasi super genua et super 722 manuum nostrarum articulos erigimur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi jam ab

infirmis mentem levamus. Sicut enim totus terrae inhaeret qui consternatus jacet, ita qui in genibus et manuum suarum articulis incurvatur, inchoante profectu ex magna jam parte a terra suspenditur. Ad extremum vero voce dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum, a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus plus timemus. Adhuc enim quasi in terra jacet, qui ad coelestia erigi terrenorum desideriis negligit. Quasi sublevatus autem adhuc manibus et genibus incumbit, qui quaedam jam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit. Jam vero ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad sublimia erigit, et per immunda desideria incurvari contemnit.

48. *A timore ad amorem et charitatem perveniendum.* ---Bene autem trementem se stetisse indicat, quia examen subtilitatis internae, quo plus ad illud proficitur, amplius formidatur. Ubi apte divina voce subjungitur: *Noli metuere*, quia cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus; quatenus et contemptus noster paulisper transeat in timorem, et timor transeat in charitatem, ut quia quaerenti nos Deo per contemptum resistimus, per timorem fugimus, et contemptu quandoque et timore postposito, solo ei amore jungamur. Paulisper enim etiam timorem ejus discimus, cujus solius dilectioni inhaeremus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus profectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, et postmodum per charitatem ad alta amoris levamus, ut ab eo quo quisque tumet, reprimatur ut timeat, et ab eo quod jam metuit, sublevetur ut praesumat. Hos autem

virtutum gradus non magni laboris estprehendere, cum ab una ad alteram transitur.

49. *Singularum virtutum gradus sunt varii. Fidei incrementa.* -

--Sed subtilissima disputatione res inindiget, cum mens pensare nititur, in una eademque virtute quibus profectus sui gradibus elevetur. Ut enim prima elementa virtutum, fidem scilicet et sapientiam, loquar, obtineri singula perfecte nequeunt, nisi ad haec distinctis ordinatisque modis, quasi quibusdam gradibus, ascendamus. Ipsa enim fides, quae ad bona alia perfecte capessenda nos imbuit, plerumque in exordiis suis et nutat, et solida est; et jam certissime habetur, et tamen de ejus fiducia adhuc sub dubitatione trepidatur. Pars namque ejus prius accipitur, ut in nobis postmodum perfecte compleatur. Si enim certo gradu in credentis mente non proficeret, requisitus in Evangelio pater sanandi pueri non dixisset: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (**Marc. IX, 23**). Adhuc ergo ascendebat ad fidem quam jam perceperat, qui uno eodemque tempore clamabat se et jam credere, et adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc est etiam quod Redemptori nostro a discipulis dicitur: **723** *Auge nobis fidem* (**Luc. XVII, 5**), ut quae jam accepta per initium fuerat, quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret.

[*Vet. XXII.*] 50. *Sapientia bonorum operum magistra, per incrementa tribuitur. Diversi ejus gradus.*---Ipsa quoque sapientia, quae esse bonorum operum solet magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur, ut ad eam procul dubio magni moderaminis gradibus ascendatur. Quod bene Ezechiel propheta figurata narratione denuntiat, qui de eo viro quem in excelso monte viderat narrat dicens: *Mensus est cubitos mille, et transduxit me per aquam usque ad talos.*

Rursumque mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerunt aquae profundae torrentis, qui non potest transvadari (Ezech. XLVII, 3, 4). Quid namque millenario numero nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque qui apparuit mille cubitos metitur, et propheta per aquas usque ad talos ducitur, quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritalis sapientiae prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire est jam nos per acceptam sapientiam desideratae rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in pravis jam actibus minime flectatur. Hinc namque per Paulum dicitur: *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. XII, 12).* Aqua ergo ad genua pervenit cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, et propheta per aquam usque ad renes ducitur, quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit quando in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis exstinxerit. Nisi enim carnis delectatio esset in renibus, Psalmista minime dixisset: *Ure renes meos, et cor meum (Psal. XXV, 2).* Aqua igitur ad renes venit cum dulcedo sapientiae etiam incentiva carnis interimit, ut ea quae urere mentem poterant delectationis incendia frigescent. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet, quem propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicit: *Quoniam intumuerunt aquae profundae torrentis, qui non potest*

transvadari. Percepta namque perfectione operis ad contemplationem venit. In qua scilicet contemplationem dum mens in altum ducitur, sublevata videt in Deo, quia non potest penetrare quod videt, et quasi tangit aquam torrentis, quam pertransire non valet, quia et intuetur speculando quod libeat, et tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quod libet. Propheta ergo quandoque ad aquam pervenit, quam non pertransit, quia ad contemplationem sapientiae cum ad extremum ducimur, ipsa ejus immensitas, quae ex se hominem sublevat, ad se humano animo plenam cognitionem negat, ut hanc et tangendo amet, et tamen nequaquam pertranseundo penetret.

51. *His emensis, ad contemplationem pervenitur.*---Beatus igitur Job haec incrementa virtutum **724** quia distincte hominibus superno munere tribui conspexit, gradus vocavit, quoniam per ipsos ascenditur ut ad coelestia obtinenda veniatur. Sacri itaque libri, id est divini eloquii, memoriam faciens, dicit: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum*, quia nimirum ille ad doctrinam Dei veraciter ascendit, qui ad obtinendam hanc gradibus sanctae operationis eruperit. Et quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat, qui percepisse se ejus scientiam non per verba tantummodo, sed etiam per opera demonstrat. Unde adhuc subditur:

VERS. 37.---*Et quasi principi offeram eum.*

Omne enim quod offerimus, in manibus tenemus. Venienti ergo ad iudicium principi librum offerre est verba praeceptorum illius in actione tenuisse. Sequitur:

CAPUT XXI [*Vet. XXIII, Rec. XV*].

VERS. 38-40.---*Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent; si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.*

52. *De praelatorum injustitia et erratis, minus perfecti clamant et non dolent; perfecti vero tacent et lugent. Perfecti tanto magis de alienis damnis dolent quanto minus de suis.*---

Quid est clamare terram, deflere sulcos, et fructus proprios emendo comedere? Cui unquam necesse est sua emere? Quis clamantem audivit terram? Quis sulcos deflentes vidit? Et cum sulci terrae semper ex terra sint, quid est quod pronuntiatione distincta et clamasse terra, et sulci ejus cum ea deflesse denegantur? Cum enim nihil sit aliud sulcus terrae quam terra, magnae distinctionis ratione non caret, dum subjungit: *Et cum ea sulci ejus deflent.* Qua videlicet in re quia ordo historiae deficit, sese nobis intellectus mysticus quasi apertis jam foribus ostendit. Ac si patenter clamet: Quia rationem litterae defecisse cognoscitis, nimirum restat ut ad me sine dubitatione redeatis. Omnis enim qui vel privato jure domesticam familiam regit, vel pro utilitate communi fidelibus plebibus praeest, in hoc quod jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram incolendam tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione caeteris unusquisque praeponitur, ut subjectorum animus, quasi subacta terra, praedicationis illius semine fecundetur. Sed terra contra possessorem clamat, si contra eum qui sibi praeest aliquid justum vel privata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram est contra regentis

injustitiam rationabiliter subjectos dolere. Ubi recte subjungitur: *Et cum ea sulci ejus deflent*. Terra enim, etiam nullis operibus exculta, plerumque ad usum hominis aliquod alimentum profert, exarata vero fruges ad satietatem parit. Et sunt nonnulli qui nullo lectionis, nullo exhortationis vomere proscissi, quaedam bona, quamvis minima, tamen ex semetipsis proferunt, quasi terra necdum exarata. Sunt vero nonnulli qui, ad audiendum semper atque retinendum sanctis praedicationibus ac meditationibus intenti, a priori mentis durtia, quasi quodam linguae vomere scissi, semina exhortationis accipiunt, et fruges boni operis per sulcos voluntariae afflictionis reddunt. Saepe vero contingit ut hi qui praesunt injusta aliqua faciant, fitque ut ipsi subjectis noceant qui prodesse debuerant. **725** Quae dum rudes quique conspiciunt, commoti contra rectorem murmurant, nec tamen valde proximis per compassionem dolent. Cum vero hi qui jam aratro lectionis attriti sunt, atque ad frugem boni operis exculti, gravari vel in minimis innocentes aspiciunt, per compassionem protinus ad lamenta convertuntur, quia velut sua plangunt ea quae proximi injuste patiuntur. Perfecti namque cum semper de spiritalibus moveantur, tanto sciunt de alienis corporalibus damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Omnis ergo qui praeest, si perversa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, et sulci deflent, quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro pravo ejus opere sese in fletibus affligunt, quodque imperiti clamant et non dolent, hoc probatoris vitae subjecti deflent et tacent. Cum clamante ergo terra sulcos plangere est per hoc unde multitudo fidelium juste contra rectorem queritur uberius vitae homines ad lamenta pervenire. Sulci itaque et ex terra

sunt, et tamen a terrae vocabulo distinguuntur, quia hi qui in sancta Ecclesia mentem suam labore sanctae meditationis excolunt, caeteris fidelibus tanto meliores sunt, quanto per accepta semina fecundiores operum fruges reddunt. Et sunt nonnulli qui, sanctis plebibus praelati, vitae quidem stipendia ex ecclesiastica largitate consequuntur, sed exhortationis ministeria debita non impendunt. Contra quos adhuc exemplum sancti viri recte subjungitur, cum ab eo protinus subinfertur:

CAPUT XXII [*Rec. XVI*].

VERS. 39.---*Si fructus ejus comedi absque pecunia.*

53. *Quantum peccent praelati, qui bona ecclesiastica muti comedunt. Quantam sollicitudinem sibi subditis debeant qui praesunt.*---Fructus etenim terrae absque pecunia comedere est ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiae praedicationis pretium non praebere. De qua videlicet praedicatione auctoris voce dicitur: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum erat cum usura* (**Matth. XXV, 27**). Terrae igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Quid ad haec nos pastores dicimus, qui adventum districti judicis praecurrentes, officium quidem praeconis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus? Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod

subjectorum debemus cordi. Ecce vir sanctus tot in hoc saeculo pignoribus obstrictus, inter occupationes innumeras liber ad studium praedicationis fuit. Qui fructus terrae nunquam sine pecunia comedit, quia nimirum subditis verbum bonae admonitionis reddidit, a quibus fructus corporeae servitutis accepit. Hoc namque debet omnipotenti Deo omnis qui praeest populo, hoc qui multis, hoc qui paucioribus praeest, ut sic debita ministeria a subditis exigit, quatenus ipse etiam quid semper admonitionis debeat sollicitus attendat. Omnes namque qui sub dispensatione conditoris vicario nobis ministerio jungimur sub uno ac vero Domino, quid nobis aliud **726** nisi invicem servi sumus? Cum igitur is qui subest servit ad obsequium, restat procul dubio ut is qui praeest serviat ad verbum. Cum is qui subest jussis obtemperat, oportet ut is qui praeest curam sollicitudinis ac pietatis impendat. Sicque fit ut dum studiose nunc servire nobis invicem per charitatem nitimur, quandoque cum vero Domino communi exultatione dominemur. [*Vet. XXIV.*] Sed sunt nonnulli qui in eo quod officium praedicationis exhibent, aliis invident bonum quod habent, atque ideo jam veraciter non habent. Quibus recte per Jacobum dicitur: *Quod si zelum amarum habetis inter vos, et contentiones sunt in cordibus vestris, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica (Jac. III, 14)*. Unde hic quoque cum dictum est: *Si fructus ejus comedi absque pecunia*, recte subjungitur:

CAPUT XXIII.

IBID.---*Et animam agricolarum ejus afflixi.*

54. *Ecclesiarum rector sibi in praedicatione cooperantibus non invidet.*---Agricolae quippe hujus terrae sunt hi qui, minori loco positi, quo valent zelo, quanto possunt opere, ad eruditionem sanctae Ecclesiae in praedicationis gratia cooperantur. Quos videlicet terrae hujus agricolas hoc est non affligere, eorum laboribus non invidere, ne rector Ecclesiae dum soli sibi jus praedicationis vindicat, etiam aliis recte praedicantibus invidia se mordente contradicat. Pia etenim pastorum mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris quaerit, ab omnibus vult adjuvari quod agit. Fidelis namque praedicator optat, si fieri valeat, ut veritatem quam solus loqui non sufficit ora cunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus atque prophetantibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur: *Quid aemularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum (Num. XI, 29)?* Prophetare quippe omnes voluit, qui bonum quod habuit aliis non invidit: Quia igitur beatus Job cuncta haec suspensa intulit, et si ea minime fecerit sententia se maledictionis adstringit, sequitur:

CAPUT XXIV [*Rec. XVII*].

VERS. 40.---*Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.*

55. *Praelatis sua auctoritate male utentibus oritur pro frumento tribulus, et pro hordeo spina.*---Ac si aperte dicat: Si injustum quid erga subditos gessi, si exigi debita, et ipse quod

debui non impendi, si exercitationem boni operis aliis invidi, pro bonis quae in aeternum reficiunt, retribuuntur mihi in iudicio mala quae pungunt. Pro frumento quippe tribulus, et pro hordeo spina oritur, cum in retributione ultima, de qua remuneratio laboris quaeritur, punctio doloris invenitur. Et notandum quod sicut a frumento hordeum distat, quamvis utrumque reficiat, sic a tribulo spina, quamvis sit utrumque quod pungat, quia tribulus mollior, et ad pungendum semper durior est spina. Ait ergo: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Ac si patenter dicat: Egisse quidem et magna me et minima bona scio, sed si non ita est, pro bonis magnis mala minima, et pro bonis minimis mihi respondeant mala majora. Quamvis hoc intelligi et aliter potest. In frumento quippe spiritale opus, quod mentem reficit, in hordeo autem terrenarum rerum dispensatio **727** figuratur. In qua saepe dum servire infirmis atque carnalibus cogimur, quasi sua jumentis alimenta praeparamus, atque ipse nostrorum usus operum quasi more hordei habet aliquid de admistione palarum. Et plerumque contingit ut rector qui praeest, dum injusta contra subditos exercet, dum nullo bonos blandimento refovet, dum, quod gravius est, bene operantes quosque ex invidia affligit etiam quaedam bona aliquando faciat, ac si frumentum serat, seseque in dispensandis terrenis rebus nonnunquam non avaritiae studio, sed pro utilitate carnalium misceat, et sic ejusdem laboris fructum velut messem hordei expectet. Sed subjecti quique pro eo quod in maximis gravantur, gaudere in ejus bonis minimis nequeunt, quia nec hoc opus coram Deo placet, quod alterius operis injustitia polluit, nec ipsa terrenarum rerum dispensatio pro utilitate subditorum suscipi creditur, quando is qui praeest anhelare per avaritiam videtur. Unde fit ut ad ipsa etiam pauca

bona, quae fieri inter multa mala considerant, non laudes, sed gemitus reddant; atque infirmantes murmurent, dum perpendunt puri operis non esse quod vident. Ait ergo: *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent; si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Ac si aperte dicat: Si magna quae debui sollicite non feci, **728** punctiones murmuris a subjectis recipiam, etiam de bono quod feci. Si neglexi exhibere quod foveat, juste in querelam prosiliens eorum lingua me pungat.

56. Praelati a malis exemplis praebeendis, subditi a temerariis judiciis caveant.---Qua in re semper sollicita consideratione pensandum est, ne aut hi qui praesunt exempla mali operis subjectis praebeant, eorumque vitam suae gladio pravitatis extinguant; aut hi qui alieno regimini subjacent, facile judicare audeant facta rectorum, atque per hoc quod de his qui sibi praelati sunt murmurant, non humano, sed ei qui cuncta disponit divino ordini contradicant. Illis namque dicitur: *Oves meae his quae conculcata pedibus vestris fuerant pascebantur, et quae pedes vestri turbaverant, haec bibebant* (**Ezech. XXXIV, 19**). Oves enim turbata pedibus bibunt cum subjecti ea ad exemplum vivendi appetunt quae praelati quique pravo opere pervertunt. At contra a praelatis hi audiunt: *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (**Exod. XVI, 8**). Qui enim contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit qui eandem homini potestatem dedit. Tandem beati Job plenas mystica virtute sententias, in quibus contra amicorum verba respondit, Deo largiente digessimus; nunc superest ut ad Eliu verba veniamus, quae tanto graviori

circumspectione pensanda sunt, quanto et per juventutis audaciam spiritu ferventiore proferuntur.

Pars quinta, CONTINENS LIBROS SEX.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS. *Exponuntur cap. XXXII et XXXIII usque ad versum 22. ubi, silente Job, Eliu junior multa recta et sana, sed non recte et sana intentione edisserit.*

CAPUT PRIMUM.

729 *Quo Dei consilio, quibusve modis Job probatus fuerit.*--- Praefationem hujus operis toties necessario repeto, quoties hoc in distinctione voluminum locutionis meae pausatione succido, ut cum legendi exordium sumitur, prius ipsa memoriae lectionis causa renovetur, et tanto robustius surgat doctrinae aedificium, quanto ex considerata causae origine studiosius ponitur in mente fundamentum. Beatus Job, Deo soli sibi que cognitus, in tranquillitate ad nostram notitiam perducendus tactus est verberibus, ut odorem suarum virium tanto latius spargeret, quanto more aromatum melius ex incensione fragraret. Noverat in bonis pie subditos regere, et a malis se districte custodire. Noverat bene uti rebus habitis, sed nesciebamus si patiens permaneret ablatis. Noverat

quotidiana Deo pro sanis pignoribus sacrificia solvere, sed incertum erat si ei gratiarum sacrificium et orbatus immolaret. Ne quid ergo vitii salus tegeret, dignum fuit ut hoc dolor aperiret. Data itaque est contra sanctum virum hosti callido tentandi licentia. Qui dum bona ejus multis cognita interimere appetit, etiam bonum patientiae quod latebat ostendit; et quem se angustare persequendo credidit, flagellis auctum et in exemplo dilatavit. Nec sine gravi arte exercuit licentiam quam accepit. Nam combussit greges, extinxit familias, obruit haeredes, percussit salutem corporis, et ad intorquendum gravioris tentationis jaculum, linguam servavit uxoris (**Job. I, II, IX, etc.**), quatenus sancti viri forte ac solidum pectus et per damna rerum dolore sterneret, et per verba conjugis maledictione perforaret. Sed quot vulnera saeviens intulit, tot sancto viro nesciens victorias ministravit. Nam fidelis Dei famulus, uno eodemque tempore inter vulnera et verba deprehensus, et dolentem carnem aequanimiter pertulit, et desipientem conjugem **730** prudenter increpavit. Antiquus itaque hostis, quia vinci se in domesticis doluit, protinus exteriora requisivit. Amicos namque ejus de locis singulis, quasi pro exercenda charitate commovit, eorumque ora sub specie consolationis aperuit; sed per haec jacula increpationis intorsit, quae eo durius cor secure audientis infigerent, quo inter ostensae et non servatae charitatis tenebras improvise vulnerarent. Post hos quoque ad contumelias etiam Eliu junior excitatur, ut tranquillitatem tantae mansuetudinis saltem dedignata levitas perturbaret aetatis. Sed contra tot antiqui hostis machinas stetit invicta constantia, stetit aequanimitas infracta. Nam uno eodemque tempore verbis adversantibus opposuit prudentiam, rebus vitam. Nemo igitur sanctum virum, quamvis de illo aperte post flagella scriptum

sit: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis (Ibid., II, 10)*, saltem postmodum in contentione amicorum aestimet inter verba deliquisse. Satan quippe tentationem illius expetiit; sed Deus, qui hunc laudaverat, in seipso ejus intentionem certaminis accepit. Quisquis ergo beatum Job deliquisse in suis sermonibus queritur, quid aliud quam Deum, qui pro illo proposuit, perdidisse confitetur?

2. Antiqui Patres arboribus fructiferis similes. Eorum fructus fuit Christum signare, et Ecclesiam.---Quia vero antiqui Patres fructiferis arboribus similes, non solum pulchri sunt per speciem, sed etiam utiles per ubertatem, sic eorum vita pensanda est, ut cum miramur quae sit viriditas in historia, inveniamus et quanta sit ubertas in allegoria; quatenus cum blandum est quod in foliis redolet, cognoscamus et quam dulce sit quod in fructibus sapit. Nullus quippe supernae adoptionis gratiam habuit, nisi qui hanc per cognitionem Unigeniti accepit. Dignum itaque est ut ipse in eorum vita et lingua resplendeat, qui eos ut resplendere mereantur illustrat. Nam cum in tenebris **731** lucernae lumen accenditur, prius lucerna eadem, quae videri caetera efficit, videtur. Unde necesse est ut si vere intendimus illuminata cernere, studeamus mentis oculos ad ipsum illuminans lumen aperire. Quod et in eisdem beati Job sermonibus, etiam remotis allegoriarum umbris, quasi depressis altae noctis tenebris, corusci more pertranseuntis intermicat, cum dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum (Job. XIX, 25)*. Hoc nimirum in nocte historiae, Paulus lumen invenerat, cum dicebat: *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt.*

Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus (I Cor. X, 2). Si igitur Redemptoris speciem petra tenuit, cur non figuram illius beatus Job insinuet, qui eum quem voce protulit etiam passione signavit? Unde et non immerito Job videlicet dolens dicitur, quia illius in se imaginem exprimit de quo per Isaiam longe ante annuntiatur quod dolores nostros ipse portavit (**Isai. LIII, 4**). Sciendum quoque est quod Redemptor noster unam se personam cum sancta Ecclesia, quam assumpsit, exhibuit. De ipso enim dicitur: *Qui est caput, Christus (Ephes. IV, 15).* Rursumque de ejus Ecclesia scriptum est: *Et corpus Christi, quod est Ecclesia (Coloss. I, 24).* Beatus igitur Job, qui Mediatoris typum eo verius tenuit quo passionem illius, non loquendo tantummodo, sed etiam patiendo prophetavit, cum in dictis factisque suis expressioni Redemptoris innititur, repente ad significationem corporis aliquando derivatur, ut quod Christum et Ecclesiam unam personam credimus, hoc etiam unius personae actibus significari videamus.

3. Uxor Job, carnales Ecclesiae; amici, haereticos adumbrant.---Uxor vero ejus, quae eum ad maledicendum provocat, quid aliud quam pravitatem carnalium signat? Qui intra sanctam Ecclesiam incorrectis moribus positi, eo durius vitam fidelium quo vicinius premunt, quia dum vitari a fidelibus quasi fideles nequeunt, tanto gravius quanto et interius tolerantur. [*Vet. II.*] Amici vero ejus, qui quasi dum consulunt invehuntur, haereticorum figuram exprimunt, qui sub specie consulendi agunt negotium seducendi. Unde et ad beatum Job dum pro Domino verba faciunt, a Domino reprobantur, quia videlicet omnes haeretici dum Deum defendere nituntur offendunt. Unde eis apte et ab eodem viro

sancto dicitur: *Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum* (**Job. XIII, 3, 4**). Constat ergo eos haereticorum typum gerere, quos sanctus vir redarguit cultui perversorum dogmatum deservire. Quia igitur Job interpretatur dolens, quo nimirum dolore vel Mediatoris passio, vel sanctae Ecclesiae labor exprimitur, quae multiplici praesentis vitae fatigatione cruciatur, amici quoque ejus ex vocabulo nominis meritum suae indicant actionis. Nam Eliphaz Latina lingua dicitur Dei contemptus. Et quid aliud haeretici faciunt, nisi quod dum falsa de Deo sentiunt, eum superbiendo contemnunt? Baldad interpretatur vetustas sola. Bene autem omnes haeretici in his quae de Domino loquuntur, dum non intentione recta, sed appetitione temporalis gloriae videri praedicatores appetunt, vetustas sola nominantur. Ad loquendum quippe, non zelo novi hominis, **732** sed vitae veteris pravitate concitantur. Sophar quoque Latino sermone dicitur dissipatio speculae, vel speculationem dissipans. Mentis namque fidelium ad contemplanda superna se erigunt; sed dum haereticorum verba pervertere recta contemplantes appetunt, speculam dissipare conantur. In tribus itaque amicorum Job nominibus tres in haereticis perditionum casus exprimuntur. Nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de illo perversa sentirent; et nisi vetustatem contraherent, in novae vitae intelligentia non errarent; et nisi speculationem bonorum destruerent, nequaquam eos superna judicia tam districto examine pro verborum suorum culpa reprobarent. Contemnendo igitur Deum, in vetustate se retinent; sed in vetustate se retinendo, pravis suis sermonibus speculationi rectorum nocent.

4. *Eliu figura doctorum fidelium sed superborum.*---Post hos quoque Eliu junior in beati Job exprobratione subjungitur, ex cujus persona videlicet species quorundam doctorum fidelium sed tamen arrogantium designatur. Cujus verba non facile intelligimus, nisi ea ex subsequenti dominica correptione pensemus. Ait namque de illo Dominus: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis* (**Job. XXXVIII, 2**)? Cum vero dicit sententias, sed non addit protinus quales, vult procul dubio bonas intelligi. Nam cum sententiae nominantur, nisi etiam malae dicantur, malae sentiri non possunt. In bono enim semper sententias accipimus quae sine reprobationis adjectione ponuntur, sicut scriptum est: *Sapientior sibi videtur piger, septem viris loquentibus sententias* (**Prov. XXVI, 16**). Quod vero dicitur, quia ejus sententiae imperitis sermonibus involvuntur, hoc summopere ostenditur, quia ab eo cum elationis fatuitate proferuntur. Magna quippe in eo imperitia est humiliter dicere nescire quod dicit, et veritatis sensibus elationis verba miscere.

[*Vet. III.*] 5. *Aliquando mala bene, et bona male dicuntur.*---Omne enim quod dicitur quadripartita potest qualitate distinguere: si aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male dicantur. Male enim malum dicitur, cum res perversa suadet, sicut scriptum est: *Benedic Deo, et morere* (**Job. II, 9**). Bonum bene dicitur, cum recte recta praedicantur, sicut Joannes ait: *Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum coelorum* (**Matth. III, 2**). Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur, sicut Paulus ait: *Feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum qui est contra naturam* (**Rom. I, 26**). Quo loco execranda quoque virorum

facinora subdidit; sed honeste inhonesta narravit, ut multos ad honestatis formam inhonesta narrando revocaret. Male autem bonum dicitur, cum rectum aliquid recto studio non profertur, sicut illuminato caeco Pharisei dixisse perhibentur: *Tu sis discipulus ejus* (**Joan. IX, 28**). Quod maledictionis utique dixerunt studio, non orationis voto. Vel sicut Caiphas ait: *Expediit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat* (**Joan. XI, 50**). Bonum quippe, sed non bene locutus est, quia dum crudelitatem necis appetiit, redemptionis gratiam prophetavit. Hoc igitur modo Eliu quoque dicere non bene bona reprehenditur, quia in his quae veraciter loquitur arroganter inflatur. Qui in eo speciem arrogantium signat, quo per sensum rectitudinis in tumoris verba se elevat.

733 6. *In amicorum Job reconciliatione, agnoscenda haereticorum conversio. Eorum sacrificia Deo non placent, sed quae ab Ecclesia offeruntur.*---Sed quid est quod tres amicos reconciliari per septem sacrificia, divina vox praecipit; Eliu vero sub unius tantummodo sententiae increpatione derelinquit, nisi quod nonnunquam haeretici, divinae gratiae largitate perfusi, ad unitatem sanctae Ecclesiae redeunt? Quod bene ipsa amicorum reconciliatione signatur, pro quibus tamen beatus Job exorare praecipitur, quia nimirum haereticorum sacrificia accepta Deo esse non possunt, nisi pro eis universalis Ecclesiae manibus offerantur, ut ejus meritis remedium salutis inveniant, quam verborum suorum jaculis impugnando feriebant. Unde et septem pro eis sacrificia memorantur oblata, quia dum septiformis gratiae Spiritum confitentes accipiunt, quasi septem oblationibus expiantur. Hinc in Joannis Apocalypsi per septenarium Ecclesiarum numerum, universalis Ecclesia designatur (**Apoc. I, 11**). Hinc

per Salomonem de sapientia dicitur: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem* (**Prov. IX, 1**). Ipso ergo sacrificiorum numero reconciliati haeretici quid prius fuerint exprimunt, qui perfectioni septiformis gratiae nonnisi redeundo junguntur. Bene autem tauros pro se et arietes obtulisse describuntur. In tauro quippe cervix superbiae, in ariete autem ducatus gregum sequentium designatur. Quid itaque est pro eis tauros arietesque mactare, nisi eorum superbum ducatum interficere, ut de se humilia sentiant, et post se corda innocentium jam non seducant? Cervice enim tumentis ab Ecclesiae universitate resiliant, et infirmos post se populos quasi sequentes greges trahebant. Veniant igitur ad beatum Job, id est revertantur ad Ecclesiam, et septenario sacrificio tauros et arietes mactandos offerant, qui ut universali Ecclesiae jungantur, humilitate interveniente, interficiant quidquid prius tumidum de superbo ducatu sapiebant.

[*Vet. IV.*] 7. *Non reconciliantur qui recte praedicando, vanae gloriae serviunt, sed saepissime reprobantur.*---Eliu vero per quem vanae gloriae amatores signati sunt, intra sanctam Ecclesiam constituti, qui ea quae recte sentiunt humiliter proferre contemnunt, nequaquam per sacrificium reconciliari praecipitur quia arrogantes quidem, sed tamen fideles, pro eo quod jam intus sunt, per septem sacrificia revocari non possunt. Quos tamen sub Eliu specie sententia divina redarguit, atque in eis non veritatis sententias, sed elationis mentem ac verba reprehendit. Quae nimirum reprehensio quid aliud signat, nisi quod eos intra positos supernae distractionis increpatio vel per flagellum corrigit, vel per justum examen sibimetipsis relinquit? Tales quippe intra

sanctam Ecclesiam recta quidem praedicant, sed tamen, Deo iudice, audire merentur adversa, quia per ea bona quae non propria proferunt, non auctoris sui gloriam, sed propriam laudem quaerunt. Unde hoc quoque caute pensandum est, quod divina voce de Eliu dicitur: *Quis est iste* (**Job. XXXVIII, 2**)? Prima quippe exprobratio est talis interrogatio. Nam *Quis est iste* non dicimus, nisi de eo utique quem nescimus. Nescire autem Dei reprobare est; unde quibusdam quos reprobat in fine dicturus est: *Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis* (**Luc. XIII, 27**). Quid est ergo **734** de hoc arrogante requirere: *Quis est iste?* nisi aperte dicere: Ego arrogantes nescio, id est eorum vitam in sapientiae meae virtute non approbo, quia dum laudibus humanis inflantur, a vera gloria aeternae retributionis inanescunt. Cujus dum sententias minime respuit, sed tamen eum ipsum qui illas protulit reprehendit, quasi aperte insinuat, dicens: Novi quae dicit, sed ignoro qui dicit, quia veraciter prolata approbo, sed eum qui de bonis quae profert extollitur non agnosco.

8. *Optimi praedicatoris imago eximia. Bona vix sine periculo innotescunt. Qui sapit, studeat esse sapiens, non videri.*---Ut vero apertius ostendamus in elationis jactantia. Eliu quam turpiter defluat, formam prius ostendere boni praedicatoris debemus, quatenus ex statu hujus rectitudinis monstretur liquido tortitudo quam prava sit incurvationis. Sanctae universalis Ecclesiae spiritalis quisque praedicator in cunctis quae dicit solerti cura se inspicit, ne in eo quod recta praedicat vitio se elationis extollat; ne vita a lingua discordet; ne pacem, quam in Ecclesia nuntiat, in seipso, dum bene dicit, et male vivit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos

rumores adversantium et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed auctoris gloriam quaerit; atque omnem sapientiae gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se aestimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest, quia suae nimirum magis mercedi proficit, quod bona quae exercere praevalent alienis meritis reddit. Indignum se omnibus judicat, etiam cum dignius cunctis vivat. Scit enim, quod bona quae innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quamvis sapientem se esse sentiat, vellet tamen esse sapiens, nec videri, atque hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur pertimescit; et si liceat, tacere appetit, dum esse multis tutius silentium cernit, eosque esse feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat; et tamen ut sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quaerit. Hoc servat voto, illud exercet ministerio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur quia causae eveniunt, sed causas evenire appetunt ut loquantur. Quorum nunc Eliu speciem signat, qui in locutione sua immenso se vitio elationis exaltat. Igitur finitis beati Job sermonibus, subditur:

CAP. XXXII, VERS. 7.---*Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur.*

[*Vet. V, Rec. II.*] Hoc quod de eo dicitur: *Eo quod justus sibi videretur*, sacrae hujus scriptor historiae ad amicorum judicium retulit, non autem beatum Job de elationis tumore reprobavit. Sequitur:

CAPUT II.

VERS. 2.---*Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram.*

9. *Per Eliu, ejusque patrem et cognationem, signantur superbi verae fidei tenaces.*---Bene haec ipsa vel ejus, vel parentis, vel loci, vel cognationis nomina notam propriae exprimunt actionis. Eliu quippe interpretatum sonat, Deus meus iste, vel Deus Dominus. Per quem, sicut superius diximus (**Num. 7**), designatur recta **735** fides arrogantium intra Ecclesiam positorum. Unde eis et hoc ipsum ejus etiam nomen congruit. Nam quamvis juxta dominica praecepta non vivant, Deum tamen dominum esse recognoscunt; quia in veritate carnis etiam formam Deitatis intelligunt, sicut per Prophetam dicitur: *Scitote quod Dominus ipse est Deus* (**Psal. XCIX, 3**). Barachel vero interpretatum dicitur benedictio Dei, Buzites autem contemptibilis. Quod arroganter praedicantibus bene utrumque concordat, quia in praedicationis facundia benedictionem quidem gratiae divinae percipiunt, sed in elatis suis moribus esse eam contemptibilem ostendunt. Ipsa quippe quae acceperunt bona, eo despicabilia faciunt, quo nequaquam eis bene uti noverunt. Apte autem etiam de cognatione Ram dicitur. Ram quippe interpretatur excelsus. Excelsus namque est fidelium populus, qui hujus vitae infima et abjecta contemnit. Excelsi sunt qui dicere cum Paulo noverunt: *Nostra conversatio in coelis est* (**Philip. III, 20**). Eliu itaque de cognatione Ram dicitur, quia unusquisque praedicator arrogans intra universalem Ecclesiam positus,

sanctis populis fidei veritate sociatur, quamvis ab eorum vitiationis pravitate disjungatur. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 2, 3.---*Iratus est autem adversus Job, eo quod justum se diceret coram Deo. Porro adversus amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job.*

10. *Hi simul haereticos premunt recte praedicando, et Ecclesiam superbiendo.*---Solerter intuendum est quod beatum Job ideo reprehendit quod coram Deo se justum esse dixerit; amicos vero ejus ideo redarguit, quod condemnantes eum responsionem contra illum rationabilem non dederunt. Istis namque indiciis aperte colligitur quod per eum species amatorum vanae gloriae designatur. Job quippe de praesumpta justitia, amicos vero ejus de stulta responsione redarguit. Cuncti enim vanae gloriae sectatores, dum se omnibus praeferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt; id est, alios censent nihil scire, alios non bene vivere. Et quamvis juste omnes extra Ecclesiam positos prava sentire redarguant, tamen etiam eos qui intus sunt pro vitae despectu contemnunt, et contra illos ex magnitudine recte sentiendi, contra istos vero quasi ex merito bene vivendi superbiunt. [*Vet. VI.*] Bene autem Eliu modo beatum Job, modo amicos ejus increpare perhibetur, quia amatores vanae gloriae aliquando intra sanctam Ecclesiam constituti, et adversarios premunt, dum

vera praedicant, et ejusdem sanctae Ecclesiae moribus contradicunt, dum de ipsa praedicatione gloriantur. Premunt adversarios virtute dicti, premunt sanctam Ecclesiam qualitate dicendi. Illos praedicatione veritatis, istam vitio elationis impugnant. Sequitur:

VERS. 4, 5.---*Igitur Eliu exspectavit Job loquentem, eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.*

11. *Non nisi post haereticorum certamina prodire acuti sensus et perplexior indago verborum.*---Quamvis sancta Ecclesia sit procul dubio adversariis suis antiquior, quia de illa ipsi, non autem exiit ipsa de illis, sicut de eis per Joannem **736** dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (I Joan. II, 19)*; recte tamen eisdem adversariis Eliu junior fuisse describitur, quia nimirum post exorta haereticorum bella, esse intra sanctam Ecclesiam fastu scientiae inflati arrogantes coeperunt. Cum enim graviora hostium prodire certamina, tunc sunt profecto subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum. Quae saepe viri ferventes ingenio, dum congrue inveniunt, arroganter intumescunt; et, quod per elationis vitium plerumque contingit, iisdem acutis sensibus quibus hostem feriunt, prosternuntur, dum in his quae recte de Deo sentiunt, non Dei, sed suam gloriam quaerunt. Unde Eliu quoque multa quidem recte loquitur, et tamen divina voce, ac si perversa dixerit, increpatur. Cum vero dicitur quia Eliu exspectavit Job loquentem, eo quod seniores essent qui loquebantur, aperte beato Job non pro sua, sed pro amicorum reverentia honorem reservasse monstratur, quia videlicet arrogantes intra positi eandem

sanctam Ecclesiam, quam defendunt, despiciunt; et plerumque contingit ut plus ingenia male sapientium quam simplicem vitam innocentium venerentur, plus reservent linguis extra loquentium quam meritis intra positorum, quamvis utrisque ex diverso obvient, cum et ab illis rectitudine sensuum, et a sancta Ecclesia morum pravitate discordent. Sequitur:

CAPUT V.

VERS. 6, 7.---*Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit: Junior sum tempore, vos autem antiquiores; idcirco demisso capite veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quod aetas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam.*

12. *Tacere, saepe est sapere.*---Cuncta haec, quae ab eo per tumorem superbiae proferuntur, cursim potius perstringenda sunt quam attentius exponenda. Quae enim soliditate gravitatis carent, expositionis subtilitate non indigent. Sed solum puto breviter intimandum quod Eliu quandiu pro aetatis suae respectu tacuit, sapientior fuit; cum vero in aliis annorum multitudinem, semetipsum praeferens, despicit, quam pueriliter desipiat ostendit. Nam contra ejus sententiam et aetas prolixior loquitur, et per annorum multitudinem sapientia docetur, quia etsi longaevitas sensum non praebet, usu tamen vehementer exercet. Sequitur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 8.---*Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

13. *Quatuor species tumoris in arrogantibus: prima, bonum a semetipso habere se credere; secunda, sibi pro suis meritis datum. Gratia non datur pro meritis. Tertia bonum aliquod falso sibi tribuere; quarta sibi soli, despectis caeteris, illud vindicare.*---Haec recte diceret si eandem intelligentiam sibi prae caeteris non arrogaret. Neque enim prava condemnatio est ex eo bono quod communiter datur private gloriari, scire bonum unde acceperit, et nescire quomodo bono uti debeat quod accepit. [*Vet. VII.*] Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se aestimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certe cum jactant se habere quod non habent; aut, despectis caeteris, singulariter videri appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur: *Quid autem habes quod non accepisti, 737 quid gloriaris quasi non acceperis (I Cor. IV, 7)?* Rursum ne dari nobis bonum gratiae pro nostris praecedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur (Ephes. II, 8).* Qui etiam de semetipso ait: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum (I Tim. I, 13).* Quibus verbis aperte declarat quod gratia non pro meritis

tribuatur, dum ex seipso docuit et quid de malitia meruit, et quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut divina voce per prophetam de Moab dicitur: *Superbiam ejus, et arrogantiam ejus ego novi, et quod non sit juxta eam virtus ejus* (**Jerem. XLVIII, 29**). Et sicut angelo Ecclesiae Laodiceae dicitur: *Quia dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus* (**Apoc. III, 17**). Rursum nonnulli, despectis caeteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Unde et Pharisaeus idcirco de templo absque justificatione descendit (**Luc. XVIII, 14**), quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se praetulit. Sancti quoque apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de praedicatione redeuntes, cum elati dicerent: *Domine, in nomine tuo etiam daemonia nobis subjecta sunt* (**Luc. X, 17**), ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondit Dominus, dicens: *Videbam Satanam velut fulgur de coelo cadentem* (**Ibid., 18**). Ipse quippe singulariter elatus dixerat: *Super astra coeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo* (**Isai. XIV, 13**). Et mire Dominus, ut in discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinae retulit, quod ipse magister elationis accepit, ut in auctore superbiae discerent quid de elationis vitio formidarent. In hac itaque arrogantiae quarta specie crebro humanus animus labitur, ut id quod habet habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini diabolicae vicinius appropinquat, quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior caeteris quaerit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis

angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, et Altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere. Eliu ergo quamvis dari a Domino sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, ut sapientiores se caeteris gaudeat, et quasi de singulari bono sese inaniter extollat. Quod verbis sequentibus indicat, dicens:

CAPUT VII.

VERS. 9-12.---*Non sunt longaevi sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis ego meam sapientiam. Expectavi enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram, donec disceptaretis sermonibus; et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam.*

14. *Quidam superbe tacent; et senes audiunt, non ut discant, sed ut iudicent.*---Quantum ad intentionem litterae spectat, loquens Eliu indicat quam superbe tacuerit. Cum enim dicit: *Expectavi enim sermones vestros, et putabam vos aliquid dicere*, aperte declarat se ad verba senum iudicantis potius studio quam discentis voto tacuisse. Quamvis haec melius vitam **738** arrogantium designant, qui aliquando intra sanctam Ecclesiam positi, cum ejusdem sanctae Ecclesiae adversarios conspiciunt, non in eis annos temporum, sed intentionem solent pensare verborum. Nam quantolibet sint eisdem arrogantibus antiquiores haeretici, eos audacter

comprimunt, in quorum verbis dogmata perversa reprehendunt. Sequitur:

CAPUT VIII [*Vet. VIII*].

VERS. 12, 13.---*Sed, ut video, non est qui arguere possit Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus. Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo.*

15. *Deus in hac vita solatia aliquando concedit, nullo vitae aeternae detrimento.*---Saepe haeretici per hoc quod esse et hominibus despicabiles solent, cum a cunctis fere gentibus sanctam Ecclesiam venerari conspiciunt, opinionem ejus quibus valent obtrectionibus lacerare contendunt, dicentes: Idcirco illi cuncta temporalia suppetunt, quia ei praemia aeternorum munerum subtrahuntur. Quorum vocibus Eliu obviat, dicens: *Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum non homo.* Ac si arrogantes intra sanctam Ecclesiam sed tamen fideles contra haereticos dicant: Per hoc quod sanctam Ecclesiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, projectam eam a Domino non credatis. Scit enim Redemptor ejus, et in hoc itinere solatia venienti tribuere, et pervenienti ad aeternam patriam superna praemia reservare. Incassum igitur dicitis quia Deus eam et non homo projecit, cum venerari illam a cunctis fere hominibus videtis, quia sic ei terrenae gloriae adjumentum tribuitur, ut per hoc multiplicius etiam ad coelestia subvehatur. Sequitur:

CAPUT IX.

VERS. 14.---*Nihil locutus est mihi, et ego non secundum vestros sermones respondebo illi.*

16. *Superbi, cum corripiuntur, non audiunt, aut dissimulant.* --Quid est, quod ait: *Nihil locutus est mihi?* Nunquid sancta Ecclesia per praedicatores justos cum intra se arrogantes conspicit, erudire ac redarguere praetermittit? Exercet haec, et quotidie exercere non cessat. Sed Eliu, qui loquentem publice beatum Job audierat, dicat: *Nihil locutus est mihi*, quia nimirum omnes arrogantes voces quidem sanctae Ecclesiae audiunt, sed sibi eas dici dissimulant, quando elationis vitium emendare contemnunt. Nec se de superbia redargui aestimant, quia esse se humiles putant, qui etiam redargui despiciunt, dum sapientiores se et ipsis redarguentibus arbitrantur. Quod vero ait: *Et ego non secundum sermones vestros respondebo illi*, bene beato Job non secundum sermones eorum respondere se dicit. Arrogantes enim intra sanctam Ecclesiam positi respondent contra eam, sed non sicut haeretici exterius constituti. Neque enim contradicunt ei prava praedicando, sed perverse vivendo, quia nec de Deo, ut haeretici, indigna sentiunt, sed de se plus quam necesse est, digna suspicantur. Sequitur:

VERS. 15.---*Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquium.*

[*Vet. IX.*] Bene ad Eliu verba amici Job extimuisse referuntur, quia nonnunquam arrogantes Ecclesiae defensores, quamvis ordinem dicendi non teneant, tamen adversarios ipsa dictorum virtute perturbant. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 16.---**739** *Quoniam igitur exspectavi, et non sunt locuti; steterunt, nec responderunt ultra.*

17. *Errantes dum redarguunt, suam sapientiam ostentare tantum cupiunt, non aliis prodesse. Secus boni praedicatores.*---Finis esse locutionis sapientium solet, ut eo usque dicant quo adversariis silentium imponant. Non enim se ostendere, sed prava docentes compescere cupiunt. Postquam vero de amicis Job dictum est: *Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquium*; Eliu subjungens, ait: *Exspectavi, et non sunt locuti; steterunt, nec responderunt ultra.* Et illis jam silentibus, adhuc verba multiplicat, quia videlicet vir arrogans, et formam in se arrogantium intentans, non adversariorum dicta superare, sed suam sapientiam ostentare festinat. Unde et sequitur:

VERS. 17.---*Respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam.*

Hanc enim partem suam omnis arrogans aestimat, si scientiam non tam habeat quam ostendat, quia nimirum omnes elati scientiam non habere appetunt, sed ostendere. Quo contra bene per Moysen dicitur: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit (Num. XIX, 15).* Tegmen quippe operculi, vel ligatura, est censura disciplinae, qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur. An non vas sine operculo Eliu fuerat, qui hanc esse partem suam aestimaverat, si ostenderet

scientiam quam habebat? Quasi enim vas sine operculo, vel ligatura, polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur. [*Vet. X.*] Praedicatores autem sancti partem suam reputant, si intus quidem ipsi de sapientia sua gaudeant, foris autem alios ab errore compescant; neque a se ipsis ita loquendo exeunt, ut gaudium mentis in ostensione ponant disertae locutionis, sed bonum scientiae in cordis secreto meditantur, et ibi gaudent ubi hoc percipiunt, non ubi inter tot tentationum laqueos innotescere compelluntur, quamvis cum bonum quod accipiunt innotescunt, media interveniente charitate, ex profectu audientium, et non ex propria ostensione gratulantur. Arrogantes enim cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse aestimant, si hanc eos occultam habere contingat. Nusquam quippe suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt. Unde et fatuae virgines in vasis suis oleum non sumpsisse referuntur (**Matth. XXV, 3**), quia arrogantes omnes cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriae intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumpserat Paulus oleum, qui dicebat: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (**II Cor. I, 12**). Inane ergo vasculum ferre est intus corde vacuo foris humani oris iudicium quaerere. Eliu itaque, quia gloriam dum exterius quaerit intra vas oleum non habet, dicit: *Respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam*. Unde et hoc ipsum, quod de fervore vanae gloriae intus patitur, verbis sequentibus aperit, dicens:

CAPUT XI [*Rec. V*].

VERS. 18-20.---*Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. Loquar, et respirabo paululum; aperiā labia mea, et respondebo.*

18. *Locutionis eorum celsitudinem, non utilitatis intentionem imitantur superbi.*---Nonnunquam arrogantes viri, dum praedicatores 740 sanctos magna eloqui ac pro locutione sua venerari conspiciunt, locutionis eorum celsitudinem et non utilitatem intentionis imitantur; neque hoc amant quod illi appetunt, sed hoc summopere appetunt quod clari hominibus ostendantur. Nam saepe contingit ut sapientes viri cum se non audiri considerant, ori suo silentium indicant; sed plerumque dum conspiciunt quod iniquorum facinora ipsis tacentibus et non corripientibus crescunt, vim quamdam spiritus sui sustinent, ut in locutionem apertae correptionis erumpant. Unde propheta Jeremias cum praedicationis sibi silentium indixisset, dicens: *Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius*; illico adjunxit: *Et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens; audiui enim contumelias multorum* (**Jerem. XX, 9**). Pro eo enim quod se minime audiri conspexit, silentium appetiit; sed cum crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit. Quia enim foris tacuit, ex taedio locutionis intus ignem pertulit de zelo charitatis. Inflammanatur quippe corda justorum, cum non correpta crescere conspiciunt acta malorum, eorumque culpa se participes credunt quos in iniquitate crescere silendo permittunt. David propheta postquam sibi silentium indixerat, dicens: *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me; obmutui, et humiliatus sum, et silui a*

bonis (Psal. XXXVIII, 2), in ipso suo silentio, isto zelo charitatis exarsit, qui illico subdidit: Et dolor meus renovatus est, concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (Ibid., 3). Intus ergo cor concaluit, quia dilectionis ardor per admonitionem locutionis exterius emanare recusavit. Ignis in meditatione cordis exarsit, quia increpatio delinquentium a correptione oris refrixit. Charitatis enim zelus consolatione admirabili augendo se temperat, quando contra iniquorum opera per vocem correptionis emanat, ut et quae corrigere non valet, increpare non desinat, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis addicat.

[*Vet. XI.*] 19. *Nonnulla vitia virtutes mentiuntur.*---Sed quia saepe nonnulla vitia virtutes se esse mentiuntur, sicut effusio nonnunquam misericordia, et tenacia nonnunquam parcimonia, et crudelitas aliquando justitia vult videri, ita plerumque mentem ad loquendi impetum, vanae gloriae anxietas nequaquam se intra silentium capiens, quasi zelus charitatis inflamat, atque appetitae ostensionis vis ad effrenationem locutionis impellit, et quasi sub studio consulendi libido erumpit apparendi. Non enim curat loquendo quid prosit, sed quid appareat; nec studet ut malum quod cernit corrigat, sed bonum quod sentit ostendat. Unde Eliu quoque spiritu elationis extensus, et sese intra silentii claustra non capiens, ait: *Plenus sum sermonibus, et coaretat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit.*

20. *Elationis inflatio, zelum ex afflatu Spiritus sancti quandoque imitatur.*---Quod si intelligere spiritualiter debemus, hoc loco videlicet ventrem sinum cordis appellat. In

musto vero sancti Spiritus fervor accipitur, de quo in Evangelio Dominus dicit: *Vinum novum mittunt in utres novos* (**Matth. IX, 17**). Ex quo dum repente replerentur apostoli (**Act. II, 4**), dum linguis omnibus 741 loquerentur, a Judaeis nescientibus, sed tamen vera attestantibus, dictum est: *Hi musto pleni sunt* (**Ibid., 13**). Lagunculas vero infirmas ipsa humanitate conscientias, vel certe haec terrena corporum vascula, non inconvenienter accipimus, de quibus Paulus apostolus ait; *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (**II Cor. IV, 7**). Eliu autem, quia, sicut superius diximus, sic inflatione elationis extenditur, ac si ad loquendum per charitatis gratiam ardore Spiritus sancti accendatur, sensus sui spiritum in eo quod tacuit, quasi musto absque spiraculo comparavit. Et bene ait: *Quod lagunculas novas dirumpit*; quia sancti Spiritus fervor non solum veteri, sed etiam nova vita vix capitur. Mustum ergo lagunculas novas dirumpit, quia fervoris ejus potentia etiam spiritalia corda transcendit. *Loquar, et respirabo paululum; aperiam labia mea, et respondebo*. Bene ait: *Respirabo*, quia sicut labor justorum est videre prava, nec corrigere; ita gravis est labor arrogantium, si quod sapiunt non ostendunt. Vim quippe intrinsecus aestuantem ferre vix possunt, si omne quod sentiunt paulo tardius innotescunt. Unde necesse est ut cum res bona agitur prius ejus elatio in corde vincatur, ne si a radice miserae intentionis prodeat, amaros nequitiae fructus producat.

[*Vet. XII, Rec. VI.*] 21. *Qui adhuc vitiis subjacent, alios regere non praesumant*.---Hi ergo qui adhuc vitiorum bello subjacent nequaquam per praedicationis usum praeesse magisterio caeterorum debent (**Dist. 44, cap. Non liceat**). Hinc est enim

quod, juxta divinae dispensationis vocem ab anno vigesimo et quinto Levitae tabernaculo serviunt, sed a quinquagesimo custodes vasorum fiunt. Quid enim per annum quintum ac vigesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagesimum, in quo et jubilaei requies continetur, nisi interna quies edomito bello mentis exprimitur? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animae figurantur? Levitae ergo ab anno vigesimo et quinto tabernaculo serviunt, et a quinquagesimo custodes vasorum fiunt, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non praesumant; cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur. Sed quis haec tentationum praelia sibi perfecte subigat, cum Paulus dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati* (**Rom. VII, 23**)? Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In istis exercetur virtus, ne extolli debeat; in illis omnimodo exstinguitur, ne subsistat. Qui igitur scit fortiter tentationem ferre certaminis, et cum tentatione concutitur in alta arce praesidet quietis, quia etiam apud semetipsum sub seipso esse contentiones vitiorum conspicit, quibus nulla fractus delectatione consentit. Sequitur:

CAPUT XII.

VERS. 21, 22.---*Non accipiam personam viri, et Deum homini non aequabo. Nescio enim quandiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus.*

22. *Vitae praesentis tempus breve est, quia non permanet.*---
Recta consideratio, quod Deum homini idcirco non aequat, quia quandiu hic subsistat, vel quando ad Dei iudicium tollatur, ignorat. Et bene ait: **742** *Post modicum tollat me factor meus*, quia quamlibet longum fuerit tempus vitae praesentis, eo ipso breve est, quo permanens non est. Neque enim dignum est ut diuturnum iudicetur, quidquid fine circumscribitur. Sed inter has sententias quas ex veritate solidas profert, ad verba rursum elationis erumpit, dicens:

CAPUT XIII [*Rec. VII*].

CAP. XXXIII, VERS. 12.---*Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.*

23. *Superbi sanam doctrinam non sane praedicant, quod insolescant.*---Pensem de qua elatione descendit, quod beatum Job audire se admonet, quod os aperuisse se perhibet, quod linguam suam in faucibus loqui promittit. Hoc enim habet proprium doctrina arrogantium (**Dist. 46, cap. Hoc habet**) ut humiliter nesciant inferre quod docent, et recta quae sapiunt recte ministrare non possint. In verbis enim eorum proditur quod cum docent, quasi in quodam sibi

videntur summitatis culmine residere, eosque quos docent ut longe infra se positos veluti in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Recte autem his per prophetam Dominus dicit: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia* (**Ezech. XXXIV, 4**). Cum austeritate enim et potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant.

[*Vet. XIII.*] 24. *Vera doctrina elationem fugit.*---At contra vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitium fugit per cogitationem, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cavet enim ne eum magis elatis moribus praedicet, quem in corde audientium sacris sermonibus insectatur. Humilitatem namque, quae magistra est omnium materque virtutum, et loquendo dicere, et vivendo conatur ostendere, ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquatur. Unde Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprii apostolatus oblitus, ait: *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (**I Thess. II, 7**). Unde Petrus apostolus, cum diceret: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe* (**I Pet. III, 15**), in ipsa doctrinae scientia qualitatem docendi asseruit esse servandam, subdens: *Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam* (**Ibid., 16**). Hoc autem quod discipulo Paulus ait: *Praecipe haec, et doce cum omni imperio* (**I Tim. IV, 11; Tit. II, 15**); non dominationem potentiae, sed auctoritatem suadet vitae. Cum imperio quippe docetur quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinae subtrahit fiduciam, quando conscientia praepedit linguam.

Non ergo ei potestatem elatae locutionis, sed bonae fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est: *Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribae et Pharisei* (**Matth. VII, 29**). Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suae innocentiam ministravit.

[*Vet. XIV, Rec. VIII.*] 25. *Quid praedicatoribus, ut elationem fugiant, considerandum.*---Nos enim, quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur quia aut tales sumus, **743** quales nonnullos corrigimus; aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina gratia operante non sumus, ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus. Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare curamus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. Quae si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus, quia sicut nos meritis nullis hoc ipsum bonum quod habemus accepimus, ita illos quoque potest gratia supernae virtutis infundere, ut excitati posterius etiam ipsa possint bona quae nos ante accepimus praevenire. Quis enim crederet quod per apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum praecessurus erat (**Act. VII, 57**), qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum

delinquentium iniquitas increpari. Sed hunc, ut saepe dictum est, locutionis modum Eliu ignorare ostenditur, qui in locutione sua elationis typo quasi potentia cujusdam auctoritatis inflatur, dicens: *Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.*

26. *Nonnulli modestiam solum simulant.*---In faucibus vero loqui est silenter dicere, et non clamoribus vociferari. Quibus verbis arrogantes intra sanctam Ecclesiam positos signat. Hi enim velut in faucibus loqui dicuntur, quando non contra adversarios extra viventes clamant, sed quosdam intra sinum sanctae Ecclesiae quasi vicinos ac juxta positos increpant. Saepe vero arrogantes eandem quam tenent arrogantiam se fugere ostendunt; et dum sic cuncta agunt, ut nullum lateant, haec private singulis quasi latenter narrant: quatenus non solum de sensu intelligentiae, sed de ipso apud homines etiam arrogantiae contemptu glorientur. Unde nunc dicitur: *Loquatur lingua mea in faucibus meis.* Ac si aperte dicatur: Quae contra te prudenter sentio, ecce silenter narro. Aliquando autem in tantam impudentiae elationem prosiliunt, ut aliis tacentibus ipsi soleant laudare quod dicunt. Unde subjungit:

CAPUT XIV.

VERS. 3.---*Simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur.*

27. *De simplicitate falso gloriantur.*---Magnae virtutis laus est simplicitas locutionis. Quam quia arrogantes non habent, habere se hanc sollicitius asserunt, ut securius audiantur. Et pure se locuturos denuntiant, quae duplicitatis suae malitiam deprehendi formidant. Saepe autem et falsis vera permiscent, ut inde eorum mendacio citius credatur, unde inesse eis assertio veritatis agnoscitur. Quia igitur Eliu et pure se locuturum perhibuit, et dicta sua appellando sententias favore praecucurrit, eandem jam sententiam quam promisit adjungit, dicens:

CAPUT XV [*Vet. XV, Rec. IX*].

VERS. 4.---*Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.*

28. *Doctrina inordinate prolata sterilest et foedat.*---Subditurus vera, praemisit elata; et dicturus 744 hoc quod recte saperet, ante innotuit quantum tumeret. Sic nimirum, sic arrogantium mentes insaniunt, ut et in eis quae recte sentiunt elationis suae tortitudine depraventur. Unde fit ut etiam eorum recta auditores nequaquam instruant, quia profecto illos per ea quae tumide sentiunt, non ad sui reverentiam, sed ad contemptum vocant. Dumque dictis prudentibus stultitiae verba miscentur, quia stultitia ab audiente despicitur, etiam prudentia non tenetur. Hinc enim per Moysen dicitur: *Vir qui fluxum seminis sustinet immundus erit (Levit. XV, 10)*. Quid est enim sermo, nisi semen? Qui dum ordinate emittitur, audientis mens quasi concipientis uterus ad boni operis

prolem fetatur. Si vero importune defluit, emittentem polluens, generandi virtutem perdit. Nam si sermo semen non esset, de praedicante Paulo nequaquam Athenienses dicerent: *Quid vult sibi seminiverbius hic dicere* (**Act. XVII, 18**)? De quo et Lucas dicit: *Ipse enim erat dux verbi* (**Act. XIV, 11**). Semen ergo usui propaginis dicatum incompetenter fluens caetera membra coinquinat, cum sermo per quem in audientium sensibus nasci scientia debuit, si inordinate prodeat, etiam quae recte senserit foedat. Unde Eliu quoque etiam quae recte potest sentire commaculat, dum cui vel quid loquatur ignorat; et quasi fluxum seminis sustinet, cum linguam utilitati congruam per verba vanae locutionis movet. Bono autem ordine et factum se astruit, et animatum. Per spiritum factum, et per spiraculum se narrat animatum. Facto quippe Adam, scriptum est: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (**Genes. II, 7**). Sed haec quae recte astruit utrum recte exsequatur audiamus. Sequitur:

CAPUT XVI.

VERS. 5.---*Si potes, responde mihi et adversus faciem meam consiste.*

29. *Insulsa plus justo sibi arrogantium jactantia.*---Ecce dum narrat ordinem verae conditionis, in fastum subito superbae elationis erumpit, atque aliis verbis hoc idem replicat, dicens:

VERS. 6, 7.---*Ecce et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat, eloquentia mea non sit tibi gravis.*

Quid est hoc, quod Eliu ordinem verae conditionis agnoscit, et modum rectae locutionis ignorat? Quid est, quod se beato Job et conditus exaequat, et locuturus exaltat, nisi hoc, quod arrogantes omnes cunctis quidem hominibus se aequaliter conditos meminerunt, sed per fastum scientiae auditores suos aequales sibi vel esse vel credere dedignantur, eisque se per naturae conditionem conferunt, sed per tumorem scientiae superponunt? Aequales quidem se judicant exstitisse nascendo, sed non aequales remansisse vivendo. Atque in eo quod aequales quasi vivendo jam non sunt, illud ad majus miraculum revocant, quod aequales nascendo fuerunt. Unde inflatus Eliu dicit: *Ecce et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum* **745** *non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis [Vet. XVI].* Habent hoc etiam arrogantes proprium, quod prius quam dicant, mira se dicere semper existimant, et locutionem suam admirando praeveniunt, quia vel in acutis sensibus ipsa elatio quanta sit fatuitas ignorant. Notandum quoque est quod Paulus, dum mire Hebraeos admoneret, adjunxit: *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis (Hebr. XIII, 22).* Eliu autem inania protulit, et quasi consolando subjunxit: *Miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis.* Ille dicta sua verbum solatii, hic vero eloquentiam, et miraculum vocat. Ecce quam distincti sapor pro deunt fructuum ex diversa radice cogitationum. Ille de magnis humiliter sentit, iste de mininis

se inaniter erigit. Quid ergo inter haec, nisi hoc solerter est intuendum, quod et ascensuri in imo se esse considerant, et casuri semper in praecipiti stant? Salomone attestante, qui ait: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur* (**Prov. XVI, 18**). Sequitur:

VERS. 8-11.---*Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audiui.*

[Rec. X.]. Atque eandem vocem subjungens, ait: *Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus, et non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.* Moxque contra haec verba quae beatum Job dixisse narravit sententiam suam proferens, ait:

CAPUT XVII.

VERS. 12.---*Hoc est ergo in quo non es justificatus.*

30. *Student magis increpare, quam consolari.*---Profecto beatus Job veraciter dixerat quod absque culpa fuerit flagellatus. Hoc enim ipse de se, quod de illo ad diabolum Dominus dixit: *Commovisti me adversus eum, ut affligerem illum frustra* (**Job. II, 3**). Sed Eliu non credidit, cessante culpa, potuisse eum etiam pro gratia flagellari. Nesciebat enim flagellis ejus non deleri vitium, sed meritum augeri, et pro eo quod sine delicto se dixerat flagellatum, hac eum sententia increpat, dicens: *Hoc est ergo in quo non es justificatus.* Habent enim hoc arrogantes proprium, ut plus

arguere appetant quam consolari; et quaeque hominibus evenire cognoscunt, ex solis evenisse iniquitatibus arbitrentur. Nesciunt quippe occulta judicia subtiliter quaerere, atque id quod non intelligunt humiliter perscrutari, quia eos saepe a secretis investigationibus iudiciorum Dei ipsa scientiae suae elatio dejicit, dum extollit.

31. *Obstaculum est veritatis tumor mentis. Verae scientiae effectus.*---Obstaculum namque veritatis est tumor mentis, quia dum inflat obnubilat. Qui et si quando scientiam videntur adipisci, quasi de quadam rerum cortice, et non de secretae dulcedinis medulla pascuntur; micantibusque ingeniis saepe exteriora tantummodo attingunt, sed interni gustum saporis ignorant, videlicet foris acuti, sed intus caeci sunt. Neque id de Deo sentiunt, quod dulce interius sapiat, sed quod excussum exterius sonet. Qui etsi secreta quaedam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt; et si noverunt quomodo sunt, ignorant, ut dixi, **746** quomodo sapiunt. [*Vet. XVII.*] Et fit plerumque ut fortiter dicant, sed tamen juxta ea quae dicunt vivere nesciant. Unde bene quidam sapiens dixit: *Mihi autem det Deus haec dicere ex sententia* (**Sap. VII, 15**). Sententia quippe a sensu vocata est. Et recta quae intelligit, non ex sola scientia, sed etiam ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit. Sed mens arrogantium dictorum suorum sensum non penetrat, quia ab interno gustu, recto iudicio in eos favores reliditur, quos foris amat. Vera autem scientia afficit, non extollit; nec superbientes quos repleverit, sed lamentantes facit. Quae quisque cum repletus fuerit, primo loco se scire appetit; et jam sui conscius, tanto per illam robustius sapit quanto se

infirmum in illa verius recognoscit; atque ampliorem viam hujus scientiae ipsa ei humilitas aperit; dumque imbecillitatem suam conspicit, ipsa ei cognitio secretorum sublimium absconditos sinus pandit, qua cognitione pressus, subtilior redditur, quo ad occulta rapiatur. Eliu ergo in flagellis beati Job idcirco veracem rationem non invenit, quia eam quaerere humiliter nescit; et increpare potius quam consolari paratior, dicit: *Hoc est ergo, in quo non es justificatus.*

32. *Superbi saepe alios increpando, mentiuntur.*--- Notandum quoque est quod beatus Job in nervo pedem suum positum dixit, sed nequaquam mundum se hoc modo, quo ei objicitur, absque peccato, vel immaculatum, et sine iniquitate fuisse memoravit. Sed Eliu, dum cum austeritate studuit increpare quae dicta sunt, mentiens addidit quae dicta non sunt. Qui enim semper increpare appetunt, et nunquam fovere, multa plerumque increpando mentiuntur. Nam ut arguere docte videantur, fingunt nonnunquam quae redarguant; et cum ipsi equino more in cursum suae ostentationis inferveant, in subjectorum invectionibus ex fictis sibi iniquitatibus campum parant. Sciendum praeterea est, sicut et superius dixi (**Num. 31**), quod arrogantes viri inflatis suis sermonibus saepe fortia dicta permiscent, nec considerant aliquando quid vivant, sed pensant studiose quid doceant. Quorum nunc Eliu speciem tenet, qui non recte vivere appetit, sed docere. Quia ergo sciens sed arrogans loquitur, taceamus jam quid tumidum vivit, et audiamus quid solidum dicit. Post tot itaque elationis verba, tandem scientiam suam ostendere inchoans, ait:

CAPUT XVIII.

VERS. 12.---*Respondebo tibi quod major sit Deus homine.*

33. *Quod a Deo nobis meliore patimur, justum credamus.*---
Dicatur fortasse ab aliquo: Quis istud vel cum non audit ignorat? Sed nimirum haec sententia vilis creditur, si non ex ipsa intentionis suae radice pensetur. [*Vet. XVIII.*] Flagellato videlicet loquebatur, qui et percussionis verbera acceperat, et causas verberum nesciebat. Idcirco ergo intulit: *Respondebo tibi quod major sit Deus homine*, ut flagellatus homo considerans quia illo major est Deus, in omne quod patitur ejus judicio se postponat, quo se minorem esse non dubitat; et quod a meliore patitur, justum credat, etiam si ejusdem justitiae causas ignorat. Quisquis etiam pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse 747 inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. Homo namque sub Deo est conditus, et ad conditionis ordinem redit, quando sibi aequitatem judicis sui, etiam quam non intelligit, anteponit. Bene ergo dicitur: *Respondebo tibi quod major sit Deus homine*, ut considerata potentia creatoris, deferveat tumor mentis per memoriam conditionis. Unde David propheta, cum percussionis pondere in excessum vocis erumpere cogeretur, ad considerationem conditionis suae se recolligens, ait: *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti me (Psal. XXXVIII, 3)*. Pensavit enim conditionis suae ordinem, et justitiam percussionis invenit, quia qui benigne eum qui non erat condidit, eum profecto qui erat non nisi juste percussit. Sequitur:

CAPUT XIX [*Rec. XI*].

VERS. 13, 14.---*Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquetur Deus, et secundo idipsum non repetet.*

34. *In Scriptura sacra quidquid scire nos decet, docet Deus.*--Afflicti cordis est proprium ut in omne quod appetit, et tamen rerum ordinem contrarium sentit, si possit fieri, cur ita, vel non ita sit, divinis sibi responderi vocibus velit, ut Deum de cuncta rerum controversia consulat, et responsionis ejus cognita ratione conquiescat. Eliu autem praevidens quod scripturam sacram Dominus conderet, ut in ea vel publicis vel occultis cunctorum quaestionibus responderet, ait: *Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquetur Deus, et secundo idipsum non repetet.* Ac si diceret: Deus singulorum cordibus privatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construit, per quod cunctorum quaestionibus satisfaciat. [*Vet. XIX.*] In scripturae quippe ejus eloquio causas nostras singuli si requirimus, invenimus, nec opus est ut in eo quod specialiter quisque tolerat responderi sibi divina voce specialiter quaerat. Ibi enim nobis omnibus in eo quod specialiter patimur communiter respondetur, ibi vita praecedentium fit forma sequentium. Ut enim unum e pluribus proferamus, ecce dum passione aliqua vel molestia carnis afficimur, scire fortasse occultas causas passionis ejusdem vel molestiae optamus, quatenus in eo quod patimur ex ipsa rerum scientia consolemur. Sed quia de specialibus tentationibus nostris nequaquam nobis singulis specialiter respondetur, ad Scripturam sacram recurrimus. Ibi videlicet invenimus quod Paulus carnis infirmitate tentatus audivit: *Sufficit tibi gratia*

mea, nam virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 9). Quod idcirco illi in infirmitate propria dictum est, ne singillatim nobis omnibus diceretur. In Scriptura igitur sacra vocem Dei, afflicto Paulo, audivimus, ne cum fortasse affligimur, singuli audire eam privata consolatione quaereremus. Non ergo Dominus ad omnia **748** verba nobis respondet, quia *semel loquetur, et secundo idipsum non repetet*; id est, in his quae per Scripturam sacram ad patres nostros protulit, nos erudire curavit. Dicant itaque sanctae Ecclesiae doctores, dicant etiam arrogantes, cum in ea laborare quosdam pusillanimitate conspiciunt, quia nobis Deus ad verba omnia non respondet, quia *semel loquetur Deus, et idipsum secundo non repetet*; id est, cogitationibus vel tentationibus singulorum non jam passim per prophetarum voces, non per angelica officia satisfacit, quia in Scriptura sacra quidquid potest singulis evenire comprehendit, atque in illa per exempla praecedentium etiam vitam sequentium informare curavit.

35. *Loqui Dei est Verbum genuisse.*---Quamvis quod ait: *Semel loquetur Deus, et secundo idipsum non repetet*, hoc intelligi subtilius potest, quod Pater unigenitum consubstantiali sibi Filium genuit. Loqui enim Dei est Verbum genuisse. Semel autem loqui Dei est Verbum aliud praeter unigenitum non habere. Unde et apte subditur: *Et secundo idipsum non repetet*, quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est Filium, nonnisi unicum genuit. Quod autem non ait, *Locutus est*, sed *loquetur*, non videlicet tempus praeteritum, sed futurum ponens, liquet omnibus quia Deo nec praeteritum tempus congruit, nec futurum. Tanto ergo in eo quodlibet tempus ponitur libere, quanto nullum vere.

Neque enim quodlibet libere dici poterat, si saltem unum proprie diceretur. Inde itaque dici in Deo tempus audacter quoslibet licet, unde in eo dici proprie nullum licet. Verbum namque Pater sine tempore genuit.

36. *Hanc generationem mirari debemus, non scrutari.*---Et quis digne fari queat illam ineffabilem nativitatem, quod de aeterno natus est coaeternus, quod existens ante saecula genuit aequalem, quod gignente natus posterior non est? Quae videlicet nos mirari possumus, sed intueri minime valemus. Illius autem nativitatis vim jam mirari posse, aliquatenus videre est. Sed quomodo videmus quod nequaquam comprehendimus? Est autem quod de usu carnis trahere ad sensum spiritus debemus. Nam si quis in tenebris clausis oculis jaceat, atque ante eum subitum lucernae lumen erumpat, clausi ejus oculi ipso adventu luminis feriuntur, ut patescant. Cur ergo turbati sunt, si clausi nihil viderunt? Nec tamen aliquid perfectum fuit, quod videre clausi potuerunt. Nam si perfecte totum vidissent, cur aperti quaererent quod viderent? Sic itaque, sic sumus, cum de incomprehensibili nativitate intueri aliquid conamur. Eo ipso enim quo fulgoris admiratione percutitur animus, et quasi videt quod videri non valet, velut in tenebris positus, vim lucis oculis clausis videt. Quia vero **749** haec divinae naturae secreta admiratio non facile occupatis per terrena desideria mentibus innotescit, apte Dei locutio qualiter ad nos fiat insinuat, dicens:

CAPUT XX [*Vet. XX, Rec. XII*].

VERS. 15.---*Per somnium in visione nocturna, quando irruiet sopor super homines, et dormiunt in lectulo.*

37. *Vox Dei auditur quando tranquilla mente ab operibus saecularibus quiescitur.*---Quid est quod per somnium nobis locutio divinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si in terrenis desideriis vigilemus? In somnio enim exteriores sensus dormiunt, et interiora cernuntur. Si ergo interna contemplari volumus, ab externa implicatione dormiamus. Vox videlicet Dei quasi per somnium auditur, quando tranquilla mente ab hujus saeculi actione quiescitur, et in ipso mentis silentio divina praecepta pensantur. Cum enim ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere curarum saecularium tumultus recusat. Male autem homo vigilat, quando eum saecularium negotiorum aestus insolenter inquietat. Aures quippe cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepat claudit, atque in secretario mentis, quanto minus curarum tumultuantium sonus compescitur, tanto amplius vox praesidentis iudicis non auditur. Neque enim perfecte homo sufficit ad utraque divisus, sed dum sic interius erudiri appetit, ut tamen exterius implicetur, unde exterius auditum aperit, inde interius obsurdescit. Moyses admistus Aegyptiis quasi vigilabat, et idcirco vocem Domini in Aegypto positus non audiebat (**Exod. II, 11, 12, seq.**). Sed extincto Aegypto, postquam in desertum fugit, illic dum quadraginta annis deguit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus obdormivit; atque idcirco divinam vocem percipere meruit, quia per supernam gratiam quanto magis ab appetendis exterioribus torpuit, tanto verius ad cognoscenda interiora

vigilavit. Rursus Israelitici populi turbis praelatus, ut legis praecepta percipiat, in montem ducitur, atque ut interna penetret, ab externis tumultibus occultatur (**Exod. XIX, 3**).

[*Vet. XXI.*] 38. *Qui exterioribus ministeriis deserviunt, studiose ad cordis secreta refugiant.*---Unde et sancti viri qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiant; ibique cogitationis intimae cacumen ascendunt, et legem quasi in montibus percipiunt, dum, postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suae vertice supernae voluntatis sententiam perscrutantur. Hinc est quod idem Moyses crebro de rebus dubiis ad tabernaculum redit, ibique secreto Dominum consulit, et quid certi decernat agnoscit. Relictis quippe turbis ad tabernaculum redire, est, postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare. Ibi enim Dominus consulitur, et quod foris agendum est publice, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni rectores faciunt, cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum revertuntur; divina lege perspecta, quasi coram posita arca, Dominum consulunt, et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt. Ut enim exterioribus officiis inoffense deserviant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant; et sic vocem Dei quasi per somnium audiunt, dum in meditatione mentis **750** a carnalibus motibus abstrahuntur. Hinc est quod sponsa in Canticis canticorum sponsi vocem quasi per somnium audierat, quae dicebat: *Ego dormio, et cor meum vigilat* (**Cant. V, 2**). Ac si diceret: Dum exteriores sensus ab huius vitae sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius

interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat, quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo.

39. *Nonnisi obscure et quasi visione nocturna, divina et interna contemplamur.*---Bene ergo Eliu ait quia per somnium loquitur Deus, atque apte subdidit, *In visione nocturna*. Nocturna enim visio apparere contemplatione mentis sub quibusdam imaginibus solet. In diurna autem luce certius cernimus, in nocturna vero visione cunctanter videmus. Et quia sancti omnes quandiu in hac vita sunt divinae naturae secreta quasi sub quadam imaginatione conspiciunt, quia videlicet necdum sicut sunt ea manifestius contemplantur, bene Eliu, postquam dixit Deum nobis per somnium loqui, subdit: *In visione nocturna*. Nox quippe est vita praesens, in qua quandiu sumus, per hoc quod interna conspiciamus, sub incerta imaginatione caligamus. Propheta namque ad videndum Dominum quadam se premi caligine sentiebat, dicens: *Anima mea desideravit te in nocte (Isai. XXVI, 9)*. Ac si diceret: In hac obscuritate vitae praesentis videre te appeto, sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. David quoque hujus noctis caliginem vitans, claritatem veri luminis praestolatus ait: *Mane astabo tibi, et videbo (Psal. V, 5)*. Adhuc ergo in nocte minus se videre conspicit, qui ad videndum Deum futurum mane concupiscit. Quia vero, ut diximus, ab exteriori actione cessare dormire est, bene Eliu subdit: *Quando irruit sopor super homines*. Quia autem sancti viri cum exteriori actioni non deserviunt, intra mentis cubilia conquiescunt, apte subjungit: *Et dormiunt in lectulo*. Sanctis enim viris dormire in lectulo est intra mentis suae cubile quiescere. Unde scriptum est: *Exsultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis (Psal. CXLIX, 5)*.

Dicatur ergo, quod *semel nobis loquitur Deus per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo*, quia nimirum tunc secreta divinitatis agnoscimus, cum ab hujus mundi tumultuosa concupiscentia intra mentis nostrae cubilia segregamur. Quia vero, ut saepe jam diximus, aurem cordis tumultus saecularium negotiorum claudit, et quies secretae considerationis aperit, apte subjungit:

VERS. 16.---*Tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.*

40. *Qui ab exterioribus operibus cessant, ad compunctionem erudiuntur.*---Cum enim ab exterioribus actionibus sopiuntur, aperta aure interni examinis causas audiunt. Qui dum subtiliter vel flagella publica, vel judicia occulta considerant, semetipsos afficere flendo non cessant. [Rec. XIII.] Unde bene dictum est. *Et erudiens eos instruit disciplina*, quia consideranti menti, et sese per poenitentiam laceranti, quasi quaedam plagae percussionis sunt lamenta compunctionis. Unde etiam Salomon recte vim percussionis utriusque conjungens ait: *Livor vulneris abstergit mala, et plagae in secretioribus ventris* (**Prov. XX, 30**). Per livorem quippe vulneris, disciplinam insinuat corporeae percussionis. Plagae vero in secretioribus ventris sunt interna mentis vulnera, quae per compunctionem fiunt. **751** Sicut enim venter cibis repletus extenditur, ita mens pravis cogitationibus dilatata sublevatur. Abstergunt igitur mala, et livor vulneris, et plagae in secretioribus ventris, quia et disciplina exterior culpas diluit, et extensam mentem compunctio poenitentiae ultione transfigit. Sed hoc inter se utraque haec differunt, quod plagae percussionum dolent, lamenta compunctionum

sapiunt. Illae affligentes cruciant, ista reficiunt, dum affligunt. Per illas in afflictione moeror est, per haec in moerore laetitia. Quia tamen ipsa compunctio mentem lacerat, eandem compunctionem non incongrue disciplinam vocat.

41. *Quatuor modis justī in compunctione afficiuntur; quod exemplo Pauli ostenditur et Davidis.*---Quatuor quippe sunt qualitates quibus justī viri anima in compunctione vehementer afficitur, cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum quaerens, cogitat ubi erit; aut cum mala vitae praesentis solerter attendens, moerens considerat ubi est, aut cum bona supernae patriae contemplatur, quae quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. Malorum suorum Paulus meminerat, et ex eis se in quibus fuerat affligebat, cum diceret: *Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9).* Rursum divinum iudicium subtiliter pensans, in futuro male esse metuebat, dicens: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar (I Cor. IX, 27).* Rursus mala praesentis vitae pensabat, cum diceret: *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino (II Cor. V, 6).* Et: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius (Rom. VII, 23).* Et rursum bona aeternae patriae considerabat, dicens: *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (I Cor. XIII, 12).* Atque iterum: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod*

aedificationem ex Deo habemus, domum manufactam, aeternam in coelis (II Cor. V, 1). Cujus domus bona intuens, Ephesiis dicit: *Ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credidimus (Ephes. II, 18).* Mala vitae praesentis beatus Job considerans, ait: *Tentatio est vita humana super terram (Job. VI, 1).* Unde David quoque, ait: *Universa vanitas omnis homo vivens (Psal. XXXVIII, 6).* Et quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur. Qui rursum aeternam patriam contemplatus, et haec mala pensans in quibus erat, atque illa bona considerans in quibus adhuc non erat, ait: *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est (Psal. CXIX 5).* Et, *Ego dixi in pavore meo: projectus sum a vultu oculorum tuorum (Psal. XXX, 23).* Sublevatus in exstasi, quod nostri interpretes pavorem proprie vocaverunt, a vultu oculorum Dei vidit se esse projectum. Post interni quippe luminis visionem, quae in ejus anima per contemplationis gratiam radio claritatis emicuit, ad semetipsum rediit; et cognitione percepta, vel quibus illic bonis deesset, vel quibus malis 752 hic adesset, invenit. Neque enim quis praesentis vitae mala sicut sunt conspicere praevalet, si bona aeternae patriae per contemplationis gustum contingere necdum valet. Unde et a vultu oculorum Dei projectum se esse cognovit. Sublevatus quippe vidit quod de se hic videre non posse ad se relapsus ingemuit.

42. *Compunctionis effectus in perfectis.*---Perfectam scilicet animam ista compunctio afficere familiarius solet, qua omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obviantes discutit, et cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptae lucis

intendit. Has quippe figurarum corporalium species ad se intus ex infirmitate corporis traxit. Sed perfecte compuncta hic summopere invigilat, ne cum veritatem quaerit, eam imaginatio circumscriptae visionis illudat, cunctasque sibi obviantes imagines respuit. Quia enim per illas infra se lapsa est, sine illis super se ire conatur; et postquam per multa indecenter sparsa est, in unum se colligere nititur, ut si magna vi amoris praevalet, esse unum atque incorporeum contempletur.

43. *Contemplationis sapor non nisi raptim mentem afficit. Hinc pii gemitus, delectationis tamen expertes.*---Unde aliquando ad quamdam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, ac raptim aliquo modo ardenti spiritu afflata renovatur; tantoque magis inhiat, quanto magis quod amet degustat. Atque hoc intra se appetit quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit, quia videlicet ejus amore dulcedinis sibi coram se viluit; et postquam hanc, utcumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuisset invenit. Cui inhaerere conatur, sed ab ejus fortitudine sua adhuc infirmitate repellitur; et quia ejus munditiam contemplare non valet, flere dulce habet, sibique ad se cadenti infirmitatis suae lacrymas sternere. Neque enim mentis oculum potest in id quod intra se raptim conspexerit figere, quia ipso vetustatis suae usu deorsum ire compellitur. Inter haec anhelat, aestuat, super se ire conatur, sed ad familiares tenebras suas victa fatigatione relabitur. Quia ergo sic affecta anima contra semetipsam grave certamen tolerat semetipsam, et quia omnis haec de nobis controversia, cum nos afficit, quamvis delectatione permista, non modicum dolorem parit, Eliu, postquam dixit Deum nobis per somnium loqui, et locutione ejus nostras

aures aperiri, non immerito eandem apertionem aurium disciplinam vocat, quia eo magis nos afficiendo conterit, quo magis ad nos per occultam ejus inspirationis gratiam internae intelligentiae sonus erumpit. Neque enim fleret extrinsecus quisque quod est, si non intrinsecus potuisset sentire quod nondum est. Namque cum nosmetipsos inspicimus bene conditos, sed ad persuasionem diabolicam pestifera consensione deceptos, in nobismetipsis attendimus aliud esse quod fecimus, aliud quod facti sumus; conditione nos integros, sed culpa vitiatos. Proinde compuncti appetimus vitare quod fecimus, ut ad id quod facti fuimus reformemur. Unde et apte sequitur:

CAPUT XXII [*Al. XXII*].

VERS. 17.---*Ut avertat hominem ab his quae fecit, et liberet eum de superbia.*

44. *Compunctione avertimur a peccatis prius perpetratis, et a superbia liberamur.*---Quid enim homo de seipso nisi peccatum fecit? **753** Et scriptum est: *Initium omnis peccati superbia* (**Eccl. X, 15**). Bene ergo dicitur quia homo cum ab his quae fecit avertitur de superbia liberatur. Contra conditorem quippe superbire est praecepta ejus peccando transcendere, quia quasi a se jugum dominationis ejus excutit, cui per obedientiam subesse contemnit. At contra qui id quod fecit vitare appetit, id quod a Deo factus est recognoscit, et ad conditionis suae ordinem humiliter redit, dum sua opera fugiens, talem se qualis a Deo factus est

diligit. Quia vero per hanc intelligentiam gloria sempiterna recipitur, supplicia aeterna vitantur, apte subjungitur:

CAPUT XXIII [*Rec. XIV*].

VERS. 18.---*Eruens animam ejus de corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium.*

45. *Sic eruitur anima a corruptione et a divini judicii gladio.* --Omnis quippe peccator ab hac corruptione vitiorum illuc ad gladium compellitur transire poenarum, ut unde hic inique delectatus est, inde illic juste crucietur. Notandum est ergo quod Deus nobis per somnium loquens, prius nos a corruptione, et postmodum a gladio liberat, quia nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii, cujus hic mentem subrahit a delectatione peccati. Neque enim illic habet quod formidare debeat de gladio sententiae, quem hic post emendationem suam pollutio non corruperit culpa. Bene ergo dicitur: *Eruens animam ejus de corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium.* De corruptione namque ad gladium transire est post peracta vitia ad toleranda supplicia pervenire. Sequitur:

CAPUT XXIV [*Vet. XXIII, Rec. XV*].

VERS. 19.---*Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit.*

46. *In praesenti vita, omnis quam nobis paramus requies tentationibus turbatur. In quolibet secessu vivere sine tentationibus non possumus.*---In Scriptura sacra lectus, sive grabatus, seu stratum, aliquando voluptas carnis, aliquando repausatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid est enim quod in Evangelio sanato cuidam Dominus dicit: *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam (Joan. V, 8)*, nisi quod per grabatum voluptas corporis designatur? Et jubetur utique ut hoc sanus portet, ubi infirmus jacuerat, quia nimirum omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis. Sed sanatus hoc portat ubi infirmus jacuerat, quia divino adjutorio ereptus a vitiis, ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cujus prius desideriis requiescebat. Rursum per lectum vel stratum repausatio in bonis operibus designatur. Unde in apostolorum Actibus Petrus apostolus dicit: *Aenea, sanet te Dominus Jesus Christus; surge, et sterne tibi (Act, IX, 34)*. Quid est dicere, *Surge*, nisi, mala quae perpetrasti, derelinque? Et quid est dicere, *Sterne tibi*, nisi, mercedis causas in quibus requiescere debeas operare? ut et deserat surgendo quae fecit, et inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit, dicens: *Declina a malo, et fac bonum (Psal. XXXVI, 27)*. Declinare quippe a malo est ab eo quo jacuit surgere; bonum vero facere, est mercedis opera, in quibus requiescere debeat, praeparare. Qui enim declinat a malo, sed bona adhuc non facit, surrexit quidem ab eo quo jacuit, sed ubi requiescere debeat, nondum stravit. Et rursum lectus vel stratum requies temporalis accipitur, sicut scriptum est: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus 754 (Ps. XL, 4)*. Cum enim quisque curis saecularibus fatigatus deserere per divinam gratiam hujus mundi itinera

laboriosa compungitur, cogitare solet quomodo praesentis vitae desideria fugiat, et ab ejus laboribus requiescat, sibi que mox desideratae quietis ordinem quaerit, et velut quoddam stratum, sic a cunctis laboribus cessationis locum invenire concupiscit. Sed quia in hac vita adhuc homo positus, in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet secreti secessu vivere sine tentationibus nullatenus potest, plerumque in id quod ad requiem construitur, major dolor tentationis invenitur. Unde recte per Prophetam dicitur: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*. Ac si diceret: Omne quod hic sibi paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem. Quod pio quidem Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur.

[*Vet. XXIV.*] 47. *Hic optimo Dei consilio affligimur, ne viam pro patria diligamus.*---Via quippe est vita praesens, qua ad patriam tendimus; et idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores, cum amoena fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, et a coepto itineris rectitudine declinare, eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitae praesentis requie, quasi amoenitate viae pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delectet; ne, dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria. Quia ergo in hac vita omnis nostra, quam fortasse paravimus, requies turbatur, recte dicitur: *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, id est, in praesentis vitae requie vel tentationis nos stimulis vel flagelli afflictione conturbat. Nam saepe humanus animus quamlibet brevi

tempore sine tentatione in bonis studiis fuerit, mox de eisdem studiis in quibus quiescendo se exerit, de ipsis virtutibus quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit, elevatur. Unde pio rectoris nostri moderamine, impulsu tentationis afficitur, ut in eo ipsa profectus sui elatio comprimatur. Quapropter postquam dixit: *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, apte subjunxit [Rec. XVI]: *Et omnia ossa ejus marcescere facit*.

48. *Per tentationem cognoscimus, quid ex viribus propriis, quid divino ex munere possimus.*---Ossa in Scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scriptum est. *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur* (**Psal. XXXIII, 21**). Quod utique non de ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certe novimus quod et multorum martyrum corporaliter ossa confracta sunt, et persecutores Domini, latronis illius, cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso* (**Luc. XXIII, 43**), sicut latronis alterius in cruce crura fregerunt. Cum ergo increpat per dolorem in lectulo, omnia ossa facit marcescere, quia cum in ea requie quam nobis ab hoc saeculo praeparamus flagello tentationis afficimur, qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognitae infirmitatis nostrae taedio extenuamur. Cum enim sicut cupimus ad Deum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur, ut infirmitatis nostrae quia proficientes obliviscimur, **755** tentati recolamus, et in profectu nostro quid de divino munere, et in tentatione cognoscimus quid de propriis viribus sumus. Quae nos profecto tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit;

impellit, nec movet; quatit, nec dejicit, ut de nostra infirmitate sentiamus esse quod quatimur, et de divino munere esse quod stamus. Et quia saepe anima alicujus boni sibi conscia, cum virtutes suas sibi ad memoriam revocat, quadam delectatione pascitur, et quasi gratulatione propriae plenitudinis impinguatur, bene dicitur quod tentatione pulsante marcescunt ossa, quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoscitur, omnis illa nostrarum virium, velut pinguis viridisque gratulatio, subito anxietatis moerore siccatur, et qui nos alicujus esse momenti bona nostra pensando credidimus, pulsati paulo amplius perituros nos jam jamque formidamus. Tunc omne bonorum nostrorum gaudium vertitur in pavorem poenarum. Tunc iniquos nos esse deprehendimus, qui sanctos paulo ante credebamus. Tabescit mens, stupent oculi, omne quod prius prosperum arridebat evanescit; lux ipsa fastidio est, et solae se in animo tenebrae moeroris effundunt; nihil quod delectet aspicitur, triste est quidquid occurrit. Unde et apte sequitur:

CAPUT XXV [*Rec. XVII*].

VERS. 20.--- *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis.*

49. *Per panem in Scriptura sacra multa significantur: 1° Christus; 2° gratia; 3° sacra doctrina; 4° haereticorum praedicatio; 5° subsidium vitae praesentis; 6° jucunditas humanae delectationis.*---Ac si aperte dicat: Afflicta mens sibi in amaritudinem verti considerat quidquid se antea blande

libenterque satiabat. [*Vet. XXV.*] In Scriptura enim sacra panis aliquando ipse Dominus, aliquando spiritualis gratia, aliquando divinae doctrinae eruditio, aliquando haereticorum praedicatio, aliquando subsidium vitae praesentis, aliquando jucunditas humanae delectationis accipitur.

In pane Dominus signatur, sicut ipse in Evangelio dicit: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (**Joan. VI, 51**).

Rursum per panem gratia doni spiritualis accipitur, sicut per prophetam dicitur: *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est* (**Isai. XXXIII, 15**). Quid est enim obturare aures suas, ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quae de sanguine et carne nascuntur, non praebere consensum? Et quid est, ne malum videat, oculos claudere, nisi omne quod rectitudini adversum est non approbare? Iste in excelsis habitabit, quia quamvis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem jam in sublimibus fixit. Munimenta saxorum sublimitas ejus, quia qui abjecta desideria terrenae conversationis calcat, ad supernam patriam per praecedentium patrum exempla se sublevat. Et quia per contemplationis donum gratia spiritali satiatur, apte subjungitur: *Panis ei datus est*, id est refectionem spiritualis gratiae percipit, quia se a bonis infimis coelestia sperando suspendit. Hinc etiam de sancta Ecclesia per David Dominus dicit: *Pauperes ejus saturabo panibus* (**Psal. CXXXI, 15**), quia in illa mentes humilium positae spiritalium implentur refectione donorum.

Rursum per panem divinae doctrinae eruditio **756** designatur, sicut per prophetam dicitur: *Qui habitatis in terra Austri, cum panibus occurrere fugienti (Isai. XXI, 14)*. In terra quippe Austri habitant qui in sancta Ecclesia positi superni Spiritus charitate perflantur. Fugit autem qui hujus mundi mala evadere concupiscit. Qui ergo in terra Austri habitat, fugienti cum panibus occurrat, id est, is qui jam sancto Spiritu intra Ecclesiam plenus est eum qui mala sua evadere nititur eruditionis alloquio consoletur. Fugienti scilicet cum panibus occurrere est metuenti aeterna supplicia doctrinae sacrae escas offerre, et modo tumorem terrore comprimere, modo pavorem exhortatione refovere. Quia panis refectio Scripturae sacrae non inconvenienter accipitur, per eundem prophetam Judaeis solam litteram servantibus dicitur: *Quare appenditis argentum, et non in panibus (Isai. LV, 2)*? Ac si diceret: Pensatis sacra eloquia, sed non in refectioe, quia dum solam litterae speciem custoditis, de spiritali intelligentia pinguedinem internae refectionis amittitis. Unde illic apte subjungitur: *Et laborem vestrum non in saturitate (Ibid.)*.

[*Vet. XXVI.*] Rursum per panem haereticorum praedicatio designatur, sicut per Salomonem mulier haereticae ecclesiae typum gestans, et stultos convocans, dicit: *Panes occultos libenter edite (Prov. IX, 17)*. Vel, sicut in nostra translatione scriptum est: *Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior*. Sunt enim nonnullae haereses quae aperte metuunt praedicare quod sentiunt, et apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condiunt, quanto quasi amplius reverenter abscondunt. Unde non immerito dicitur: *Panes occultos libenter edite*. Miseris enim cordibus occulta

haereticorum verba eo magis sapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur.

Rursum per panem subsidium praesentis vitae accipitur, sicut Jacob ad Laban transiens, ait: *Domine Deus, si dederis mihi panem ad manducandum, et vestem ad induendum* (**Genes. XXVIII, 20**). Et sicut in Evangelio Dominus turbis se sequentibus dicit: *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis* (**Joan. VI, 26**). De septem enim panibus fuerant satiati. Et per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquant, non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitae praesentis exquirunt; nec cogitant quid vivendo imitari debeant, sed quae compendia percipiendo satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi est de sancta Ecclesia temporalia alimenta sumpsisse. Et non pro signis est Dominum, sed pro panibus quaerere, ad religionis officium, non pro augendis virtutibus, sed pro requirendis subsidiis inhiare.

Rursum per panem jucunditas humanae delectationis accipitur. Unde Jeremias propheta dum synagogae perditos mores defleret, dixit: *Omnis populus ejus gemens et quaerens panem: dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam* (**Thren. I, 11**). Gemens enim populus quaerit panem, dum prava hominum multitudo affligitur, quia non ad votum de praesentis vitae jucunditate satiatur. Sed et pretiosa quaeque pro cibo dat, quia virtutes mentis in appetitum delectationis transitoriae inclinat. Et refocillare animam **757** nititur, quia perversis suis desideriis satisfacere conatur. Unde bene mox ex voce illius electae multitudinis

subdit: *Vide, Domine, et considera quia facta sum vilis (Thren. I, 11)*. Vilis quippe plebs Dei efficitur, quando pravorum numero crescente, in eis non summa et coelestia, sed abjecta et terrena sectatur.

[*Vet. XXVII.*] 50. *Quidquid sapit, vi tentationis amarescit.*--- Eliu itaque quid aliud panem quam praesentis vitae delectationem vocat? Qui postquam vim tentationis expressit, illico subdidit: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis*, quia videlicet omne quod prius de ipsa prosperitate vivendi dulce sapiebat, postmodum per vim tentationis amarescit. Nonnunquam vero quidquid gaudii, quidquid virtutis favere videbatur, subito in pavore tentationis amittitur, et quasi evacuatus eisdem virtutibus tristis animus solo moerore possidetur. Cum enim paulo vehementius impulsu tentationis afficitur, quia exerere vim solitae fortitudinis non valet, eam jam velut perditam dolet, seque ex se vacuum sentiens, infirmitatem suam ex ipsa sua inanitate cognoscit. Unde ab omni mox jucunditate quasi frangitur; et escas prioris laetitiae respuens, eo quem solum libenter appetit luctu satiatur. Unusquisque enim cum sibi bene vivendi prosperitas arridet hilaescit, atque ipsa hilaritas animum velut desiderabilis cibus reficit. Sed cum tentatione paulo amplius imminente pulsatur, a mente ejus per moeroris fastidium gaudium omne respuitur, quae prius eodem gaudio quasi satiata laetabatur. Quia igitur homo tentatus ab ore cordis omnem cibum respuit delectationis, nihilque eum aliud quam semetipsum et cognoscere et flere delectat, bene dicitur: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis*.

51. *Tentationum et flagellorum utilitas.*---Sed, sicut superius diximus (**Num. 48**), idcirco moderamine occultae dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munere in virtute proficimus, etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur; et qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostrae memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus quibus proficimus extollamur. Cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant; flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus, per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur, per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, et flagellis atteri, et aliquando tentari vitiis necesse est. Sive enim in laboribus flagellorum, seu in certamine vitiorum, non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus agnoscimus. (*Rec. XVIII.*) Nemo quippe vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, **758** virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. [*Vet. XXVIII.*] Quia ergo saepe virium merita per flagellorum adversa patefiunt, apte Eliu subjungit, dicens:

CAPUT XXVI.

VERS. 21.---*Tabescet caro illius, et ossa quae tecta fuerant nudabuntur.*

32. *Nemo quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit.*--- Cum enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internae fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Vel quid per ossa nisi virtutes animae designantur? Tabescit ergo caro, et ossa nudantur, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quae dudum quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit nisi inter adversa cognoscit. Cum enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Unde alias scriptum est: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit (Psal. XLI, 9)*; quia videlicet unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit, in adversitate perturbationis ostendit. Tabescat ergo caro, ut nudentur ossa. Feriamur paternis correptionibus, ut quantum proficimus agnoscamus. Flagellis enim Domini pinguedo carnalis delectationis atteritur, sed virtutum nostrarum ossa patefiunt. Decus nostrum exterius ipsa hujus mundi adversitate foedatur, sed quid in nobis intrinsecus latebat ostenditur. Caesis namque apostolis denuntiatus est ne loquerentur ultra in nomine Jesu, sed magna exultatione gavisii sunt, quod digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, suisque adversariis cum fiducia responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus (Act. V, 29)*. Ecce inter adversa validius fidei robur emicuit; ecce concisa est integritas carnum, sed patefacta sunt ossa virtutum. Hinc de eis per Sapientiam dicitur: *Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se (Sap. III, 5)*. Tentati

sunt quippe adversitate plagarum, sed digni inventi sunt nudatione ossium. Nam quia haec eorum illa tentatio est quae ex flagellis adhibetur, illic aperte declaratur, dum sequitur: *Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos* (**Sap. III, 6**). Quia ergo uniuscujusque vires non nisi per adversa patefiunt, bene dicitur: *Tabescet enim caro ejus, et ossa quae tecta fuerant nudabuntur*. Tabescit enim caro, dum omne quod fluxum infirmumque est flagellis atteritur. Nudantur ossa, dum per haec in nobis etiam quod validum latet aperitur. Quia vero, sicut et superius dictum est, in ipsa adversitate tentationis non solum detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis, et tentatus quisque ostendit quidem quantum de Deo profecerit, sed in ipsis flagellorum afflictionibus etiam quantum de semetipso sit infirmus agnoscit, quia non tantummodo nudantur ossa, sed etiam tabescit caro, apte subjungitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XIX*].

VERS. 22.--- *Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.*

53. *A corruptela, cum magis imminere videtur in tentatione, liberamur.*---Tentati enim uniuscujusque justi anima corruptioni appropinquare dicitur quando, ne eam virtus possit extollere, per flagella compellitur quid **759** sit ex propria infirmitate sentire. Corruptioni videlicet appropinquat, quia ex suis se viribus perditioni proximum

non ignorat, ut hoc quod a perditione longe est, non sibi, sed Domino tribuat. Appropinquat vero mortiferis, quia ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit, a quibus divino munere tanto magis longe fit, quanto se eis proximum ex suis meritis deprehendit. Per contemplationem conditionis suae David corruptioni appropinquaverat, cum dicebat: *Memento, Domine, quod pulvis sumus: homo sicut fenum dies ejus* (**Psal. CII, 15**). Per contemplationem quoque infirmitatis propriae Paulus mortiferis appropinquaverat, cum dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (**Rom. VII, 23**)? Corruptioni ergo et mortiferis appropinquare est, considerata infirmitate humanitatis suae, peccatorem se ex suis meritis cernere, atque apud se arrogantiam ex propriis viribus non habere. Quid enim sumus, si a conditoris nostri protectione deseramus? Quae nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo quam sine illa nihil sit ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quae etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti dum cadere incipimus, et tamen adjuti retinemur, et doctrina fit quod in lapsu trepidamus, et custodia quod in statu permanemus.

760 54. *Nunquam de viribus nostris praesumendum.*---Nemo ergo se alicujus virtutis aestimet, etiam cum quid fortiter potest, quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Samariae ad prophetandum directus

praesente rege auctoritatem liberae vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit (**III Reg. XIII, 4**)? cujus in domo invitatus comedere noluit, quia ne in via comederet, prohibitionis dominicae praecepta servavit? Qui tamen in eadem via et seductus comedit, et pastus interiit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus, quid, ut ita dixerim, formidando suspicamur, nisi quod forsitan apud semetipsum tacitus pro praeceptis dominicis regem se contempsisse gloriabatur? Unde ab interna mox soliditate quassatus est; et inde ei in opere culpa subrepsit, unde gloria in corde surrexit, ut prophetae falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriae fortitudinis fuerit, quod ad regis verba restitisset. Bene autem ex ejus ore mortis sententiam accepit, cujus seductione a vitae praecepto deviavit, ut inde poenam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset. Quia igitur unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit, dicatur recte: *Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis*, ut quo se suis viribus vicinum morti per adversa considerat, eo in cunctis quae fortiter egerit, ad divinae spei munimen fugiens solidius vivat.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS. *Exponuntur undecim versus posteriores cap. XXXIII, et octodecim priores cap. XXXIV, praeclaraque de Christo mediatore, de contemplatione, de*

*conversionis ordine, de pastoralis officio
docentur.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Cuncti, etiam electi, tentationibus obnoxii sunt.*---Eliu vim supernae dispensationis insinuans, de electi uniuscujusque percussione intulit, dicens: *Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.* Et dum tentatum hominem demonstrat unum, in qua tentatione sit positum humanum genus ostendit universum; dumque narrat quid specialiter agatur in singulis, liquido intimat quid generaliter agatur in cunctis. Sic enim tentationem expressit quorundam, proprie singulorum, ut possit intelligi et universaliter omnium. Cunctum quippe electorum genus in hac vita hujus taedio laboris afficitur. Unde et mox huic generali pestilentiae generale subintulit remedium medicinae, dicens:

CAPUT II.

CAP. XXXIII, VERS. 23, 24.---*Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis aequitatem, miserebitur ejus.*

[*Rec. II.*] 2. *Christus Deus et homo pro hominibus Deum interpellat. Incarnationis oeconomia.*---Quis enim est iste angelus, nisi ille qui per prophetam dicitur: *Magni consilii angelus (Is. IX, 6, sec. LXX)*? Quia enim Graeca lingua evangelizare denuntiare dicitur, semetipsum nobis annuntians Dominus angelus vocatur. Et bene ait: *Si fuerit pro eo angelus loquens*, quia, sicut ait Apostolus, etiam interpellat pro nobis (**Rom. VIII, 34**). Sed quid pro nobis loquatur, audiamus: *Unum de similibus*. Mos medicinae est ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam saepe calida calidis, frigida frigidis; saepe autem frigida calidis, calida frigidis sanare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, et quiddam contrarium apposit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus. Concordavit nobis veritate naturae, sed discrepavit a nobis vigore justitiae. Vitiosus enim homo corrigi non poterat nisi per Deum. Videri autem debuit qui corriperebat, ut praebendo imitationis formam, anteactae malitiae mutarent vitam. Sed videri ab homine non poterat Deus; ergo homo factus est, ut videri potuisset. [*Vet. II.*] Justus igitur atque invisibilis Deus, apparuit **761** similis nobis homo visibilis, ut dum videtur ex simili, curaret ex justo; et dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obviaret aegritudini.

3. *Dominus in carne veniens, nec culpam ex vitio, nec poenam ex necessitate suscepit.*---Quia ergo in carne veniens Dominus, non culpam nostram ex vitio, non poenam ex necessitate suscepit (nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem

nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit), recte dicitur quod pro tentato homine iste angelus unum de similibus loquitur, quia nec ita natus ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim cooperante coitu, sed Spiritu sancto superveniente conceptus est (**Luc. I, 33**). Natus autem materna viscera et fecunda exhibuit, et incorrupta servavit. Rursum nos omnes cum nolumus morimur, quia ad solvendae poenae debitum culpae nostrae conditione coarctamur; ille autem, quia nulli admistus est culpae, nulli ex necessitate succubuit poenae. Sed quia culpam nostram dominando subdidit, poenam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (**Joan. X, 18**). Qui etiam praemisit: *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso*. Rursum non ut reliqui suscitatus est, quia nostra resurrectio in saeculi finem dilata est, illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgimus, nam ipse per se. Neque enim qui Deus erat sicut nos ab alio ut resuscitari potuisset indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat a nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus, sicut ipse. Pro eo enim quod simpliciter homines sumus, superiori adjutorio ut resurgere valeamus indigemus. Ille autem ejusdem resurrectionis vim cum Patre et Spiritu sancto Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. [*Vet. III.*] Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere suscitatus, in omnibus tamen distat a nobis magnitudine potentiae, sed sola concordat nobis veritate naturae, bene dicitur, quia pro nobis angelus iste unum de similibus loquitur. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen a nobis, id est in formae veritate non discrepat.

4. *Pro nobis Patri loquitur, cum se nobis similem ostendit.*--- Per hoc pro nobis Patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippe ejus, vel interpellare, est ipsum se pro hominibus hominem demonstrare. Et bene cum dixisset: *Unum de similibus loquitur*, illico adjunxit: *Ut annuntiet hominis aequitatem*. Quia nisi ille hominibus similis fieret, aequus homo ante Deum non appareret. Inde quippe annuntiat aequitatem nostram, unde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Omnes videlicet nos inimica illa persuasio in culpa contagio ab ipsa radice polluerat (**Genes. III, 5**), nullusque erat qui apud Deum pro peccatoribus loquens, a peccato liber appareret, quia ex eadem massa editos aequae cunctos par reatus involverat (**Rom. V, 11**). Proinde venit ad nos Unigenitus Patris, assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe **762** esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset, quia nimirum alienae pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Bene ergo dicitur quia in eo quod similis nobis apparuit, aequitatem hominibus annuntiavit. Intercedens enim pro peccatoribus, semetipsum justum hominem qui pro aliis indulgentiam mereretur ostendit. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 24.---*Miserebitur ejus, et dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem, inveni in quo ei propitier.*

5. *Solus Christus nos liberavit, Deumque propitiavit. Fortitudo ex humilitate.*---Mediator Dei et hominum, homo

Christus Jesus in eo miseretur homini, quo formam hominis sumpsit (**I Tim. II, 5; Philipp. II, 7**); qua misericordia pro redempto homine dicit Patri: *Libera eum, ut non descendat in corruptionem*. Sicut jam supra diximus, dicere ejus est *Libera hominem*, naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit. Quae redempta videlicet caro nos sumus, qui cognitione nostri reatus astringimur. Sed Mediatoris tanti aequitate liberamur, sicut ipse ait: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (**Joan. VIII, 36**). Et bene pro hoc redempto homine dicitur: *Non descendat in corruptionem*. [*Vet. IV.*] Superius enim dictum fuerat: *Appropinquabit corruptioni anima ejus*; postmodum dicitur: *Non descendat in corruptionem*. Ac si diceret: Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descendat. Ad corruptionem enim juste descenderet, si suis viribus longe se a corruptione esse judicaret. Sed quia corruptioni appropinquavit humiliter, debet ab ea misericorditer liberari: ut eo contra impugnantia vitia fortis sit, quo se suis meritis agnoscit infirmum. Quisquis enim supra se extollitur, ipso elationis suae pondere gravatur; et eo se in infimis mergit, quo, in superbiae vitium proruens, ab eo qui vere excelsus est elongavit; atque inde magis ima appetit, unde se conjunctum summis aestimavit; sicut per prophetam extolenti se animae dicitur: *Quo pulchrior es descende, et dormi cum incircumcisis* [**Ezech. XXXII, 19**]. Omnis enim qui foeditatem infirmitatis suae considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suae gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit, quia extollendo se de suis meritis, inde in ima interitus corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui

descendens cum incircumcisis dormit, quia in aeterna morte cum caeteris peccatoribus deficit. Quia ergo homo iste humiliter corruptioni se propinquum esse cognovit, bene de eo dicitur: *Libera eum, ut non descendat in corruptionem*, ut eo magis evadat poenam, quo oculos suos non advertit ad culpam. Quia vero nullus erat cujus meritis nobis Dominus propitiari debuisset; Unigenitus Patris, formam infirmitatis nostrae suscipiens, solus justus apparuit, ut pro peccatoribus intercederet (**Phil. II, 7**).

6. *Nullus hominum coram Deo intercessor justus pro hominibus apparuit.*---Et bene pro redempto homine isto loquens angelus dicit: *Inveni in quo propitier ei*. Ac si aperte **763** Mediator Dei et hominum dicat: Quia nullus hominum fuit qui coram Deo intercessor justus pro hominibus appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci, et dum me hominem exhibui, in quo juste hominibus propitiarer inveni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus, dum poenam nostram moriendo toleravit, corruptionem nostram resurgendo mutavit, bene iste angelus mortalitatis nostrae flagella subjungit, eorumque miseretur, dicens:

CAPUT IV.

VERS. 25.---*Consumpta est caro ejus a suppliciis; revertatur ad dies adolescentiae suae.*

7. *A Deo recedentes, nihil nisi quo affligeremur, invenimus.*--
-In illo quippe primo homine a Deo recedente repulsi a paradisi gaudiis, in hanc mortalis vitae aerumnam cecidimus,

et quam gravem culpam serpentis suasionem commisimus (**Genes. III, 23**), poena nostrae ultionis sentimus. Huc enim lapsi, nihil extra Deum, nisi quo affligeremur, invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne, quam praeceptis Dei praeposuvimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur, ut hoc nobis mira dispositione Dominus in poenam verteret, per quod fecimus culpam; nec aliunde esset interim censura supplicii, nisi unde fuerat causa peccati, ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbiae pervenit ad mortem.

8. *A carnalis vitae suppliciis Christus nos eruit, et innovavit.* --Quia ergo innumeris humanum genus carnalis vitae suppliciis premebatur, sed Redemptore nostro veniente, et vitia corruptionis nostrae et tormenta deleta sunt, dicatur de redempto homine: [*Vet. V, Rec. IV.*] *Consumpta est caro ejus a suppliciis; revertatur ad dies adolescentiae suae.* Ac si diceret: Mortalitatis suae poena in quadam vetustatis suae senectute dejectus est; revertatur ad dies adolescentiae suae, id est prioris vitae integritate renovetur, ut non in eo remaneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra saepe adolescentiam pro novitate vitae ponere consuevit. Unde venienti sponso dicitur: *Adolescentulae dilexerunt te* (**Cant. I, 3**); id est, electorum animae gratia baptismatis renovatae, quae non in vitae veteris usu deficiunt, sed novi hominis conversatione decorantur. Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem deflebat ille qui ait: *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (**Psal. VI, 8**). E

contra alius gaudere in virtutibus admonens, dicit: *Laetare, juvenis, in adolescentia tua* (**Eccle. XI, 9**). Ac si diceret: Fortis quisque gaudeat in renovatione sua; id est, laetitiam suam non in vitae veteris voluptate, sed in conversationis novae virtute constituat. Quia vero ad hoc novitatis robur non nostris viribus, sed Redemptore interveniente revocamur, pro hoc flagellato homine deprecans angelus dicat: *Revertatur ad dies adolescentiae suae*. Et quia dum Redemptor noster Patrem pro nobis interpellat, nos quoque vitae pristinae torpore discusso, ad sitim orationis accendimur, apte de hoc homine redempto subjungitur:

CAPUT V.

VERS. 26.---*Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit.*

9. *Christus pro nobis orans ad orandum nos accendit.*---Prius enim postulare angelum, et postmodum hominem dicit, quia nisi ante ipse Dominus **764** per incarnationem suam interpellans Patrem, vitam nostram peteret, nunquam se insensibilitas nostra ad postulanda ea quae aeterna sunt excitaret. Sed incarnationis ejus praecessit oratio, ut torporis nostri evigilatio subsequatur. [*Vet. VI, Rec. V.*] Quia vero post tentationes, saepe post immensas amaritudines menti nostrae in occulto gaudio lux veritatis erumpit; bene de hoc tentato homine et deprecante subjungitur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et videbit faciem ejus in juvito.*

10. *Duplex compunctio, una tristitiae, altera laetitiae lacrymas eliciens. Ex hac ineffabile gaudium oritur.*--- Superius dictum est (**Lib. XXIII, n. 40 et seq.**), quomodo Deus innotescendo afficit, nunc vero dicitur quomodo dum innotescit exhilarat. Aliter enim quisque compungitur, cum, interna intuens, malorum suorum pavore terretur; aliter vero compungitur, cum, gaudia superna conspiciens, spe quadam et securitate roboratur. Illa compunctio afficientes et tristes, haec vero laetas lacrymas movet. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri; et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Unde David propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere quantum sermone non valent aperire, ait: *Beatus populus, qui scit jubilationem* (**Psal. LXXXVIII, 16**). Non enim ait, Qui loquitur; sed, Qui scit, quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dicto exprimi non potest. Sentitur per illam quippe, quod ultra sensum est. Et cum vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiat lingua dicentis? Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans, modo districtam justitiam praetendendo contristat, modo interna gaudia aperiendo laetificat; post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus, apte subjungitur: *Videbit faciem ejus in júbilo.*

11. *Ad illud non pervenitur nisi prius purgata igne tribulationis mente.*---Menti enim nostrae de consideratione caecitatis suae prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum aerugo concremetur; et tunc mundatis oculis cordis illa laetitia patriae coelestis aperitur, ut prius purgemus lugendo quod fecimus; et postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quaeramus. Prius a mentis acie exurente tristitia interposita malorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo utcunque conspecto, in gaudio cujusdam securitatis absorbetur, et quasi post defectum vitae praesentis ultra se rapta, in quadam novitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur; ibi non se sufficere ad id quod rapta est contemplatur, et veritatem sentiendo, videt quia quanta est ipsa veritas, non videt. Cui veritati tanto magis se longe existimat, quanto magis appropinquat, quia nisi illam utcunque conspiceret, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret.

12. *Animus in contemplatione luce divina reverberatus ad se relabitur. Contemplatio non est solida et permanens visio.*---Adniscus ergo animi, dum in illam intenditur, immensitatis ejus coruscante circumstantia reverberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circumstat; et idcirco mens nostra nequaquam se ad comprehendendam incircumscriptam circumstantiam **765** dilatat, quia eam inopia suae circumscriptionis angustat. Unde et ad semetipsam citius labitur, et prospectis quasi quibusdam veritatis vestigiis, ad sua ima revocatur. Haec ipsa tamen per contemplationem facta non solida et permanens visio, sed, ut ita dixerim, quasi

quaedam visionis imitatio, Dei facies dicitur. [*Vet. VII.*] Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem ejus vocamus. Unde Jacob postquam cum angelo luctatus est, ait: *Vidi Dominum facie ad faciem* (**Genes. XXXII, 30**). Ac si diceret: Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus testatur in fine dicens: *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (**I Cor. XIII, 12**). Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus, saepe in excessu anima suspenditur, ut cognitionem divinae praesentiae contempletur, quam tamen praesentiam et sentire possit, et explere non possit, recte post tot labores de hoc tentato homine dicitur: *Videbit faciem ejus in jubilo*. Quia vero unusquisque quanto amplius coelestia contemplatur, tanto magis a terrena operatione corrigitur, bene post gratiam contemplationis, justitiam subdit operationis, dicens:

CAPUT VII.

IBID. *Et reddet homini justitiam suam.*

13. *Qua ratione justitia, nostra dicatur.*---Justitia nostra dicitur, non quae ex nostro nostra est, sed quae divina largitate fit nostra, sicut in Dominica oratione dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (**Matth. VI, 11; Luc. XI, 3**). Ecce et nostrum dicimus; et tamen, ut detur oramus. Noster quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, et noster fit veraciter per

acceptionem. Ita ergo hoc loco homini suam justitiam Dominus reddit, non quam ex semetipso habuit, sed quam conditus ut haberet accepit, et in qua lapsus perseverare noluit. Illam ergo justitiam reddet Deus homini, ad quam conditus fuit, ut inhaerere Deo libeat, ut minacem ejus sententiam pertimescat, ut serpentis callidi blandis jam promissionibus non credat.

14. *Quotidie diabolus verba Dei de cordibus hominum conatur evellere.*---Quod enim in paradiso egit (**Genes. III, 5**), hoc quotidie antiquus hostis agere non desistit. Verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promissionis suae blandimenta radicare; quotidie id quod Deus minatur levigat, et ad hoc credendum quod falsum promittit invitat. Falso enim pollicetur temporalia, ut mentibus hominum ea supplicia leviget quae Deus minatur aeterna. Nam cum praesentis vitae gloriam spondet, quid aliud dicit quam, *Gustate, et eritis sicut dii?* [*Vet. VIII.*] Ac si aperte dicat: Temporalem concupiscentiam tangite, et in hoc mundo sublimes apparete. Et cum timorem divinae sententiae amovere conatur, quid aliud loquitur quam id quod primis hominibus dixit: *Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi* (**Genes. III, 1**)? Sed quia divino munere redemptus homo justitiam recepit, quam dudum conditus amisit, robustiorem se jam contra blandimenta callidae persuasionis exercet, quia experimento didicit quantum obediens esse debeat praecepto. Et quem tunc culpa duxit ad poenam, nunc poena sua restringit a culpa, ut tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio et ipse jam quod perpetravit accusat. Unde et sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VI*].

VERS. 27---*Respiciet homines, et dicet: Peccavi.*

766 15. *Qui sanctorum Patrum exempla respicit, peccatorem se intelligit, quod justitiae est initium.*---Se peccatorem non cognosceret, si justitiam non haberet. Nemo quippe tortitudinem suam, nisi cum rectus esse coeperit, deprehendit. Nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre quod est. Qui vero peccatorem se intelligit, jam ex parte aliqua justus esse inchoavit, atque id quod non justus fecerat, ex eo quod justus est accusat. Qua accusatione sua Deo inhaerere inchoat, dum rectum contra se judicium proferens, hoc in se quod illi sentit displicere condemnat. Recepta ergo justitia sua dicit homo iste: *Peccavi*. Et notandum quod praemittitur: *Respicit homines*; et tunc deinde subjungitur: *Et dicet, Peccavi*. Ideo enim nonnulli peccasse se nesciunt, quia homines non attendunt. Nam si considerarent homines, citius agnoscerent quantum peccando infra homines cecidissent. Et quamvis Scriptura sacra aliquando homines ponere soleat humana sapientes, sicut ait Apostolus: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis (I Cor. III, 3)?* et paulo post subjicit, dicens: *Nonne homines estis?* nonnunquam tamen homines dicit eos quos a bestiis ratio distinguit, id est quos non atteri bestiali passionum motu demonstrat. Quibus per prophetam Dominus dicit: *Vos autem greges pascuae meae homines estis (Ezech. XXXIV, 31)*, quia illos nimirum Dominus pascit, quos voluptas carnis jumentorum more non afficit. At contra hi qui

carnali affectioni succumbunt, non jam homines, sed jumenta nominantur, sicut de quibusdam in peccato suo morientibus per prophetam dicitur: *Computruerunt jumenta in stercore suo* (Joel. I, 17). Jumenta quippe in stercore suo computrescere est carnales homines in fetore luxuriae vitam finire. Non enim esse homines, sed jumenta declarantur, de quibus per prophetam dicitur: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (Jerem. V, 8). Et de quibus propheta alius dicit: *Ut carnes asinorum, carnes eorum; et fluxus equorum, fluxus eorum* (Ezech. XXIII, 20). Unde et per David dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. XLVIII, 13). Cum ergo vocentur homines hi qui justitiae ratione suffulti sunt, et irrationabilia jumenta nominantur hi qui carnali delectationi deserviunt, recte de hoc poenitente dicitur: *Respiciet homines, et dicet: Peccavi.* [Vet. IX.] Ac si dicatur: Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere qualis non est ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte, quae sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit foeditatem suam, quam in semetipso et potest perpeti, et sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare, ut in illa videat quid de tenebris aestimet, per quas videre praepeditur. Peccator namque si incognita vita justorum semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia, fulgorem lucis nesciens, cum semetipsum conspicit, quid aliud quam tenebras attendit? Justorum ergo

debemus vitam conspicerere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species, quasi quaedam formam nobis imitanda proponitur.

767 16. *Justi libri sunt, ex quibus judicabimur.*--- Viva lectio est vita bonorum; unde et non immerito iidem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est: *Libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitae, et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris (Apoc. XX, 12).* Liber namque vitae est ipsa visio advenientis iudicis. In quo quasi scriptum est omne mandatum, quia quisquis eum viderit, mox, teste conscientia, quidquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata coelestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris, quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione damnantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat. Quod quidem facere electi non cessant. Meliorum namque vitam considerant, et deterioris usus conversationem mutant.

[*Vet. X.*] 17. *Et lilia inter quae pasci debemus.*---Unde sponsi voce sanctae Ecclesiae in Canticis canticorum dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae (Cant. IV, 5).* Quae enim sunt duo ubera, nisi ex Iudaea ac gentilitate veniens uterque populus, qui in sanctae Ecclesiae corpore per intentionem sapientiae arcana est cordis infixus? Ex quo populo hi qui electi sunt idcirco capreae hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem parvos sese ac peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currentibus, si qua obstacula

de impedimento temporalitatis obviant, transeunt, et datis contemplationis saltibus, ad superna conscendunt. Qui ut haec agant praecedentium sanctorum exempla conspiciunt. Unde et in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus Deo* (II Cor. II, 15)? Electi ergo ut assequi summa praevaleant, conspecta odorifera et candida justorum vita, satiantur. Jam quidem videre Dominum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari charitatis aestibus inardescunt. Sed quia in hac vita positi necdum valent, per praecedentium interim Patrum exempla pascuntur. Unde et apte illic tempus de ipso liliorum pastu definitur, dum dicitur: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae*. Tandiu quippe refici justorum exemplis indigemus, donec praesentis mortalitatis umbras, aeterno die aspirante, transeamus. Cum enim hujus temporalitatis umbra, transacta hac mortalitate, fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est ut eorum qui illum perfecte secuti sunt conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quam pulchra est agilitas sequentium, et videamus quam turpis sit nebetudo pigrorum. Statim namque, ut bene agentium gesta respicimus, nosmetipsos confusione intima ulciscente judicamus: mox verecundia mentem concutit, mox juste saeviens reatus addicit; et vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet.

18. *Justus templum Dei est, ex cujus conspectu de iniquitatibus nostris confundimur.*---Unde bene per Ezechielem dicitur: *Fili hominis, 768 ostende domui Israel*

templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quae fecerunt (Ezech. XLIII, 10). Templum quippe Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando uniuscujusque justus anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat, ad confusionem suam peccatoribus demonstratur, ut in illa bonum quod negligunt videant, et in seipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero fabricam est pensare subtiliter justorum vitam. Sed dum metitur fabricam, necesse est ut ex cunctis quae fecimus erubescamus, quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem prophetae dicitur ut ostendat templum. Quia enim justorum rectitudinem considerare peccator dissimulat, saltem hanc ex voce praedicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere est sponte sua considerare nolentibus rectorum opera narrare. Qui itaque, sicut diximus, perducere ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum propectibus intendant, quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius quod admirentur vident.

19. *Ipsi justus ex aliorum sanctorum consideratione proficiunt.*---Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos quoque operadores justitiae tanta provehi dispensatione videamus (**I Cor. XII, 8, 9, 10 et 11**)? Alius namque donum scientiae accipit, et tamen ad virtutem mirae abstinentiae non pertingit. Alius magna abstinentiae virtute accingitur, nec tamen in summa scientiae contemplatione dilatatur. Alius per prophetiae spiritum valet omnia ventura praenoscerere, sed tamen per curationis gratiam non valet praesentis molestiae mala sublevare. Alius per curationis gratiam mala praesentis

molestiae subleuat, sed tamen quia prophetiae spiritum non habet, quid sequatur ignorat. Alius indigentibus multa jam propria largiri potest, sed tamen injuste agentibus obviare libere non potest. Alius injuste agentibus audacter pro Deo obviat, sed tamen indigentibus quae habet tribuere omnia recusat. Alius jam et ab otioso se sermone restringens, linguae lasciviam superat, sed tamen adhuc insurgentes irae stimulos perfecte non calcit. Alius insurgentem iram jam perfecte edomat, sed tamen adhuc linguam in laetitiam relaxat. Quid est hoc, quod iste eo bono indiget quo alius pollet; et ille, cum multis polleat, abunde aliis bonum adesse considerat quod sibi deesse suspirat, nisi quod mira nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc quod alter habet, et iste non habet, unus altero melior ostendatur, quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat, quanto ex bonis quae non habet inferiorem se habentibus pensat? Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona et ab altitudine elationis reprimant, et ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine ad curam nostrae meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Unde Ezechiel propheta, cum volantia animalia descripsisset, adjunxit: *Et audiui post me vocem commotionis magnae: Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, et vocem alarum animalium percutientium* **769** *alteram ad alteram* (**Ezech. III, 12**). Quid namque alas animalium, nisi virtutes debemus sentire sanctorum? Qui dum terrena despiciunt, ad coelestia volando sublevantur. [*Vet. XI.*] Unde recte etiam per Isaiam dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae* (**Isai. XL, 31**). Volantia itaque animalia alis suis se vicissim feriunt, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis

invicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriae me ad melius accendit. Et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo.

20. *Quod exemplo sanctorum apostolorum Pauli et Petri confirmatur.*---Sed quia sanctorum vitam significari istis animalibus diximus, libet in ipso volatu animalium oculos mentis attollere, et quanta vicissim alarum percussione se excitent, subtili consideratione pensare. Paulus namque, cum caeterorum sanctorum sollicitudinem in praedicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, et vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suae antiquae non immemor, apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: *Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9)*. Et tamen eorundem omnium apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur, dicens: *Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficulta intellectu (II Petr. III, 15)*. Ecce Paulus in apostolis miratur innocentiam, ecce apostolorum princeps miratur in Paulo sapientiam. [*Vet. XII.*] Quid est hoc, nisi quod sancti viri, dum virtutum consideratione vicissim sibi alios praeferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, ut eo ad volatum se altius excitent, quo humilior alter in altero quod admiretur videt? Hinc itaque colligendum est quanta debemus sollicitudine meliorum vitam conspiciere nos, qui in infimis jacemus, si et hi qui jam tanta sanctitate

sublimes sunt, ut per humilitatis gressum ad maiora proficiant, adhuc quaerunt in aliis quod imitantes admirentur.

21. *Reprobi ad deteriorum exempla semper convertuntur.*--- Sed haec reprobi nesciunt, quia mentis oculos semper in infimis premunt, qui et si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se praeferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores se esse gloriantur; et idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere aestimant, quod pessimos antecedunt. O miseri, viam pergunt, et in terga respiciunt. Per spem quidem, quasi ante se pedem proferunt, sed per considerationem pravorum hominum post se oculos tendunt. Recti videri appetunt, sed ad inveniendos se tortam regulam sumunt. Si enim semetipsos quales sunt cognoscere appetunt, non deteriorum conspiciere, sed meliorum exempla debuerant. Idcirco ergo peccatores se esse non intelligunt, quia homines non attendunt. Nam si homines attenderent quantum 770 peccando distarent a bonis hominibus, invenirent. De hoc ergo poenitente qui idcirco bonorum exempla considerat ut sibimetipsi quantum a bono recessit innotescat bene dicitur:

CAPUT IX.

VERS. 27.---*Respiciet homines et dicet: Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi.*

22. *Dum se fecte peccatores esse confitentur, de confessione peccati ornari volunt, non humiliari.*--- Peccatores se esse plerumque confitentur etiam qui se peccasse non credunt. Nam saepe contingit ut passim se homines iniquos esse fateantur, sed cum peccata sua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt se summopere, atque innocentes videri conantur. Unusquisque ergo cum talis est, si deliquisse se dicit, vere non dicit, quippe qui peccatorem se non ex cordis intimo, sed verbotenus asserit. Quia enim scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* (**Prov. XVIII, 17**), iste de confessione peccati ornari voluit, non humiliari; per accusationem suam humilis appetiit videri, non esse. Nam si confitendo peccatum esse humilis veraciter appeteret, de perpetratione peccati arguentes se alios non impugnaret. Itaque justus vitam suam judicans per exempla meliorum ex cordis intimo cognoscit se esse quod dicit. Ait enim: *Peccavi, et vere deliqui*. Atque de eo ipso quod tolerat flagello subjungit: *Et ut eram dignus non recepi*.

23. *Qui pro peccatis flagellatur, minus se percussum quam mereatur, agnoscat. Paena nos interrogat, si vere culpam agnoscamus.*---Unusquisque enim in flagello positus minus adhuc peccata sua considerat, si vel tantum vel amplius se percussum quam merebatur existimat. Iste autem, quia quanto majorum exempla considerat, tanto districtiori examinatione se pensat, minus se percussum quam merebatur agnoscit, quia in illorum justitia conspicit quam gravis sibi culpa fuerit quod erravit; et idcirco hoc quod patitur districtum esse non sentit, quia districte novit pensare quod fecit. Valde autem facile est ut peccatorem se quisque, cum nihil pro peccato suo patitur fateatur. Secure videlicet iniquos nos dicimus, cum

vindictam nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos quidem in tranquillitate loquimur, sed cum de peccatis ipsis flagello interveniente corripimur, murmuramus. Poena ergo nos interrogat, si veraciter cognoscimus culpam. Vir itaque justus, quia culpam suam districte considerat, etiam in flagello positus dicat: *Et ut dignus eram non recepi*. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 28.---*Liberavit enim animam suam, ne pergeret in interitum.*

24. *Gratiae praevenientis et liberi arbitrii subsequentis concordia.*---Quia praeveniente divina gratia in operatione bona, nostrum liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus. Unde Paulus, cum diceret: *Abundantius illis omnibus laboravi (I Cor. XV, 10)*, ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*. Quia enim praevenientem Dei gratiam in se per liberum arbitrium fuerat subsecutus, apte subjungit, *Mecum*: ut et divino muneri non esset ingratus, et tamen a merito liberi arbitrii non remaneret extraneus. De hoc autem qui liberatori suo semetipsum cognoscendo consensit, recte dicit: *Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum*. Sequitur:

IBID.---*Sed vivens lucem videret.*

Lucem scilicet veritatis quam corde mortuus videre non posset. Vel certe, quia Dominus dixit: *Ego sum lux mundi* (Joan. VIII, 12), videbunt lucem etiam mortui, 771 quando omnes iniusti eum venire ad iudicium in humanitatis forma conspexerint. Sed vivens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma eum divinitatis attendit. Sequitur:

CAPUT XI. [Rec. VII].

VERS. 29.---*Haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.*

25. *Tribus vicibus electi prius maerore, posterius gaudio affici solent.*---De hoc tentato flagellatoque homine dictum superius fuerat: *Abominabilis ei fit in vita sua panis; et appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.* Inferius vero subnexum est: *Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit; et videbit faciem ejus in jubilo, et liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.* In his itaque jam collectis coacervatisque sententiis, et supra moeror amaritudinis, et infra subjuncta est laetitia securitatis; moxque post haec dicitur: *Haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.* Ac si diceret: Quod semel de uno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendum est quae tres istae vices sint quibus unusquisque homo anxietate moeroris afficitur, et post moerorem protinus ad securitatem laetitiae revocatur. Id enim superius, sicut jam dixi, narraverat, quod et gravis prius moeror afficit,

et magna postmodum laetitia attollit. Igitur si vigilanter intendimus, has tres vices moeroris et laetitiae in uniuscujusque electi animo istis alternari modis invenimus, id est conversione, tentatione et morte.

26. 1. *In conversione, cum hinc spiritus vocat, hinc caro revocat.*---In prima quippe quam diximus conversionis vice gravis moeror est, cum sua unusquisque peccata considerans, curarum saecularium vult compedes rumpere, et viam Dei per spatium securae conversationis ambulare; desideriorum temporalium onus grave abjicere, et leve jugum Domini libera servitute portare. Cogitanti enim ista occurrit illa familiaris sua delectatio carnalis, quae inveterata dudum, quanto eum diutius tenuit, tanto arctius astringit, atque a se tardius abire permittit. Et quis ibi moeror, quae anxietas cordis, quando hinc spiritus vocat, hinc caro revocat; hinc amor novae conversationis invitat, hinc usus vetustae perversitatis impugnat; hinc desiderio ad coelestem patriam flagrat, et hinc in semetipso carnalem concupiscentiam tolerat, quae eum etiam aliquo modo invitum delectat? Recte ergo de hoc amarescente homine dici potest: *Abominabilis ei fit in vita sua panis; et appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.* Sed quia divina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum nostrorum vinculis citius nos ad libertatem novae conversationis consolando perducit, et praecedentem tristitiam subsequens laetitia refovet; ita ut conversi uniuscujusque animus eo magis ad votum suum perveniendo gaudeat, quo magis se pro illo meminit laborando doluisse. Fit cordi immensa laetitia, quia ei quem desiderat, jam per spem securitatis propinquat, ut recte de hoc dici

debeat: *Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit; et videbit faciem ejus in jubilo.* Vel certe: *Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.*

27. 2. *In tentationum exercitatione. Acriores sunt post conversionem tentationum stimuli.*---At ne conversus quisque jam sanctum se esse credat, et quem moeroris pugna superare non valuit, ipsa postmodum securitas sternat, dispensante Deo **772** permittitur ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigetur. Jam quidem per conversionem Rubrum mare transitum est; sed adhuc in eremo vitae praesentis ante faciem hostes occurrunt. Jam peccata praeterita velut extinctos Aegyptios post terga relinquimus; sed adhuc nocentia vitia, quasi alii hostes obviant, ut ad terram promissionis pergentibus coeptum iter intercludant. Jam priores culpaе, velut insequentes adversarii, sola divina virtute prostratae sunt, sed tentationum stimuli, quasi hostes alii contra faciem veniunt, qui et cum nostro labore superentur. Conversio videlicet securitatem parit, mater autem negligentiae solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* (**Eccli. II, 1**). Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex jure propriae habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit (**Matth. IV, 1**), qui diabolum non nisi post baptismum se tentare permisit, ut signum

nobis quoddam futurae conversionis innueret, quod membra ejus postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Post primam igitur vicem moeroris atque laetitiae, quam unusquisque per studium conversionis agnoscit, haec secunda suboritur, quia ne securitatis negligentia dissolvatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conversionis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum experitur probationis.

[*Vet. XIII.*] 28. *Tres conversionis gradus.*---Tres quippe modi sunt conversorum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt, quae consolentur; postmodum amara, quae exerceant; et tunc demum suavia atque sublimia, quae confirmant. Nam et sponsam suam vir quisque prius dulcibus blandimentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis increpationibus probat, probatam vero securis cogitationibus possidet. Unde et plebs Israelitica, cum despondente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Aegypto vocaretur, quasi arrharum vice prius accepit blandimenta signorum; conjuncta autem, probationibus exercetur in eremo; probata vero, in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. Ante igitur in miraculis degustavit quod appeteret, postmodum in labore tentata est si custodire noverit quod gustasset; ad extremum quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodivit. Ita ergo vitam uniuscujusque conversi, et inchoatio blanda permulcet, et aspera medietas probat, et plena post perfectio roborat.

29. *Initia conversionis pacatissima excipiunt graves tentationes.* Nam saepe conversi quique in ipso adhuc aditu inchoationis suae, vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiae, vel praedicamenta doctrinae, **773** vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt (**I Cor. XII, 10**); post haec autem duris tentationum probationibus fatigantur, a quibus tentationibus adhuc, cum inciperent, valde liberos se esse crediderunt. Quod divinae gratiae dispensatione agitur, ne in inchoatione sua tentationum asperitate tangantur, quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea quae reliquerant redirent quam nec longius discesserant; nam contemptis prius vitiis, quasi juxta positis replicarentur [*Quasi reimplicarentur, seu iterum implicarentur*]. Unde et scriptum est: *Cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Dominus per viam terrae Philisthiim, quae vicina est, reputans ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum* (**Exod. XIII, 17**). Ex Aegypto itaque exeuntibus e vicino bello subtrahuntur, quia derelinquentibus saeculum quaedam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaserunt. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur; post cognitam vero dulcedinem, tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament. Unde et Petrus prius in montem ducitur, prius claritatem transfigurationis Dominicae contemplatur (**Marc. IX, 1**), et tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur (**Matth. XXVI, 70**), ut per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo et amando recurreret quod vidisset; et cum eum timoris unda

in peccati pelagus raperet (**Matth. XIV, 24**), esset prioris dulcedinis anchora quae retineret. Saepe autem tam diutina sunt tentationum certamina, quam longa inchoationum fuerant blandimenta. Saepe vero majus datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis. Saepe minus in inchoatione dulcedinis, majus in labore probationis. Nunquam vero laborem tentationis dispar sequitur perfectio firmitatis, quia juxta summam certaminis remuneratur quisque plenitudine perfectionis. Plerumque autem in eo quisque conversus labitur, quod dum quibusdam donis gratiae, dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, et plenitudinis consummationem aestimat, quae adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Unde fit ut dum subita tentationis procella tangitur, despectum se Deo et perditum suspicetur. Qui si inchoationi suae non passim crederet, adhuc in prosperis positus, mentem ad adversa praepararet, et vitiis venientibus postmodum tam firmiter resisteret quam ea etiam sagacius praevidisset. Quae quidem tranquillius si praevidet tolerat. Eorum tamen omnino certamina, etiamsi praevideat, non declinat, quia cursus nostri itineris nequaquam peragitur sine pulvere tentationis.

30. *Cur tentationes post conversionem acriores quam ante videantur.*---Plerumque autem conversus quisque talibus tentationum stimulis agitur, qualibus ante conversionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur, non quia tunc haec eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. [*Vet. XIV.*] Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus, saepe sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat nesciat, quia dum per multa 774 spargitur, ab interna sui cognitione removetur. Si

autem Deo vacare appetat, et ramos multimodae cogitationis abscidat, tunc libere conspicit, quod de intima radice carnis procedit. Carduus namque si nascatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipso usu transeuntium ejus superficies ne appareat confricatur. Sed quamvis desuper fruticantes spinae non appareant, subter tamen radix occulta perdurat. Si autem eum transeuntium pedes terere et calcare cessaverint, mox in superficiem surgendo progreditur, et per spinam prodit in publicum quidquid in radice vivebat occultum. Ita et in corde saecularium saepe occulta quaedam tentationum radix non facile apparet exsurgere, quia velut in via actionum sita transeuntium teritur pede cogitationum, et per innumeras curas quasi multis itinerantibus premitur, ne videatur. Si autem per conversionis gratiam a via cordis curarum turba removetur, ut nulla actionum insolentia conterat, nullus cogitationum tumultus premat, tunc quod occultum latebat agnoscitur, tunc de radice vitiorum pungit libere spina tentationum. Contra quam bene viventis manu agitur ut, in quantum potest fieri, non tegatur occulta, sed radicitus evellatur. Quod donec fiat, uniuscujusque conversi animum ita haec spina conturbat, ut saepe percussione subita pene superari se sentiat, ejusque vulnus medullitus inflictum exitialiter pertimescat.

[*Vet. XV.*] 31. *Tentationes, cum ob assiduitatem despiciuntur, periculosae. Deus tentationibus probat, non reprobat.*--- Plerumque vero ipsi tentationum stimuli, dum in usum veniunt, dilatantur, et non quidem acriores, sed longiores existunt. Minus autem dolent, sed magis inficiunt, quia dum menti diutius adhaerent, tanto fiunt minus pavendi, quanto magis assueti. Inter haec ergo deprehensa mens huc illucque

distenditur, et multiplicibus tentationum aestibus dissipatur, et saepe hinc inde provocata, cui tentanti vitio obviet, vel quod primum impugnet, ignorat. Unde plerumque evenit ut dum nimis insurgentia vitia cruciant, dum repugnantis animum jamjamque quasi in lapsum desperationis inclinant, conversus quisque hanc ipsam sublimitatis viam, quam sibi ad remedium eligit, expavescat, et quasi in summo eductus titubat, qui in imo solidius stabat. Ita vero circumfremetibus tentationum motibus angustatur, ut recte de eo dici debeat: *Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis*. Vel certe: *Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis*. Sed quia misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari, sicut scriptum est: *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere (I Cor. X, 13)*, citius nobis consolationis ope succurrit, et surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe coelesti laetitiam percipit, dum devictum malum respicit, quod toleravit, ut jure de hoc tentato liberatoque homine dici debeat: *Videbit faciem ejus in jubilo; et, liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret*. Istis itaque duabus vicibus, id est conversionis et probationis, per moerorem 775 laetitiamque transactis, superest tertia, cujus et moerorem adhuc sustineat, et gaudia consequatur.

[Vet. XVI.] 32. *Tertia vice justi ex pavore mortis et timore extremi judicii auxiliantur.*---Post conversionis namque certamina, post probationis aerumnam, restat adhuc dura tentatio, quia venire non potest ad petrectae gaudia libertatis,

nisi prius debitum solverit humanae conditionis. Conversus autem quisque sibi caute sollicitus, tacite secum considerare non cessat, aeternus iudex quam districtus adveniat, suumque terminum quotidie prospicit, et ante severitatem tantae justitiae quas rationes vitae suae sit positurus attendit. Etsi cuncta prava opera, quae intelligere potuit, devitavit, venturus tamen coram districto iudice, illa magis quae in semetipso non intelligit, pertimescit. Quis enim considerare valeat quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? Facile est enim opera perversa vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor tergere. Et tamen scriptum est: *Vae vobis qui cogitatis inutile* (**Mich. II, 1**). Et rursum: *In die cum iudicabit Dominus occulta hominum* (**Rom. II, 16**). Qui etiam praemisit: *Inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium* (**Ibid., 15**). Et rursum: *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala* (**Psal. XI, 3**). Et rursum: *Etenim in corde iniquitates operamini in terra* (**Psal. LVII, 3**). Humana autem anima semel aeternitatis statum deserens, ad fluxum temporalitatis delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur invita tolerare. Inde quippe punita est unde delectata, quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis. [*Vet. XVII.*] Saepe ergo electis etiam nolentibus in cogitatione subreperitur quod in se quidem solerter inspiciunt, et ante Dei oculos quanti sit reatus attendunt; et cum de his omnibus semper iudicia districta pertimescant, tunc tamen haec vehementer metuunt, cum ad solvendum humanae conditionis debitum venientes, districto iudici appropinquare se cernunt. Et fit tanto timor acrior, quanto et retributio aeterna

vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis, quia subductis e medio omnibus, se et illum tantummodo considerant, cui appropinquant. Crescit pavor vicina retributione justitiae, et urgente solutione carnis, quanto magis districtum iudicium jamjamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quae sciunt nunquam se praetermisisse meminerunt, formidant tamen illa quae nesciunt, quia videlicet semetipsos dijudicare et comprehendere omnino non possunt, atque urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, et membrorum suorum servans speciem, factus in agonia, coepit prolixius orare (**Luc. XXII, 44**). Quid enim pro se ille cum in agonia esset peteret, qui in terris positus coelestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostrae mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis aeterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in aeternum mutare non possit.

[*Vet. XVIII.*] 33. *Quid imminente morte sit formidandum.*--- Consideramus quippe quod viam vitae praesentis 776 nequaquam sine culpa transire potuimus, consideramus etiam quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam praecedentium patrum valeat vel superare, vel assequi? Et tamen David dicit: *Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (**Psal. CXLII, 2**). Paulus cum diceret: *Nihil mihi conscius sum*, caute subjunxit: *Sed non in*

*hoc justificatus sum (I Cor. IV, 4). Jacobus dicit: In multis enim offendimus omnes (Jac. III, 2). Joannes dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. I, 8). Quid ergo facient tabulae, si tremunt columnae? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur. Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictae etiam justi anima turbatur. Cui et si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interveniente concutitur, ut jure dici debeat: *Abominabilis fit ei panis in vita sua, et animae ejus cibus ante desiderabilis*. Vel certe propter pavoris poenam hoc, quod illic subditur: *Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis*.*

34. *Justorum animae hoc pavore a levibus culpis purgantur.* --Sed quia justorum animae a levibus quibusque contagiis ipso saepe mortis pavore purgantur, et aeternae retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt, plerumque vero contemplatione quadam retributionis internae etiam priusquam carne exspolientur hilaescunt, et dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris laetitia perfruuntur, recte dicitur: *Videbit faciem ejus in jubilo*. Vel certe: *Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret*. Justi itaque anima in jubilo faciem Dei conspicit, quia tantum de laetitia interna percipit, quantum capere vel assumpta vix possit. Ibi igitur lucem vivens videt, quia spiritalem oculum in radios aeterni solis infigit. Ibi lucem vivens videt, quia omni jam mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati aeternitatis inhaeret; eique inhaerendo quem cernit, ad similitudinem

incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconversibilem speciem dum respicit assumit. Quae enim ad mutabilitatem per semetipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immutabilitatem videndo formatur. Igitur Eliu de afflicto hoc liberatoque homine, quia prius moeroris amaritudinem et postmodum gaudia consolationis expressit, apte subjunxit: *Haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos*, videlicet conversionis, probationis, et mortis, quia per tria haec, et duris primum stimulis moeroris afficitur, et magnis postmodum securitatis gaudiis refovetur. Et quia electi uniuscujusque mens iisdem tribus vicibus, id est vel labore conversionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis atteritur, atque ipsa attritione purgata liberatur, apte subjungitur:

CAPUT XII [*Vet. XIX*].

VERS. 30.---*Ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium.*

35. *Lux praesens, morientium est; lux aeterna, viventium.*---Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis cernimus. Qui autem adhuc huic mundo vivunt, luce morientium tenebrescunt. Illuminantur autem luce viventium, qui, despecto temporali lumine, ad splendorem internae claritatis recurrunt, 777 ut ibi vivant, ubi verum lumen sentiendo videant, ubi non aliud lumen, atque aliud vita, sed ubi ipsa lux vita sit, ubi sic nos lux exterius circumscribat, ut interius impleat; sic interius impleat, ut incircumscripta exterius

circumscribat. Illuminantur ergo hac luce viventium, quam tanto tunc subtilius conspiciunt, quanto nunc ad illam purius vivunt.

36. *Superbi veris et mysticis inania et tumida solent permiscere.*---Magna Eliu ac valde fortia protulit, sed hoc unusquisque arrogans habere proprium solet, quod dum vera ac mystica loquitur, subito per tumorem cordis quaedam inania et superba permiscet. Foris enim placere appetit in hoc quod veraciter sentit; et inde mox inanescit a vero, unde per elationis typum recedit ab intimo. Quia enim approbari doctus exterius quaerit, intus plenitudinem qua docebatur amittit. Unde et Eliu, quem tenere arrogantium typum saepe jam diximus, postquam multa sapientiae profunda digessit, subito post easdem sententias veraces ac mysticas fastu scientiae inflatus extollitur, cuius mox inflationis merito ejus sensus ad inania verba derivatur. Nam subdidit, dicens:

CAPUT XIII.

VERS. 31-33.---*Attende, Job, et audi me, et tace dum ego loquor. Si autem habes quod loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere justum. Quod si non habes, audi me; tace, et docebo te sapientiam.*

37. *Quando aliquid humiliter loquuntur, diu in ejusdem humilitatis specie non perseverant.*---Qualem se apud se habeat hac locutione manifestat, qua dicit: *Attende, Job, et audi me, et tace dum ego loquor.* Immensa enim superbia est, a seniore sibi reverentiam exigere, et silentium imperare

meliori se. [*Vet. XX.*] Quia autem praedicatores justī dum quoslibet corripunt, saepe per humilitatis gratiam ad cogitationum suarum intima revertuntur, atque in eo ipso quod corripunt, ne quid fortasse fallantur exquirunt, correptisque licentiam tribuunt ut si quid pro seipsis justius sentiant fateantur, hoc nonnunquam etiam arrogantes imitari appetunt. Paulisper enim in verbis elatione postposita, quasi eorum quos corripunt, si forte reperire potuerint, justitiam quaerunt, non quia ita sentiunt, sed quia ornari per humilitatis speciem concupiscunt. Metuunt enim ne superbi ac tumidi, quia sunt, esse videantur. Unde Eliu statim subdidit, dicens: *Si autem habes quod loquaris, responde mihi; loquere, volo enim te apparere justum.* Sed quia haec ex corde non protulit, audire quod quaesierat non exspectavit. Nam illico subjunxit: *Quod si non habes, audi me; tace, et docebo te sapientiam.* Qui enim veraciter quaerunt audire quod justum est, aequanimiter exspectant audire quod quaerunt. Eliu autem, quia veraciter requisitionis verba non protulit, dici quod quaesierat non permisit, sed mox quod intrinsecus gestabat erupit, qualemque se in oculis suis habebat ostendit, dicens: *Tace, et docebo te sapientiam.* Arrogantes enim viri quando aliquid humiliter sonant, diu in ejusdem humilitatis specie non perdurant. Cum fortasse quaerunt ut audiant, mox loquendo obviant ne doceantur, quia superficiem vocis quam protulerant citius ostentationis intentio **778** comprimit, quae ex radice cordis exsurgit, atque eandem humilitatis formam specie tenus sumptam eo celerius probant quia aliena est, quo illam diutius tenere non possunt. Ecce Eliu justitiam cum requirit ut discat, promittit quia doceat. Ecce quasi requirendo quod justum est aliquid planum sonuerat lingua; sed mox celare non potuit hoc quod altum tumebat conscientia. Nam repente

subjunxit: *Tace, et docebo te sapientiam*. Quia vero arrogantes omnes in eo quod proferunt typho superbiae inflantur, et, velut in alto positi sic doctorum speciem sumunt ac si eorum verba dignatione quadam super indignos homines coelitus effundantur, bene a scriptore hujus historiae versus interponitur, quo dicatur:

CAPUT XIV [*Vet. XXI, Rec. VIII*].

CAP. XXXIV, VERS. 1.--- *Pronuntians quoque Eliu, etiam haec locutus est.*

38. *Justi ex radice humilitatis loquuntur; secus iniqui.*---Quid enim per hujus pronuntiationis vocabulum, nisi inflatio elationis ostenditur, ut verba, quae de alta superbiae radice veniebant, cum quadam quasi altitudine et distinctione procederent. Ita videlicet praedicare omnes arrogantes solent? Cum quodam enim fastu proferunt hoc quod singulariter intellexisse se credunt; et fortasse tunc humilitatem praedicant, cum per elationis typhum exempla superbiae ostentant. Unde fit ut eorum praedicatio concors sibi manere non possit, quia id quod rectum loquentes seminant, perverse tumentes impugnant. Humilibus namque auditoribus verba sua non compatiendo, sed vix dedignando largiuntur. Longe quippe se in altum positos aestimant, et super eosdem auditores suos quasi praecedentes doctrinae respectum vix de summo dignanter inclinant. At contra verba justorum ex radice veniunt humilitatis, ut fructum valeant ferre pietatis: et quidquid salubre potuerint, non tumendo, sed compatiendo

subministrant. Per verba quippe charitatis vel se in auditoribus suis, vel auditores suos in se ita transformant, ac si et illi per istos hoc quod audiunt doceant, et isti per illos hoc quod docendo proferunt discant. Eliu ergo typum arrogantium tenens, et cum pronuntiationis ostentatione inchoans, quid dicat audiamus. Sequitur:

CAPUT XV.

VERS. 2, 3.---*Audite, sapientes, verba mea, et eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat.*

39. *Superbi doctores non quaerunt auditores suos sapientes efficere, sed suam sapientiam ostentare.*---Ac si diceret: Sicut nec auris escas, nec guttur verba cognoscit; ita nec stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes ergo atque eruditi audite quod dico, qui potestis ea quae fuerint dicta cognoscere. Videamus igitur quantum tumeat, qui verba sua non nisi a sapientibus audiri decenter existimat. Verus autem sapientiae praedicator dicit: *Sapientibus et insipientibus debitor sum (Rom. I, 14)*. At contra arrogans in praedicatione sua aures tantummodo sapientium exspectat, quia non ideo praedicat ut possit quoslibet sapientes efficere, sed ideo sapientes quaerit, ut possit quod senserit superbiendo monstrare. Sicut enim superius dictum est, non illos appetit erudire, sed se ostendere; nec intuetur quam justi qui audiunt fiant, sed ipse quam doctus, cum a doctis auditur 779 appareat. [*Vet. XXII.*] Quia vero praedicationem

arrogantium nullus admitteret, si non et aliquid de humilitatis imagine permiscerent, bene Eliu postquam per tumida verba se extulit, rursum quasi ad aequalitatis concordiam condescendit, dicens:

CAPUT XVI

VERS. 4.---*Judicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius.*

40. *Humilitatem quandoque prae se ferunt, sed fictam.*---Sed utrum hoc judicium ex humili corde quaesierit, facile cognoscimus, si subsequencia ejus verba pensemus. Sequitur:

VERS. 5, 6.---*Quia dixit Job: Justus sum, et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me mendacium est; et violenta sagitta mea absque ullo peccato.*

Justos falsorum criminum insimulant.---Haec beatum Job dixisse queritur, quae tamen quia minime dixerit, requisita sacrae historiae verba testantur. Sed qui judicium aequae quaesierat, ex culpa quam finxit, protinus sententiam promulgat. Nam sequitur:

VERS. 7, 8.---*Quis est vir, ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis?*

[Rec. IX.] Ecce judicium quaerens judicium protulit, et post allegationem suam nulla beati Job exspectata sententia, eum damnatione dignum ex reproborum societate judicavit. Ait

enim: *Quis est vir, ut est Job?* Ut utique subaudiamus, nullus. Atque subjungit: *Qui bibit subsannationem quasi aquam.* Aqua autem cum bibitur, ita liquide sumitur, ut ad sorbendum nulla sui pinguedine retardetur. Subsannationem vero ut aquam bibere est Deum sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, ut in eo quod superbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio contradicat. Haec autem ejus sententia super beatum Job quantum a tramite veritatis exorbitet, illa Domini attestazione cognoscimus, qua ad diabolum dicit: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra (Job. I, 8)?* Ecce quem Veritas dicit absque comparatione justum, eum Eliu asserit absque comparatione peccatorem. Sed haec esse propria arrogantium praedicatorum solent, ut etiam afflictos auditores suos magis districte corripere appetant, quam blande refovere. Plus enim student, ut mala objurgando increpent, quam bona laudando confirmant. Superiores quippe videri desiderant, et magis gaudent cum eorum animum ira elevat, quam cum charitas exaequat. Semper invenire optant quod increpando rigide feriant. Unde scriptum est: *In ore stulti virga superbiae (Prov. XIV, 3),* quia videlicet percutere rigide scit, sed compati humiliter nescit.

41. *Sancti praedicatores, cum alios correpturi sunt, blandimenta praemittunt. Ut periti medici, prius palpant, postea feriunt.*--- Solent etiam praedicatores justii auditores suos objurgando corripere, solent in eorum vitia districta increpatione saevire. Unde scriptum est: *Verba sapientium quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi (Eccl. XII, 11).* Recte autem eorum verba clavi vocati sunt, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. An Joannis

verba clavi non erant, cum dicebat: *Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira ventura (Matth. III, 7)?* An verba Stephani clavi non erant, cum dicebat: *Vos 780 semper Spiritui sancto resistitis (Act. VII, 51).* An verba Pauli clavi non erant, cum dicebat: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit (Galat. III, 1)?* Et rursum cum Corinthiis diceret: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis (I Cor. III, 3)?* Sed necesse est ut caute videamus quia praedicatores justii in ipsis quos corrigunt, cum ex parte alia fortasse aliquid bonae operationis inveniunt, ad eadem objurgationis verba cum quanta dispensatione descendunt. Ecce Paulus Corinthios docens, eosque in culpa divisionis aspiciens exorsus est, dicens: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo (I Cor. I, 4).* Multum profecto laudavit quos in Christo divites in omnibus dixit. Et ecce adhuc blandimenta multiplicat, dicens: *In omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis (Ibid., 5).* Testimonium Christi confirmatum est in vobis, dixit, ac si opere peregissent quod doctrina didicerant. Et mox in laudis consummatione subjunxit: *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* Quaeso te, Paule, istis tot favoribus jam quo tendas insinues. Et ecce paulo post sequitur: *Obsecro vos autem, fratres, per misericordiam Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. (Ibid., 10).* De quibus contentionibus paulo post subdidit, dicens: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et*

secundum hominem ambulatis (I Cor. III, 3)? Ecce quibus laudibus ad aperta correptionis verba descendit; ecce in corde audientium quam blanda favoris manu viam districtae increpationis aperuit. Prius namque superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare, ut postmodum potuisset vulnus superbiae ferro correptionis incidere. Erant profecto in Corinthiis et quae laudari debuissent, erant et quae argui. Peritus itaque medicus prius sana membra, quae circa vulnus erant, laudando palpavit, et postmodum putridum sinum vulneris feriendo transfixit. Habet ergo in sanctis praedicatoribus ad utraque aptum doctrinae regula pondus suum, ut et recta faventes nutrant, et perversa animadvertentes abscindant.

[*Vet. XXIV, Rec. X.*] 42. *Aliud est percutere cum justitia stimulat, aliud cum inflat superbia. Quis in correptione servandus modus. Hunc ignorant superbi.* Nonnunquam vero etiam praedicatores justī rigide feriunt. Sed aliud est cum justitia stimulat, aliud cum superbia inflat. Justī cum severe corrigunt, internae dulcedinis gratiam non amittunt. Nam saepe pro inquietudine refrenanda pravorum duritiam districti vigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore ardent, in quos aspera correptione saeviunt; seque etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant, quos foris duris animadversionum stimulis quasi despiciendo castigant. Plerumque autem et non despiciendo despiciunt, et non desperando desperant, ut tanto eos celerius a culpa pavescere ac resilire faciant, quanto jam quasi vicinīus mortis foveam ostentant. Saepe etiam quodam decenti moderamine **781** suas culpas coram discipulis indicant, ut illi audientes discant quomodo semetipsos de suis

actionibus subtiliter reprehendant. Tanta autem dispensatione se temperant, ut neque cum se erigunt intrinsecus rigidi sint, neque rursum cum se humiliant extrinsecus remissi, quia et in disciplina humilitatem custodiunt, et in humilitate disciplinam. Paulus disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret: *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis (I Cor. III, 3)?* Sed humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando praemisit, dicens: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata (I Cor. I, 10).* Rursum humilitatem tenuit, cum eisdem Corinthiis loquens paulo latius fortasse quam voluerat, semetipsum reprehendit, dicens: *Factus sum insipiens (II Cor. XII, 11).* Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quia illico adjunxit: *Vos me coegistis.* Exemplum magnae humilitatis exhibuit, cum discipulis dixit: *Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Christum (II Cor. IV, 5).* Sed in hac humilitate disciplinae justitiam non amisit, qui eisdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos (I Cor. IV, 21)?* et caetera. Sciunt ergo praedicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare, et cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corripere, modo humiliter deprecari. Sed cum arrogantes viri eos imitari appetunt, sumunt ab eis aspera verba correptionis, et sumere ab eis veraciter nesciunt preces humilitatis. Magis enim terribiles possunt esse quam mites; et idcirco discunt unde se erigant, et discere negligunt, ut animum submittant. Cumque admonere delinquentes placide nesciunt, nimio rigoris usu per invectionis iracundiam, etiam contra recte agentes

effrenantur. Quorum iste Eliu speciem tenens, beatum Job non refovet, sed objurgat, dicens: *Quis est vir, ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis?* [Vet. XXV.] Et quia aliena semper est a veritate superbia, mox et ad falsa prorumpit, dicens:

CAPUT XVII.

VERS. 9.---*Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo.*

43. *Aliena semper est a veritate superbia.*---Quod profecto quia minime dixerit, quisquis beati Job verba legit agnoscit. Sed qui idcirco loquitur, ut semetipsum ostendendo superbiat, quid mirum si in altero fingit quod reprehendat? Quomodo enim veritati cohaereat in verbis increpationis, quem intra semetipsum longe ab eadem veritate dirimit tumor mentis? Sequitur:

VERS. 10.---*Ideo viri cordati audite me.*

Ecce iterum fastu superbiae inflatus, eos tantummodo, qui quasi digne intelligendo, se assequi valeant quaerit, et sic quod sentiebat erumpit, dicens:

CAPUT XVIII.

VERS. 10 et 11.---*Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis.*

782 44. *Deus in hac vita non semper reddit singulis juxta opera.*---Bene dixit, quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non est. Sed in hac vita nequaquam semper hoc agitur, quod subjunxit, quia juxta opus suum singulis et juxta vias proprias reddit. Nam et multos illicita et perversa perpetrantes gratuito praevenit, atque ad opera sancta convertit, et nonnullos rectis actibus deditos flagello interveniente corripit, ac sic placentes quasi displiceant affligit, Salomone attestante, qui ait: *Sunt justi quibus multa eveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt, ac si justorum facta habeant (Eccle. VIII, 14).* Quod nimirum omnipotens Deus inaestimabili pietate dispensat, ut et justos flagella crucient, ne opera extollant; et injusti saltem sine poena hanc vitam peragant, quia ad tormenta quae sine fine sunt male agendo festinant. Nam quia aliquando justus nequaquam juxta opera flagellatur, hac ipsa historia quam tractamus ostenditur. Neque enim idem beatus Job pro culpa fuerat flagellatus, qui ante flagelli stimulum ipso judice attestante laudatus est. Verius ergo Eliu diceret, si dixisset: Quia in omnipotente Deo impietas atque iniquitas non est, etiam cum juxta vias proprias hominibus reddere non videtur. Nam et quod a nobis non intelligitur, ex occulti judicii non injusta lance profertur. Quia vero praedicatores arrogantes, dum multa inania spargunt, etiam saepe vera ac solida proferunt, Eliu recte subjungit:

CAPUT XIX [*Vet. XXVI*].

VERS. 12.---*Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium.*

45. *Justa Dei judicia, etsi occulta.*---Ad diabolum Dominus dicit: *Commovisti me adversus eum, ut afflgerem eum frustra (Job. II, 3).* Eliu autem dicit: *Quia non condemnabit Dominus frustra.* Quod utique discordare dictis Veritatis creditur, nisi subtili consideratione pensetur. Aliud namque est damnare, aliud affligere. Affligit ergo juxta aliquid frustra, sed frustra non damnat. An non juxta aliquid frustra Job afflixerat, cum non debebatur vitium, sed meritum augebatur? Frustra enim condemnare non potest, quia damnatio fieri non ex parte ad aliquid potest, quae videlicet in extremo punit omne quod hic quisque inique commiserit. Nec omnipotens Deus subvertit iudicium, quia etsi minus recta videntur esse quae patimur, recte tamen in occulto examine decernuntur. Sequitur:

CAPUT XX [*Rec. XI*].

VERS. 13.---*Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*

46. *Quem per se condidit mundum, per se quoque regit.*---Ut videlicet subaudias nullum. Per se quippe mundum regit,

quem per se condidit; nec eget alienis adiutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Sed haec idcirco colliguntur, ut liquido indicet quia omnipotens Deus, si per semetipsum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit utique bene regit, quia quod pie condidit impie non disponit; et qui necdum facta curavit ut essent, quae sunt facta non deserit. Quia ergo praesens est in regimine qui auctor exstitit in creatione, ideo curam nostri non praeterit. Unde et apte subjungit:

CAPUT XXI.

VERS. 14.---*Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.*

783 47. *Curva hominum corda, cum vult, ad se erigendo, dirigit.*---Curvum cor est cum ima appetit, dirigitur cum ad superna sublevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum vero qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deo ergo spiritum hominis et flatum a se trahere est ad conversionem sui desiderii et interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam menti exterius libeat, nihil caro inferius, vel si appetit, adipisci conetur; sed omne quod homo est ad eum videlicet a quo est et interius desiderando ferveat, et exterius se edomando constringat. Unde et apte subjungit:

CAPUT XXII [*Rec. XII*].

VERS. 15.---*Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur.*

48. *Tunc caro deficiet, et homo in cinerem per humilitatem revertitur.*---Simul enim omnis caro deficit, quando jam nullis suis moribus servit, quia praesidens spiritus cuncta ejus fluxa restringit, et quodam distractionis suae gladio omne quod in illa male vivebat, interficit. Hoc nimirum disciplinae gladio semetipsum Jeremias interfecerat, cum dicebat: *Postquam convertisti me, egi poenitentiam; et postquam ostendisti mihi percussi femur meum* (**Jerem. XXXI, 19**). Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait: *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*, nisi quod postquam superna spiritaliter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat exstinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima quae tenuerat non liberent? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto et inchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis omnis caro Pauli simul interierat, cum dicebat: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (**Galat. II, 29**).

[*Vet. XXVII.*] 49. *Peccator mortalitatis suae obliviscitur, secus justus.*---Bene etiam Eliu hoc loco subdidit: *Et homo in cinerem revertetur.* In peccato enim quisque positus mortalitatis suae obliviscitur, et terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis vero suae gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid esse se aliud quam cinerem recordatur? Jam in cinerem David reversus fuerat, cum dicebat: *Memento, Domine, quod pulvis sumus* (**Psal. CII, 15**). Abraham in cinerem reversus fuerat,

dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (**Genes. XVIII, 27**). Et si viventem carnem necnon in terra mors solverat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione praevidebant. Hinc alias dicitur: *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertuntur* (**Psal. CIII, 29**). Qui autem spiritus, nisi spiritus superbiae nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum ut deficient, id est subducto superbiae spiritu, nihil se de se esse cognoscant. Et revertantur in pulverem, id est humiliantur ex infirma conditione. Propter hunc pulverem, ad cujus memoriam qui semetipsos considerant revocantur, per Sapientiam dicitur: *Iusti fulgebunt, et sicut scintillae in arundinetis discurrent* (**Sap. III, 7**). Sancti enim viri dum peccatoribus permiscuntur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitent, in cinerem redigunt, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suae conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiae suae duritia resoluti, per poenitentiam dicant id quod supra protulimus: *Memento, Domine, quia pulvis sumus* (**Psal. CII, 15**). **784** Bene ergo dicitur quia cum ad se spiritum hominis Dominus trahit, deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. [*Rec. XIII.*] Haec Eliu et vera sunt et magna, quae dicit; sed quia male mox ex eo quod bene sensit intumuit, verbis sequentibus prodit, dicens:

CAPUT XXIII [*Vet. XXVIII*].

VERS. 16.---*Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei.*

50. *Superbi plus videndo caligant et caecutiunt. Quo magis superbiae vitium patimur, minus videmus.*---Habent hoc proprium omnes arrogantes, ut cum fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, sensusque omnium in sui comparatione despiciant, seque in suo iudicio aliorum meritis anteponant. Quibus contingit miseris ut plus videndo tenebrescant, quia dum subtilia attendunt, semetipsos intueri nesciunt; et quo intelligentiam acutius percipiunt, eo per superbiam deterius cadunt. Qui bene quidem subtilia conspicerent, si in eo quod proferunt se viderent. Superius namque Eliu dixerat: *Si habes quod loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere justum (Job XXXIII, 32).* Nunc autem ait: *Si habes intellectum, audi quod dicitur.* Ecce quomodo paulisper elatio per verborum incrementa proficit. Superius dubitavit si posset beatus Job proferre quod justum est; nunc vero discutit si hoc quod dicitur saltem possit audire. Ibi dixit: *Si habes quod loquaris, responde mihi.* Ac si diceret: Dic aliquid, si tamen dignus poteris esse qui dicas. Hic autem ait: *Si habes intellectum, audi quod dicitur.* Ac si aperte dicat: Audi me, si tamen dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quotidiani defectus, qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indesinenter ad deteriora descendunt, quia dum minora incaute negligunt, ad maiora perniciose prorumpunt. Jam et hoc de superbia fuerat, quod beatum Job id quod justum est loqui posse dubitabat. Sed dum hanc in semetipso considerare negligit, ad nequiora pervenit, ut non solum posse ab eo dici quod justum est dubitet, sed etiam dicentem se iusta ab eo intelligi posse desperet. Unde vitium superbiae ab ipsa mox

radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscidatur, ne propectu vigeat, ne usu roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se haec latius dilatat, eo vehementius lumen angustat. Paulisper ergo elatio in praecordiis crescit, et cum se vastius extenderit, oppressae mentis oculum funditus claudit, ut captivus animus typum elationis et pati possit, et tamen id quod patitur videre non possit. Sed quia arrogantes viri aliquando, ut diximus, recta non recte sentiunt, et bona invenire noverunt, sed haec bene proferre contemnunt, Eliu post elationis typum, quo dixerat: *Si habes intellectum, audi quod dicitur*, subdit dicens:

CAPUT XXIV [*Vet. XXIX*].

VERS. 17.---*Nunquid qui non amat iudicium sanari potest? Quomodo tu eum qui justus est in tantum condemnas?*

51. *In omnibus quae dicimus attendendum; quid, cui, quando et quomodo dicatur.*---Bonam quidem sententiam protulit, sed beato Job proferenda non fuit. In omni enim quod dicitur summopere intuendum est quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. Eliu autem attendit quid diceret, sed cui diceret non attendit. Beatus quippe Job amabat iudicium, **785** quia causas suas cum Domino pensare subtiliter noverat. Nec condemnaverat eum qui justus est, sed cur sine peccato percussus fuerat in dolore positus cum

humilitate requirebat. Amat iudicium quisquis vias suas subtiliter discutit, et secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipsi tribuat, quid ipse Domino debeat pensat. Quod beatus Job quomodo non fecerat, qui tam crebra sacrificia in expiatione filiorum etiam pro cogitationibus offerebat? Quia ergo Eliu dixit quod is qui iudicium non amat sanari non possit, arguens beatum Job quod iudicium non amaret, et quia eum qui iustus est condemnasset, illico ejusdem iusti, id est Domini, iustitiam subdit, dicens:

CAPUT XXV [*Rec. XIV*]

VERS. 18.---*Qui dicit regi, apostata; qui vocat duces impios.*

52. *Apostata est qui aliis praeest non ut prosit, sed ut dominetur.*---Saepe novimus quod plerique qui praesunt inordinatum sibi metum a subditis exigunt, et non tam propter Dominum quam pro Domino venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt, nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt, quia videlicet alta cogitatione se erigunt, et aequales se illis quibus eos praeesse contingit non agnoscunt. Contra hunc tumorem per Ecclesiasticum librum dicitur: *Ducem te constituerunt; noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (**Eccli. XXXII, 1**). Hunc tumorem Dominus per prophetam in pastoribus increpans ait: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia* (**Ezech. XXXIV, 4**). Ipsa enim bona quae subditis

dicunt dominando potius quam consulendo proferunt, quia videlicet quidquam eis quasi ex aequo dicere semetipsos existimant deiecisse. Singularitate enim gaudent culminis, et non aequalitate conditionis. Sed quia haec tumentia corda rectorum subtiliter Dominus pensat, bene contra eos dicitur: *Qui dicit regi, apostata*. Unusquisque enim superbus rector toties ad culpam apostasiae dilabitur, quoties, praeesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate laetatur. Sub quo enim sit non considerat, et quod aequalibus quasi non sit aequalis exsultat. Unde autem haec vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius qui, despectis angelorum societatibus, dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo (Isai. XIV, 14)*? Quia ergo unusquisque rector quoties extollitur in eo quod caeteros regit, toties per lapsum superbiae a summi rectoris servitio separatur; et cum aequales sibi subditos despicit, ejus super se dominium sub quo omnes aequales sunt non agnoscit, recte dicitur: *Qui dicit regi, apostata*.

[*Vet. XXX.*] 53. *Impius est, si suae superbiae exemplo, subditos in praeceps trahat.*---Quia vero cum dominando praesunt, exemplo suae superbiae subditos ad impietatem trahunt, apte subjungitur. *Qui vocat duces impios*. Ad viam namque pietatis ducerent, si subditorum oculis humilitatis exempla monstrarent. [*Rec. XV.*] Dux autem est impius, qui a tramite veritatis exorbitat; et dum ipse in praeceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostendit erroris. Paulus dux esse impietatis metuebat, cum potestatis suae celsitudinem reprimebat, dicens: *Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus oneri esse, 786 ut Christi*

apostoli, sed facti sumus in medio vestrum parvuli (I Thessal. II, 6). Parvulus in medio eorum factus fuerat, quia timebat ne si inter discipulos honorem suae celsitudinis vindicaret, exempla elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum ipse sibi potestatem pastoralis potentiae quaereret, grex subditus per abrupta sequeretur, et ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset.

54. Sibi subditis virtutum splendore praeluceat. Eorum culpas prudenter et humiliter corrigat.---Unde necesse est ut is qui praeest quae exempla subditis praebeat solerter attendat; et tantis se sciat vivere, quantis praeesse; ac vigilanter inspiciat ne in eo quod praelatus est intumescat; ne jura debitae potestatis immoderatus exigat; ne disciplinae jus mutetur in rigorem superbiae; et unde a perversitate subditos restringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat; ne, ut dictum est, impietatis dux per officium pietatis existat. Non autem debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo praeire; ne qui ad hoc eligitur ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat. Hinc inde ergo se qui praesunt circumspiciant, ut sibi et subditis vivant, ut bonum quod faciunt, et intra sinum mentis abscondant, et tamen ex eo ad propectum sequentium exempla rectae operationis impartiant, ut subditorum animadvertentes culpas corrigant, nec tamen per vim ejusdem animadversionis intumescant, ut quaedam leniter correpta tolerant, nec tamen disciplinae vincula eadem lenitate dissolvant, ut quaedam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittant. Laboriosa sunt ista, et nisi divina gratia fulciat, ad custodiendum difficilia. Recte vero de adventu districti judicis per Sapientiae librum dicitur: *Horrende et cito apparebit,*

quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet (Sap. VI, 6). Quia ergo plerumque per potestatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis, atque apud districtum iudicem ipsa elatio impietas aestimatur, bene de Domino per Eliu dicitur: *Qui vocat duces impios.* De ipso quippe ducatu dum superbiunt, exemplo suo subditos ad impietatem trahunt.

55. Alios iudicans, superno iudici assidue se sistat. Potestas accepta non honor, sed onus aestimanda. Ambitus infinita mala. Cura pastoralis nec cupiditate amplectenda, nec formidine deferenda.---Unde magnopere curandum est ut qui regendis hominibus praefertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra praesideat humilitatis. Cumque iudicanti ei a caeteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicandus assistat, ut quanto nunc ante eum quem non videt, sollicitius trepidat, tanto eum cum viderit securior cernat. [Rec. XVI.] Penset ergo qui ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit, quia quot regendis subditis praeest, reddendae apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Quae nimirum cogitatio, si assidue mentem excoquit, omnem superbiae tumorem premit. Et rector providus tanto jam neque rex apostata, neque dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione sollicita potestas quae accepta est, non honor, sed onus aestimatur. Nam cui esse nunc iudiciem libet, huic videre tunc iudicem non libet. Numerari enim culpa nequeunt, quae habendae potestatis amore perpetrantur. Tunc solum vero **787** potestas bene geritur, cum non amando, sed timendo retinetur. Quae ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat. Percepta autem nec pro formidine debet deseri, nec

ex libidine amplecti; ne aut pejus quis quasi ex humilitate superbiat, si divinae dispensationis ordinem fugiendo contemnat; aut eo jugum **788** superni rectoris abjiciat, quo eum super caeteros privatum regimen delectat. Potestas ergo cum percipitur, non ex libidine amanda est, sed ex longanimitate toleranda, ut inde tunc ad iudicium salubriter levis sit, unde nunc ad ministerium patienter gravis innotescit.

LIBER VIGESIMUS QUINTUS. *In
explicatione capitis XXXIV, a versu 19 ad 30,
de reproborum poena occultisque Dei judiciis
disseritur.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Error illorum qui in hominibus quod habent, non quod sunt, attendunt.*---Ipsa humanae conditionis qualitas indicat quam longe rebus caeteris praestat. Nam collata homini ratio asserit quantum omnia quae vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen, quia ab internis atque invisibilibus oculos claudimus, et visibilibus pascimus, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quae circa ipsum sunt veneramur. Cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit in acceptione personarum, non ex personis, sed ex rebus adjacentibus ducimur. Sicque fit ut is quoque

apud nos intus in despectionem veniat, qui foris honoratur, quia dum pro his quae circa illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. Sed omnipotens Deus vitam hominum ex sola qualitate interrogat meritorum; et saepe inde plus punit, unde hic majora ad ministerium contulit, Veritate attestante, quae ait: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* (**Luc. XII, 48**). Unde bene nunc per Eliu dicitur:

CAPUT II.

CAP. XXXIV, VERS. 19.---*Qui non accipit personam principum, nec cognovit tyrannum cum disceptaret contra pauperem.*

2. *Non est acceptio personarum apud Deum.*---Potest autem per principem vel tyrannum quisque superbus intelligi; per pauperem vero humilis designari. Tyrannum ergo disceptantem contra pauperem non cognoscit, quia superbos omnes vitam nunc humilium deprimentes, in iudicio nescire se perhibet, dicens: *Nescio vos unde sitis* (**Luc. XIII, 25**). Et quia sic potenter cum vult destruit, sicut cum voluit potenter creavit, apte ratiocinando subjungitur:

IBID.---*Opus enim manuum ejus sunt universi.*

[*Rec. II.*] Atque mox subditur:

CAPUT III.

VERS. 20.---*Subito morientur, et in media nocte curvabuntur populi, et pertransibunt.*

3. *Iniquorum omnium mors subita, quia non praevisa.*--- Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito et repente tolluntur, quia finem suum cogitando praevidere nesciunt. Subitum est homini, quod ante cogitare non potuit. Subito dives ille tultus est, qui horrea quae praeparabat deseruit, et inferni locum quem non praevidebat invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam; aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu tractata temporalia, et inopinata invenit aeterna. Unde ei propter hanc ignorantiam caecitatis suae bene per divinam sententiam dicitur: *Hac nocte repetunt animam tuam a te* (**Luc. XII, 20**). In nocte quippe ablata est, quae in obscuritate est cordis amissa. In nocte ablata est, quae considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati praevideret. Unde bene discipulis futura cogitantibus Paulus apostolus dicit: *Vos autem fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum* (**I Thess. V, 4**). Dies enim exitus tanquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non praevidentes ejicit. Unde hic quoque apte subjungitur: *Et in media nocte curvabuntur populi, et pertransibunt.* In media nocte curvati pertranseunt, qui obscuritate suae negligentiae humiliati rapiuntur. Tunc curvabuntur per sententiam judicis, qui nunc curvari negligunt per humilitatem cordis. Electi autem ne

inviti curventur in morte, sponte curvantur in humilitate. Unde sanctae Ecclesiae de conversa prole persecutorum dicitur: *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te (Isai. LX, 14).*

4. *Vita hominis post peccatum, transitus est: secus ante peccatum.*---Et bene de morientibus populis non ait: Transibunt, sed *pertransibunt*, quia etiam vivendo temporaliter quotidie ad finem tendimus, et praesentem vitam quasi quamdam viam subigendo transimus. Hoc ipsum enim morituros vivere quasi ad mortem ire est. Et quot dies vitae peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus. Ipsa quippe augmenta detrimenta sunt temporum, quia vitae nostrae spatia quanta esse coeperint, incipiunt jam tanta non esse. [*Vet. II.*] Primus vero homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitae terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustius quanto semper stanti arctius inhaerebat. At ubi vetitum contigit, mox **789** offenso creatore coepit ire cum tempore. Statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbit (**Genes. III, 4**). Et dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit stando quid fuit. Cujus nos quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus. Nam quia ex illo originem ducimus, ejus cursum nascendo sortimur, ut eo ipso quotidiano momento quo vivimus incessanter a vita transeamus, et vivendi nobis spatium unde crescere creditur, inde decrescat. Quia ergo ad summam moriendi quotidie tendimus per incrementa vivendi, bene de morientibus

nequaquam *transibunt* dicitur, sed *pertransibunt*, quia transeunt etiam dum vivunt, sed pertranseunt dum moriuntur: Sequitur.

CAPUT IV [*Rec. III*].

Ibid.---*Et auferent violentum absque manu.*

5. *Iniquos non praevisa Dei manus ad supplicium rapit.*---Subaudis divina judicia. Absque manu vero auferent eum qui manu violentus fuit. Absque manu auferent, quia videlicet subito exitu urgente invisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat. Vidit ipse quos rapuit, sed quis illum in morte rapiat non videt. Absque manu ergo violentus aufertur, quia et raptorem suum non intuetur, et tamen ducitur. Quem tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti ei magna est patientia prorogata, quia divina severitas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Saepe vero evenit, ut dum peccatores superna clementia exspectat, in maiorem cordis caecitatem prosiliant. Unde scriptum est: *An ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi iudicii Dei (Rom. II, 4).* Et ecce dum violentus quisque quos valuerit rapit, dum invalidos opprimit, et dum diu omne quod nequiter concupiscit exercet, quia non subito percutitur, sed ejus in finem poena differtur, nequissima ejus actio a Deo videri non creditur. Unde apte postquam ejus narravit interitum, illico de Domino adjungit, dicens:

CAPUT V.

VERS. 21.---*Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat.*

6. *Stulte et impie peccator ex Dei patientia cogitat, sua flagitia aut non videri a Deo, aut approbari. Oculos aperiet poena, quos culpa clausit.*---Tunc enim nequaquam considerare credebatur, quando violentus iste omne malum quod poterat inulte perpetrabat. Aestimabatur Deus injusti acta non cernere, quia differebat juste damnare; et magna ejus patientia quasi quaedam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri a Deo credidit, quoties inulte peccavit. Cui per quemdam sapientem dicitur: *Ne dicas, peccavi, et quid accidit mihi triste* (**Eccli. V, 4**)? Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit poenam; et quo pie expectatus est, eo est ad peccandum nequiter instigatus; et patientiae supernae longanimitatem despiciens, unde corrigere culpam suam debuit, inde cumulavit, sicut per eundem Job dicitur: *Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbia* (**Job XXIV, 23**). Saepe etiam, quia poenam quam meretur repente non suscipit, hoc ipsum Deo non aestimat displicere quod facit. [*Vet. III.*] Eat itaque nunc, et ad quaslibet blasphemias praesumendo prorumpat; voluptatum suarum nequitas impleat, aliena rapiat, innocentium oppressione **790** satietur, et quia necdum percutitur, vias suas a Domino aut non videri aestimet, aut quod pejus est, approbari! Veniet profecto,

veniet aeterna et repentina percussio; et tunc cognoscet a Deo cuncta conspici, quando se improvise exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in poena sua oculos aperiet, quos diu tenuit clausos in culpa. Tunc considerasse omnia verum iudicem sentiet, quando malorum suorum meritum iam evadere sentiendo non possit. Iniquus ergo qui diu expectatus est, idcirco est repente sublatus, quia *oculi Domini super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat*. Ac si diceret: Quia ea quae diu patienter conspiciunt, quandoque inulta non deserunt. Nam ecce subito violentum rapuit, et mala ejus quae expectando pertulit animadvertendo resecauit. Nemo igitur dicat humana facta Deum non cernere, cum iniquum quempiam iniquitates suas libere prospicit cumulare. Subito enim tollitur, qui diu toleratur.

7. *Gressus hominis quos Deus considerat, qui sint*.---Gressus vero hominum vocat, vel singulas operationes quibus innitimur, vel alternantes motus intimae cogitationis quibus quasi passibus, vel longe a Domino recedimus, vel pie Domino propinquamus. Ad Deum enim quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis motibus proficit. Et rursum tot gressibus longe fit, quot malis cogitationibus deterescit. Unde plerumque contingit ut necdum procedat in opere motus mentis, et tamen perfecta jam culpa sit ex ipso reatu cogitationis, sicut scriptum est: *Manus in manu non erit innocens malus* (**Prov. XI, 21**). Manus enim manui jungi solet, quando quiescit in otio, et nullus eam usus laboris exercet. *Manus ergo in manu non erit innocens malus*. Ac si diceret: Et cum manus cessat ab iniquo opere, malus tamen non est innocens per cogitationem. Quia ergo

novimus quod districte omnia non solum facta, sed saltem cogitata pensentur, quid faciemus de incesso mali operis, si sic subtiliter Deus judicat gressus cordis? Ecce occulta mentis nostrae itinera nullus hominum videt, et tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus quot affectus movemus. [*Vet. IV.*] Toties ante illum labimur quoties a recto itinere infirme cogitationis pede claudicamus. Nisi enim in conspectu ejus iste assiduus nostrarum mentium lapsus incresceret, per prophetam scilicet non clamaret: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis (Isai. I, 16)*. Haec nimirum dicens, vim coopertae nostrae malitiae quasi ferre se non posse testatur. Quae cooperta illi esse non potest, quia videlicet importune ejus conspectui ingeritur quidquid a nobis illicitum occulte cogitatur *Omnia enim, sicut scriptum est, nuda et aperta sunt oculis ejus (Hebr. IV, 13)*. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 22.---*Non sunt tenebrae, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.*

8. *Nemo judicio Dei qui nihil aut obliviscitur aut ignorat, absconditur.*---Quid per tenebras, nisi ignorantiam, et quid per umbram mortis, nisi oblivionem studuit designare? De quorundam quippe ignorantia dicitur: *Tenebris obscuratum habentes intellectum (Ephes. IV, 18)*. Et rursum de oblivione quae in morte contingit scriptum est: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (Psal. CXLV, 4)*. Quia ergo **791** per mortem funditus oblivioni traditur

quidquid vivendo cogitatur, quasi quaedam umbra mortis oblivio est. Sicut enim agit mors interveniens non esse quod fuit in vita, ita interveniens agit oblivio non esse quod fuit in memoria. Recte itaque umbra ejus dicitur, quia velut de ipsa exprimitur, dum vim illius sopiendo sensus imitatur. Deus autem quia mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliviscitur, nisi ab ejus oculis poenitendo deleantur, congrue dictum est: *Non sunt tenebrae et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Ac si diceret: Idcirco ejus judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest aut non videre quod facimus, aut oblivisci quod videt.

9. *Omnis mutabilitatis Deus est expers. Non homo, non angeli.*---Quamvis intelligi tenebrae vel umbra mortis, etiam aliter possunt. Omnis namque immutatio velut quaedam mortis imitatio est. Id enim quod mutat quasi ab eo quod erat interficit, ut desinat esse quod fuit, et incipiat esse quod non fuit. Lumen igitur verum, creator videlicet noster, quia nulla mutabilis vicissitudine tenebrescit, nullis naturae suae defectibus obumbratur, sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, tenebrae vel umbra mortis dicitur ei non inesse. Unde alias scriptum est: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. I, 17).* Et unde rursus Paulus apostolus dicit: *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem (I Tim. VI, 16).* [*Vet. V.*] Sed cum cuncti noverimus quod et humana anima et angelici spiritus sint immortales instituti, cur ab Apostolo solus Deus immortalitatem habere perhibetur, nisi quia solus Deus vere non moritur, qui solus nunquam mutatur?

10. Humana quippe anima in lapsum non caderet, si mutabilis non fuisset; quae a paradisi quoque gaudiis expulsa, si

mutabilis non esset, ad vitam nunquam rediret. In hoc ipso vero quod ad vitam redire nititur, defectus suos cogitur alternante semper mutabilitate tolerare. Quia ergo ex nihilo est condita ex se nihilominus infra se tendit, nisi ad boni desiderii statum artificis sui manu teneatur. Ex eo itaque quod creatura est, deorsum ire habet. Virtute namque propria in praeceps posse se ire considerat, sed ad creatorem suum amoris manu se retinet, ne cadat, quousque ad immutabilitatem transeat, et eo vere immortaliter, quo immutabiliter vivat.

11. Ipsi quoque angelici spiritus mutabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhaerere, a quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam standi jam immutabilitate vicerunt: ut hoc ipsum merito transcenderent, quod naturae suae ordine mutabilitati subesse potuissent. Quia ergo solius divinae naturae est umbras ignorantiae mutabilitatisque non perpeti, dicatur recte, *Non sunt tenebrae, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* [Vet. VI.] Lux enim aeterna, quae Deus est, quanto incommutabiliter **792** fulget, tanto penetrabiliter videt; et neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis et non sibi praesentibus praesto est, et perverse gradientes in ipsam impingimus, a qua per meritum longe sumus. Cum vero nos videri non credimus, in sole clausos oculos tenemus. Illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi. Nunc ergo dum possumus, a conspectu aeterni iudicis et male cogitata, et pejus perpetrata deleamus; revocemus ante oculos cordis quidquid perverse egimus per nequitiam

praesumptionis. Nihil sibi nostra blandiatur infirmitas, atque in his quae recolit, semetipsam delicate non palpet, sed quanto sibi mali sit conscia, tanto in se benignius sit severa, proponat contra se futurum iudicium, et quaeque in se sentit districte ferienda per sententiam iudicis, haec in se pie feriat per poenitentiam conversionis. Unde apte postquam violenti huius poena descripta est, sequitur:

CAPUT VII [*Rec. V*].

VERS. 23.---*Neque enim ultra in hominis potestate est ut veniat ad Deum in iudicium.*

12. *Dei iudicium praevenire debemus nosmetipsos iudicando.*---Versus iste tanto maiore disputatione indiget, quanto hoc quod dicit, si negligitur, acrius dolet. Hic nimirum non illud iudicium designatur, quod per aeternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conversationem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur: *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium*, profecto ostenditur esse quoddam iudicium quod quandoque etiam a damnatis ac reprobis desideretur. Et quod est illud, nisi hoc, de quo Paulus apostolus dicit: *Si nosmetipsos diiudicemus, non utique iudicemur (I Cor. XI, 31)?* et de quo per prophetam dicitur: *Non est iudicium in gressibus eorum (Isai. LIX, 8);* et de quo David ait: *Honor regis iudicium diligit (Psal. XCVIII, 4);* videlicet qui jam Deum honorat ex fide, sollicite iudicet

quid ei debeat in operatione. Unde rursum scriptum est: *Judicare coram Domino, et exspecta eum (Job. XXXV, 14)*. Coram Domino scilicet judicatur, qui corde Dominum conspicit, et actus suos sub ejus praesentia, sollicita inquisitione discernit. Quem tanto quis securius exspectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum ejus judicium venit, non jam coram illo, sed ab illo judicatur. De hoc quoque mentis judicio obliviscenti animae per prophetam Dominus dicit: *Reduc me in memoriam, ut judicemur simul; narra si quid habes, ut justifieris (Isai. XLIII, 26)*.

[Rec. VI.] 13. *Judicii hujus ordo. Accusat conscientia, ratio judicat, timor ligat, dolor cruciat.*---Debet enim uniuscujusque mens et causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere; debet caute pensare, vel quae ab eo bona perceperit, vel quae mala bonis illius perverse vivendo responderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Unde bene Salomon ait: *Cogitationes justorum, judicia (Prov. XII, 5)*. 793 Accedunt enim ad secretarium judicis intra sinum cordis: considerant quam districte quandoque feriat qui diu patienter exspectat; metuunt in his quae se egisse meminerunt, et puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt; timent subtilia Dei judicia, etiam de his quae in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim videri divinitus quod ipsi in se per humanitatem non vident; conspiciunt districtum judicem, qui quo tardius venit, eo severius percutit. Sanctorum etiam patrum residere conventum cum eo pariter contemplantur, eorumque vel exempla, vel dicta se contempsisse reprehendunt, atque in hoc secreto interioris

judicii, ipsa mentis suae executione constricti, poenitendo feriunt quod superbiendo commiserunt. Ibi namque adversum se quidque se impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne quod defleant, coacervant; ibi quidquid per iram districti judicis decerni possit, intuentur; ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent; nec deest in hoc judicio mente cencepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judicium eo certius punit, quo interius saevit, quia videlicet ab exterioribus non accedit. Unusquisque enim cum causam hujus examinis contra se aggredi coeperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur; odit se qualem fuisse se meminit, et ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atque ab ipso homine adversus semetipsum fit quaedam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. Hanc cordis rixam Dominus requirebat, cum per prophetam diceret: *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci (Jerem. VIII, 6)?* Ista cordis humani rixa placatus est, cum prophetae suo de Achab rege semetipsum reprehendente loqueretur, dicens: *Vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus (III Reg. XXI, 29).*

14. *Hoc judicium quod mali declinant, justi semper exercent, quam utiliter subeamus. Sic a peccati vetustate renovamur.--*
-Quia ergo nunc in potestate est internum mentis nostrae contra nos subire judicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos, et quales fuimus poenitendo torqueamus; non cessemus dum licet judicare quod fecimus, audiamus caute quod dicitur: *Neque enim ultra in hominis potestate est, ut*

veniat ad Deum in iudicium. Reproborum namque esse proprium solet, semper prava agere, et nunquam quae egerint retractare. Omne enim quod faciunt caeca mente pertranseunt, factumque suum nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne quod turbidum profluit ab intimis exsiccare [*Vet. VII*]. Sicut enim non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis (haec quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis), ita mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu a semetipsa permutatur, et non agnoscimus, nisi vigilantia custodia ad interiora nostra residentes, proventus nostros quotidie defectusque pensemus. Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est, **794** et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur, quia sui negligens, propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis dum nescit senescit. Unde et per prophetam sub Ephraim specie dicitur: *Comederunt alieni robur ejus, et nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit (Oseae II, 9).* Cum vero semetipsam quaerit, et subtiliter poenitendo se discutit, ab ipsa hac vetustate sua lota lacrymis et moerore incensa renovatur, et quae jam pene inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet. Unde Paulus apostolus usu mortalis vitae veterascentes discipulos admonet, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestrae (Ephes. IV, 23).*

[*Rec. VII.*] 15. *Ut hoc agamus, nos admonent exempla SS. Patrum et divina praecepta.*---Sed ad haec agenda valde exempla patrum et sacri eloquii praecepta nos adjuvant. Si enim sanctorum opera inspicimus, et divinis jussionibus

aurem praebemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, et cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione provocatur. Unde bene ad Moysen dicitur: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutrit sacerdos, subjiciens mane lingua per singulos dies* (**Levit. VI, 12**). Altare quippe Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciat, ne exstinguatur. Omnis enim Christi fide praeditus membrum utique summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus apostolus dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (**I Pet. II, 9**). Et sicut Joannes apostolus dicit: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (**Apoc. II, 6**). Sacerdos ergo in altari ignem nutriendus, quotidie ligna subjiciat, id est fidelis quisque, ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla praecedentium quam sacrae Scripturae testimonia congerere non desistat. Nam quasi quaedam fomenta igni dare est in excitatione charitatis vel exempla patrum vel praecepta dominica ministrare. Quia etenim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitae conversatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, ut dum per usum se nostrae vetustatis extenuat, per patrum testimonia et exempla reviviscat. Et bene illic praecipitur ut mane ligna per dies singulos congerantur. Haec quippe non fiunt, nisi cum nox caetitatis exstinguitur. Vel certe quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitae praesentis, hoc primo loco quisque fidelium cogitet, ut quod in se jamjamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius exstinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum et dominicis testimoniis reparetur.

16. *Ita charitatis igne succensi, holocaustum Deo sumus.* Bene autem illic subjungitur: *Et imposito holocausto desuper adolebit adipēs pacificorum* (**Levit. VI, 12**). Nam quisquis in se ignem hunc charitatis accendit, semetipsum utique holocaustum desuper imponit, quia omne vitium quod in se male vivebat exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, et vitam reprobam per immutationis gladium nactat, in ara se sui cordis imposuit, et igne charitatis **795** incendit. De qua hostia pacificorum adipēs redolent, quia interna novae charitatis impinguatio pacem inter nos et Deum faciens, odorem de nobis suavissimum reddit. Quia vero eadem charitas in cordibus electorum inextinguibilis manet, apte illic subditur: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari* (**Ibid., 13**). Nunquam profecto de altari ignis iste deficiet, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus fervor charitatis accrescit. Aeterna quippe contemplatione agitur, ut omnipotens Deus quo magis visus fuerit, eo amplius diligatur.

[*Vet. VIII.*] 17. *Divinis praeceptis et sanctorum exemplis adjuti, libertatem consequimur.*---Quod autem divinis admonitionibus et praecedentium exemplis adjuti de hujus vitae profundo liberamur, bene etiam propheta Jeremia in puteum misso signatum est, qui ut levetur ex puteo, funes ad eum et panni veteres deponuntur (**Jerem. XXXVIII, 11**). Quid enim funibus nisi praecepta dominica figurantur? Quae quia nos in mala operatione positos, et convinciunt, et eripiunt, quasi ligant et trahunt, coarctant et levant. Sed ne ligatus his funibus dum trahitur incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur, quia ne divina praecepta nos terreant, antiquorum patrum nos exempla confortant, et ex eorum

comparatione facere nos posse praesumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo levare de hoc profundo festinamus, ligemur funibus, id est praeceptis dominicis astringamur. Intersint etiam panni veteres, cum quibus melius teneantur funes; id est, praecedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos ac timidos praecepta subtilia vulnerent dum levant. Quasi quosdam pannos veteres Paulus apostolus subjungebat, cum levandis discipulis suis praeceptis spiritalibus exempla veterum commodaret, dicens: *Justi ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt (Hebr. XI, 36)*. Et paulo post: *Habentes itaque tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen (Hebr. XII, 1)*. Et iterum: *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem (Hebr. XIII, 7)*. Superius videlicet, dum spiritalia praecepta loqueretur, quasi funes miserat, postmodum vero memorans exempla majorum, quasi veteres pannos adhibebat.

18. *A rebus exterioribus ad cor redeundum*.---Excitati ergo tot vocibus praeceptorum, adjuti tot comparisonibus exemplorum, ad corda nostra redeamus, discutiamus omne quod agimus, et quidquid in nobis divinae rectitudinis regulam offendit, accusemus, ut apud districtum judicem ipsa nos accusatio excuset. In hoc enim mentis nostrae iudicio tanto citius absolvimur, quanto nos districtius reos tenemus. Nec ad haec agenda praetermittenda sunt tempora, quibus vacat, quia ad haec agenda post hujus vitae tempora non vacat.

Vacue quippe non dicitur: *Neque enim ultra in hominis potestate est ut veniat ad Deum in iudicium.* Idcirco namque memoramur quod tunc non possumus, **796** ne nunc quod possumus negligamus. Sed ecce negotia occupant quae nobis incessanter apposita a considerandis nobismetipsis mentis nostrae oculum declinant. In istis namque visibilibus quae intuetur cor nostrum extra se spargitur, et quid de se intrinsecus agatur obliviscitur dum extrinsecus occupatur. Divina autem vox terribilibus sententiis suis quasi quibusdam clavis illud pungit ut evigilet, ut homo occulta super se iudicia quae pressus torpore dissimulat, terrore saltem pulsatus expavescat. Ut enim superius diximus, ipso usu vitae veteris mens male assueta deprimitur, et in haec quae spectat exterius quasi dormiens sopitur: quae postquam semel se ad appetenda visibilia foras fudit, a contemplandis invisibilibus intus evanuit. Unde nunc necesse est ut quae per visibilia spargitur de invisibilibus iudiciis feriat; et quia in iis se exterioribus male delectata prostravit, saltem percussa requirat quod deseruit. Ecce autem Scriptura sacra terrore quodam torpentia corda transfigit, ne in his inhaereant quae exterius defluunt, sed quae interius aeterna perdiderunt. Indicat quid sententia occulta decernitur, ne immoderate a nobis haec publica cogitentur. Dicit quid super nos agatur de nobis, ut ab hoc publico temporalitatis colligamus oculum cordis ad secretum internae dispositionis. [*Vet. IX.*] Nam postquam multa narrata sunt de poena malorum, subito infertur occultum iudicium, quod pie super nos justequae disponitur, quomodo alii perdunt quod tenere videbantur, et alii accipiunt quod alii ex meritis perdunt. Ait enim:

CAPUT VIII.

VERS. 24. *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.*

19. *Alii perdunt quod tenere videbantur, alii prius perditum recipiunt. In exteriora respui reprobationis signum; sicut praedestinationis, ad interiora trahi.*---Hoc quotidie agitur. Sed quia adhuc finis partium utrarumque non cernitur, minus timetur. Nunquam enim culpam suam reprobi nisi in poena cognoscunt. Et quia poena differtur, culpa despicitur. Labuntur vero a statu justitiae, et locum vitae, illis cadentibus, alii sortiuntur. Sed eo lapsum suum negligunt, quo interitum qui se in aeternum maneat non attendunt. Si enim ad illud quod illic passuri sunt oculos suos mitterent, hoc quod hic faciunt timerent. Cunctis autem liquet quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni coelestis admittat. Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc publico demonstratur. Nam juste ac misericorditer singulorum corda vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quae sunt intrinsecus trahit; hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare; horum mentem ad superna erigit, illorum superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda humanis oculis clausa sunt, et nescitur qui repellitur, quia penetrari nequeunt quae ab unoquoque cogitantur. Nam saepe corde perverso necdum processit usque ad effectum operis deliberatio cogitationis, et adhuc fortasse per habitum intus astringitur, qui jam **797** mente foris vagatur. Sed talis quilibet iste tunc ante oculos interni iudicis cecidit,

cum ab appetendis interioribus per desiderium exivit. Nonnunquam vero alii post malae operationis usum ad spem coelestem subito amore reviviscunt; et qui in perversa actione se sparserant, ad sinum internae retractationis semetipsos increpando recolligunt. Hos adhuc respicientes homines quales dudum in opere noverant, tales putant. At contra illi per districtae considerationis examen vitam suam qualem fuisse recolunt insequuntur, sciturque quid fuerint, sed quid jam coeperint esse nescitur. In hoc ergo utroque genere hominum saepe contingit ut et ii qui videntur stare humano iudicio jam in conspectu aeterni iudicis jaceant; et qui adhuc coram hominibus jacent, jam in conspectu aeterni iudicis stent. Quis enim hominum aestimare potuisset Judam vivendi sortem etiam post ministerium apostolatus amittere (**Luc. XXIII, 40**)? Et quis e contra latronem crederet causam vitae etiam in ipso articulo mortis invenire? Occultus autem iudex praesidens, et utrorumque corda discernens, alterum pie statuit, alterum juste confregit. Illum districte exterius repulit, hunc introrsus misericorditer traxit. Unde bene etiam per prophetam casuros alios passionis suae tempore atque alios resurrecturos annuntians, ait: *Potum meum cum fletu temperabam* (**Psal. CI, 10**). Potus quippe ab exterioribus interioribus trahitur, fletus autem ab interioribus exterius emanat. Potum ergo Domino cum fletu temperare est alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus in exteriora reprobare. [*Vet. X, Rec. VIII.*] *Conteret ergo multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.*

*20. Reprobatio prius intus agitur, et postea extrinsecus ostenditur. Electorum numerus certus et definitus.---*Sicut autem superius diximus, haec contritio prius intus agitur, ut

post extrinsecus ostendatur. Hac contritione nonnunquam adhuc quorundam exteriora quasi sana sunt, sed jam interiora putruerunt. Scriptum namque est: *Ante ruinam exaltatur cor* (**Prov. XVI, 18**). Ibi ergo feriuntur, ubi superbiunt. Unde scriptum est: *Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me* (**Ezech. VI, 9**). Interius enim fornicari est exterius vetitis delectari. Magna autem contritio cordis est haec eadem elatio superbientis. Eo quippe ipso ab integritate salutis corrui, quo jactantia cujuslibet virtutis intumescit. Superbientes enim Deum despiciunt, et relictam creatoris sui gloriam, propriam quaerunt. Quibus jam hoc ipsum cecidisse est, amissa superioris sui potentia, in se venisse. Conteruntur etiam, quia, relictis coelestibus, terram quaerunt. Quae autem major poterit esse contritio quam deserto creatore creaturam quaerere; desertis supernis gaudiis, infimis rebus inhiare? Unde bene per Prophetam dicitur: *Humiliat autem peccatores usque ad terram* (**Psal. CXLVI, 6**). Amisissis enim coelestibus, terrenum est omne quod sitiunt; et dum plus videri conantur, minus est quod appetunt. De quibus recte per Jeremiam dictum est: *Recedentes a te, in terra scribentur* (**Jerem. XVII, 13**). At contra de electis dicitur: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelis* (**Luc. X, 20**). Ista ergo contritio prius serpit in mente, ut postmodum procedat in opere; prius fundamenta cogitationis concutit, ut postmodum fabricam operationis allidat. Unde summa est cura **798** satagendum ut illic vitetur ubi oritur. Scriptum namque est: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (**Prov. IV, 23**). Et rursum scriptum est: *Ex corde exeunt cogitationes malae* (**Matth. XV, 18**). Intus ergo vigilandum est ne mens dum extollitur cadat. Intus servemus omne quod foris agimus. Si enim semel medullam cordis elationis putredo

consumpserit, citius corruiat cortex vacua externae visionis. Notandum vero est quia dum aliis cadentibus ad standum alii solidari perhibentur, electorum numerus certus et definitus ostenditur. Unde etiam Philadelphiae Ecclesiae per angelum dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. III, 11).

[Vet. XI.] 21. *Doctrina Ecclesiae de praedestinatione et reprobatione spem nutrit humilium, et elationem superbiorum premit. Innumerabiles sunt reprobi.*---Hac ergo sententia, qua narratur aliorum erigi, aliorum autem vita confringi, et spes nutritur humilium, et elatio premitur superbiorum, dum et illi bona possunt amittere de quibus superbiunt, et isti ea percipere quae quia non habebant contemnuntur. Formidemus igitur in his quae accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti sunt desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, quid autem post paululum possimus esse nescimus. Hi vero quos fortasse despiciamus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus irridetur; quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum iudiciorum metum Paulus apostolus discipulorum cordibus incutiens, ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor. X, 12). Quod autem dicens: *Conterit multos*, illico adjunxit, *Innumerabiles*, vel multitudinem exprimere studuit reproborum, quae humanae rationis numerum transit; vel certe indicare voluit quod omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, ut eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt. Unde Propheta intuens tantos hoc Ecclesiae tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summamque

transire, ait: *Multiplicati sunt super numerum* (**Psal. XXXIX, 6**). Ac si diceret: multis Ecclesiam intrantibus, etiam hi ad fidem specie tenus veniunt qui a numero regni coelestis excluduntur, quia electorum summam sua videlicet multiplicitate transcendunt. Unde et per Jeremiam prophetam dicitur: *Aedificabitur civitas Domino a turre Ananehel usque ad portam anguli, et exhibit ultra normam mensurae* (**Jerem. XXXI, 38**). Civitatem quippe esse Domini sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Ananehel vero Dei gratia interpretatur. In angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Ananehel usque ad portam anguli aedificari perhibetur, quia sancta Ecclesia a celsitudine supernae gratiae inchoans, usque ad ingressum susceptionemque construitur utrorumque populorum, Judaici videlicet atque gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobis colliguntur, apte subditur: *Et exhibit ultra normam mensurae*, quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiae transeuntes, intra mensurae coelestis numerum non sunt. Unde per Isaiam quoque eidem Ecclesiae dicitur: *Ad dexteram enim et ad laevam dilataberis, et semen tuum gentes haereditabit* (**Isai. LIV, 3**). In tanta quippe multitudine gentium ad dexteram 799 extenditur, dum quosdam justificandos suscipit. Ad laevam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit. Propter hanc multitudinem, quae extra electorum numerum jacet, in Evangelio Dominus dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (**Matth. XX, 16**). Sed quia hoc quod electis aliis alii conteruntur, de merito patientis est, non de iniquitate punientis: *Non enim iniquus Deus, qui infert iram*, apte subjungitur (**Rom. III, 5**).

CAPUT IX [*Rec. IX*].

VERS. 25.---*Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur.*

22. *Deus peccatorem aliquando punit excaecatione.*--- Sciendum summopere est quod iniquus quisque duobus modis in nocte conteritur, vel cum exterioris poenae tribulatione percutitur, vel cum occulta sententia interius caecatur. In nocte corruit, cum per extremum iudicium vivendi lumen in perpetuum amittit. Unde scriptum est: *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (**Matth. XXII, 13**). Tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus excaecatur voluntarie. Rursum in nocte iniquus conteritur, cum peccatorum praecedentium confusione damnatus, veritatis lumen non invenit, et quid deinceps agere debeat non agnoscit. [*Vet. XII.*] Omne quippe peccatum, quod tamen citius poenitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati. Peccatum namque quod poenitentia non diluit ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo caecata mens ducitur ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et poena peccati, quia justo iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut praecedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immerito poena peccati dicitur, quod justa desuper irrogata caecitate, ex

praecedentis peccati ultione perpetratur. Quod videlicet agitur dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, ut et praecedens culpa sit causa subsequenter, et rursum culpa subsequens sit poena praecedentis. Quod bene in infidelibus et lubricis Paulus quasi quoddam semen erroris aspexerat, cum dicebat: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis* (**Rom. I, 21**). Sed quod ex huius erroris semine pullulavit, illico adjungit, dicens: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* (**Ibid., 24**). Quia enim cognoscentes Deum peccatum superbiae intelligendo commiserunt, caecantur etiam ne intelligant quod committunt. Et qui intelligentiam suam sequi nolunt in peccato et causa peccati, et ipsum lumen intelligentiae perdunt in peccato et poena peccati. Prioris ergo peccati merito peccatorum subsequenter fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam nesciens cadat.

23. *Culpa culpis puniuntur, ut ex vitiorum incremento supplicia augeantur.*---Hoc quippe agitur, ut culpa culpis feriantur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad poenitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad usum suae iniquitatis intorquet, **800** nimirum justo Dei iudicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc enim rursum de quibusdam Paulus apostolus dicit: *Ut impleant peccata sua semper* (**I Thess. II, 16**). Hinc voce angeli ad Joannem dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (**Apoc. XXII, 11**). Hinc David

ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in justitiam tuam (Psal. LXVIII, 28).* [Vet. XIII.] Hinc rursum de Domino ab eodem Psalmista dicitur: *Immissiones per angelos malos viam fecit semitae irae suae (Psal. LXXVII, 49).* Cor quippe Dominus prioribus meritis aggravatum juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli, quod cum digne in culpa trahitur, reatus ejus in poena cumulatur. Unde et irae suae Dominus viam de semita fecisse perhibetur. Latior enim est via quam semita. Ex semita vero irae suae viam facere est irae causas districte judicando dilatare, ut qui illuminati agere recte noluerunt, juste caecati adhuc faciant, unde amplius puniri mereantur. Hinc per Moysen dicitur: *Nondum completa sunt peccata Amorrhaeorum (Genes. XV, 16).* Hinc per eundem Moysen Dominus dicit: *Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, et propago eorum ex Gomorrha (Deut. XXXII, 32).* *Uva eorum uva fellis, et botrus amaritudinis in ipsis. Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis. Nonne haec omnia congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam eis (Ibid., 33, 34).* Quam multa eorum mala narravit, et tamen illico adjungit: *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum (Ibid., 35).* Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, et tamen ad ultionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpaee cumulentur. Habent jam quidem unde feriri mereantur; sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, ut peccantes possit atrocior poena cruciare. Jam meretur supplicium peccatum et causa peccati; sed exspectatur adhuc, ut augmentum supplicii subroget peccatum, et poena peccati.

24. *Idem peccatum aliquando poena est et causa peccati. Deus excaecat a caecitate non liberando.*---Plerumque vero unum atque idem peccatum, et peccatum est ut et poena et causa peccati. Quod melius ostendemus si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluvies in fervorem luxuriae plenitudinem carnis instigat. Perpetrata autem luxuria saepe aut perjurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit, qua voracitate superatus adulterii facinus admisit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulterae, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium, inter voracitatem et homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans, peccatum est et poena et causa peccati. Peccatum profecto est per semetipsum; poena vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit; causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum est et poena praecedentis, et causa culpaе subsequentis, quia et transacta dum exaggerat damnat, et adhuc sequentia quae damnari debeant seminat. Igitur quia peccatis praecedentibus caecatur oculus cordis, ipsa caecitas quae peccantis animum ex anteactae culpaе damnatione confundit merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis **801** lumen veritatis absconditur. Bene itaque dicitur: *Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur*, quia, ut saepe dictum est, praecedentia nimirum mala faciunt, ut ad peccandum iterum tenebris subsequentibus involvantur, ut eo jam lumen justitiae videre non possint, quo illud et quando poterant videre noluerunt. Inducere autem noctem Dominus dicitur, non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda

peccantium misericorditer non illustret, ut hoc ipsum in nocte caecasse sit a caecitatis tenebris liberare noluisse. Sequitur:

CAPUT X [*Rec. X*].

VERS. 26.---*Quasi impios percussit eos in loco videntium.*

25. *In Ecclesiae sinu inique viventes, divina ultio quasi impios percutit. Quasi quid significat in Scripturis. Ecclesia locus est videntium.*---In Scriptura sacra *quasi* aliquando pro similitudine, aliquando pro veritate poni consuevit. Pro similitudine enim *quasi* ponitur, sicut Apostolus dicit: *Quasi tristes, semper autem gaudentes (II Cor. VI, 10)*. Pro veritate vero ponitur, sicut Joannes ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (Joan. I, 14)*. Hoc autem loco nihil differt utrum pro similitudine an pro veritate sit positum, quia quolibet dicatur ordine, aperte prava malorum vita signatur. Impios vero Scriptura sacra proprie infideles appellat. Hac namque distantia peccatores ab impiis discernuntur, quia cum omnis impius sit peccator, non tamen omnis peccator est impius. Peccator enim dici etiam qui in fide pius est potest. Unde Joannes ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus (I Joan. I, 8)*. Impius vero proprie dicitur qui a religionis pietate separatur. De talibus enim propheta ait: *Non resurgent impii in judicio (Psal. I, 5)*. [*Vet. XIV.*] Locus autem videntium sancta Ecclesia vocatur. In ipsa enim recte consistitur, ut lumen verum, quod Deus est, videatur. Unde ad Moysen dicitur: *Est locus penes me, et stabis supra*

petram cum transeat mea majestas (Exod. XXXIII, 21). Et post paululum: Auferam manum meam et videbis posteriora mea (Ibid., 23). Per locum quippe Ecclesia, per petram Dominus, per Moysen vero multitudo plebis Israeliticae figuratur, quae Domino in terra praedicante non credidit. Ipsa ergo in petra stetit, terga Domini transeuntis aspiciens, quia videlicet post passionem ascensionemque dominicam, intra sanctam Ecclesiam deducta, fidem Christi percipere meruit; et cujus praesentiam non vidit, ejus posteriora cognovit. Dicatur ergo de his, quos intra sanctam Ecclesiam divina ultio invenit in iniquitatibus perdurantes, dicatur de his quorum vitam Paulus apostolus notat, *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit. I, 16): Quasi impios percussit eos in loco videntium.* Ibi quippe stabant, ubi Deum videre videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, ubi lumen veritatis aspicitur. Et quamvis apertos habuerunt oculos in fide, tenuerunt tamen eos clausos in opere. Unde bene et de Judaea dicitur: *Speculatores ejus caeci (Isai. LVI, 10),* quia videlicet non videbant opere quod professione cernebant. Unde etiam de Balaam scriptum est: *Qui cadens apertos habet oculos (Num. XXIV, 16).* Cadens quippe in opere apertos tenuit oculos in contemplatione. Ita ergo hi etiam oculos aperientes in fide, et non videntes in opere, intra Ecclesiam positi pia specie, extra Ecclesiam inventi sunt impia conversatione. De quibus alias bene scriptum est: *Vidi impios sepultos, qui cum adviverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum (Eccle. VIII, 10).*

802 26. *Multos falsos Christianos Ecclesiae pax abscondit. Quidam ex professione Christianae religionis gloriam quaerunt.*---Multos enim peste propriae pravitatis obsessos

sub Christiano nomine ipsa tranquillitas ecclesiasticae pacis abscondit. Quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream velut paleas tollit. [*Vet. XV.*] Quidam vero idcirco Christianitatis vocatione signantur, quia Christi nomine sublimiter exaltato, pene omnes jam videri fideles aspiciunt; et pro eo quod hoc vocari alios cernunt, ipsi non videri fideles erubescunt, sed esse negligunt quod dici gloriantur. Rem enim virtutis intimae ad decorem sumunt visionis externae; et qui ante supernum iudicem nudi conscientiae infidelitate consistunt, ante humanos oculos professione sancta verbo tenus palliantur.

27. Fideles qui nequiter vivunt saepe divino iudicio fidei jacturam faciunt. Multi in domo fidei, sine fide moriuntur. Iis vero fidelium societas in supplicii cumulum cedit.---Nonnulli autem fidem medullitus tenent, sed vivere fideliter nullatenus curant. Insequuntur enim moribus quod credulitate venerantur. Quibus divino iudicio saepe contingit ut per hoc quod nequiter vivunt, et illud perdant quod salubriter credunt. Incessanter namque se pravis actionibus polluunt, et super hoc vindictam iusti iudicii retribui posse diffidunt; et saepe cum bene vivere negligunt, etiam persequente nullo usque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum iudicium non credunt, qui inulte se peccare suspicantur, quod pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdidisse, est incorrectis malis operibus digna supplicia reddi posse non credere. Quia ergo digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt, quam tenere videbantur. Super quos bene per Prophetam sub Jerusalem specie inimicorum destruentium verba memorantur, a quibus scilicet dicitur: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in*

*ea (Psal. CXXXVI, 7). Paulus quippe ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I Cor. III, 11). Inimici ergo destruentes usque ad fundamentum Jerusalem exinaniunt, quando perversi spiritus a corde fidelium, destructo prius aedificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanisse est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse. Hinc etiam ad Judaeam per Jeremiam dicitur: Filii quoque Mempheos et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem (Jerem. II, 16). Usque ad verticem quippe constuprari est post malae operationis usum etiam in ipsa fidei sublimitate corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis operibus involvunt, sed integritatem fidei vitare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, jam usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris usque ad summa pertingit, quando activam vitam polluens, castam celsitudinem fidei diffidentiae morbo corrumpit. Quia igitur cuncta haec humanis oculis absconsa sunt, sed divinis obtutibus patent, et multi in hac domo fidei sine fide moriuntur, dicatur recte: Quasi impios percussit eos in loco videntium. Pios enim se in Ecclesia hominibus ostendunt; sed quia divina judicia latere non possunt quasi impii feriuntur. Quibus hoc magis **803** ad supplicii cumulum crescit, quod unusquisque eorum in Ecclesia fidelibus admistus veritatem fidei sciendo contemnit; atque eo gravior ultio sequitur, quo per exempla rectorum etiam bene vivendi eos scientia comitatur. Quot enim eis modo recti ac fideles*

fratres ostenduntur, tot in venturo iudicio testibus impugnantur. Sciunt ergo quod sequi negligunt. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XI [*Vet. XVI, Rec. XI*].

VERS. 27.--- *Qui quasi de industria recesserunt ab eo.*

28. *Peccatum aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio, quod gravius, perpetratur. Aliud bonum non facere, aliud nec amare, aliud odisse.*---Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis committitur (**De poenit., dist. 2, can., Sciendum**). Nam aut ignorantia, aut infirmitate aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I Tim. I, 13)*. Petrus vero infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei quod Domino perhibuit una vox puellae concussit, et Deum quem corde tenuit voce denegavit (**Luc. XXII, 57**). Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiae eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus quae ignoravit sciendo correxit, et Petrus motam et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria vero peccaverant ii de quibus ipse magister dicebat: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non*

*habent de peccato suo (Joan. XV, 22). Et paulo post: Et viderunt, et oderunt me et Patrem meum (Ibid., 24). Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem; sicut aliud est praecipitatione, aliud deliberatione peccare. Saepe enim peccatum praecipitatione, committitur, quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio vero peccare est bonum nec facere nec amare. Sicut ergo nonnunquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare, ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur; et quae ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur, quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quae in se negligunt saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent; sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, recte dicitur: *Qui ex industria recesserunt ab eo*. Unde et apte subjungitur:*

CAPUT XII.

IBID.---*Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

29. *Quam graviter delinquant, qui sua ignorantia impunitatem peccandi quaerunt. Aliud est nescisse, aliud scire noluisse.*---Non enim ait: Infirmitate non intelligunt, sed, intelligere noluerunt, quia saepe quae facere despiciunt,

etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est: *Servus nesciens voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit paucis; et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis* (**Luc. XII, 47**); impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. **804** Qui nimirum sola superbiae caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est; scire noluisse, superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant. Unde per Salomonem dicitur: *Nunquid non sapientia clamat, et prudentia dat vocem suam, in summis excelsisque verticibus super viam in mediis stans semitis* (**Prov. VIII, 1**)? Transire fortasse per viam vitae temporalis cum ejus ignorantia poteramus, si haec eadem sapientia in semitae angulis constitisset.

30. *Viae divinae sapientiae per Incarnationem omnibus patent. Vias Dei intelligere, quid sit. Lumen intelligentiae humilitas aperit, superbia claudit.*---Investiganda fuerat, si occultari voluisset. Sed postquam incarnationis suae mysteria publice ostendit, postquam humilitatis exempla superbientibus praebuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit, ut videlicet in eam, quam quaerere nolumus, impingamus; et quam transeuntes videre negligimus, tangamus offendentes. Dicatur itaque: *Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Via quippe est incarnatae sapientiae omnis actio quam temporaliter gessit. Viae ejus sunt vivendi ordines, quos ad se venientibus stravit. Tot itaque ad se venientibus vias praebuit, quot bene vivendi exempla monstravit. Humilitatis ejus vias Propheta aspexerat, cum

suspirabat, dicens: *In mandatis tuis me exercebo, et considerabo vias tuas* (Psal. CXVIII, 15). Hinc rursum de unoquoque justo dicitur qui curat ut per dominica exempla gradiatur: *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus cupit nimis* (Psal. XXXVI, 23) [*Vet. XVII*]. Quia ergo superbi quique humiliatis dominicae facta contemnunt, recte dicitur: *Vias ejus intelligere noluerunt*. Viae enim istae visione despectae sunt, sed intellectu reverendae. Aliud quippe est in eis quod cernitur, aliud quod exspectatur. Quid enim in hac vita aliud quam dejectionem, sputa, ludibria, mortemque intuentium oculis ostendit? Sed per haec infima transitur ad summa, per haec dedecora quae praecedunt aeterna nobis et gloriosa pollicentur. Viderunt ergo superbi vias Dei, sed intelligere noluerunt, quia dum abjecta quae in se illae ostendunt despiciunt, perdiderunt isti sublimia quae promittunt. Vias itaque Dei intelligere est et humiliter tolerare transitoria, et perseveranter exspectare mansura, ut exemplo Domini coaeterna quaeratur gloria opprobriis temporalibus comparata, et non quod hic quisque tolerat, sed in id quod exspectat intendat. Ad haec ergo superbi clausos oculos tenuerunt, quia dum in gloria praesentis vitae superbiunt, humilitatis Dominicae celsitudinem non viderunt. Lumen enim intelligentiae humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam pietatis est, et tanto minus ad illud animus pervenit, quanto magis intumescit, quia eo ipso foras repellitur, quo insanius afflatur. Sequitur:

CAPUT XIII [*Rec. XII*].

VERS. 28.---*Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.*

31. *Clamor pauperum ad Deum quando perveniat. Fictus est pastor qui praedicatione neglecta, curis saecularibus occupatur. Confessionis necessitas.*---Cum enim isti superbiunt, clamant ad Deum hi qui ab ipsis superbientibus opprimuntur. Vel certe idcirco dicitur quod ad Deum fecerunt clamorem pauperum **805** pervenire, quia istis cadentibus, in eorum locum pauperes, id est spiritu humiles subrogantur. Et quia hoc eorum casu factum est, ipsi fecisse referuntur, eo videlicet locutionis genere, quo pugnare castra dicimus, quia pugnatur ex illis. Vel certe quia cuncta quae superius dicta sunt referri etiam ad rectores Ecclesiasticos possunt, qui relicto praedicationis studio, sub occasione regiminis, terrenis negotiis involvuntur, apte subjungitur: *Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum*; quia nimirum dum ipsi curis saecularibus occupati praedicationis officium deserunt, gregem subditum in querelarum prorumpere clamorem compellunt, ut quasi jure unusquisque subjectus de vita ficti pastoris immurmuret, cur teneat magistri locum, qui non exercet officium. Quamvis fortasse melius per tumorem potentium superbia Judaeorum, et per clamorem pauperum desideria gentium figurantur, sicut, attestante Veritate, per epulantem splendide divitem Judaicus populus designatur; copiam scilicet legis non ad necessitatem salutis, sed ad pompam elationis assumens, atque in praeceptorum verbis non semetipsum ordinate reficiens, sed jactanter ostendens; et per vulneratum Lazarum, qui interpretatur adjutus, forma populi gentilis exprimitur, quem divinum adjutorium tanto

magis erigit, quanto minus de suarum virium facultate confidit. Qui pauper et plenus vulneribus esse describitur, quia gentilitas corde humilis peccatorum suorum aperuit confessiones. Nam sicut in vulnere ab internis trahitur virus in cute, ita in confessione peccati, dum in publicum secreta panduntur, quasi mali humores a visceribus intimis foras prorumpunt. Illis ergo peccantibus, pauperum clamor auditur, quia dum Judaei contra Deum superbiunt, ad Deum vota gentilium pervenerunt. Unde et mox haec ipsa immensa ac profunda judicia perhorrescens, non ea curat ratione discutere, sed admiratione venerari, atque ait:

CAPUT XIV [*Rec. XIII*].

VERS. 29.---*Ipsa enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?*

32. *Cur unus vocetur et trahatur, alter repellatur, nemo discutiat.*---Nemo ergo discutiat cur, stante Judaico populo, dudum in infidelitate gentilitas jacuit; et cur, ad finem gentilitate surgente, judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Si enim gentilitatem miraris assumptam, *Ipsa concedente pacem, quis est qui condemnet?* Si Judaeam obstupescis perditam, *ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?* Itaque consilium summae et occultae virtutis satisfactio fit apertae rationis. Unde et in Evangelio Dominus, cum de

hujus rei causa loqueretur, ait: *Confiteor tibi, Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, pater (Matth. XI, 25).* Atque mox tanquam rationem quamdam absconsionis ac revelationis adjungens, ait: *Quia sic fuit placitum ante te.* Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione praesumamus. Cum enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit, **806** hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest quod placuit justo. Unde et in vinea laborantibus mercedem reddens, cum quosdam operarios inaequales in opere aequaret in praemio, et plus in mercede quaereret qui labori amplius insudasset, ait: *Nonne ex denario convenisti mecum? Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi; an non licet mihi quod volo facere (Matth. XX, 13)?* In cunctis ergo quae exterius disponuntur, aperta causa rationis est occultae justitiae voluntatis. Dicatur itaque: *Ipsa enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum? [Vet. XIX.]* Et quia sic minima sicut maxima, sic singula Deus judicat sicut cuncta, apte subjungitur:

CAPUT XV.

IBID.---*Et super gentem, et super omnes homines.*

33. *Deus minimis providet ut maximis; et singulis ut universis.*---Ac si aperte admoneamur intendere, quia hoc

judicium, quod super unam gentem describitur, etiam super omnes homines invisibili examinatione celebratur, ut alius eligatur, alius repellatur occulte, sed nullus injuste. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis caute timeamus. Sic enim intenduntur divina judicia super unam animam, sicut super unam urbem; sic super unam urbem, sicut super unam gentem; sic super unam gentem, sicut super universam generis humani multitudinem; quia et sic intendit Dominus singulis, ac si vacet a cunctis; et sic simul intendit omnibus, ac si vacet a singulis. Qui enim omnia administrando implet, regit implendo; nec universis deest, cum disponit unum; nec uni deest, cum disponit universos, cuncta scilicet naturae suae potentia quietus operatur. Quid ergo mirum quia non angustatur intentus, qui operatur quietus? Dicatur itaque quia hoc subtile judicium exercet et super gentem, et super omnes homines. [Rec. XIV.] Quia igitur de specie transivit ad genus, nunc de genere se convertit ad speciem, et quid Judaea proprie mereatur, ostendit dicens:

CAPUT XVI [*Vet. XX*].

VERS. 30.---*Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

34. *Qui malis praelatis subjacent, id suae culpaе tribuant. Propter peccata populorum regnaturus est Antichristus.*--- Verum namque regem super se Judaea regnare noluit, et idcirco exigentibus meritis hypocritam accepit, sicut ipsa quoque Veritas in Evangelio dicit: *Ego veni in nomine Patris*

*mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis (Joan. V, 43). Et sicut Paulus ait: Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio (II Thess. II, 10). In eo ergo quod dicitur: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, potest ipsum omnium hypocritarum caput Antichristus designari. Seductor quippe ille tunc sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat. Sed propter peccata populi regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius regimine praeordinantur, qui ejus dominio digni ante saecula praesciuntur, qui peccatis subsequentibus exigunt, ut sub illo judiciis praecurrentibus disponantur. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex injustitia judicantis, sed ex culpa patientis; quamvis plerique et principatum illius non viderunt, et tamen ejus principatui peccatorum suorum conditione deserviunt, quia et quem dominantem sibi minime conspiciunt, eum proculdubio perverse vivendo venerantur. An non 807 ejus membra sunt, qui per affectatae sanctitatis speciem appetunt videri quod non sunt? Ille namque principaliter hypocrisim sumit, qui cum sit damnatus homo, et nequam spiritus, Deum se esse mentitur. Sed proculdubio ex ejus nunc corpore prodeunt, qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscondunt, ut professione videri appetant, quod esse operibus recusant. Quia enim scriptum est: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, quanto nunc liberius peragunt perversa quae volunt, tanto ejus servitio obnixius obligantur (Joan. VIII, 34). Sed nullus, qui talem rectorem patitur, cum quem patitur accuset, quia nimirum sui fuit meriti perversi rectoris subjacere ditioni. Culpam ergo proprii magis, accuset operis quam injustitiam gubernantis. Scriptum namque est: *Dabo tibi reges in furore**

meo (**Osee XIII, 11**). Quid ergo illos nobis praeesse despiciamus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus? Si igitur irascente Deo secundum nostra merita rectores accipimus, in illorum actione colligimus, quid ex nostra aestimatione pensemus. Quamvis plerumque et electi subjaceant reprobis. Unde et diu David Saulem pertulit (**I Reg. XVIII, 11**); sed subsequente culpa adulterii proditur, quia dignus tunc fuit qui tanta praepositi asperitate premeretur.

35. *Ob delicta gregis aliquando bonus pastor pervertitur.*--- Sic ergo secundum merita subditorum tribuuntur personae regentium, ut saepe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur; sicut Scriptura sacra de eodem Saule intulit, quia cor cum dignitate mutavit. Unde scriptum est: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel* (**I Reg. XV, 17**). Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut saepe pro malo gregis etiam vere boni delinquant vita pastoris. Ille enim, Deo attestante, laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius David propheta, tumore repentinae elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit (**II Reg. XXIV, 9**). Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero iudex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse scilicet sua voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpaе etiam ipse suscepit. Nam ira saeviens, quae corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut saepe ex culpa pastorum

deterior fiat vita plebium, et saepe ex plebium merito mutetur vita pastorum.

[*Vet. XXI.*] 36. *Subditi praelatos etiam malos tolerant, si salva fide possint. Humilitas recti magistra.*---Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est non temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus aes nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit (**Matth. XXI, 21**); nimirum significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quamvis etiam subditorum vitia, **808** quae a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus procul dubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid prioris est toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summopere est ne in superbiam transeat justitiae inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur; ne eum sibi praeesse quisque despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiae, subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus; et quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos qui nobis praelati sunt districte judicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos quos reprehendere nitimur plus videmus. Singula haec mala sunt, quae saepe a subditis in praelatos, saepe a praelatis in subditos committuntur, quia et omnes subditos hi qui praesunt minus quam ipsi sunt sapientes arbitrantur, et rursum qui subjecti sunt rectorum suorum actiones judicant, et si

ipsos regimen habere contingeret, se potuisse agere melius putant. Unde plerumque fit ut et rectores minus prudenter ea quae agenda sunt videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat; et nonnunquam is qui subjectus est hoc cum praelatus fuerit faciat, quod dudum fieri subjectus arguebat; et pro eo quod illa quae judicaverat perpetrat, saltem quia iudicavit erubescat. Igitur sicut praelatis curandum est ne eorum corda aestimatione singularis sapientiae locus superior extollat, ita subjectis providendum est ne sibi rectorum facta displiceant.

[*Vet. XXII.*] 37. *Pastores mali honorandi, non imitandi.*---Si autem magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi, etiam cum displicent, venerentur. [*Rec. XV.*] Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas, aut quem imitari despicias, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat. Quod bene in Noe debriato exprimitur, cujus nudata verecundiora boni filii aversi veniendo texerunt (**Genes. IX, 21**). Aversari quippe dicimur quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verecunda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic praepositorum suorum mala displicent, ut tamen haec ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia judicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.

[*Rec. XVI.*] 38. *Pastores temporalibus vacantes contemnere, est Deum accusare. Potestas regiminis ministrari non potest sine studio curae temporalis.*---Sunt vero nonnulli qui si

parum quid de spiritali conversatione inchoant, cum rectores suos temporalia agere et terrena considerant, mox ordinem supernae dispositionis accusant, quod nequaquam bene ad regendum praelati sint, per quos conversationis infimae exempla monstrantur. Sed hi nimirum dum temperare se a rectorum suorum **809** reprehensione negligunt, culpaе suae exigentibus meritis, usque ad reprehensionem conditoris excedunt: cujus profecto dispensatio inde ab humilibus rector agnoscitur, unde ab elatis non recta judicatur. Quia enim potestas regiminis ministrari non potest sine studio curae temporalis, aliquando omnipotens Deus mira dispensatione pietatis, ut tenerae spiritalium mentes a terrena cura disjunctae sint, onus regiminis duris ac laboriosis cordibus injungit, ut tanto illae ab hoc mundo securius lateant, quanto haec in terrenis sollicitudinibus libenter elaborant. In exhibitione quippe suscepti oneris pro ipsis quoque utilitatibus subditorum durae viae sunt mundanae servitutis.

39. *Quantum debeamus iis qui a temporalium cura, ipsis vacando, nos liberant.*---Et saepe, ut dictum est, misericors Deus quo suos tenere diligit, eo illos sollicite ab externis actionibus abscondit. Nam et plerumque paterfamilias ad eum laborem servos dirigit, a quo subtiles filios suspendit; et inde filii sine vexatione decori sunt, unde servi in pulvere foedantur. Quod quam recte in Ecclesia divinitus agitur, ipsa tabernaculi constructione signatur. Ad Moysen quippe divina voce praecipitur ut ad tegenda interius sancta sanctorum ex bysso, cocco atque hyacintho vela texantur, jussumque est ut ad protegendum tabernaculum, vela cilicina et pelles extenderet, quae nimirum vel pluvias, vel ventos, vel pulverem tolerarent (**Exod. XXVI, 1**). Quid ergo per pelles et

cilicia, quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mentes accipimus, quae aliquando in Ecclesia occulto Dei iudicio, quamvis durae sint, praeferuntur? Quae quia servire curis temporalibus non timent, oportet ut tentationum ventos et pluvias de huius mundi contrarietatibus portent. Quid vero per hyacinthum, coccum, byssumque signatur, nisi sanctorum vita tenera, sed clara? Quae dum caute in tabernaculo sub ciliciis et pellibus absconditur, sua ei integra pulchritudo servatur. Ut enim in interioribus tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscat, hyacinthus caeruleo colore resplendeat, desuper pelles et cilicia imbres, ventos et pulverem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctae Ecclesiae sinu proficiunt, praepositorum suorum vitam despiciere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident, quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adiumento est qui contra procellas huius saeculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluvia tangeret? Aut quid fulgoris atque claritatis coccus vel hyacinthus ostenderet, si haec susceptus pulvis foedaret? Sit ergo desuper textura cilicii fortis ad pulverem, sit inferius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam qui solis rebus spiritalibus vacant, tegant Ecclesiam, quos et labor rerum corporalium non gravat. Nequaquam ergo contra rectorem suum exteriora **810** agentem murmuret is qui intra Ecclesiam sanctam jam spiritaliter fulget. Si enim tu secure interius ut coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accusas?

[*Vet. XXIII.*] 40. *Prava praelatorum exempla Deus ordinat in poenam superbiorum subditorum. Dum maledicere videntur prophetae, praedicunt.*---Sed a quibusdam quaeritur quia

dum saltem pro utilitate subditorum rectores nimium temporalibus curis inserviunt, plerique in Ecclesia eorum exemplo deterescunt. Quod verum valde esse quis abneget, cum curari a pastoribus terrena quam coelestia sollicitius videt? Sed neque haec injusta sunt, si, ut superius diximus, res praesidentium juxta subditorum merita disponuntur. Occulte namque et sponte perpetratae culpa exigit ut prava et a pastoribus exempla praebeantur, quatenus justo judicio is qui de via Dei superbus exorbitat, in via qua graditur etiam per ducatum pastoris offendat. Unde per prophetam quoque praenuntiantis studio dicitur, non maledicentis voto: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (Psal. LXVIII, 24). Ac si dicat: Qui humanae vitae actionibus quasi praevidendis itineribus praesunt, veritatis lucem non habeant, ut et qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati, omnem statum rectitudinis amittant. Quod factum procul dubio in Judaea novimus, cum in ipso nostri Redemptoris adventu pharisaeorum turba atque sacerdotum a vero lumine mentis oculos clausit, et per praepositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

41. *Quo sensu Deus faciat regnare hypocritam.*---Sed quaeri rationabiliter potest quomodo hoc in loco dicitur quod regnare hypocritam Dominus facit, cum de hac re specialiter per prophetam conqueritur, dicens: *Ipse regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi* (Osae. VIII, 4). Quis enim recte sentiens dicat quia facit Dominus quod minime cognoscit? Sed quia scire Dei approbare est, nescire reprobare; unde quibusdam quos reprobat dicit: *Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis* (Luc.

XIII, 25); et aliquando facere Dei est id quod fieri prohibet, irascendo permittere; unde et regis Aegypti cor se obdurare asseruit (**Exod. IV, 21**), quia videlicet obdurari permisit; miro modo hypocritas Dominus et regnare facit et nescit: facit sinendo, nescit reprobando. Unde necesse est ut ad omne quod in hac vita concupiscitur prius voluntas interna requiratur. Quam cum humani cordis auris percipere appetit, sciat quia haec non verbis, sed rebus sonat. Locus ergo regiminis cum regendus offertur, in se prius necesse est ut quisque discutiat, si loco vita congruit, si ab honore actio non dissentit, ne justus omnium rector eo post in tribulatione preces non audiat, quod ipsa quoque ejus, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat.

LIBER VIGESIMUS SEXTUS. *Exponit sanctus Doctor septem ultimos versus cap. XXXIV, et caput XXXV ex integro, cum uno et viginti prioribus versibus cap. XXXVI. Ubi latissime in sensus tum allegoricos tum morales excurrit.*

CAPUT PRIMUM.

1. **811** *Fictae ac verae humilitatis indicia.*---In locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium solent, quod

ab auditoribus suis ne quid fortasse inordinatum dixerint tunc requirunt, cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt. Haec videlicet faciunt, non quod de dictis suis ambigant, sed quod ab audientium iudicio favores quaerant. Nam inveniri facile poterit quo animo percunctantur, si quisquam cum eorum bona laudat, etiam mala reprehendat. Certum quippe est quia sicut inflantur laudibus, ita correptionibus inflammantur; et cum a quolibet se vel juste reprehendi conspiciunt, mox in malis suis fomitem defensionis exquirunt. Quomodo ergo de bonis suis humiliter ambigunt, qui mala sua defendere etiam perverse moliuntur? Ille est enim vere humilis in bonis, qui non est defensor in malis. Nam qui de malis suis arguitur, et contra verba arguentis accenditur, quando de bonis suis quasi humiliter titubat, per humilitatis vocem ornari appetit, non doceri. Eliu itaque vitam arrogantium signans, postquam multa interna et sublimia intulit, ecce in verbis formam humilitatis assumit, et aequitate proposita, sub quadam discipulatus imagine beatum Job alloquitur dicens:

CAPUT II.

CAP. XXXIV, VERS. 31, 32.--- *Quia ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi, tu doce me; si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.*

3. *Humilitatis larva cito abjicitur.*---Sicut saepe contingit ut bona loquantur et mali, multa Eliu fortia paulo superius se dixisse meminerat, et securus idcirco ne fortasse erraverit

requirebat. Neque enim requireret, si se errasse credidisset. Est namque, ut dixi, propria arrogantium fraus ut tunc de errore requirere studeant, quando se noverint non errasse. Qui rursum requirere vel argui de errore despiciunt, si quando se errasse veraciter praecognoscunt. Non enim esse, sed videri humiles appetunt; et tunc requirendo speciem humilitatis assumunt, quando de ipsa magis requisitione laudantur. Sed quia omnino difficile est ut elatio quae regnat in corde non erumpat in voce; auditores arrogantium si eorum dicta paulisper taciti exspectant atque considerant, citius corda illorum subsequenter verba manifestant. Diu quippe morari non possunt in ipsa humilitatis imagine, quam specie tenus sumunt. Superbis enim mentibus humilitas alta est, et cum ejus formam conscendere ambiunt, lassatis animi gressibus quasi a clivosis atque asperis itineribus dilabuntur. Alienum est scilicet quod videri appetunt, et idcirco ejus imagini diu inhaerere nequaquam possunt. Grave pondus aestimant, cum eam saltem specie tenus portant, et quousque **812** hanc abjiciant, vim quamdam in corde patiuntur, quia videlicet elationis usui male dominanti deserviunt, atque ejus imperio semetipsos quales sint prodere compelluntur, ne diu possint videri quod non sunt. Unde Eliu quoque postquam de errore doceri se petiit, postquam iniquitatem non se ultra locuturum promisit, subito ab humilitatis specie ad verba tumidae causationis exsilivit. Nam subdidit, dicens:

CAPUT III.

VERS. 33.---*Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?*

3. *Sancti humanum iudicium non metuunt, sed divinum, ad quod etiam provocare simulant mali.*---Ac si diceret: Ego coram Domino rationes positurus sum cur modo iniquitas mea a te reprehenditur, quae constat quod in iudicio a te non requiratur. Recti viri cum injuste ab hominibus impetuntur, ad supernum iudicium recurrunt. [*Vet. et Rec. II.*] Unde et ab eodem beato Job dicitur: *Ecce in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis (Job. XVI, 19).* Et quia ei placere summopere cupiunt, ejus solius testimonium requirunt. Perversi quoque, quia justorum vitam deserunt, sed nonnunquam eloquia sequuntur, cum de suis male gestis increpantur, hoc assumunt in argumentum defensionis, quod justi proferunt in testimonium puritatis. Unde eis et consuetudo jam facta est, ut si quis eos de factis suis arguat, Dei magis iudicium quam hominum quaerant. A Deo enim et cum se damnandos noverint, judicari non metuunt, et judicari ab hominibus erubescunt. Proponunt ergo majus quod non metuunt, ut hoc minus declinare valeant quod erubescunt. Scriptum quippe est: *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo (Rom. XIV, 12).* Quia ergo tunc damnatio uniuscujusque manifesta est, exinde modo iniqui colligunt, ut etiam perversa uniuscujusque actio sit segura; ne modo eam quilibet justus arguendo discutiat, a qua constat quod in iudicio alienus existat. At contra piorum conscientiae grande sibi conferri praemium credunt, cum de quibusdam modo suis actionibus illicitis arguuntur. Proponunt etenim ante oculos cordis quia districtum Dei iudicium tanto verius tunc super eos mitigabitur, quanto nunc acrius arguente homine

praevenitur; et temporalem iram super se lucrum computant, per quam se aeternam posse evadere non ignorant. Eliu ergo typum cunctorum arrogantium tenens, et magis eligens aeterna invectione percuti, quam temporaliter increpari, dicat: *Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi?* Quia vero esse culpabiliores solent hi qui loqui in contentione inchoant, quam qui respondent, subdidit, dicens:

CAPUT IV.

IBID.---*Tu enim coepisti loqui, et non ego.*

4. *Frustra se innocentes putant, qui pulsati dura respondent.* --Eo se innocentem credidit, quo pulsatus erupit; **813** nimirum nesciens quia innocentia non tempore defenditur, sed ratione. Quid enim ejus defensionibus adminiculatur, quod etsi tacenti nulla intulit, recte tamen inchoanti prava respondit? Postquam vero in verbis elationis ostenditur, ecce iterum sub requisitionis velamine palliatur, atque infert, dicens:

IBID.---*Quod si quid melius nosti, loquere.*

Quamvis dum non ait: Quia melius nosti, sed, *Si quid melius nosti, loquere*, nimis hoc ipsum superbisse est, de melioris scientia dubitasse. Hoc tamen, quod beato Job locum loquendi tribuit, humilitatem se exhibuisse indicavit. Sed, sicut supra dictum est, quia in actione arrogantium omne quod superducto sermone tegitur, prorumpente rursum intentione elationis

aperitur, citius Eliu innotuit qua mente beatum Job loqui postulavit. Nam sequitur:

CAPUT V [*Rec. III*].

VERS. 34, 35.---*Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam.*

5. *Mentiri non licet humilitatis gratia.*---Ecce dum quasi humiliter beato Job loqui tribuit, quid intrinsecus gestaret ostendit, dicens: *Viri intelligentes loquantur mihi*; dedignatus videlicet si beatus Job loqui praesumeret, qui quasi ejus intelligere verba non posset. Et quia non solum ad loquendum, sed etiam ad audiendum, beatum Job indignum fuisse judicavit, illico adjunxit: *Vir sapiens audiat me*. Ac si diceret: Huic loqui injuste conceditur, qui etiam audire verba sapientium non meretur. Atque mox aperte, quam despecta de illo sentiat, manifestat, dicens: *Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam*. Sine disciplina locutum beatum Job credidit, quia justum se in suis operibus fuisse memoravit. Verum fortasse Eliu diceret, si ea quae beatus Job de seipso narraverat, non de illo haec eadem ipse disciplinae auctor existimasset. Innocenter enim Job se asseruit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra percussum (**Job. II, 3**). Quid ergo vox percussi superbum sonuit, quae a sententia ferientis nullatenus discrepavit? Incaute sunt humiles (**22, q. 2, c. Incaute**), qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant; imo

mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigunt quam relinquunt. Qui enim, necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. An Paulus humilis non fuit, quando aemulatione veritatis contra falsos apostolos tot de se discipulis fortia gesta narravit (**I Tim. II, 7; Act. XX, 18, 19**) Qui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, praedicatores errorum praevalere permisisset.

Sed quia arrogantes viri in eo quod bonorum dicta superbe examinant, verborum magis superficiem quam rerum ordinem pensant, Eliu beati Job sententias disciplinam credidit non sonasse. [*Vet. III.*] Quia vero saepe asperitas superborum usque ad duritiam maledictionis extenditur, illico contra beatum Job, quasi ad Deum faciens verba, subjungit:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 36.---*Pater mi, probetur Job usque ad finem.*

814 6. *Superbi afflictis compati nesciunt. In correptione sic tumentia premenda sunt, ut cruenta foveantur.*---Ecce hoc quod de arrogantiae tumore conceperat in verbis etiam maledictionis exaltat. Sed fortasse benevolae vim probationis optaret, si stetisse eum in probatione judicasset. Ut ergo aperte malitia ejus crudelitatis appareat, probari eum adhuc per flagella deprecatur, quem inter flagella lapsum fuisse jam queritur. Praemisit quod sensit, ut apertius cognosci debeat quod optavit. Adhuc feriri postulat quem jam peccasse sub

manu ferientis accusat. Propria haec arrogantium vota sunt, ut vitam dolentium examinari acrius deprecentur, quia quanto sibimetipsis justiores sunt, tanto alienis doloribus duriores existunt. Nesciunt enim in se passionem alienae infirmitatis trahere, et sicut suae, ita etiam proximi imbecillitati misereri. Quia enim de se alta sentiunt, idcirco humilibus nullatenus condescendunt. Eliu beatum Job pro culpa percussum credit, atque ideo exhibenda ei pietatis viscera nec inter tot dolores aestimavit. Viri autem veraciter sancti cum flagellari quempiam etiam pro culpa cognoscunt, etsi quaedam ejus inordinata corripiunt, ad quaedam tamen dolentia compatiuntur; et sic sciunt tumentia premere, ut sciant etiam cruenta refovere, quatenus in eis cum dura emolliuntur, infirma roborentur. [*Vet. IV, Rec. V.*] At contra arrogantes viri quia charitatis viscera non habent, non solum non compatiuntur etiam justis dolentibus, sed eos insuper sub specie justae increpationis affligunt; et vel si qua in eis sunt parva mala exaggerant, vel ea quae vere bona sunt male apud se interpretando commutant.

7. Sancti doctores delinquentium vitia exaggerare solent. Quid sit cordis parietem fodere.---Quamvis etiam casti doctores saepe exaggerare soleant delinquentium vitia, et ex quibusdam signis publicis occulta rimari, ut possint ex minimis majora cognoscere. Unde ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode parietem* (**Ezech. VIII, 8**). Ubi mox subdidit: *Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum, et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete* (**Ibid., IX, 10**). Per

Ezechielem quippe praepositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi asperis correptionibus duritiam cordis aperire? Quem cum perfodisset, apparuit ostium, quia cum cordis duritia asperis correptionibus aperitur, quasi quaedam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Unde et bene illic sequitur: *Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Quasi ingreditur ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quae illiciti cogitantur innotescant. Unde et subdidit: *Et ingressus vidi; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio.* In reptilibus, cogitationes omnino terrenae signantur; in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensae, sed adhuc terrenae mercedis praemia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terrae **815** inhaerent; animalia autem ventre a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulae ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes volvuntur in mente quae a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; et per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulae desiderium sese ad ima submittunt. Unde et bene subditur: *Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete.* Scriptum quippe est: *Et avaritia, quae est idolorum servitus (Coloss. III, 5).* Recte ergo post animalia idola describuntur, quia etsi honesta actione quasi a terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur: *Depicta*

erant, quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, in corde quasi depingitur quidquid fictis imaginibus cogitatur.

[Vet. V.] 8. Rectoris animarum in scrutandis cordis piaculis pia severitas. Qui a correptione cessat, damnari metuat.--- Notandum itaque est quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, et tunc demum occulta abominatio demonstratur, quia nimirum uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua apertae iniquitatis ostenditur, et tunc demum omne malum quod intus latet aperitur. Idcirco ergo solent etiam sancti doctores graviter minuta discutere, ut ab extremis exterioribus ad occulta possint majora pervenire. Verba asperae increpationis movent, ut spinas mortiferae cogitationis eradicent; et haec cum agunt, charitatis amore saeviunt, non inflatione elationis intumescunt. Mori enim pro ipsis parati sunt, quos quasi usque ad mortem saevientes affligunt. Servant in cogitatione quod diligunt, sumunt in specie quod persequuntur. Bona praedicantes insinuant, mala autem caventes praenuntiant, non ut Eliu desiderantes exorant. Erga commissos sibi ita nonnunquam in correptione fervent, ac si de tranquillitate nihil habeant; sed ita in dilectione tranquilli sunt, ac si nullus eos fervor accendat. Valde enim metuunt ne si a pravorum correptione cessaverint, ipsi pro eorum damnatione puniantur; et cum ad verba invectionis inflammantur, inviti quidem ad haec veniunt, sed tamen haec defensionem sibi apud districtum judicem praeparant.

*9. Corripiendorum et erudiendorum ad poenitentiam et pietatem delinquentium ordo.---*Unde et eidem rursus Ezechieli dicitur: *Fili hominis, sume tibi laterem, et*

pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem (Ezech. IV, 1, seq.). Cujus enim Ezechiel nisi magistrorum speciem tenet? cui dicitur: *Sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.* Doctores quippe sancti sibi laterem sumunt, quando terrenum cor auditorum ut doceant apprehendunt. Quem laterem coram se ponunt, quia tota illud sollicitudinis intentione custodiunt. In quo et civitatem Jerusalem **816** jubentur describere, quia praedicando terrenis cordibus curant summopere quanta sit supernae pacis visio demonstrare. Cui bene etiam dicitur: *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones.* Sancti enim praedicatores obsidionem circa laterem in quo Jerusalem civitas descripta est ordinant, quando terrenae menti, sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitae tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Cum enim unumquodque peccatum quomodo menti insidietur ostenditur, quasi obsidio circa Jerusalem civitatem voce praedicatoris ordinatur. Sed quia non solum insinuant quomodo mentem insidiantia vitia expugnent, sed etiam quomodo custoditae virtutes roborent, recte subjungitur: *Et aedificabis munitiones.* Munitiones quippe sanctus praedicator aedificat, quando quae virtutes quibus vitiis obvient, insinuare non cessat. Et quia virtutibus crescentibus plerumque bella tentationis augentur, recte adhuc additur: *Et comportabis aggerem; et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Aggerem namque comportat, quando

praedicator quisque molem crescentis tentationis indicat. Et contra Jerusalem castra erigit, quando rectae intentioni audientium hostis callidi circumventiones quasi incomprehensibiles insidias praedicat. Atque in gyro arietes ponit, quando tentationum aculeos in hac vita nos undique circumdantes, et virtutum murum perforantes innotescit.

10. *Quis et quantus zelus ad id necessarius.*---Ubi bene additur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem (Ezech. IV, 3).* Per sartaginem namque frixura, per ferrum vero fortitudo ostenditur. Quid autem ita magistri atque doctoris mentem quam zelus Domini frigit et excruciat? Unde et Paulus hujus sartaginis incendebatur frixura, cum diceret: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? et quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. XI, 29)* Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur, ne ex neglecta praedicationis et regiminis cura damnetur, recte dicitur: *Pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem (Ezech. IV, 3).* Sartago enim ferrea murus ferreus inter prophetam et civitatem ponitur, quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eundem zelum postmodum inter se et auditores suos fortem munitionem tenent, ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correptione dissoluti. Hanc sartaginem propheta idem, ut inter se et auditores suos murum sumeret, audiebat, cum ei divina vox praemitteret, dicens: *Si tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti (Ezech. III, 19).* Hanc sartaginem inter se et discipulos murum Paulus posuerat, cum dicebat: *Mundus*

sum a sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis (Act. XX, 26). Nunc ergo doctores necesse est ut appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur post de torpore negligentiae igne gehennae cruciari.

[*Vet. VI.*] 11. *Qua discretionem exercendus. Ex occulto odio non prodeat.*---Sed aliud est quod injustis et subditis, aliud 817 quod justis et non subditis debemus. Ad illorum nos correptionem atque custodiam reddendarum rationum debet timor accendere; ad istorum vero venerationem ipsa considerata aequitas inclinare. Sed arrogantes viri, quia hujus formam discretionis ignorant, hoc justis et non subditis exhibent, quod a bonis praedicatoribus fieri et injustis et subditis vident. Qui cum ad fervorem invectionis injuste prosiliunt, etiam per verba maledictionis excedunt. Quia enim nequaquam proximos sicut se diligunt, proximis optare non desinunt quod ipsi sibimet evenire pertimescunt. Unde Eliu occultum odium in manifestatione maledictionis exsudans, ait: *Pater mi, probetur Job usque ad finem, ne desinas ab homine iniquitatis.* Hominem iniquitatis vocat, quem Deus justum prae omnibus superna attestatione denuntiat. Et quia multa adhuc sub hac indiscretionem subjuncta sunt, breviter ea aestimo transcurrentia. Dicta enim quae gravitate carent, intenta expositione non indigent. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. VI*].

VERS. 37.---*Qui addidit super peccata sua blasphemiam.*

12. *Eliu eos adumbrat, qui cum pro veritate loqui videantur, a veritate sunt alieni.*---Accusat eum et pro peccatis flagella meruisse, et post flagella peccasse. Longe vero aliter Dominus judicat, qui et frustra flagellatum insinuat, et bona duplicia post flagella retribuit (**Job. II, 3**). Poena enim debetur culpae, non praemium. Beatus ergo Job sine culpa locutus ostenditur, quem post locutionem praemia subsequuntur (**Job. XLII, 10**). Eliu itaque, quia pro Domini defensionibus loquens, de beato Job aliud quam Dominus sentit, quasi dum pro veritate verba multiplicat, a veritate discordat. Sequitur:

CAPUT VIII.

IBID.---*Inter nos interim constringatur, et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum.*

13. *Non solum inepta dicere student, sed multa.*---Ac si diceret: Ex nostra assertione cognoscat quia nequaquam divinae examinationi sufficiat. Et quia arrogantes viri non solum student inepta dicere, sed etiam multa; versus qui sequitur, bene de illo frequenter infertur.

CAPUT IX [*Vet. et Rec. VII*].

CAP. XXXV, VERS. 1.---*Igitur Eliu haec rursum locutus est.*

14. *Superborum immensa loquacitas.*---Omnis qui multa loquitur, in locutione sua semper incipere studet, quatenus

inchoatione ipsa suspensos auditores faciat, ut eo attentius taceant, quo quasi novum audire aliquid exspectant. Eliu vero alia finiens, alia incessanter exorditur, ut immensa loquacitas per subjuncta semper initia continuetur. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 2.---*Nunquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo?*

15. *Innocentes quam injuste soleant accusare.*---Quia beatus Job justiorem se Deo non dixerit, omnis qui textum historiae legit, agnoscit, sed ait: *Proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam iudicium meum (Job. XXIII, 7).* Vitam suam videlicet pensans, et causas percussionis ignorans, ut saepe jam dictum est, pro diluendis peccatis se credidit et non pro augendis meritis flagellari; et idcirco iudicium suum ad victoriam pervenire confisus est, quia culpam in se, pro qua debuisset percuti, non invenit. Quod quidem de illo et Dominus ad diabolum dixit: *Commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra (Job. II, 3).* Quid ergo haec loquendo peccavit, qui verbis istis divinae de se et occultae sententiae etiam nesciendo consensit? Aut quid obest si a rectitudine veritatis humano iudicio verba nostra superficie tenus discrepant, quando in cordis **818** cardine ei compaginata concordant? Humanae aures verba nostra talia iudicant qualia foris sonant (**22, q. 5, c. Humanae**); divina vero iudicia talia ea audiunt qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur

ex corde. Beatus ergo Job dum hoc ait exterius quod interius Dominus dixit, omne quod locutus est tanto juste exterius intulit, quanto pie ab interna sententia non recessit. Quamvis prophetico spiritu repletus, in eo quod ait: *Proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam iudicium meum* (**Job. XXIII, 7**), intueri Redemptoris nostri praesentiam potuit. Ipse enim qui est virtus Patris et sapientia, etiam ejus aequitas non inconvenienter accipitur. Unde scriptum est: *Qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio* (**I Cor. I, 30**). Quam scilicet aequitatem, quia Deus iniquis fugentibus incarnatam ostendendo contra posuit, eos protinus ab iniquitate revocavit, et humanum genus in eo iudicio antiquum adversarium vicit, quo aequitatem Dei adversantem suis itineribus invenit. Sequitur:

CAPUT XI.

VERS. 3.---*Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi proderit si ego peccavero?*

16. *Aut falsa loquuntur, aut si vera, at non convenientia.*---Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Job dixisse monstratur. Sed arrogantes viri, sicut et superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mentiantur; et cum non possunt juste reprehendere quae sunt, reprehendant mentiendo quae non sunt. Sequitur:

VERS. 4.---*Itaque ego respondebo sermonibus tuis et amicis tuis tecum.*

Dictis superioribus quasi beati Job culpabilia verba narravit, atque ex eis sibi materiam loquendi proposuit; sed verbis subsequentibus forti acumine discutit hoc quod sibi ad dicendi materiam fallaciter finxit. Et fortes quidem sunt sententiae quae sequuntur, sed beati Job personae non congruunt; tantoque eum increpationis hujus tela non feriunt, quanto contra eum injuste mittuntur. Sequitur:

CAPUT XII [*Rec. VIII*].

VERS. 5-7.---*Suspice coelum, et intueri, et contemplare aethera quod altior te sit. Si peccaveris, quid ei nocebis; et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro si juste egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

17. *Vestigia Dei sunt creaturae.*---Quamvis beato Job scienti majora nequaquam dici ista debuerint, vera tamen sunt quae dicuntur, quod videlicet Deo nec peccata nostra noceant, nec bene gesta concurrant. Unde subsecutus, adjunxit: VERS. 8.--*Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua.* Sed inter haec illud est solerter intuendum, quod ait: *Suspice coelum, et intueri, et contemplare aethera quod altior te sit.* Haec enim dicens, nimirum colligit ut considerare debeat quanto minus Deo actione sua aut prosit aut noceat, qui altitudini coeli atque aetheris prodesse vel nocere non possit. Quamvis in coelo vel

aethere possimus supernas potestates accipere, divinis semper obtutibus inhaerentes, ut cum angelicos spiritus longe adhuc a nobis distare conspiciamus, ipsi creatori atque dominatori spirituum quam longe distamus inferius agnoscamus, corpoream tamen coeli aetherisque materiam hoc loco sentire nil obstat. [*Vet. VIII.*] Nam si vigilanter exteriora conspiciamus, per ipsa **819** eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturae. Ipsum namque adhuc videre non possumus; sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his quae fecit miramur. Ejus ergo vestigia creaturam dicimus, quia per haec quae ab ipso sunt sequendo imus ad ipsum. Unde Paulus ait: *Invisibilia ejus per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (**Rom. I, 20**). Unde et in libro Sapientiae scriptum est: *Per magnitudinem enim creaturae et speciem potest intelligibiliter creator videri* (**Sap. XIII, 5**). Menti enim nostrae peccato suo exterius sparsae necdum Deus sicut est interior innotescit; sed dum facturae suae decus foris proponit, quasi quibusdam nobis nutibus innuit, et quae intus sequamur ostendit, ac miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit; innuit immensa admiratione quod est, mira haec exterius ostendendo quae non est. Hinc enim de sapientia scriptum est: *In viis ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrit illis* (**Sap. VI, 17**).

18. *Vitae sunt ad Creatorem. Per visibilia a Deo recessimus; per eadem ad Deum reverti debemus.*---Viae quippe ad Creatorem sunt opera considerata creaturae. Quae dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a sapientia omni nobis providentia occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne quod mirabiliter factum

videtur; et quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quae reliquit; ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quae perversa cecidit, per haec conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus; et quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursus visibilibus innitamur, ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque eisdem quibus corrui passibus surgat, dum, sicut dictum est, illa nos ad Deum bene considerata revocant, quae nos ab eo male electa diviserunt. Eliu itaque, ut vim considerationis admoveret, atque ex corporeis rebus ostenderet quanto sit homine excelsior Deus, bene intulit: *Suscipe coelum, et intueri, et contemplare aethera quod altior te sit.* Ipsi enim rebus creatis atque corporeis agnoscimus quantum a creatoris nostri sublimitate distamus, quia per omne quod cernimus esse humiles admonemur, ut quasi quaedam sit lectio menti nostrae species considerata creaturae. Dicat ergo: *Suscipe coelum; et intueri, et contemplare aethera quod altior te sit. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ac si diceret: Ex ipsis creaturis intellige quas altiores te esse corporaliter vides, quantum a divinae potentiae sublimitate disjungeris; atque ex hac tua consideratione collige quia Deum nec bene vivendo adjuves, nec rursus malis actionibus graves.

19. *Angelis inferiores sumus, quanto magis Deo!*---Si vero, sicut superius diximus, in coelo vel aethere supernas potestates accipimus, verbis istis **820** Eliu considerare nos admonet, ut quia ipsi angelici spiritus creatoris nostri potentiam plene contemplari non possunt, de quibus tamen certum est quia nobis eo ipso altiores sunt quo lapsi in infimis non sunt, videlicet colligamus quanto Deo inferiores existimus, qui etiam creaturis sublimibus sed longe illo inferioribus subjacemus. Ac si diceret: Vide quantum a divina celsitudine separaris, a cujus potentia etiam potestates illae humilitate contremiscunt quae te immensa sublimitate transcendunt, et quanto ipse summo inferior es, qui inferiorem te esse etiam inferioribus deprehendis. Ostendendo vero summa, reducit ad aequalia, atque ait:

CAPUT XIII.

VERS. 8.---*Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua.*

20. *Homo homini nocere aut prodesse potest, non angelis. (1, quaest. 4, can. Homini.)*---Humana impietas ei nocet, quem pervertendo inquinat. Et rursus eum adjuvat nostra justitia quem a pravis actionibus immutat. Nocere enim vel juvare nesciunt ea quae vel a bono corrumpere vel a malo permutare non possunt. Supernae igitur potestates eo laedi vel juvari nequeunt, quo esse jam incommutabiles acceperunt. Sed considerare haec nequeunt, qui terrenis desideriis implicantur. Sparsis enim foris mentibus ad semetipsas redire

difficile est, quia prava itinera semel captas tanto delectabiliter tenent, quanto in eis omne quod libuerit licet. Nullus quippe disciplinae murus obviat qui constringat, nulla retributionis prospicitur poena quae terreat, sed clausis oculis cordis eo anima praecipitatur in infimis, quo obscuratur a summis; et tanto securius mala temporalia perpetrat, quanto durius bona aeterna desperat.

[*Vet. et Rec. IX.*] 21. *Mali bonos premendo purgant.*---Sed ista reproborum nequitia triturae more electorum vitam quasi grana a paleis separans, premit ut purget. Mali enim bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt; quia dum multa eis hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt. Quod bene de Israelitico populo vocante Moyse et Pharaone rege saeviente signatum est (**Exod. III, 7**). Tunc namque Moyses ad vocandum missus est, cum jam Pharaon duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus, ut Israelitarum mentes Aegypto deformiter inhaerentes, alius dum vocaret quasi traheret, alius quasi impelleret dum saeviret; et plebs in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel malis impulsa moveretur. Hoc quotidie agitur, dum praedicatis coelestibus praemiis, saevire in electos reprobi permittuntur, ut si ad repromissionis terram vocati exire negligimus, pressuris saltem saevientibus impellamur, atque haec Aegyptus, videlicet vita praesens, quae nos oppressit blandiens, adjuvet premens; et quae dum fovit, servitutis iugo contrivit, libertatis viam dum cruciat ostendat. Haec utique causa est quod ab injustis justi sinuntur affligi, ut scilicet dum futura audiunt bona quae cupiant, patiantur etiam mala praesentia quae perhorrescant, atque ad faciliorem exitum dum amor provocat, cruciatus impellat. Unde Eliu eosdem

labores electorum sub oppressionibus reproborum exsequens,
ait:

CAPUT XIV [*Rec. X*].

821 VERS. 9.---*Propter multitudinem calumniatorum clamabunt et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.*

22. *Peiores sunt qui pravis exemplis, virtutibus nos spoliant, quam qui exterioribus bonis.*---Calumniatores recte dicere possumus omnes iniquos, non solum qui exteriora bona rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus, et vitae reprobae exemplo interna nostra dissipare contendunt. Illi namque ea quae nobis extra sunt invadere ambiunt, isti vero nos praedari interius quaerunt. Illi amore rerum, isti non cessant odio saevire virtutum. Illi invident quod habemus, isti quod vivimus. Illi student rapere bona exteriora, quia placent; isti satagunt interiora bona dissipare, quia displicent. Quanto igitur morum vita a rerum distat substantia, tanto gravior calumniator est qui male videndo vim nostris infert moribus, quam qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. Nihil iste de nostra sustentatione subtrahit, sed exempla nobis perditionis apposit. Eo ergo graviores calumnias intulit, quo quietum cor in tentatione commovit. Qui etsi nequaquam nobis actionis suae opera persuasit, pugnam tamen tentationis ingressit. Gravem igitur de vita ejus calumniam sustinemus, quia nimirum iutus patimur quod cum labore vincamus. Et quia in hoc mundo abundat malorum vita quae cruciet, recte dicitur: *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.*

23. *Alii vitia suadens, alii jubent et tyrannica vi ad ea cogunt.* --Quia vero ea quae verbis suadere non valent extorquere nonnunquam etiam effrenatis viribus student, apte subjungitur: *Et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.* [Vet. X.] Quisquis enim male vivere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris utitur; quisquis vero peccatum suadens etiam terrere nos appetit, jam contra nos brachio tyrannidis saevit. Aliud est enim vitia suadere vivendo, aliud jubere terrendo. Dum ergo exempla malae actionis aspicimus, quasi adhuc strepitum calumniatoris audimus; dum vero vi peccare cogimur, jam tyrannum in corde sustinemus.

24. *Eorum tamen conatibus resistunt electorum mentes. Ad Deum eundum est, non solum per mollia, sed etiam per aspera.* ---Sed robustorum mentes in Deo immobiliter fixae tanto ista despiciunt, quanto cernunt quod contra praecepta conditoris excrescunt. Aeternitatis quippe praemia praestolantes vires ex adversitatibus sumunt, quia crescente pugna gloriosiore sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum praemuntur, adversitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur ut crescat; et unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus quanta ad Dominum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla et mollia, sed etiam per aspera et dura transimus. Hinc namque propheta ait: *Qui perfecit pedes meos quasi cervi (Psal. XVII, 34).* Cervus enim cum montium juga conscendit, quaeque aspicit aspera, quaeque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, et absque ullo cursus sui obstaculo in superiora elevatur. Ita etiam electorum mentes quaeque sibi in hoc mundo obsistere atque obviare

conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum, despectis terrenarum rerum sentibus, in superna se evehunt. Hinc rursum dicit: *Et in Deo meo transgrediar murum* (**Ibid., 30**). 822 Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur, transeatur. Sed murum transgredimur, cum prae amore supernae patriae, quaeque in hoc mundo fuerint objecta calcamus. Hinc per eundem Prophetam certanti animae Dominus dicit: *Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te ad aquas contradictionis* (**Psal. LXXX, 8**). Absconditum quippe tempestatis est, cum in corde contrito cogitationum tentantium fluctus intumescunt, cum contra amoris sancti studia curarum saecularium se tumultus illidunt. In abscondito ergo tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est haec ipsa tribulationis fluctuatio. Quia vero omnino non desunt qui bona quaerentibus suadere perversa moliantur, aquae contradictionis sunt populi resistentes. Et quia tunc probatur desiderium cum aliqua ei adversitate resistitur, recte dicitur: *Probavi te ad aquas contradictionis*. His itaque virtutum nisibus robusti ex adversitate proficiunt, sed infirmi saepe in desideriis suis, si qua eis fuerint, ex adverso objecta, languescunt, et cum valida tribulatione pulsantur, pusillanimitate deficiunt. Unde Eliu beato Job probra pusillanimitatis impingens, praemissis malorum oppressionibus, infirmorum mox pusillanimitates exsequitur, dicens:

CAPUT XV [*Rec. XI*].

VERS. 10.---*Et non dixit, Ubi est Deus qui fecit me?*

25. *Qui tentatione frangitur, Dei providentiam serio non cogitat.*---Mos sacrae Scripturae est ut a singulari numero ad pluralem subito transeat, atque a plurali saepe se ad singularem vertat. Unde Eliu cum diceret: *Clamabunt, et ejulabunt*, nequaquam subdidit: Non dixerunt, ubi est Deus: *Non dixit ubi est Deus*. A plurali quippe numero in singularem veniens, ad personam subito infirmi uniuscujusque transivit, fortasse quia a singulis melius recognoscitur quidquid dici de eis singulariter auditur, ut ad cor suum quisque redeat, et in semetipso hoc quod de unoquoque dicitur reprehendat. Singularem igitur numerum tenuit, dicens: *Non dixit, Ubi est Deus qui fecit me*. Quisquis enim adversitatum tribulatione frangitur a quo factus est minime contemplatur. Nam qui quod non erat fecit, factum sine gubernatione non deserit; et qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit; nec sinit neglecte perire quod est, qui hoc etiam quod non fuit creavit ut esset. Cum ergo causam tribulationis nostrae requirimus, et fortasse tardius invenimus, est ista consideratio, quod nihil injuste patiamur, quia si Deo auctore sumus qui non fuimus, Deo regente non affligimur injuste qui sumus. Sequitur:

CAPUT XVI [*Vet. XI, Rec. XII*].

IBID.---*Cui dedit carmina in nocte*

26. *Ne vincamur, Deus tribulationes consolatione condit.*---Carmen in nocte est laetitia in tribulatione, quia etsi pressuris

temporalitatis affligimur, spe jam tamen de aeternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte praedicabat, dicens: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (**Rom. XII, 12**). Carmen in nocte David sumpserat, qui dicebat: *Tu mihi es refugium a pressura quae circumdedit me, exultatio mea, redime me a circumdantibus me* (**Psal. XXXI, 7**). Ecce noctem pressuram nominat, et tamen liberatorem suum inter angustias exultationem vocat. Foris quidem nox erat in circumdatione pressurae, sed intus carmina **823** resonabant de consolatione laetitiae. Quia enim ad aeterna gaudia redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta, tota sacrae Scripturae intentio est ut spes manentis laetitiae nos inter haec transitoria adversa corroboret. Unde et Ezechiel propheta librum se accepisse testatur, in quo scriptae erant lamentationes, carmen et vae (**Ezech. II, 9**). Quid enim libro hoc, nisi divina eloquia figurantur? Quae quia nobis lacrymas luctusque praecipiunt, lamentationes in eo scriptae referuntur. Carmen quoque et vae continent, quia sic de spe gaudium praedicant, ut in praesenti tamen pressuras atque angustias incident. Carmen et vae continent, quia etsi illic dulcia appetimus, prius necesse est ut hic amara toleremus. Carmen et vae discipulis praedicabat Dominus, cum dicebat: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis* (**Joan. XVI, 33**). Ac si aperte diceret: Sit vobis de me interius quod consolando reficiat, quia erit de mundo exterius quod saeviendo graviter premat. Quia ergo infirmus quisque cum premitur, a spe gaudii nimia pusillanimitate lassatur, et dum foris adversa tolerat, intus obliviscitur quo gaudebat, bene dicitur: *Non dixit, Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Si enim ista diceret, vim quam patitur temperaret; et per hoc quod mansurum intus quaereret, id quod foris

transitorium sustinet esse intolerabile non aestimaret. Sequitur:

CAPUT XVII [*Rec. XIII*].

VERS. 11.---*Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos.*

27. *Deus nos docet carnis voluptates, et spiritus elationem cavere.*---Jumenta terrae sunt, qui usu vitae carnalis imo appetunt; volucres vero coeli sunt, qui superbae curiositatis studio sublimia perscrutantur. Illi vivendo se deponunt infra quam sunt, isti inquirendo se elevant ultra quam possunt. Illos in infimis voluptas dejicit carnis, istos quasi in superioribus erigit libido curiositatis. Illis per sacra eloquia dicitur: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. XXXI, 9)*; istorum superbus labor increpatur, dum dicitur: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (Eccli. III, 22)*. Illis dicitur: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam (Coloss. III, 5)*; istis dicitur: *Nemo vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. II, 8)*. Docet igitur nos Deus super jumenta terrae et volucres coeli, quia dum hoc quod sumus agnoscimus, nec carnis nos infirmitas dejicit, nec superbiae spiritus elevat; nec defluendo imis subjicimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim carne labitur, jumentorum appetitu prosternitur; qui vero extollitur mente, more volucrum quasi levitatis penna sublevatur.

[Vet. XII.] 28. *Superbia luxuriae seminarium. Caro mergit quos superba scientia sublevat. Juste mens amittit carnis dominium si Deo servire deneget.*---Sed si vigilanter intenditur, ut et mentis humilitas, et carnis castimonia teneatur, cito cognoscimus, quia alterum custoditur ex altero. Nam multis saepe superbia luxuriae seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit. Hi enim prius secreto elewantur, sed postmodum publice corruunt, quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. **824** Sic sic elati justa fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se hominibus praeferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur. *Homo quippe cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. XLVIII, 13).* Quasi scientiae enim illos in altum penna sublevaverat, de quibus Paulus hoc quod et superius protulimus dicebat: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis (Rom. I, 21).* Quomodo autem in jumentorum, aut plusquam jumentorum voluptatem deciderint, subdidit dicens: *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam (Ibid., 24).* Ecce caro mersit quos superba scientia sublevavit, et a volatu volucrum ultra appetitum lapsi sunt jumentorum; atquae inde sub se prostrati sunt, unde super se ire videbantur. Curandum itaque est, et omni custodia mens a superbiae tumore servanda. Non enim ante oculos Dei vacuae transvolant cogitationes nostrae; et nulla momenta temporis per animum transeunt sine statu retributionis. Intus ergo videt Deus quod mentem elevat, et idcirco permittit foris invalescere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foris postmodum luxuriae

corruptione feriat. Occultam videlicet culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interiora puniantur et cor publice corruat, quod latenter tumeat. Hinc quippe per Osee contra Israelitas dicitur: *Spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt* (**Ose. V, 4**). Qui ut ostenderet quod causa libidinis ex culpa proruperit elationis, mox subdidit dicens: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus* (**Ibid., 5**). Ac si diceret: Culpa quae per elationem mentis in occulto latuit per carnis luxuriam in aperto respondit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Domino recognoscit jura legitimae servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et a subjecta carne praelium suscipit. Unde et ille primus inobediens mox ut superbiendo peccavit, pudenda contextit (**Genes. III, 7**). Quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et quia auctori suo esse subditus noluit, jus carnis subditae quam regebat amisit, ut in seipso videlicet inobedientiae suae confusio redundaret, et superatus disceret, quid elatus amisisset.

[*Vet. XIII.*] 29. *Si cordis humilitatem negligamus, Deus carnis integritatem despicit.*---Nullus ergo postquam superna appetere coeperit, si carnis voluptate prosternitur, tunc se victum judicet, cum aperte superatur. Si enim plerumque virus libidinis de radice nascitur elationis, tunc caro vicit, cum spiritus latenter intumuit: jam tunc anima per originem culpae in petulantiam jumentorum cecidit, cum efferendo se, more volucrum, ultra quam debuit evolavit. Hinc est enim quod

longa continentia repente solvitur, hinc quod plerumque et usque ad senium virginitas servata vitiatur. Quia enim negligitur **825** humilitas cordis, rectus iudex despicit etiam integritatem corporis; et quandoque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu servatum bonum subito perdidit, apud semetipsum intus aliud malum tenuit, ex quo aliud subito erupit per quod ab omnipotente Deo etiam tunc alienus exstitit, quando se ei per munditiam corporis inhaerere monstravit. Quia igitur mentis elatio ad pollutionem pertrahit carnis, reproborum cor a volatu volucrum ad petulantiam mergitur jumentorum. Sancti autem viri ne appetitu bestiali ad luxuriae voraginem devolvantur, sollicite cogitationes mentis a superbiae volatu custodiunt; ac ne in infima desipiendo corruant, omne quod sublimiter sapiunt, humiliter premunt. Recte itaque dicitur: *Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos*. Subaudis, hoc quoque non dixit.

30. *In adversis deficimus, quia prosperis uti moderate nescimus.*---Hoc itaque quod jumentis ac volucribus antecellit, eum non dicit in tribulatione memorari; ac si diceret: Infirmus quisque idcirco nequaquam se in perturbatione corroboret, quia et in tranquillitate non temperat; et ideo nescit adversa tolerare, quia constitutus in prosperis cogitatione se non novit a volatu volucrum premere, nec carnales motus a jumentorum ingluvie sublevare. Sed hoc beato Job tanto inconvenienter dicitur, quanto vita ejus inter alta et infima mirabiliter temperatur. Quod quidem intelligi et aliter potest: *Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos*. Nam sicut jumentorum vocabulo

signatur vita hominum carnis adhuc motibus subditorum, ita appellatione volucrum figuratur elatio spirituum superbiorum, ut per jumenta quidem terreni homines, per volucres vero daemonia designentur. Unde cum semina Dominus juxta viam diceret cecidisse, subjungit: *Venerunt volucres coeli, et comederunt ea* (**Matth. XIII, 4**), nimirum per volucres signans aereas potestates.

31. *Sancti dum Deo se subdunt, cuncta transitoria superant et despiciunt.*---Sancti autem viri, quia nec infima hominum exempla appetunt, nec rursum daemoniaca subtilitate falluntur, et super jumenta terrae, et super coeli volucres virtute eruditionis excrescunt. Super jumenta enim terrae edocti sunt, quia quidquid in imis potest ambiri despiciunt. Super volucres quoque coeli eruditi sunt, quia omnes immundorum spirituum insidias comprehendunt. Super jumenta terrae edocti sunt, quia nihil in hac vita quod praeterit quaerunt. Super volucres coeli eruditi sunt, quia potestates aereas, quas adhuc per carnis infirmitatem tolerant, jam vitae meritis calcant. Paulus jam super jumenta terrae edoctus fuerat, dicens: *Multi enim ambulant. Et paulo post: Quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in coelis est* (**Philip. III, 18, 19**). Et rursum super volucres coeli eruditum se noverat, cum dicebat: *Nescitis quoniam angelos judicabimus* (**I Cor. VI, 3**)? Sub se jumenta cernebat, quia videlicet in terra adhuc positus calcabat mores hominum qui in infimis conversantur. Et rursum volatum volucrum meritorum dignitate transcenderat, quia subiturus coelestia judicaturum se angelos non ignorabat. In illis immundorum infima, in istis superbiorum

summa **826** calcabat. [*Vet. XIV.*] Mentis quippe sanctorum transitoria cuncta despiciunt, et sub se labi quidquid superbit, quidquid praeterit, contemplantur; et quasi in quodam rerum vertice constitutae, tanto sibi omnia subesse conspiciunt, quanto semetipsas verius auctori omnium subdunt; atque inde cuncta transcendunt, unde creatori cunctorum vera se humilitate substernunt. Dicat ergo: *Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres coeli erudit nos.* Ac si diceret: Infirmus pusillanimitate victus ista non dixit, et idcirco eum adversitas tentationis perculit, quia tranquillitatis tempore haec cuncta transeuntia nulla perfectione superavit. Hujus enim vitae adversa non perhorresceret, si perfectionis merito etiam secunda calcasset. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Rec. IV*].

VERS. 12.---*Ibi clamabunt, et non exauaret propter superbiam malorum.*

32. *Justi permittuntur opprimi ut purgentur, et ut oppressorum nequitia consummetur.*---Ibi videlicet in tribulatione, ut e contra de gaudio scriptum est: *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi (Psal. CI, 29).* Sed videtur incertum utrum dicat: Propter superbiam malorum non exaudiet; an, propter superbiam malorum clamabunt. Intelligi autem melius potest, si non exaudiri potius propter malorum superbiam, quam clamare referantur. Nam quod propter malorum superbiam clamant, jam supra dictum est, eo versu quo

dicitur: *Propter multitudinem violentorum clamabunt*. Aliquid ergo nobis hoc versu innuitur quod paulo subtilius attendatur, quia saepe oppressi quidam dum clamaverint, ex se quidem merentur audiri, sed tamen eorum desideria propter opprimentium superbiam differuntur. Justus quippe Deus et suos permittit temporaliter opprimi, et violentorum malitiam nequiter augeri, ut dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia consummetur. [*Vet. XV.*] Plerumque vero accidit, ut justi in tribulatione deprehensi, supernum solatium etiam temporaliter percipiant, quod tamen non temporaliter implorant. Salvare enim non propter se, sed propter adversariorum salutem concupiscunt, ut dum illos omnipotens Deus ab immensis periculis facto quodam miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescat; atque inde adversarios ad aeternitatem redimat, unde suos temporaliter salvat, sicut Propheta quoque vocem martyrum suscipiens, ait: *Propter inimicos meos eripe me (Psal. LXVIII, 19)*. Ac si diceret: Propter me quidem eripi de temporali tribulatione non appeto, sed tamen eripi propter adversarios meos concupisco, ut dum mea vita salvare mirabiliter cernitur, ipso miraculorum visu inimicorum duritia convertatur. Sicut ergo saepe Dominus suorum vitam temporaliter pro inimicorum conversione eripit, ita saepe suorum voces propter damnationem persequentium non exaudit, ut videlicet inde reatum suum cumulent, unde praevaluisse se nequiter gaudent. Nam qui invisibilia despiciunt, moveri nonnunquam visibilibus miraculis possunt. Sed idcirco cum justis plerumque nil mirum visibiliter agitur, quia eorum adversarii illuminari invisibiliter non merentur. Dicatur ergo: *Ibi clamabant, et non exaudiet propter superbiam malorum*. Ac si diceret: Reatus

opprimentium audire voces prohibet oppressorum. Nec eripiuntur visibiliter iusti, **827** quia salvari invisibiliter non merentur iniusti. Unde rursum per Prophetam dicitur: *Cum viderit sapientes morientes, simul insipiens et stultus peribunt* (**Psal. XLVIII, 11**). Quos enim visibiliter mori conspiciunt, invisibiliter vivere posse non credunt; atque eo reatum infidelitatis suae cumulant, quo visa morte fidelium de aeternitate desperant. Igitur violenti quique inde deterius deficiunt, unde contra vitam innocentium exterius convalescunt; tantoque illos intima veritas a se foras ejicit, quanto eos contra suos temporaliter quod volunt posse permittit.

33. *Malorum poena gravior, est prosperitas. Manifestum est reprobationis indicium.*---Quisquis itaque bonorum vitam persequitur, tunc pejore ultione damnatur, cum nulla ei adversitate resistitur; et tunc fortioris irae periculis subjacet, cum prospere peragit quod nequiter concupiscit, quia videlicet vindicta superni iudicii ad futura eum supplicia reservando deseruit, cui hic in malo obviare contempsit. Hinc enim per Prophetam Dominus dicit: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, et ibunt in voluntatibus suis* (**Psal. LXXX, 13**). Hinc rursum dicitur: *Non est virga Dei super illos* (**Job. XXI, 9**). Hinc etiam de ipso eorum capite scriptum est: *Faciet et prosperabitur* (**Dan. VIII, 12**). Hinc rursus de eodem dicitur: *Et dolus in manu ejus dirigetur* (**Dan. VIII, 25**). In manu quippe Antichristi dolus dirigitur, quia in hoc quod contra bonos proposuerit implere temporaliter nulla adversitate praepeditur. Hinc rursus per Salomonem dicitur: *Prosperitas stultorum perdet illos* (**Prov. I, 32**). [*Vet. XVI.*] Manifestum ergo perditionis indicium est, quando

affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus, et nulla contrarietas impedit quod mens perversa conceperit. Nam saepe pravorum hominum dum tardantur vota, mutantur; et dum difficultatem perfectionis sentiunt, reatum malae actionis agnoscunt; et quibus prius invitis contradicatur, volentes postmodum hoc quod conceperant, adversantur. Quia igitur malos cum deserit Dominus praevalere permittit, et unde superborum nequitia perficitur, inde humilium longanimitas consummatur, dicatur recte: *Ibi clamabunt, et non exaudiet propter superbiam malorum.* Sequitur:

CAPUT XIX [*Rec. XV*].

VERS. 13.---*Neque enim frustra audiet Deus, et Omnipotens singulorum causas intuebitur.*

34. *Desideria sanctorum eo cumulatiùs exaudiuntur, quo tardius.*---Notandum quod duo sunt dicta, quia et clamantem non frustra audit, et tamen quod patitur respicit, et exaudire voces dissimulat, et quod unusquisque tolerat non ignorat. Nemo ergo qui tardius auditur credat quod a superna cura negligatur. Saepe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur; et quod impleri concite petimus, et ipsa melius tarditate prosperatur. Saepe vox nostra eo perficitur quo differtur; et cum superficietenus petitio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice complentur: sicut et semina messium gelu pressa solidantur; et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur, ut proficiant;

proficiunt, ut ad hoc quod perceptura sunt convalescant; exercitantur in certamine, ut **828** majoribus cumulentur praemiis in retributione, labor protrahitur pugnae, ut crescat corona victoriae. Suos ergo Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur trahit. Internus quippe est medicus, et peccatorum in nobis contagia quae inesse medullitus reprobatur secatur, abscindit virus putredinis ferro tribulationis; et quo voces aegri audire dissimulat, eo aegritudinis finem procurat. Hinc enim Propheta ait: *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi (Psal. XXI, 3)*. Ac si diceret: Nequaquam mihi ad insipientiam proficit quod die ac nocte clamantem me continue non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad aeternam sapientiam plus erudis. Hinc etiam dicit: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione (Psal. IX, 10)*. Tribulationem quippe dicturus, opportunitates praemisit, quia saepe et tribulatione conterimur, et tamen opportunum nondum est ut ad desiderium ereptionis adjuvemur. Dicatur ergo: *Neque enim frustra audiet Deus, et Omnipotens singulorum causas intuebitur. [Vet. XVII.]* Sed quia plerumque nonnulli et ipsa adjutorii tarditate franguntur, apte subjungit:

CAPUT. XX [*Rec. XVI*].

VERS. 14.---*Etiam cum dixeris: Non considerat, judicare coram illo, et exspecta eum.*

35. *Desperationis procella ingruente, ad memoriam revocanda sunt Dei beneficia.*---Fortasse enim dum clamor noster quasi negligitur, spes quae cordi inerat infirmatur; et superna adjutoria defutura credimus, quia tardius impetramus; ac pene inconsiderata Deo esse ingemiscimus, quae inulta toleramus. Sed cum ista nos desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas cum Domino subtiliter pensat, si bona ejus ad memoriam revocat, si mala quae bonis ejus reddidit apud semetipsam callide non excusat, si perpendit quid ab eo juste meruit et quid clementer accepit, si vitam suam vivaciter discutit, si ante Dei oculos omne quod agit examinans semetipsam sibimet non abscondit, si factam se quae non erat meminit, si illuminatam se atque sublevatam quae in tenebris jacebat agnoscit. Haec ergo in semetipsa cuncta recolligens, dum bona accepta considerat, adversa quae tolerat non accusat; nec desperatione frangitur, quae tantorum munerum consolatione roboratur, quia spem de futuris recipit, dum transacta beneficia recognoscit. Dicat itaque: *Etiam cum dixeris: Non considerat, judicare coram illo, et exspecta eum.* Ac si diceret: Cum idcirco Deus considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis ingredi, atque illic coram ejus oculis causae tuae iudicium suscipe; et quae ipse vivendo contulisti, vel quae misericorditer percepisti, discerne; et tunc ad spei fiduciam redis, dum bona tantae benignitatis erubescis, quatenus inter adversa fidenter exspectes quem et post delicta propitium recolis. Speranda etenim fuerant superna adjutoria, etiam si nulla beneficia praecessissent. Sciendumque quia Deus hominem quem benigne condidit inique non spernit.

36. *Qui praeterita munera considerat, futura non desperet.*--- Pensandum est igitur quanti est periculi transacta munera cernere, et futura desperare; **829** quanti est periculi si in hac procella tribulationum desperationis naufragio frangimur, qui ad portum spei velut immensis funibus praeteritis donis ligamur. Dicatur itaque recte: *Judicare coram illo, et exspecta eum*. Nam qui semetipsum coram Deo non judicat, eum dum affligitur non exspectat. Cujus enim bona praecessisse dissimulat, adjutoria subsequi posse desperat; et cum praeteritorum obliviscitur, etiam subsequentium largitate fraudatur. Sed ecce dum nos affligimur, dum consolationis gratiam longanimiter sustinemus, mali ad pejora prorumpunt, atque eo iniquitatis exaggeratione proficiunt, quo sine verbere relinquuntur. Et tamen omnipotens peccantes misericorditer exspectat, tempus ad poenitentiam tribuit, quod non conversis ad gravioris reatus testimonium vertit; patienter iram retinet, quam quandoque irretractabiliter effundit. Unde apte subjungitur:

CAPUT XXI [*Vet. XVIII, Rec. XVII*].

VERS. 15.---*Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valde scelus.*

37. *Deus hic diu tolerat quos in aeternum est damnaturus.*--- Diu quippe Deus tolerat quem in perpetuum damnat; et furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum sine fine in posterum servat. Electorum namque est hic conteri, ut ad praemia debeant aeternae haereditatis erudiri. Nostrum est hic

flagella percipere, quibus servatur de aeternitate gaudere. Hinc enim scriptum est: *Flagellat omnem filium quem recipit* (**Hebr., XII, 6**). Hinc ad Joannem dicitur: *Ego quos amo arguo et castigo* (**Apoc. III, 19**). Hinc Petrus ait: *Tempus est ut incipiat iudicium de domo Dei* (**I Petr. IV, 17**). Ubi mox admirando subjungit: *Si autem primum a nobis, qui finis eorum qui non credunt Dei Evangelio* (**Ibid., 17**)? Peccata quippe nequaquam divina severitas inulta remanere permittit, sed ira iudicii a nostra hic correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat. Eant ergo nunc reprobi, et voluptatum suarum desideria inulta iniquitate consumment; atque eo temporalia flagella non sentiant, quo aeterna eos supplicia exspectant. Bene autem inulta eorum nequitia Cham peccante signata est, cui a patre dicitur: *Maledictus Chanaan puer, servus erit fratribus suis* (**Gen. IX, 25**). *Chanaan* videlicet Cham filius. Et quid est quod Cham peccante Chanaan ejus filius sententiam ultionis accipit? Quid est quod non in se, sed in posteritate percutitur, nisi quod reproborum nequitiae hic quidem inultae proficiunt, sed in posterum feriuntur? Dicatur ergo: *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valde scelus*.

38. *Eos tamen aliquando hac in vita ferire inchoat.*--- Notandum vero est quod subintulit, *Valde*, quia etsi quaedam longanimiter tolerat, quaedam tamen etiam in hac vita flagellat et hic nonnunquam ferire inchoat, quod aeterna damnatione consummat. Ergo et nonnulla percutit, et nonnulla inulta derelinquit, quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hic cuncta percuteret, extremum iudicium unde **830** restaret? Quaedam igitur feriuntur, ut rectoris nostri super nos sollicitudinem

formidemus; quaedam vero inulta servantur, ut adhuc iudicium restare sentiamus. Bene ergo dicitur: *Nec ulciscitur valde scelus*, quia dum exiguum quiddam de iniquitate percutitur, inconversis mentibus aeterni jam iudicii sententia propinatur.

39. *Aliud est rectum dicere, aliud recte.*---Totum itaque hoc ab Eliu rectum dicitur, si recte diceretur. Scit enim quid loqui debeat, sed cui loquatur ignorat. Vera sunt namque quae dixit, sed a beati Job increpationibus aliena, quia tanto hac correptione non eguit, quanto nec aliqua pusillanimitate peccavit. [*Vet. XIX.*] Sed quia justis viris solet occasio esse virtutum elatio superbiorum, occulto iudicio cum beato Job agitur, ut post flagella poenarum etiam per verba arrogantium crescat. Ecce enim tanto magis a superbiae ministro despicitur quanto a magistra veritate intrinsecus idem refovetur. Nam Eliu postquam tot fortia se dixisse cognovit, quid elationis gestaret aperuit, atque beatum Job alta de se sentiendo despexit, dicens:

CAPUT XXII.

VERS. 16.---*Ergo Job frustra aperit eos suum, et absque scientia verba multiplicat.*

40. *Superbiorum vitia sunt loquacitas, et audiendi impatience.*---Haec nimirum inferens, beatum Job et nil scisse asserit, et multa dixisse; et cum ipse quae sentit loquaciter inferat, hunc de vitio loquacitatis accusat. Sed hoc quoque esse proprium arrogantium vitium solet, ut et pauca credant

quae ipsi multa dixerint, et multa credant quae ipsis pauca dicuntur. Quia enim sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt; vim se pati existimant, si ea quae immoderate sentiunt immoderatus non effundant. Et quamvis beatus Job ad ejus verba tacuerit, Eliu tamen de locutione illius, qua amicis responderat, causam invectionis invenit, ut sibi exhibere latius ejus silentium posset, atque ut ipse multa respondeat, illum verba multiplicasse confirmat. Nam et mox initia proluxae locutionis exorditur; et quasi adhuc nil dixerit, inchoare conatur. Unde subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XX, Rec. XVIII*].

CAP. XXXVI, VERS. 1, 2.---*Addens quoque Eliu, etiam haec locutus est: Sustine me paululum, et indicabo tibi.*

41. *Ex multiloquio suam doctrinam metiuntur. Dum sese ostentant, pro Deo loqui fingunt.*---Multa jam dixerat, et sustineri adhuc paululum sperat, quia videlicet arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringant. Tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se potuerint multiplicitate loquacitatis aperire. Sed quia saepe sibi sentiunt silentii reverentiam non deferri, Domini nonnunquam potentiam de quo quasi loquuntur insinuant, ac sub praetextu illius sibi silentium exigunt, quod minime merentur; et dum specietenus Deum proferunt, auditum sibi ex reverentia ejus exigentes, se student magis ostendere quam illius facta praedicare. Unde et Eliu subjungit, dicens:

IBID.---*Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.*

831 Quia vero nonnunquam doctores sancti crebro repetunt si qua obscurius dicunt, ut quae occulta praedicant auditorum cordibus voce haec iterationis infundant, plerumque hoc appetunt etiam arrogantes imitari, et insolenter ea quae dixerint replicant, non quo auditorum cordibus insinuare res appetant, sed quo eorum iudicio videri eloquentes volunt. Unde Eliu subjungens ait:

VERS. 3.---*Repetam scientiam meam a principio.* Sed quia nominata scientia, tumor cordis in voce claruerat; arrogans aperte cognoscitur, si non citius aliquo velamine pallietur. Unde mox in occultatione suae arrogantiae Domini justitiam subinferens, ait:

IBID.---*Et operatorem meum probabo justum.*

Ut dum quasi pro Dei justitia loquitur, apud humana iudicia quidquid arroganter effluit excusetur. Sequitur:

CAPUT XXIV.

VERS. 4.---*Vere enim absque mendacio sermones mei.*

42. *Testimonium a Deo non habentes, ab hominibus quaerunt.*---Cum ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumque etiam iusti laudare bona quae dicunt, non quo ipsi suis laudibus inhiant, sed quo auditores suos ad audiendi sollicitudinem accendant, ut dum eorum voce proferuntur, ab illorum cordibus ardentiori affectu

rapiantur. Unde Paulus cum mira Corinthiis et multa dixisset: adjunxit *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (II Cor, VI, 11). Sed arrogantes dum cor bonorum nesciunt, et solas aliquando voces imitantur, efferunt laudando quae dicunt, non quod eis torpor audientium displicet, sed quod sibi inhianter placent. Justorum vocem imitantes simulant, sed vim vocis ignorant. Vident quod justiproferunt, sed nesciunt quod requirunt. Cum enim sancti doctores laudem praedicationis exaltant, quasi manu vocis ab imis cogitationibus corda audientium levant, ut excussa velociter dictis sequentibus velut in itinere occurrant et tanto ea intelligentiae amplexu constringant, quanto illa et quasi priusquam cernerent in voce laudantis amaverant. Sed haec, ut dixi, arrogantes nesciunt. Quia enim foris est quod appetunt, quid sit intus desiderabile sentire non possunt. De electorum quippe Ecclesia scriptum est: *Omnis gloria ejus filiae regum ab intus* (Psal. XLIV, 14). Et sapientes virgines in vasis oleum portare referuntur (Matth. XXV, 4). Unde et sanctorum voce dicitur: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (II Cor. I, 12). Arrogantes autem, quia coram Deo conscientiae suae testimonium non habent, quaerunt coram hominibus testimonium vocis alienae; quam cum tarde reperiunt, ipsi etiam in impudentiam sui favoris erumpunt. Si enim non inveniunt voces hominum, quas inhianter expectant, ipsi scientiam suam laudantes praedicant. Unde et Eliu subdit dicens:

CAPUT XXV.

IBID.---*Et perfecta scientia probabitur tibi.*

43. *Cordis elatio licet occulta, inexcusabilis; quanto magis quae verbis foras erumpit.*---Nimirum sensit se magna dicturum, sed tumentis corde hoc quod de semetipso sublimiter aestimavit tacere non potuit: et idcirco quod rectum sensit laudando praecucurrit: quia jam quidem divino iudicio reus esset, si magna de se saltem silendo sensisset. Ante subtile enim veritatis examen securi omnino non sumus, etiam si humano **832** iudicio quod in nobis reprehendi debeat non habemus. Nam plerumque negligentius cogitantes elatione pulsamur, quam tamen tacentes premimus. Sed nisi retractatione concita tumor occultus in ipso cubili cordis, in quo oritur, suffocetur, coram districto iudice omne meritum nostrae actionis exstinguitur. Hinc ergo pensandum est illa cordis elatio quanta animadversione damnabitur, quae usque ad audaciam vocis nutritur, si neque haec est excusabilis quae in corde latenter oboritur. Considerandum quoque qualis intrinsecus regnat, quae eo usque servata est, ut etiam foras erumpere non erubescat. Eliu ergo quia magna sensit, semetipsum humiliter temperare nescivit, scientiae celsitudinem tenuit, humilitatis gratiam recusavit; et dum sequitur bonum quo bene dicere appetiit, bonum quo bene vivere potuisset amisit. *Scientia quippe instat, charitas vero aedificat (I Cor. VIII, 1).* Sed jam nunc rectum dicat, quod tamen recte dicere ignorat. Nam postquam inflatas animi cogitationes per verba elationis exhalavit, fortem sententiam subdidit, dicens:

CAPUT XXVI [*Vet. XXI, Rec. XIX*].

VERS. 5.---*Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens.*

44. *Potentia temporalis, etsi bona, elationis tentationi est obnoxia. Qui se videt plus caeteris posse, plus sapere facile credit. Hic Satanae similis.*---In usu vitae mortalis quaedam ex semetipsis sunt noxia, quaedam vero ex his quae circa ipsa versantur. Ex semetipsis quaedam sunt noxia, sicut peccata atque flagitia. Quaedam vero nonnunquam nobis ex his quae circa ipsa sunt nocent, sicut temporalis potentia, vel copula conjugalis. Bonum namque est conjugium, sed mala sunt quae circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Unde Paulus ait: *Qui autem cum uxore est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uxori (I Cor. VII, 33).* Unde et quibusdam meliora persuadens, eos a conjugio revocat, dicens: *Hoc autem dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi (Ibid., 35).* Dum ergo tenetur quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque quod nocet; sicut saepe rectum mundumque iter pergimus, et tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimus, sed a latere nascitur quo pungamur. Magna est etiam potentia temporalis, quae habet apud Deum meritum suum de bona administratione regiminis; nonnunquam tamen eo ipso quo praeceminet caeteris, elatione cogitationis intumescit; et dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi si qua bene gesta sunt laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quod objurgare

debuerunt, seductus ab his quae infra subduntur, super se animus tollitur; et dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur; atque oblitus sui, in voces se spargit alienas; talemque se credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit; subjectos despicit, eosque aequales sibi naturae ordine non agnoscit; et quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitae meritis credit; cunctis se aestimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum; et qui aequa caeteris naturae conditione constringitur, **833** ex aequo respicere caeteros dedignatur; sicque usque ad ejus similitudinem ducitur de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae* (**Job. XLI, 25**). Et de cujus corpore dicitur: *Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebrae ejus in alta surrectae* (**Prov. XXX, 13**). Ad ejus similitudinem ducitur, qui singulare culmen appetens, et socialem angelorum vitam despiciens, ait: *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo* (**Isai. XIV, 14**). Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatae quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul ab humilitatis merito in tumorem superbiae culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe praelatus est per superbiam reprobatus, Domino attestante qui ait: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel* (**I Reg. XV, 17**)? Parvulum se ante potestatem viderat, sed, fultus temporali potentia, jam se parvulum non videbat. Caeterorum namque comparatione se praeferens, magnum se apud se esse judicabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Dominum magnus; cum vero apud se magnus, apud

Dominum parvulus fuit. Magnos nos Dominus apud nos esse prohibet per prophetam dicens: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Isai. V, 21)*. Ne magni apud nos esse debeamus, Paulus admonens, ait: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos (Rom. XII, 15)*. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiae ipso potentiae fastigio lenocinante corrumpitur.

45. *Legitima potestas ea est, quae super culpas, non super homines erigitur. S. Petri exemplum, et S. Pauli.*---Sed aliud est quaelibet bona non esse, aliud bona bene habere nescire. Bona namque est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. Igitur bene hanc exercet, qui et retinere illam noverit, et impugnare. Bene hanc exercet, qui scit per illam super culpas erigi, et scit cum illa caeteris aequalitate componi. Humana enim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur; quanto magis in altum se erigit, cum se etiam ei potestas adjungit? Et tamen corrigendis aliorum vitiis apta exsecutione praeparatur. Unde et per Paulum dicitur: *Minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit (Rom. XIII, 4)*. [*Vet. XXII.*] Cum ergo potentiae temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est, ut sciat quisque et sumere ex ea quod adjuvat, et expugnare quod tentat; et aequalem se cum illa caeteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis praeferre. Quam discretionem plenius cognoscimus, si etiam potestatis ecclesiasticae exempla cernamus. Petrus namque, auctore Deo, Ecclesiae principatum tenens a bene agente Cornelio, et sese ei humiliter prosternente, immoderatus venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: *Surge, ne*

feceris, et ego ipse homo sum (Act. X, 26). Sed cum Ananiae et Sapphirae culpam reperit, mox quanta super caeteros potentia excrevisset ostendit (**Act. V, 5, seq.**). Verbo enim eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit; et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod, honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem aequalitatis meruit sanctitas actionis, **834** hic zelus ultionis jus aperuit potestatis, Paulus bene agentibus fratribus praelatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii vestri (II Cor. I, 23).* Atque illico adjunxit: *Fide enim statis.* Ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestrae, quia fide statis. Aequales enim vobis sumus, ubi vos stare cognoscimus. Quasi praelatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum (I Thess. II, 7), et, Nos autem servos vestros per Jesum Christum (II Cor. IV, 5).* Sed cum culpam quae corrigi debuisset invenit, illico magistrum se esse recoluit, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos (I Cor. IV, 5)?*

46. *Praelati dum culpas puniunt jure potestatis, aequales se iis qui corriguntur agnoscant per humilitatis custodiam. Ipsi etiam se postponant, quare.*---Summus itaque locus bene regitur, cum is qui praeest vitiis potius quam fratribus dominatur. Cunctos quippe natura aequales genuit; ut autem alii ad regendum aliis committantur, non eos natura, sed culpa postponit. Vitiis ergo se debent rectores erigere, quorum et causa praeferuntur; et cum delinquentes corrigunt, sollicite attendant, ut per disciplinam culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam aequales se ipsis fratribus qui corriguntur agnoscant. Quamvis plerumque

etiam dignum est ut eosdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione praeferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinae vigore feriuntur; in his vero quae ipsi committimus ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus quanto apud homines inulte peccamus. [*Vet. XXIII.*] Disciplina autem nostra subditos tanto divino iudicio liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda itaque est in corde humilitas, et in opere disciplina. Atque inter haec solerter intuendum, ne dum immoderatus custoditur virtus humilitatis, solvantur iura regiminis; et dum praelatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinae vinculo non possit. Teneamus ergo exterius quod pro aliorum utilitate suscipimus, teneamus interius quod de nostra aestimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis tales nos apud nos esse ipsi etiam qui nobis commissi sunt non ignorent, ut et de auctoritate nostra quod formident videant, et de humilitate quod imitentur agnoscant. Servata autem auctoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus, et consideremus assidue quod sumus aequaliter cum caeteris conditi, non quod temporaliter caeteris praelati. Potestas enim quanto exterius eminet, tanto premi interius debet, ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit.

47. *Potestatis humiliter administratae exemplum in David.*--- Bene David regni potentiam regere noverat, qui elationem ejusdem potentiae semetipsum premendo vincebat, dicens: *Domine, non est exaltatum cor meum* (**Psal. CXXX 1**). Quippe in ejus humilitatis augmentum subjunxit: *Neque*

elati sunt oculi mei. Atque addidit: *Neque ambulavi in magnis.* Et adhuc subtilissima semetipsum inquisitione discutiens, ait: *Neque in mirabilibus super me.* Omnesque etiam cogitationes suas a fundo cordis exhauriens, **835** subjungit, dicens: *Si non humiliter sentiebam sed exaltavi animam meam.* Ecce humilitatis hostiam ab intimo cordis oblatam crebro replicat, et iterum atque iterum confitendo offerre non cessat; eamque multipliciter loquens iudicis sui oculis ostentat. Quid est hoc? et quomodo istud sacrificium Deo placere cognoverat, quod in conspectu ejus tanta iteratione vocis immolabat, nisi quod vicina esse superbia potentibus solet, et pene semper rebus affluentibus elatio sociatur, quia et saepe humoris abundantia duritiam dat tumoris?

[*Vet. XXIV.*] 48. *Rara humilitatis et potestatis societas.*--- Mirum vero valde est cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Unde pensandum est quia potentes quique cum humiliter sapiunt, culmen extraneae et quasi longe positae virtutis attingunt, et recte hac virtute Dominum quantocius placant, quia illud ei sacrificium humiliter offerunt, quod potentes invenire vix possunt. Subtilissima namque ars vivendi est culmen tenere, gloriam premere; esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire; ad largienda bona potentem se cognoscere, ad rependenda noxia omne quod potenter valet ignorare. Recte itaque de talibus dicitur: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens.* Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentiae alienis intentus utilitatibus, et non suis laudibus elatus administrat, qui praelatus caeteris prodesse appetit, non praeesse. Tumoris namque elatio, non ordo potestatis in

crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentiae malitia nostrae mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, et bona sunt quae Deo largiente possidemus. Quia enim nequaquam justa potentia, sed actio prava damnatur, apte subjungitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XX*].

VERS. 6.---*Sed non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit.*

49. *Deus potestatis superbiam non celsitudinem damnat.*--- Scriptura sacra plerumque pauperes, humiles vocare consuevit. Unde in Evangelio cum adiectione spiritus nominantur, dum dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* (**Matth. V, 3**). Quia enim divitiae visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientiis non sunt. Eos vero impios vocat, qui aut a fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt pravis sibi moribus contradicunt. Quia ergo omnipotens Deus malitiae superbiam, non potentiae celsitudinem damnat, postquam dictum est: *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens*, recte subjungitur: *Sed non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit.* Id est, elatos destruit, humiles vero per iudicium liberos reddit. Vel certe iudicium pauperibus tribuit, quia hi qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt.

50. *Reproborum alii judicantur, alii non judicantur.*---Duae quippe sunt partes, electorum scilicet, atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur et pereunt, alii non judicantur et pereunt. Alii judicantur et regnant, alii non judicantur et **836** regnant. Judicantur et pereunt quibus Dominica inclamatione dicitur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non operuistis me; aeger et in carcere, et non visitastis me* (**Matth. XXV, 42, 43**). Quibus praemittitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (**Ibid., 41**). Alii vero in extremo judicio non judicantur et pereunt, de quibus Propheta ait: *Non resurgunt impii in judicio* (**Psal. I, 5**). Et de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit, jam judicatus est* (**Joan. III, 18**). Et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (**Rom. II, 12**). Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suae infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguunt ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt, quia, praejudicati infidelitatis suae tenebris, ejus quem despexerant invectione redargui non merentur. Illi saltem judicis verba audiunt, quia ejus fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua aeterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt; istis in perditione sua de lege nihil dicitur quia nihil legis habere conati sunt. [*Vet. XXV.*] Princeps namque

terrenam rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignae invectionis addicit; contra hostem vero bella movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiae tormenta retribuit, de malo vero ejus quid lex habeat non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio et legalis illum invectio percutit qui ab eo quod professione tenuit, actione declinavit; et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

51. Electorum quoque alii judicium subeunt, alii non, sed judices sedent.---Ex electorum vero parte alii judicantur et regnant, qui vitae maculas lacrymis tergant, qui mala praecedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens in dextera consistentibus dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (**Matth. XXV, 35**). Quibus praemittit, dicens: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (**Ibid., 34**). Alii autem non judicantur et regnant qui etiam praecepta legis perfectione virtutum transcendunt, quia nequaquam hoc solum quod cunctis divina lex praecipit implere contenti sunt, sed praestantiori desiderio plus exhibere appetunt quam praeceptis generalibus audire potuerunt. Quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, cum sederit Filius hominis* **837** *in sede majestatis suae, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus*

*Israel (Matth. XIX, 28). Et de quibus propheta ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui (Isai. III, 14). Et de quibus Salomon, cum de sanctae Ecclesiae sponso loqueretur, intulit dicens: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae (Prov. XXXI, 23). Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur et regnant, quia cum auctore suo etiam iudices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus prompta devotione exsecuti sunt quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, et non generaliter omnibus, dicitur hoc quod adolescens dives audivit: Vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni et sequere me (Matth. XIX, 21). Si enim sub hoc praecepto cunctos jussio generalis astringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per sacram Scripturam omnibus generaliter praecipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, qui et praecepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non iudicantur et pereunt, qui suadente perfidia lege teneri contemnunt, ita non iudicantur et regnant, qui, suadente pietate, etiam ultra generalia divinae legis praecepta proficiunt. Hinc est quod Paulus, etiam specialia praecepta transcendens, plus opere exhibuit quam institutione permissionis accepit (I Thess. II, 7). Cum enim accepisset ut Evangelium praedicans de Evangelio viveret, et Evangelium audientibus contulit, et tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste iudicetur ut regnet, qui minus quod servaret accepit, sed majus quod viveret invenit? Dicatur igitur recte: *Iudicium pauperibus tribuit*, quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis*

sedibus majore culmine potestatis excrescunt. Unde et sequitur:

CAPUT XXVIII [*Rec. XXI*].

VERS. 7.---*Non auferet a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illic eriguntur.*

52. *Deus justos tunc magis respicit, cum injuste affliguntur.* --Abstulisse enim a justis oculos suos fortasse Dominus creditur, quia injustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur; sed famulos suos tunc magis respicit, cum injuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim quid hic humiliter tolerant, nimirum jam praevidet quid illic eis misericorditer recompenset. Non ergo aufert a justo oculos suos. Ecce iste humiliter ingemiscit, ille superbit et nequiter floret. Iste cor conterit, ille se de gloria iniquitatis extollit. Horum ergo quis divinis obtutibus longe est, qui injustitiam pertulit, an qui eam patientibus irrogavit; qui supernam gratiam inter maeroris tenebras tenuit, an qui inter exteriora gaudia lumen justitiae intus amisit?

[*Vet. XXVI.*] 53. *Cur sancti, reges in S. Scriptura vocantur. Sanctos in throno cum Christo sedere est ex ejus potestate judicare.* ---Bene autem sancti viri Scripturae sacrae testimonio reges vocantur, quia, praelati cunctis motibus carnis, modo luxuriae appetitum frenant, **838** modo aestum avaritiae temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem livoris obruunt, modo ignem furoris exstingunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum

motibus non consentiendo succumbere, sed regendo praeesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis ad potestatem transeunt retributionis, dicatur recte: *Reges in solio collocat in perpetuum*. Semetipsos enim regendo, ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis aeternae solio in perpetuum collocantur; et eo illic accipiunt alios digne judicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur: *Donec justitia convertatur in iudicium* (**Psal. XCIII, 15**). Paulus de se suisque consortibus dicit: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (**II Cor. V, 21**). Justitia ergo in iudicium vertitur, quia hi qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiceae Ecclesiae Dominus dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (**Apoc. III, 21**). Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit, quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam, clarius se omnibus quod potestati Patris esset aequalis indicavit, eique se non disparem calcato mortis aculeo innotuit. Unde et Mariae necdum credenti se Patri similem, dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* (**Joan. XX, 17**). Nobis enim in throno filii sedere, est ex ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim iudicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in throno ejus residemus. [*Vet. XXVII.*] Nec abhorret a vero quod alias super duodecim thronos venturos testatur esse discipulos (**Matth. XIX, 28**), hic vero in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim universale iudicium, per thronum vero Filii singulare culmen iudiciariae potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod uno throno Filii designatur, quia videlicet universale iudicium ex Mediatoris nostri

interventione percipitur. Dicatur ergo: *Reges in solio collocat in perpetuum.*

54. *Sanctorum sessio est aeterna. Prius humiliati, erigentur.* --Apte autem in perpetuum subdens aperte quid dicat insinuat. Si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus in perpetuum subdidisset, quia qui illud arripiunt, profecto non in eo in perpetuum, sed temporaliter collocantur. Bene autem subdidit: *Et illic eriguntur.* Ac si intentioni audientis innueret, dicens: Quia hic humiliati sunt, illic eriguntur. Sanctis namque viris iste locus humilitatis est, ut ille sit celsitudinis. Unde alias scriptum est: *Humiliasti eos in loco afflictionis (Psal. XLIII, 20).* Locus quippe afflictionis est vita praesens: Qui ergo ad aeternam patriam tendunt, nunc semetipsos temporaliter in afflictionis loco despiciunt, ut tunc in loco gaudii veraciter sublimentur. Sequitur:

CAPUT XXIX *Rec. [XXII].*

VERS. 8, 9. *Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerint*

55. *Catenis ligari se putant sancti, quandiu hic vivunt.* --- Catenae obligationis sunt ipsa adhuc retentio **839** peregrinationis. Ligatum se his catenis Paulus aspexerat, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (Philip. I, 23).* Paupertatis funibus vinctum se esse cernebat, quando veras divitias intuens, eas etiam discipulis exorabat, dicens: *Ut sciatis quae sit spes*

vocationis ejus, quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis (Ephes. I, 18).

Bene autem post ista subditur: *Indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerint.* Cum enim supernam gloriam magis amando cognoscimus, tunc mala quae egimus graviora fuisse sentimus. Unde et Paulus post perceptam gratiam supernorum ea quae in se studia virtutum crediderat fuisse jam scelera cognoscebat, dicens: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I Tim. I, 13).* Vel certe: *Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta (Philip. III, 7).* Unde et apte subditur:

CAPUT XXX.

VERS. 10.--- *Revelabit quoque aurum eorum, ut corripiat; et loquetur, ut revertantur ab iniquitate.*

56. *Amore coelestis gloriae graviora fiunt peccata prius perpetrata.*---Aurem ab iniquitate revelare est intellectum cognitionis aperire. Revelata vero aure unusquisque corripitur, quando intrinsecus aeternorum bonorum desiderium percipit, et quae mala extrinsecus perpetravit agnoscit

Potest vero in catenis et funibus paupertatis poena etiam temporalis afflictionis intelligi, quia saepe qui jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, ut ad bona

desideria saltem poenae trahant, quos praemia non invitant. Unde per Prophetam dicitur: *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad le* (**Psal. XXXI, 9**). Si vero etiam flagella despiciunt, constat nimirum quod tanto illic gravioris vindictae supplicia sentiant, quanto hic majoris providentiae gratiam calcant. Unde et sequitur:

CAPUT XXXI.

VERS. 11, 12.---*Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur stultitia.*

57. *Quam severe puniendi, qui a perditis moribus nec flagellis coercentur.*---Per bonum recta actio, per gloriam vero superna retributio designatur. Qui ergo obedire praeceptis coelestibus student, dies suos in bono complent, annos in gloria, quia et cursum praesentis temporis in recto opere, et consummationem suam perficiunt felici retributione. *Si vero non audierint, transibunt per gladium, et consumentur stultitia*, quia et vindicta eos in tribulatione percutit, et finis in fatuitate concludit. [*Vet. XXVIII.*] Sunt enim nonnulli quos a perditis moribus nec tormenta compescunt. De quibus per prophetam dicitur: *Percussisti eos nec doluerunt; flagellasti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (**Jerem. V, 3**). Et de quibus sub Babylonis specie dicitur: *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (**Jerem. LI, 9**). De quibus rursum dicitur: *Interfeci et perdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi* (**Jerem. XV, 7**). Hi nonnunquam

deteriores existunt ex verberare, quia pulsati doloribus, aut contumaci pertinacia duriores existunt, aut, quod pejus est, in blasphemiae etiam exasperationem prosiliunt. Bene ergo dicitur quod per gladium transeunt, et stultitia consumuntur, quia peccata quae flagellis emendare **840** debuerant, flagellis exaggerant. Et hic jam poenas percussione sentiant, et illic justae retributionis supplicia non evadunt. Fatuitas quippe stultitiae est quod illos sic iniquitas obligat, ut a culpa eos nec poena compescat. Sequitur:

CAPUT XXXII [*Rec. XXIII*].

VERS. 13.---*Simulatores et callidi provocant iram Dei.*

58. *Simulatoris callidi imago.*---Cum simulatores diceret, apte subjungit *et callidi*, quia nisi ingenio calleant, quod videri appetunt congrue simulare non possunt. Sunt enim nonnulla vitia quae etiam a sensu tardioribus facile perpetrantur. Elatione namque intumescere, avaritiae aestibus inhiare, luxuriae pulsanti succumbere, etiam quilibet obtusis sensibus potest; simulationis vero falsitatem exsequi, nisi qui subtilioris ingenii fuerit, non potest. Quisquis enim talis est, ad custodienda duo videlicet continua observatione dividitur, ut callide noverit et occultare quod est, et ostentare quod non est; et vera mala premere, et falsa bona monstrare; nec se aperte in hoc quod videtur extollere, atque, ut majorem gloriam teneat, saepe se simulare gloriam declinare. Quia enim ante oculos hominum sequendo eam apprehendere non potest, studet plerumque gloriam tenere fugiendo. Haec itaque

simplicibus minime congruunt, quia si congruunt, jam simplices non sunt.

59. *Iram Dei non solum meretur, sed provocat.*---Bene autem cum diceret: *Simulatores et callidi*, non subdidit, merentur, sed *provocant iram Dei*. Iram quippe Dei mereri, est etiam nesciendo peccare. Provocare vero est mandatis illius sciendo contraire; scire bonum, sed despiciere; facere posse, nec velle. Hi enim perpetratione nequitiae intrinsecus tenebescunt, et ostentatione justitiae superficie tenus dealbantur. Quibus voce Dominica dicitur: *Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis, quae foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia; ita et vos quidem foris apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* (**Matth. XXIII, 27**). Foris ergo ostendendo servant quae vivendo intus impugnant. Intus vero mala cogitantes exaggerant quae foris aliud superducentes occultant. Ante districtum itaque judicem excusationem jam de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonio quia bene vivere non ignorant. Dicatur igitur recte: *Simulatores et callidi provocant iram Dei*. Quid vero eos ad extremum sequatur, adjungit, dicens:

CAPUT XXXIII.

Ibid.---*Neque clamabunt cum vincti fuerint.*

60. *Etiam percussus peccata confiteri erubescit.*---Omnis iniquus qui cum iniquus sit, sanctus videri non appetit, in flagelli percussione deprehensus, fateri quod iniquus sit non erubescit. Qui vero iniqua agens, humana de se judicia sub specie sanctitatis intercipit, etiam cum flagello percutitur, iniquum se prodere refugit, quia sanctus videri consuevit. Si quando autem graviter coarctatur, iniquum se vix superficie tenus confitetur, quia interna sua detegere veraci confessione confunditur. Quasi liberi vero sumus, cum nulla correptione castigamur; vincimur autem, cum flagello percussione astringimur. Vincti igitur tanto **841** clamamus altius, quanto in percussione positi peccata nostra veracius confitemur. Apud aures quippe Dei vox valida devota confessio est. Quia ergo simulatores quosque, etiam cum percussione flagella corripunt, ad confessionem simplicem non perducunt (cognosci enim peccatores refugiant, quia sancti omnium opinione ferebantur), quamvis eos ad extremum jam flagella feriant, quamvis duci se ad aeterna supplicia non ignorent, tales tamen cupiunt apud humana judicia remanere, quales se studuerant semper ostendere. Deprehensi ergo etiam flagello percussione extremae, quia confessionem puram vel afflicti exere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt. Bene ergo dicitur: *Neque clamabunt cum vincti fuerint.*

61. *Hypocritae sanctos se, non quia sunt, sed quia dicuntur, existimant. Vana spe delusi, ad confessionis remedium etiam in extremis non confugiunt. Ab homine longe saepe distat ejus cor.*---Quamvis intelligi etiam aliter potest. Omnis enim qui, cum iniquus sit, dici sanctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se tacita cogitatione reprehendit, tamen dum

saepius sanctum audire se coeperit, hoc quod de se intrinsecus tenebat amittit. Cor quippe exterius fundit, et quia libenter foris falsum de se testimonium recipit, qualem se intus habeat non requirit. Unde fit ut vacuae laudis fomenta etiam cum defuerint quaerat, et oblitus quod est appetat videri quod non est. [*Vet. XXIX.*] Igitur qui tales sunt, dum justos se ante humana judicia simulant, dum actiones suas laudibus dignas intuentium oculis ostentant, occulta cum eis justitia agitur, ut quo nituntur foris alios fallere, eo de se intus etiam ipsi fallantur. Nam omnem circa se sollicitae investigationis oculum perdunt. Vitam enim suam et discutere et perscrutari dissimulant, sed tales se quales audiunt putant, sanctosque se esse, non quia ita vivunt, sed quia ita dicuntur, existimant. Subtile autem Dei iudicium, seque ipsos intueri negligunt, quia fidem sui meriti in attestatione ponunt oris alieni. Cum vero subita percussione feriuntur, iniquos se vel veraciter fateri, vel sicut sunt, deprehendere omnino non possunt, quia videlicet sanctos se humana professione crediderunt. Bene ergo dicitur: *Neque clamabunt cum vincti fuerint*. Spe enim vacua tales se ante supernum iudicem venire confidunt, quales se hominibus innotuisse cognoscunt; seque ipsos miseri nec inter tormenta deprehendunt, et dum testimonium falsae laudis aspiciunt, remedium verae confessionis amittunt. Etiam vincti ducuntur, et non clamant, quia, humanae laudis importunitate superati, sanctos se miseri et cum in peccatis moriuntur putant. Quibus bene per prophetam dicitur: *Redite, praevaricatores, ad cor (Isai. XLVI, 8)*. Si enim ad cor redirent, per exterioris attestationis se verba non funderent. Nam quid vicinius nobis est corde nostro? quid vicinius nobis est ea re quae intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius

evagatur. Longe ergo prophetas praevaricatorem mittit, cum eum ad cor suum redire compellit, quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire vix invenit. Quia vero simulatorum mens pro eo quod ab una aeternitatis intentione dividitur, cogitationum multiplicium inundatione vastatur, recte subjungitur:

CAPUT XXXIV.

VERS. 14.---*Morietur in tempestate amma eorum.*

842 62. *Tempestate subita hypocritae moriuntur.*---Quasi tranquille namque videbantur vivere, cum de sanctitatis curarent laude gaudere. Sed tempestatesubita eorum anima moritur, quae humanae laudis pessima tranquillitate laetabatur. Plerumque subito inopinata tempestas omne quod aer serenum blanditur immutat; et eo periculum vitari non potest, quo nec potuit praevideri. Unde simulatores, qui vitae suae custodiam negligunt, in tempestate mori referuntur. Hinc quippe eos turbo subitus internae percussione ejicit, quos arrogantia externi favoris extollit; et dum amplectuntur in laude quod non sunt, repente inveniunt in ultione quod sunt. [*Vet. XXX.*] Bene autem per Salomonem dicitur: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis (Prov. XXVII, 21).* Laus quippe sua justos cruciat, iniquos exaltat. Sed justos dum cruciat purgat, iniquos dum laetificat reprobos monstrat. Isti enim sua laude pascuntur, quia auctoris sui gloriam non requirunt. Illi autem qui auctoris gloriam quaerunt, sua laude cruciantur, ne

non sit intus quod foris dicitur, ne, si est etiam quod dicitur, ante Dei oculos ipsis favoribus vacuetur: ne humana laus robur mentis emolliat, eamque in sui delectatione prosternat; et quae adjumentum debet esse augendi operis, jam retributio sit laboris. Cum vero sua praeconia in Dei laudem tendere sentiunt, ea etiam desiderabiliter amplectuntur. Scriptum namque est: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* (**Matth. V, 16**). Viam se ergo hominibus faciunt, quoties in se aliquid quo Deus cognoscatur ostendunt, quia non student in se humanam laudem figere, sed quaerunt eam per se medios ad auctoris gloriam pertransire. Arrogantes autem humanis laudibus mollia corda prostituunt, quia suis amoribus corrumpuntur. De quibus alias dicitur: *Erunt homines seipsos amantes* (**II Tim. III, 2**). Apte vero hic de hac eorum corruptione subjungitur:

CAPUT XXXV.

IBID.---*Et vita eorum inter effeminatos.*

63. *Effeminati sunt qui laudibus humanis corrumpuntur.*---Si enim viriditer viverent, laus transitoria nulla eos corruptione vitaret. Unde electis Propheta persuadet, dicens: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (**Psal. XXX, 25**). Dicens enim *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum*, illico subdidit, quasi sexum cordis munire curavit. Luxuriosi quippe mens corrumpitur, si rebus transitoriis delectatur. Igitur simulatorum vita inter effeminatos moritur, quia laudis

luxuria corrupta reperitur. Translatione vero alia non habetur: *Vita eorum inter effeminatos*, sed, *Vita eorum vulneretur ab angelis*. Utramque tamen etsi sermone discrepat, ratione concordat, quia effeminatorum vitam angeli vulnerant, dum nuntii veritatis eam jaculis sanctae praedicationis impugnant. Quia igitur de damnatione reproborum quid agatur audivimus, de ereptione humilium quid sequatur audiamus:

VERS. 15.---*Eripiet pauperem de angustia sua.*

64. *Humiles, cum moriuntur, de angustia liberantur.*--- Pauper de angustia sua eripitur cum unusquisque humilis de hac peregrinationis suae afflictione liberatur. Nam et assiduis hic tribulationis premitur, ut ad requirendum verae consolationis gaudium provocetur. Unde et sequitur:

IBID.---**843** *Et revelabit in tribulatione aurem ejus.*

Aurem in tribulatione revelare est auditum cordis verberum plagis aperire. Cum enim praecepta despiciamus, pia districtione nobiscum agitur, ut flagella timeamus. Aurem itaque cordis tribulatio aperit, quam saepe hujus mundi prosperitas claudit. Per Salomonem namque dicitur: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos (Prov. I, 32)*. Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXIV*].

VERS. 16.---*Igitur salvabit te de ore angusto latissime.*

65. *Peccati consuetudo puteus arctissimus, ex quo sola gratia nos potest educere.*---Omnis qui vitae viam deserens in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum vel foveam mergit. Si vero diutina perpetracione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur ne ad superiora jam possit exsurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Unde David propheta sub specie peccantium exorat, dicens: *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (**Psal. LXVIII, 16**). Quem enim mali operis iniquitas a bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquae rapuit; sed si adhuc longa consuetudine non praevaluit, non demersit. Jam in puteum cecidit qui hoc quod divina lex prohibet perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Tanto erga facilius egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur. Unde Jeremias propheta, dum Judaeam iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis suis sub ejus specie semetipsum deplorat, dicens: *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me* (**Thren. III, 53**). [*Vet. XXXI.*] In lacum quippe vita labitur cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero superponitur cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur, ut etsi velit exsurgere, jam utcumque non possit, quia moles desuper malae consuetudinis premit. Sed quia divinae potentiae subjacet, et post angustiam pravae consuetudinis ad bonae actionis amplitudinem revocatur, idcirco dicitur: *Salvabit te de ore angusto latissime*. Latissime quippe de ore angusto salvatur, qui et post iniquitatis jugum ad libertatem boni operis poenitendo reducit.

66. *Quanta angustia est ab opprimente mala consuetudine exsurgere velle nec posse.*---Quaedam namque quasi conclusi oris angustia est ab opprimente mala consuetudine exsurgere velle, nec posse; jam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere; praeire corde, nec tamen sequi opere, atque in semetipso contradictionem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiae exaltantis adjuvatur, ab angusto ore ad latitudinem pervenit, quia, victis difficultatibus, opera bona perficit quae concupiscit. David propheta conclusionem angusti oris conspexerat, cum dicebat: *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici (Psal. XXX, 9).* Latissime autem salvatum se noverat, cum subderet, dicens: *Statuisti in loco spatioso pedes meos (Ibid.).* In spatioso quippe loco pedes stabiliti sunt, quando et ad congruentia bona tendimus, et nulla difficultate praepedimur. Quasi enim per latum locum quo volumus pergimus, quia nullis objectis difficultatibus angustamur.

844 67. *In hunc puteum cecidisse Job immerito creditus.*---Sed haec Eliu recte diceret, si beato Job ejus sententia conveniret. Pro culpa enim flagellatum credidit, et idcirco eum in os angustum cecidisse judicavit. Quo enim validioribus vidit eum plagis affici, eo deterioribus credidit iniquitatibus praegravari, profecto nesciens quod flagella ejus augmentum essent meriti, non poena peccati. Cum vero eum in os angustum cecidisse fateatur, ad huc quasi latius exsequitur in quanta Job profunditate teneatur dicens:

CAPUT XXXVII [*Vet. XXXII*].

IBID.---*Et non habente fundamentum subter se.*

68. *Quem includit puteus arctus malae consuetudinis, infernus absorbet, et desperationis abyssus.*---Omne peccatum fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit. Malum quippe sine substantia est. Quod tamen, utcunque sit, in boni natura coalescit. Igitur os angustum nullum subter se dicitur habere fundamentum, quia peccati inquinatio subsistendi jus non habet proprium. Quia vero a fundo dicitur fundamentum, possumus etiam fundamentum pro fundo positum non inconvenienter accipere, sicut auditus ab aure dicitur, et tamen plerumque ipsa auris auditus nomine designatur. Cum ergo diceret os angustum, explere profundi voraginem volens, subdidit: *Et non habente fundamentum subter se.* Quem enim rapit iniquitas, infernus absorbet. Internus vero recte fundum non habere creditur, quia quisquis ab illo rapitur, in immenso profundo devoratur. Immensam namque ejus explere latitudinem volens propheta, ait: *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino (Isai. V, 14).* Sicut ergo sine termino dilatatus dicitur qui ad se plurimos trahit, ita sine fundo altus non incongrue creditur, quia eos quos in se suscipit, quasi in quadam abyssu suae immensitatis absorbet. Itaque cum diceret: *Salvabit te de ore angusto latissime,* apte subjunxit: *Et non habente fundamentum subter se.* Ac si diceret: De ore angusto salvabit quod sub se fundum non habet, quia enim per peccatum tenditur ad infernum, quem a

peccato salvat, de ore angusto liberat. Quem vero de ore angusto eripit, ab inferni profundo subducit.

69. Quamvis etiam aliter intelligi potest. Nam sicut qui in puteum mergitur putei profundo retinetur, ita corruens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quod labitur non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora dejicitur, quasi in puteo quo cecidit fundum non invenit quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset mensura peccati; unde bene alias dicitur: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (**Prov. XVIII, 3**). Redire namque dissimulat, quia misereri sibi posse desperat. Sed cum desperando amplius peccat, quasi puteo suo fundum subtrahit, ne ubi retineri possit inveniat. Sequitur:

CAPUT XXXVIII.

IBID.---*Requies autem mensae tuae erit plena pinguedine.*

70. *Quem eripit gratia, internae satietatis delectatione replet.* Requies mensae est refectio satietatis internae; quae pinguedine plena dicitur, quia in aeternae voluptatis delectatione praeparatur. Hujus mensae epulas esuriebat Propheta, cum diceret: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua* (**Psal. XVI, 15**). Hujus mensae pocula sitiebat, dicens: *Sitivit anima mea ad Deum vivum; 845 quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (**Psal. XLII, 3**)? Eliu itaque in beato Job temporalia verbera aeternorum volens retributione consolari, quod jure ei debebatur ex meritis, ex

semetipso quasi gratuito promittit, dicens: *Requies autem mensae tuae erit plena pinguedine*. Sequitur:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXV*].

VERS. 17.---*Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies*.

71. *Flagellantur justi, ut ad majorem vigilantiam orudiantur*.--Bonorum causa justitia est. Quorum causa quasi impii judicatur, quia eorum hic justitia paterno flagello fatigatur, ut ad ampliores vigilantiam non solum praeceptione mandatorum, sed etiam verberum percussione doceantur. Sed causam judiciumque recipiunt, quia ex ea justitia qua modo vivunt tunc in culmine judicariae potestatis enitescunt, ut tanto tunc potentius cuncta judicent, quanto nunc in eis subtilius cuncta judicantur. Haec Eliu quasi nova spondendo intulit, quae beatus Job semper credendo stabiliter tenuit. [*Vet. XXXIII.*] Habent profecto haec propria omnes arrogantes, ut et malum mentientes exaggerent, et si quod forsitan bonum dicunt, hoc velut incognitum proferant. Unde fit ut etiam doctiores se docere audeant, quia videlicet se scire talia solos putant. Cum vero ad aliqua consolationis verba descendunt, statim viluisse se aestimant, et per increpationis tumidae asperitatem quasi quoddam sibi ingenium reformant, ut qui condescendisse blandientes testes visi sunt, exorta subito increpatione timeantur. Unde et mox Eliu subdidit, dicens:

CAPUT XL. [Rec. XXVI].

VERS. 18-21.---*Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas; nec multitudo locorum inclinet te. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim coepisti sequi post miseriam.*

72. *Superbi quidquid ab aliis recte fit, carpunt.*---In plerisque Codicibus, donorum; in paucis vero, sed antiquioribus, locorum invenimus. Sed quia expositione non indiget si dicatur: *Nec multitudo donorum inclinet te*, hoc magis exponi placuit quod cum difficultate aliquantula videtur aperiri. Haec autem quantae elationis verba sint, ipse qui ea formavit tumor ostendit. Sed quia Eliu arrogantium et beatum Job tenere typum diximus electorum, si ea subtilius discernimus, etiam nunc intra Ecclesiam quomodo arrogantibus congruant demonstramus. Sancti viri aliena opera etiam parva mirantur, sua vero etiam magna despiciunt. At contra, arrogantes aliena etiam magna despiciunt, sua vel quae parva sunt admirantur; et plerumque de suis malis bona aestimant, de alienis autem bonis mala sentire non cessant. Nam dum propriam gloriam quaerunt, perniciose student ut quidquid virtutis ab aliis agitur iniquitatis nota laceretur, et bonae pondus actionis vertunt in maculam criminis. Saepe enim cum vident ab Ecclesia districte pravos corrigi, quasi queruntur injuste innocentes affligi, et nitorem disciplinae ejus commutant appellatione nequitiae. Unde Eliu figuram **846** arrogantium servans,

beatum Job quasi admonens, ait: *Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas.* [Vet. XXXIV.] Arrogantes enim irae motum deputant, quidquid a sancta Ecclesia geritur censura disciplinae. Et quia humanae laudis appetitu benigni student semper apparere, nullos censent distractione severitatis corrigendos. Unde et a bonis rectoribus, sicut superius dictum est, opprimi aestimant quos invitos cernunt a vitiis coerceri.

73. *Ecclesiae in cunctis mundi partibus potentia temporalis. Hanc immerito Ecclesiae hostes ei exprobrant. Etsi quidam intra ejus sinum sint qui de ipsius gloria superbiant.*--- Auctore autem Domino, quia in cunctis mundi partibus sancta Ecclesia culmine religionis excrevit, hanc ipsam temporalem potentiam, qua quidem bene utitur, obtrectando in vitium elationis inflectunt. [Rec. XXVII.] Unde Eliu subjungit, dicens: *Nec multitudo locorum inclinet te.* Ac si eidem sanctae Ecclesiae humilitatem magis in prosperis conservanti arrogantium voce dicatur: Quia ubique fidei reverentia coleris, cave ne ejusdem reverentiae fascibus extollaris. Quosdam quippe conspiciunt qui sub religionis obtentu vitio elationis intumescunt, et quod in quibusdam jure reprehendunt, hoc injuste ad crimen omnium pertrahunt: nequaquam videlicet perpendentes quod sint in ea qui et despicientes noverint perfecte temporalia regere, et amantes aeterna plenis desideriis exspectare; et dispensationem potestatis acceptae peragere, et humilitatis insitae ministerium custodire, ut nec humilitatis causa curam suscepti regiminis negligant, nec rursum occasione regiminis in eis humilitas intumescat. Etsi quidam fortasse intra ipsam sunt qui non Dei sed suae gloriae sub religionis praetextu deserviunt, studet tamen eos, aut, si valet, districte corrigere, aut, si non valet,

aequanimiter tolerare; et vel corrigendo illos quasi filios amplectitur, vel tolerando quasi ab hostibus exercetur. Scit namque quod per eorum superbiam laceretur vita justorum, scit quod in ejus crimen extenditur quidquid talium pravitate peccatur, sed notam alieni criminis sustinere tanto minus metuit quanto et caput suum talia tolerasse cognoscit. De illo quippe scriptum est: *Et cum iniquis deputatus est* (**Marc. XV, 28**). De illo rursum dicitur: *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (**Isai. LIII, 4**). Eant ergo arrogantes, et aestimatione pravorum vitam mordeant innocentum. Scit electorum Ecclesia et illorum facta, et horum verba tolerare, scit pravorum mentes tolerando convertere. Qui etsi converti nequiverint, eorum tamen ignominiam aequanimiter suffert. Perpendit quippe quia ad duplex ejus praemium proficit quod ex eorum meritis foris despicitur, quorum et intus vita laceratur.

74. *Qui temporaliter extollitur, cadit.*---Notandum vero quod non ait: *Nec multitudo locorum extollat te*, sed ait: *Nec multitudo locorum inclinet te*. Omnis enim qui temporaliter extollitur eo ipso quo extollitur inclinatur, quia cum se exterius erigit, intus cadit. Eliu itaque casum cordis in elatione intuens, ait: *Nec multitudo locorum inclinet te*. Ac si voce arrogantium sanctae Ecclesiae diceretur: Cave ne, si universitatis veneratione extolleris, **847** ab interna intentione curveris. Sequitur:

CAPUT XLI [*Rec. XXVIII*].

VERS. 19.---*Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.*

75. *Apostolis et Ecclesiae fortibus ad praemia vocatis, Deus eorum vice debiles ad certamina roboravit.*---Quos alios sanctae Ecclesiae robustos accipimus, nisi eos qui ad vincenda mundi hujus desideria et coeptis sublimibus et consummatis profectibus conualescunt? Magnitudo itaque ejus in robustorum suorum vita consistit, quia tunc gloriosior redditur, cum pro defensione veritatis ad mortem usque ab electis illius constanti virtute certatur. Arrogantes igitur viri subductis de hoc mundo apostolis, subductis ad superna martyribus, quia fortasse doctiores valentioresque praepositos abunde deesse conspiciunt, quasi solos se remansisse intra Ecclesiam suspicantur. Unde dum se praeferunt, ei velut consulentes illudunt, dicentes: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.* Ac si apertis exprobrationibus dicant: Nequaquam te magnitudinem habere confidas, quia subductis prioribus, patribus jam non habes de quorum vita glorieris. Dicunt haec profecto, nescientes quia omnipotens Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit. Nam cum fortes ad praemium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat; cum illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires, quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sanctae Ecclesiae dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram (Psal. XLIV, 17).* In virtutem quippe antiquorum patrum, hi qui postmodum praelati sunt subrogantur, quia et cum annosa arbusta succiduntur, in eorum robur tenera virgulta succrescunt. Sed arrogantes viri conualescere non credunt quos infirmos aliquando noverunt;

et permutatos venerari despiciunt, quos despicabiles fuisse meminerunt.

[*Vet. XXXV.*] 76. *In Ecclesia justi multo pauciores quam iniqui. Superbi pastores quae patres eorum moriendo severunt, hoc exsultando metunt.*---Quia vero in ea justiores paucos, iniquos autem numerosiores aspiciunt, sicut et in tritura frugum major est multitudo palearum, etiam justorum vitam ex iniquorum aestimatione contemnunt. Vident profecto quod nonnulli rectores illius, temporali potestate subnixi, ejusdem potestatis elatione pascuntur. Vident quod religionis reverentiam, quam huic mundo patres moriendo servaverunt, hi exsultando in terrenis gaudiis metunt; et perpendunt quidem quia robusti sunt, sed non fortitudine. Nam dum temporali potestate fulciuntur, quasi quadam debilitate roborantur. Quanto enim exterius fortes sunt, tanto a cunctis fortitudinis viribus intus inanescunt. Et idcirco ab arrogantibus ei dicitur: *Depone robustos fortitudine.* Ac si aperte dicatur: Illi tibi veraciter robusti inhaeserant, qui in te hoc quod docendo locuti sunt, vivendo tenuerunt; nunc vero hi qui tibi praesident visione robusti sunt, non fortitudine, quia honorabiles quidem se ostentare non desinunt, sed tanto imbecilliores et contemptibiliores sunt, quanto honoris sui gloriam despici pro veritate pertimescunt. Quod arrogantes quidem de plerisque veraciter sentiunt, sed eo in elationis vitium corruunt, quo omnes quos praeesse conspiciunt tales arbitrantur. **848** Neque enim debet plurimorum malum tendere in aestimationem cunctorum, quia etsi iniqui sunt quos cognoscentes dijudicant, nonnulli tamen sancti sunt quos ignorant. Triturae quippe tempus est, et adhuc grana sub paleis latent. Nullus ergo ex area fructus expectabitur, si hoc

solum in ea esse creditur, quod superficie tenus videtur. Igitur quia quos cernunt, despiciunt, et in antiquorum patrum ordinibus hos quos norunt subrogari contemnunt, apte subjungitur:

CAPUT XLII.

VERS. 20.---*Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.*

77. *Nox Ecclesiae est, cum doctorum et fortium loca indocti ac debiles obtinent.*---Ac si aperte arrogantes dicant: Ignorantiae tuae obscuritate non agas, ut in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari consuetudini dediti, in cunctis quae appetunt passim vivunt. Noctem vero protrahere est ut pro robustis populi ascendant, si per negligentiam agitur ut doctorum et fortium loca indocti ac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt quando hi qui vivere inique didicerunt pastorum loca percipiunt. Quod recte quidem dici poterat si humiliter diceretur. Arrogantes enim, etiam cum bona admonent, superstitionis suae vitium exercent. Nam plus, sicut et superius dictum est, increpando ferire appetunt quam consolando refovere. Unde mox subjungitur:

VERS. 21.--- *Ne declines ad iniquitatem; hanc enim coepisti sequi post miseriam.*

Hoc profecto arrogantes Ecclesiae miseriam vocant, quod despectam Deo ejus multitudinem suspicantur; et eo illam

altiori elatione contemnunt, quo et despectam Deo funditus suspicantur.

His igitur figurata expositione transcursis, jam nunc inferenda sunt quae moraliter sentiuntur, ut figura Ecclesiae cognita, quam expressam generaliter credimus, audiamus etiam quid ex his verbis in singulis specialiter colligamus. Ait itaque:

CAPUT XLIII [*Vet. XXXVI*].

CAP. XXXVI, VERS. 18.---*Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas.*

78. SENSUS MORALIS.---*In facienda correctione, subesse debet ira, non praeesse.*---Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu justitiae irae immanitas vastat, et dum quasi saevit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, justeque se facere aestimat, quidquid ira nequiter dictat. Unde et modum saepe ulciscendi transgreditur, quia mensura justitiae non frenatur. Dignum quippe est ut cum aliena corrigimus prius nostra metiamur, ut prius mens a sua accensione deferbeat, prius intra semetipsam zeli sui impetum tranquilla aequitate componat, ne si ad animadvertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, et qui culpam dijudicando insequimur, immoderate feriendo faciamus. Non autem jam correctio delinquentis, sed magis oppressio sequitur, si in ultione ira ultra quam culpa meretur extenditur. In correptione quippe vitiorum subesse menti

debet iracundia, non praeesse, ut exsecutionem justitiae non dominando praeveniat, sed famulando subsequatur, et notum iudicium **849** possessa impleat, non possidens praecurrat. Bene itaque dicitur: *Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas*. Quia videlicet si is qui corrigere nititur ira superatur, opprimit antequam corrigat. Nam dum plus quam debet accenditur, sub justae ultionis obtentu ad immanitatem crudelitatis effrenatur. Quod plerumque idcirco evenit, quia corda rectorum minus amoris sunt solius creatoris intenta. Nam dum multa in hac vita appetunt, innumeris cogitationibus disperguntur; et cum subito subditorum culpas reperiunt, digne cum Deo eas judicare nequeunt, quia corda sua in curis transitoriis sparsa ad distractionis culmen colligere repente non possunt. Commoti ergo tanto minus ad ulciscenda peccata libram aequitatis inveniunt, quanto eam tranquillitatis suae tempore non requirunt. Unde cum Eliu diceret: *Non te superet ira, ut aliquem opprimas*, quatenus easdem causas injustitiae et irae superantis exprimeret, illico adjunxit:

CAPUT XLIV.

IBID.---*Nec multitudo locorum inclinet te.*

79. *Ex originali peccato inquieta hominis mutabilitas oritur. Cum qualitate rerum non possit, varietate saltem quaerit satiari.*---In tot quippe locis inclinamur in quot supervacuis curis extendimur. Nam sicut locus est corporis spatium corporale, ita locus est mentis unaquaeque intentio

cogitationis. Quae dum huc illucque impellitur, si delectatione aliqua cogitationis suae libenter occupatur, velut in quodam loco ponitur ut quiescat. Nam quoties victi taedio a cogitatione in cogitationem ducimur, quasi fessa mente de loco ad locum migramus. Tot itaque loca culmen mentis inclinant, quot subortae cogitationes unitatem bonae intentionis dissipant. Recta etenim mens staret, si uni cui debuerat cogitationi semper inhaereret. Recta mens staret, si non se innumeris motibus fluxa mutabilitate prosterneret. Sed dum nunc ista pertractat, nunc ad alia dilabitur, quasi per locorum multitudinem a statu suae rectitudinis inclinatur; et dum per plura se tendit, ab una, cui adhaerere debuit, intentione se dejicit. Qui tamen mutabilitatis usus ex primae praevaricationis vitio jam quasi in naturam venit. Nam cum stare animus in semetipso nititur, a semetipso aliquo modo etiam nesciendo derivatur. Humana namque anima ab unaquaque re cui intenditur fastidio impellente removetur. Sed dum inhianter cogitanda appetit, et repente cogitata fastidit, docet quod aliunde pendet, quae quolibet posita non requiescit. Ad illum quippe suspensa est a quo formata. Et quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infra appetit minus est, jure ei non sufficit quod Deus non est. Hinc est quod huc illucque spargitur, et ab unaquaque re, ut diximus, fastidio impellente removetur. Delectationis videlicet avida, quaerit quo pauset, unum vero quem sufficienter habere poterat amisit. Unde nunc per multa ducitur, ut quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satiatur.

[*Vet. XXXVII.*] 80. *Sancti adhaerendo Deo, huic anxietati medentur.*--- Sancti autem viri causa se observatione

custodiunt, ne ab intentione sua mutabiliter dissolvantur, et quia idem esse appetunt, ad cogitationem qua Deum diligunt se solerter astringunt. In contemplatione namque creatoris hoc accepturi sunt, ut una semper mentis stabilitate perfruantur. **850** Nulla eos tunc mutabilitas dissipat, quia scilicet eorum cogitatio sibimetipsi semper indissimilis perseverat. Hoc ergo cum labore nunc conantes imitantur, quod post in munere gaudentes accipiunt. Cui se Propheta immutabilitati virtute amoris astrinxerat, cum dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini (Psal. XXVI, 4)*. Huic Paulus unitati intentione adhaeserat, dicens: *Unum autem, quae retro sunt oblitus, ad ea quae ante sunt extentus, sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo (Philip. III, 13)*. Nam si quid in eorum corde humanitus diffluit, mox hoc discussio severa restringit; et cum quasi pueriliter cogitatio labitur, juvenili mox coercitione refrenatur. Unde fit ut sparsam mentem continuo colligant, et in una quantum praevalent cogitatione componant. Quia igitur status mentis cogitationum mutabilitate curvatur, recte ab Eliu dicitur: *Nec multitudo locorum inclinet te*.

81. *Deo ita vacantibus cavenda elatio*.---Sed saepe dum viri justi animus in ipsa intentionis suae arce consistit, dum ab omni mutabilitatis se sparsione colligit, dum quidquid in se superflue oboritur premit; ipsa suae rectitudinis gloria tangitur, et in tumore propriae praesumptionis elevatur. Qui enim magna agit, quamvis de se humilia sentiat, scit tamen magna esse quae agit. Nam si magna esse nescit, ea procul dubio minime custodit. Quae dum custodire negligit, aut in eis minus proficit, aut ea funditus amittit. Dum ergo bona nostra

opera scire necesse est ut custodiamus, ex ipsa eorum scientia elationis aditus panditur, et ad operantis cor culpae manus admittitur, qua vastante rapiantur. Mira autem dispensatione agitur, ut conditor noster sublevatum prosperis animum subita concuti tentatione permittat, quatenus semetipsum in infirmitate verius videat, et ab eo quem de virtutibus sumpserat, jam seipso melior elationis fastu descendat. Unde et bene nunc subditur:

CAPUT XLV.

VERS. 19.---*Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.*

82. *Ne de nobis praesumamus, Deus tentatione nos pulsari permittit.*---Robusti quippe sunt motus cordis, cum nulla nisi quae virtutis sunt sentiunt. Sed magnitudinem et robustos motus deponimus, quando pulsante vitio cogimur pensare quid sumus. Robustos motus deponimus, quando jam non de virtute attollimur, sed in culpa consentiendo obrui de ipsa qua quatimur infirmitate formidamus. Multum namque de se animus confidit quando sibi ad votum vires suppetere conspicit. Jam sibi fiduciam sanctitatis arrogat, jam se idoneum etiam ad cuncta virtutum culmina quae sola cogitatione conceperit putat. Sed cum hunc tentatio subito oborta transverberat, eas quae natae de virtutibus fuerant, elatas cogitationes funditus turbat. Quasi securam quippe urbem inopinatus hostis ingreditur, et repentino gladio superborum civium colla feriuntur. Nihil ergo tunc nisi

continuus luctus agitur, dum capta urbs animi a magnatum suorum gloria caede interveniente vacuatur. Unde nunc dicitur: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine*. Ac si aperte diceretur: Omne quod intrinsecus de bona actione intumueras **851** reprime, et cordis motus quos ex recto opere robustos habueras depone, quia jam in ipsa adversitatis tentatione consideras quam frustra prius de te magna elatus aestimabas. Quae videlicet magnitudo idcirco absque tribulatione deponenda dicitur, quia nimirum cum per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa adversitas quae mentem ab elatione custodit. [*Vet. XXXVIII*]. Sed tamen sine magna tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Ipsa namque tentationis adversitas dum se menti inserit, quasdam in illa tenebras gignit, eamque obscuritate suae amaritudinis turbat, quae apud se dudum virtutum dulcedine irradiante claruerat. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XLVI.

VERS. 20.---*Ne protrahas noctem ut ascendant populi pro eis.*

83. *Tentatio tenebras gignit, et procellas excitat.*---Nox quippe protrahitur cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur quia moeror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione considerat quod a virtutis suae pristina soliditate repellitur, superductis moeroribus, quasi quibusdam

tenebris caecatur, atque ab omni luce gaudii ejus oculus clauditur, dum sollicita trepidat ne hoc quod esse dudum coeperat funditus amittat. Unde et bene dicitur quod in hac nocte pro robustis populi ascendunt, quia videlicet in hoc moerore tentationis pro robustis motibus indignae cogitationes et multiplices in corde prosiliunt. Nam dum se in perturbatione conspicit jam pene amisisse quod fuerat, fluctus in se innumeros tumultusque coacervat, modo tranquillitatem suam quia perdidit dolet; modo ne usque ad prava opera corruat pertimescit; modo in quo culmine steterat meminit; modo in quo vitiorum profundo per delectationem jaceat attendit; modo ad resumendas vires se reparat; modo se eas posse resumere quasi victus jam fractusque desperat.

84. *Hac in nocte multiplices cogitationes quasi populi tumultuantes premunt.*--- Cum ergo super addictam mentem tam multiplices cogitationes prodeunt, hanc quasi in nocte populi consurgentes premunt. Quos nimirum populos non per se, sed per divinae protectionis auxilium Propheta subigere se posse praesumpserat, cum dicebat: *Protector meus, et in ipso sperabo, subjiciens populos sub me (Psal. CXLIII, 2).* Sanctis quippe mentibus populi subiguntur, cum ab eis per districtae severitatis praesentiam cogitationes stultae dissiliunt, ut non per abrupta phantasmatum rapiant, sed rationi subditae a corde humiliter conquiescant. Quia ergo positus in tentatione animus, qui de se in prosperis majora praesumebat, tumultus spei desperationisque tolerat, recte nunc dicitur: *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.* Ac si aperte diceretur: In tentatione deprehensus, citius tenebras moeroris incide, ne qui in tranquillitate **852** de te alta senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum te

caligine confundas. Quod recte Eliu diceret, si tamen cui diceret sciret. Nam haec beato Job tanto minus congruunt, quanto ab illo omnia altius sciuntur. Quia vero, ut saepe diximus, arrogantes, dum praesumunt docere quos non debent, usque ad contumeliosa increpationum verba dilabuntur, subditur.

CAPUT XLVII [*Rec. XXIX*].

VERS. 21.---*Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim coepisti sequi post miseriam.*

85. *Tunc cavenda est impatientia, quae in Job immerito impingitur.*---Iniquitatem post miseriam sequitur, qui post mala quae pro correptione sustinet ferventi corde impatientiae se facibus inflamat. Quod beatum Job perpetrasse Eliu credidit, qui eum inter flagella positum liberis effari vocibus audivit, videlicet nesciens, quia omne quod dixit, non hoc de iniquitate impatientiae, sed de virtute veritatis protulit, qui ab interni judicis sententia nec cum se justificaret erravit. [*Vet. XXXIX.*] Sed considerandum valde est quomodo cum diceret: *Ne declines ad iniquitatem*, de eadem iniquitate protinus subdidit: *Hanc enim coepisti sequi post miseriam.*

86. *Superbi in arguendo modum servare nesciunt.*---Quid est hoc quod dum ad eam declinare vetat, de ea protinus quasi ad quam declinatum jam fuerit damnat, nisi quod arrogantes viri

plus videri iudices quam consolatores volunt? Unde et nonnunquam ea districtis sententiis feriunt, quae nata in corde suspicantur et priusquam certa sit culpa delinquentium, profertur invectio districta verborum; et ante per sententiam percutitur, quam prodeat quod feriat.

87. *Sanctorum discretio in corripiendo.*---Quamvis et justi viri plerumque pravis et occultis cogitationibus arguendo obviant; sed cum easdem cogitationes aliqua quae praeceunt opera demonstrant, plerumque ab auditorum suorum cordibus ea vitia quae necdum prolata sunt manu correptionis eradicant, sed jam illa subsequi conspiciunt ex aliis quae praecedunt. Sicut enim corporales medici quasdam aegritudines jam venisse inveniunt, quasdam vero ne veniant medentur, ita doctores sancti aliquando inventa vulnera saluti restituunt, aliquando vero agunt in mentibus ne vulnerentur. In quibus solerter intuendum est, quia sicut certa plerumque cum asperitate redarguunt, ita incertis vitiis et cum tranquillitate contradicunt; certa ferientes increpant, incerta praemunientes devitant. Quam quia arrogantes viri discretionis regulam nesciunt, sententiarum suarum jaculis sicut nota, sic incognita; sicut certa, sic etiam incerta configunt. Unde nunc ab Eliu dicitur: *Cave ne declines ad iniquitatem; hanc enim coepisti sequi post miseriam.* Quia vero ea quae subnexa sunt longiori allegatione protrahuntur, istum libellum hoc fine constringimus, ne immoderatus extendatur.

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS. *Duodecim
ultimi versus capitis XXXVI exponuntur, cum
integro capite XXXVII, ingeniose quaesitis ad
astruendam, tum doctrinam, tum ethicen
christianam sensibus.*

CAPUT PRIMUM.

853 1. *Ex superborum recte dictis sumendum quod prosit,
respuendum quod noceat.*---Quisquis de magnis dictis
arrogantium sumere scientiam nititur, providere solerter
debet, ne hoc quod eorum scientia altum tumet, imitetur, ne
cum virtutum verbis morum vitia colligat, et in eo quod
loquendi notitiam assequitur, vivendi se imperitia transfigat.
Hos namque cum fortia dicere audimus, sed tamen de dictis
fortibus tumere conspiciamus, quasi doctrinae hortum ingressi,
de spinis rosas attingimus. Discreta ergo nobis sollicitudine
opus est, et carpere quod redolet, et cavere quod pungit, ne si
fortasse improvide dictorum flos legitur, incauta legentis
manus morum spina laceretur. Eliu itaque doctus et arrogans
profert aliquando quod redoleat, aliquando quod pungat. Sic
igitur sumendum est de ejus doctrina quod fragrat, ut tamen
sollicite cavendum sit de elatione quod vulnerat. Qui multa
quidem superius moraliter intulit, sed in verbis sequentibus ad
sola se prophetiae arcana sustulit. Ima enim moralitatis
deserit, et ad prophetiae summa conscendit.

2. *Superbi spiritu prophetiae aliquando repleti.*---Nec mirandum quod vir arrogans impleri prophetico spiritu potuit, cum Saul etiam in numero prophetarum fuit (**I Reg. X, 6**). Sed hoc de Saule cur dicimus, cum ex visione angeli accepisse verba rationabilia et asinam noverimus (**Num. XXII, 28**)? Sed sicut irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturae rationalis accessit, ita saepe quilibet indignus sancta verba per prophetiae spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit, ut et supra se loquendo emineat, et infra se vivendo torpescat. Unde nunc Eliu Redemptoris nostri adventum humilem non humilis conspicit, et eum prophetando praedicat, quem elatis moribus impugnat, dicens:

CAPUT II.

CAP. XXXVI, VERS. 22.---*Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.*

3. *Christus simul humilis in infirmitate et excelsus in fortitudine caeteros legistatores longe antecellit.*---Ac si aperte dicat: Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine, Paulo hoc etiam attestante, qui ait: *Quia et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (**II Cor. XIII, 4**). De quo recte subjungitur: *Nullus ei similis in legislatoribus.* Legislator Moyses, legislator Josue, legistatores etiam prophetae; legistatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic Mediatori in legislatoribus similis nullus est, quia isti

gratuito vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, et ab his quae in semetipsis experti sunt praedicando alios reducunt. Redemptor autem noster homo sine peccato est, filius sine adoptione, nec perpetravit unquam quod redarguit, et sic mundo ex humanitate loquitur, ut tamen **854** eidem mundo ante saecula ex divinitate dominetur. Hunc Mediatorem Dei et hominum quidam legislatoribus similem fuisse crediderunt. Nam requirenti: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* responderunt discipuli, dicentes: *Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis* (**Matth. XVI, 13**). Sed nimirum Petro quam excelsus in fortitudine esset aperuit, cum eum veraciter intuens, a legislatorum aequalitate discrevit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (**Ibid., 16**). Unde recte de illo sponsa in Canticis canticorum dicit: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum, et non inveni* (**Cant. III, 1**). Et paulo post: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. De quibus rursum dicit: Vulneraverunt me, tulerunt pallium meum. Quos iterum percunctatur, dicens: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* (**Cant. III, 3**).

4. *Qui in nocte quaeritur, sed non nisi transcensis prophetis et patriarchis invenitur.*---Dilectus namque per noctes in lectulo quaeritur, quia intra secreta cordis cubilia in tribulatione spiritus desideratur. Quem tamen quaerens sponsa non invenit, quia electa quaeque anima jam quidem amoris ejus facibus flagrat, sed adhuc quaesita negatur species, ut amantis desiderium crescat; et quasi in siti aqua subtrahitur, ut ejusdem sitis aestus augeatur, et quo hanc diutius sitiens

desiderat, eo quandoque cum invenerit avidius sumat. Sed hanc quaerentem vigiles inveniunt, eamque vulnerant, et ejus pallium tollunt, quia unamquamque animam redemptoris sui jam speciem requirentem, cum solliciti doctores inveniunt, hanc per praedicationis verbum coelestis amoris spiculis vulnerant, et si quod ei adhuc de vetusta conversatione tegmen inest, subtrahunt, ut quo exuta ab hujus mundi onere redditur, eo is qui quaeritur, ab illa citius inveniatur. Bene autem subditur: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Quia visionis ejus mens avida, nisi prophetarum aestimationem, nisi patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum qui est super homines non inveniret. Transire ergo est vigiles, etiam eos quos miratur anima in ejus comparatione postponere. Et tunc is qui quaerebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur. Unde bene nunc dicitur: *Nullus ei similis in legislatoribus.* Sed is videlicet per infirmitatem carnis nostris obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat, mira judicia exhibuit, quae a nobis et cogitari possint, et comprehendi non possint. Ait **855** namque: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant (Joan. IX, 39).* Et rursum: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (Matth. XI, 25).* In quibus nimirum judiciis Judaea repellitur, gentilitas aggregatur. Quod videlicet factum mirari possumus, sed perscrutari nullatenus valemus. Unde et bene nunc ab Eliu subditur:

CAPUT III.

VERS. 23.---*Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis audet ei dicere: Operatus es iniquitatem?*

5. *Judicia ejus scrutam, multo minus reprehendere non debemus.*---Ac si dicat: Cujus perscrutari actio non potest, quo pacto reprehendi potest? Nemo enim bene judicat quod ignorat. Tanto ergo debemus sub ejus judiciis silendo quiescere, quanto et rationem judiciorum illius nos cernimus non videre. Unde et bene subditur:

CAPUT IV [*Vet. et Rec. II*].

VERS. 24.---*Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.*

6. *Angeli et doctores ea, etsi laudent, minime tamen cognoscunt.* In Scriptura sacra viri aliquando angeli, aliquando autem perfectae vitae homines memorantur. Nam quia aliquando vir angelus dicitur, Daniel propheta testatur, dicens: *Ecce vir Gabriel (Dan. IX, 21)*. Rursum, quia virorum nomine perfectae vitae homines exprimuntur, in Proverbiis sapientia loquitur, dicens: *O viri, ad vos clamito (Prov. VIII, 4)*. De Domino igitur viri canunt, cum ejus nobis potentiam vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen opus ejus ignoratur, quia nimirum judicia illius ipsi etiam qui hunc praedicant impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quem praedicant, et tamen ejus opera ignorant, quia cognoscunt per gratiam eum a quo facti sunt, sed ejus judicia

comprehendere nequeunt, quae ab illo etiam super ipsos fiunt. Quod enim omnipotens Deus perspicue in sua actione non cernitur, Psalmista testatur, dicens: *Qui posuit tenebras latibulum suum* (Psal. XVII, 12). Et rursum: *Judicia tua abyssus multa* (Psal. XXXV, 7). Atque iterum: *Abyssus sicut pallium amictus ejus* (Psal, CIII, 6). Unde bene etiam per Salomonem dicitur: *Sicut ignoras quae sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium* (Eccle. XI, 5).

7. *Occultorum Dei judiciorum exemplum in parvulis sine baptismo, vel post baptismum morientibus.*---Ut enim unum e multis loquar, duo ad hanc lucem parvuli veniunt, sed uni datur ut ad redemptionem per baptismum redeat, alter ante subtrahitur quam hunc regenerans unda perfundat. Et saepe fidelium filius sine fide rapitur, saepe infidelium concessio fidei sacramento renovatur. Sed fortasse aliquis dicat quod hunc Deus acturum prave etiam post baptismum noverat, et idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducatur. Quod si ita est, peccata quorundam proculdubio priusquam sint perpetrata puniuntur. Et quis ista recte sentiens dixerit quia omnipotens Deus, qui alios a perpetratis facinoribus liberat, haec in aliis etiam non perpetrata condemnet? Occulta itaque sunt ejus judicia; et quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari. Dicat ergo: *Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri*. Ac si aperte diceret: De quo fortes quique locuti sunt, ejus opera tuae mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuae notitiae eo ipso quo humanitate circumscriberis transeunt. Sequitur:

CAPUT V [*Rec. III*].

856 VERS. 25.---*Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.*

8. *Deus non nisi procul, etiam ab electis videtur.*---Omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse. Quem nimirum jam videre est damnationem illius ratiocinando conspiciere. Cum vero dictum sit: *Omnes homines vident eum*, recte subjungitur: *Unusquisque intuetur procul*. Procul quippe eum intueri est non jam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare. Procul illum hic etiam electi conspiciunt, quia necdum claritatem illius per acumen intimae visionis apprehendunt. Cui etsi jam per amorem juxta sunt, adhuc tamen ab illo terrenae inhabitationis pondere disjunguntur; et quamvis ei bene vivendo inhaereant, a contemplationis ejus specie longe se esse suspirant. Quem nimirum reprobi etiam cum ad judicium venientem viderint, procul intuentur, quia non eum in divinitatis forma, sed in sola qua et comprehendi potuit humanitate conspiciunt, quia videlicet eorum oculos reducta tunc ad memoriam sua male gesta reverberant, et dum ejus humanitatem vident, cujus divinitatis claritatem non vident, miro modo ab ejus visione quem conspiciunt longe fiunt. [*Vet. III.*] Sed cum dicitur: *Memento quod ignores opus ejus*, ac deinde subjungitur: *Omnes homines vident eum*, quem, sicut diximus, videre est transcendentem omnia ejus essentiam ex ratione colligere, valde mirandum est quod et ipsum cernimus, et ejus opus ignoramus. Dubii quippe de ejus essentia non sumus, et tamen in ejus judiciis incerti remanemus. Patet

nobis quod summum est, absconditur quod minimum. Minus quippe sunt ejus opera quam ipse; et agentem cernimus, sed in actione caligamus: quia videlicet cur quid fiat incertum est, sed quis sit qui haec incerta faciat, incertum non est. Dicat ergo: *Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri: Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul*, quia eum, cujus judicia minime comprehendimus, esse per rationem videmus; quem tamen adhuc procul cernimus, quia ab ejus fortitudine nubilo infirmitatis nostrae separamur. Sequitur:

CAPUT VI [*Rec. IV*].

VERS. 26.---*Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.*

9. *De Deo tunc tantum aliquid intelligere incipimus, cum eum nos digne cognoscere non posse sentimus.*---Superius dixerat: *Ecce Deus excelsus*: nunc iterum dicit: *Ecce Deus magnus*. Quid est quod de Deo loquens ecce dicit, et ecce repetit, nisi quod ecce dicimus de ea re quam in praesenti monstramus? et quia Deus ubique praesens est, cum de illo ecce dicitur, etiam non videntibus adesse memoratur. Bene autem eum vincere scientiam nostram narrat, quem videri ab omnibus dixerat, quia etsi ex ratione conspicitur, magnitudo tamen illius nulla nostri sensus subtilitate penetratur. Quidquid namque de claritate ejus magnitudinis scimus, infra ipsum est; et tanto ab ejus scientia longe repellimur, quanto ejus potentiam nos comprehendisse suspicamur. Nam quamvis in altum mens nostra rapiatur, ejus tamen

magnitudinis immensitate transcenditur. Cujus tunc aliquid quasi ex parte cognoscimus, quando eum nos digne cognoscere non posse sentimus. Sequitur:

CAPUT VII.

Ibid.---*Numerus annorum ejus inaestimabilis.*

857 10. *Deus sine spatio immensus, sine initio aut fine aeternus.*---Dicere utcunque aeternitatem voluit, et ipsam aeternitatis longitudinem annos vocavit. Cum enim brevitatem temporis dilatare volumus, momenta per horas, horas per dies, dies per menses, menses autem per annos extendimus. Quia ergo peramplum quiddam dicere voluit, sed quid diceret latius non invenit, in Deo annos sine aestimatione numeri multiplicavit, dicens: *Numerus annorum ejus inaestimabilis*, ut dum ea quae apud se sunt proluxa multiplicat, aeternitatis longitudinem se metiri non posse infirmitas humana cognoscat. Tende itaque oculum in aeternitatem, ut videas Deum, vel quando est a principio, vel quousque; et nusquam finis superior, quia esse non incipit; nusquam finis inferior, quia esse non desinit. Intra ipsum omnia coangustantur, ipse vero circa omnia sine spatio extenditur, sine loco dilatatur. Ecce cuncta quae facta sunt, ea ipsa circumscriptione qua creata sunt, superiori et inferiori fine cinguntur. Lege enim sua, quia a non esse incipiunt, festinant non esse.

11. *Quaedam aeterna futura sunt, sed non fuerunt.*---Sed quaedam mirabiliter acceperunt ut quamvis ea finis superior

inchoat, finis tamen inferior non constringat; et licet esse incipiant, esse in perpetuum non desistant. Horum vero aeternitas idcirco summae est aeternitati dissimilis, quia aeterna esse coeperunt. Cum ad extrema prospicimus, horum finem, qui omnino deest, non comprehendimus; eorum tamen initia cernimus, cum mentem retro revocamus; et dum in eis infra supraque animum ducimus, non capimus omnino quousque sunt, sed videmus ex quo. Deus autem quia quasi quiddam in eo per aeternitatem longum est, quod nec initio oritur, nec fine terminatur, nec ex quo in semetipso recipit, nec quousque, dicatur ergo: *Numerus annorum ejus inaestimabilis*. Per hoc ergo quod annorum illius numerus dicitur, diutinum ejus esse ostenditur. Per hoc vero quod inaestimabilis memoratur, hoc ipsum esse infinitum et incomprehensibile demonstratur. Sed quia humanis mentibus innotescat agnovimus, dum omnes homines vident eum; et quia ejus magnitudinem admirantes cernimus, dum annorum ejus numerus inaestimabilis habetur, restat jam ut etiam quid agat audiamus. Sequitur:

CAPUT VIII [*Vet. IV, Rec. V*].

VERS. 27.---*Qui aufert stellas pluviae , et effundit imbres ad instar gurgitum.*

12. *Sancti patriarchae et prophetae stellae fuerunt pluviam generantes.*---Duo in hac vita sunt genera justorum: unum videlicet bene viventium, sed nulla docentium; aliud vero recte viventium, et eadem recta docentium, sicut et in coeli

facie aliae stellae prodeunt quas nullae pluviae subsequuntur, aliae prodeunt quae arentem terram magnis imbribus infundunt. Igitur quoties in sancta Ecclesia recte quidam vivunt, sed tamen praedicare eandem rectitudinem nesciunt, stellae quidem sunt, sed in siccitate aeris natae; quia per exemplum bene vivendi lucere caeteris possunt, sed per praedicationis verbum pluere nequeunt. Cum vero in ea quidam et recte vivunt, et aliis eandem rectitudinem verbis praedicationis influunt, quasi ad proferendas pluvias in coelo stellae producuntur, quae sic vitae suae meritis luceant, ut etiam sermone praedicationis pluant. An non in hoc coelo astrum pluviae Moyses exstitit, **858** qui cum de supernis emicuit, corda peccantium quasi arentem inferius terram sanctae exhortationis pluvia ad ubertatem germinis infudit? An non Isaias astrum pluviae ostensus est, qui in eo quod lucem veritatis praevidens tenuit, siccitatem infidelium prophetando annuntians rigavit? An non Jeremias et prophetae caeteri, velut in coelo positi astra pluviae fuerunt, qui in praedicationis culmine erecti, dum pravitatem peccantium libere increpare ausi sunt, quasi verborum guttis obcaecationis humanae pulverem rigando presserunt? Quorum videlicet animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex praesenti vita superna iudicia auferunt, quasi a coeli facie stellae pluviae subtrahuntur, et ad occultum astra redeunt, dum peractis suis cursibus sanctorum animae in thesauris dispositionis intimae reconduntur.

13. *His subductis, missi apostoli, qui imbres tanquam gurgites effuderunt.*---Sed quia terra aresceret si subductis stellis pluviae superna funditus fluenta cessarent, recte dicitur: *Qui aufert stellas pluviae, et effundit imbres ad instar*

gurgitum. Nam cum prophetas abstulit, eorum vice Dominus apostolus misit, qui in similitudinem gurgitum pluerent, postquam subductis antiquis Patribus exteriora legis praedicamenta tacuissent. Stellas ergo pluviae abscondit, et ad instar gurgitum imbres fudit, quia dum praedicatores legis ad secreta et intima retulit, per dicta sequentium uberior vis praedicationis emanavit.

[*Vet. V.*] 14. *Post apostolos, sancti Patres doctrinam sacram auxerunt.*---Possunt quoque per stellas pluviae, sancti apostoli designari, de quibus Judaeae reprobatae per Jeremiam dicitur: *Prohibitae sunt stellae pluviarum, et serotinus imber non fuit* (**Jerem. III, 3**). Stellas ergo pluviae Dominus abstraxit, atque ad instar gurgitum imbres fudit, quia cum de Judaea praedicantes apostolos abstulit, doctrina novae gratiae mundum rigavit. Quod utrumque factum in Ecclesia potest non inconvenienter intelligi, quia cum solutis corporibus ad secretos supernorum sinus apostolorum animas retulit, quasi a coeli facie stellas pluviae abscondit. Sed ablatis stellis pluviae, in morem gurgitum imbres dedit, quia etiam reductis ad superna apostolis, per expositorum sequentium linguas, divinae fluentia scientiae diu abscondita largiori effusione patefecit. Nam quod illi sub brevitate locuti sunt, hoc exponendo isti multipliciter auxerunt. Unde et non immerito ipsa expositorum praedicatio gurgitibus comparatur: quia dum multorum praecedentium dicta colligunt, ipsi in eo quod astruunt profundius dilatantur. Nam dum testimonia testimoniis jungunt, quasi ex guttis gurgites faciunt. Quorum verbis dum quotidie gentilitas docetur, quia peccatorum mens coelestem scientiam accipit, quasi stans in terra aqua gurgites ostendit. Sed nequaquam se eisdem apostolis expositores in

scientia praeferant, cum exponendo latius loquuntur. Meminisse quippe incessanter debent, per quos ejusdem scientiae inventiones acceperunt. Unde et apte subjungitur:

CAPUT IX.

VERS. 28.---*Qui de nubibus fluunt.*

15. *Nec tamen apostolis hujus doctrinae primis traditoribus praeferendi.*---Hi quippe de nubibus gurgites fluunt, quia si ex sanctis apostolis vis intelligentiae non inciperet, nequaquam per doctorum ora largior manaret. In Scriptura enim sacra aliquando per nubes, **859** mobiles quique homines, aliquando prophetae, aliquando autem apostoli designantur. Per nubes quippe mobilitas humanae mentis exprimitur, sicut Salomon ait: *Qui ventum observat, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metit* (**Eccle. XI, 4**). Ventum procul dubio immundum spiritum, nubes vero subjectos ei homines appellat; quos toties huc illucque impellit et revocat, quoties tentationes ejus in eorum cordibus suggestionum flatibus alternant. Qui igitur ventum observat, non seminat, quia qui tentationes venturas metuit, cor ad bona opera non proponit. Et qui considerat nubes, non metit, quia is qui ante humanae mutabilitatis terrorem trepidat, mercedis aeternae retributione se privat. Per nubes prophetae figurantur, sicut per Psalmistam dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (**Psal. XVII, 12**); id est, occulta scientia in prophetis. [*Vet. VI.*] Per nubes quoque apostoli designantur, sicut per Isaiam dicitur: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam*

imbrem (Isai. V, 6). Ipsi igitur stellae, quia vitae meritis lucent; ipsi nubes, quia arentem nostri pectoris terram coelestis intelligentiae fluentis rigant. Si enim nubes non essent, nequaquam eos intuens propheta dixisset: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant (Isai. LX, 8)?* Imbrium itaque gurgites de nubibus fluunt, quia profundae praedicationes sequentium intelligentiae originem a sanctis apostolis acceperunt. De quibus adhuc nubibus apte subjungitur:

CAPUT X.

IBID.---*Quae praetexunt cuncta desuper.*

16. *Nubes cur apostoli dicantur.*---Nubes cum desuper aerem praetexunt, si in coelum oculos attollimus, non coelum, sed ipsas intuemur; nec visus noster aethereas plagas penetrat, quia ei illas ipsa sua infirmitas occultat; et cum de coelo sol rutilat, prius interfuso aere pascitur, ut post in coelo solis radios contempletur. Quia ergo carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in coelum oculos levamus, et velut in coelum aciem intendimus, quia, pressi usu rerum corporalium, docere spiritalia conamur. Sed quia transire intellectus noster ad divina non sinitur, nisi prius per sanctorum praecedentium exempla formetur, quasi jam coetum noster oculus suscipit, sed nubes videt, quia comprehendere ea quae Dei sunt appetit, sed vix mirari ea quae hominibus collata sunt potest. Unde et alias dicitur: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis (Psal. LXXV, 5).* Qui enim orientem solem contemplari non valet,

irradiatos montes aspicit, et quia sol ortus sit deprehendit. Ex aeternis ergo montibus nos Deus illuminat, quia per admiratam vitam Patrum praecedentium, radio nos suae claritatis illustrat. Ecce in studio devotionis dominicae et charitatis accendimur, sed in hac devotione atque charitate melius harum nubium contemplatione formamur. Quid enim devotius Petro (**Matth. XIV. 29**)? Quid charius Joanne (**Joan. XIII, 23**)? Ille per devotionem fluida maris dorsa calcare non timuit, iste per amorem in ipso auctoris nostri pectore requievit; et qui ad corporalis coenae refectionem venerat, spiratale pabulum de sinu Redemptoris sumpsit.

[*Ver. VII.*] 17. *Cur prophetae et antiqui Patres nubes quoque dicantur. Abraham obedientiam nos docet; Isaac patientiam; Jacob laboriosam vitam; Joseph castitatem; Moyses mansuetudinem; Josue constantiam; Samuel benignitatem; David pietatem et humilitatem.*---Sed quia signari per nubes etiam prophetas diximus, necesse est ut adhuc ad medium superiorum Patrum exempla deducamus. Ecce cum praeceptis coelestibus subdi per obedientiam cupimus, **860** consideratis antiquorum patrum vestigiis juvamus. Quid enim Abraham obedientius, qui ad unam vocem dominicam cognatos ac patriam deserit, et pro adipiscenda aeterna haereditate ipsum ferire non trepidat quem senex jam et pene moriturus acceperat haeredem (**Genes. XII, 4**)? Cum patientiae virtutem apprehendere conamur, praecedentium exempla conspiciamus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur, et non loquitur; arae superponitur et non reluctatur (**Genes. XXII, 7**)? Quid ergo isto viro dici patientius potest, qui quasi ad solatium ducitur,

et requirit; ad feriendum ligatur, et conticescit; et oblaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet? Cum accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis praecedentibus sublevamur. Quid enim Jacob laboriosius, qui apud Laban tam longo tempore propinquus jure cognationis, opera exercuit servitutis, et vice obsecutus est famuli, ut perfrueretur praemiis haeredis (**Genes. XXX, 26**)? Cum arcem continentiae et castitatis ascendere nitimur, exemplis praecedentium sublevamur. Quid enim Joseph castius, qui ad desiderium petulantis dominae, jugo luxuriae premi non potuit etiam captivus? Et quidem hominibus exstitit servus, sed contra dominantem nequitiam et in servitio liber fuit (**Genes. XXXIX, 12**). Cum mansuetudine repleti concupiscimus, praecedentium exemplis adjuvamus. Quid enim Moyse mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, et tamen irascentem Dominum pro eisdem suis persecutoribus rogat, seque pro illis divino furori objicit, quia in sancto ejus pectore etiam ex persecutione charitas ignescit (**Exod. XXXII, 32**)? Cum contra adversa mundi formare mentis constantiam nitimur, praecedentium consideratione fulcimur. Quid enim Josue constantius, qui ad explorandam gentium qualitatem missus, nec proceritatis magnitudinem, nec numerositatis multitudinem expavit. Unde et easdem gentes, quas explorando non timuit, etiam praeliando prostravit (**Josue X, 7**). Cum benignitatis culmen apprehendere conamur, praecedentium exemplis instruimur. Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi populi dejectus, successorem sibi humiliter requirit, inventumque ungit in regem, unctum mox patitur persecutorem (**I Reg. X; XII, 1**). A quo ne moriatur, trepidat; et tamen ne ei Dominus irascatur, rogat. Ipse quippe cum

mitteretur, ait: *Audiet Saul, et interficiet me (I Reg. XVI, 2)*. Et ei per semetipsam Veritas dicit: *Quousque tu luges Saulem, cum ego abjecerim eum (Ibid., 1)*? Quid ergo isto viro benignius dici potest, qui et hunc non vult divinitus percuti a quo formidat occidi? Cum ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, praecedentium exemplis levamur. Quid enim David misericordius, quid humiliter dici potest, qui a rege reprobo pro victoriis contumelias recepit, qui de manu hostili Israeliticam gentem fortis eripuit, et tamen ipse ne moriatur quasi debilis fugit (**I Reg. XVII, 18, 19**); qui et se electum divino iudicio, et persecutorem suum reprobum agnoscit, et tamen eidem persecutori suo crebrae satisfactionis humilitate se subicit, qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detruncat, atque ad cacumen montis protinus properat, et uno eodemque tempore quia **861** occidendi potestatem habuerit ostendat, et ne occidatur rogat?

18. *More nubium extensa super nos illorum sanctorum vita legimur.*---Quia ergo in cunctis quae spiritaliter appetimus exemplis praecedentibus informamur, bene de his nubibus dicitur: *Quae praetexunt cuncta desuper*. More enim nubium extensa super nos patrum vita tegimur, ut ad fructum fecundi germinis infundamur. Et quasi intuentes coelum prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus, et post illa quae sunt coelestia experiendo penetramus. Sed quia nequaquam harum nubium, id est antiquorum patrum, vita nobis virtusque patesceret, nisi eam nubes aliae, id est sancti apostoli lumine suae praedicationis aperirent, ad has nubes quae praedicando mundum circumeunt sermo redeat, et quid per illas Dominus in mundo egerit ostendat. Sequitur:

CAPUT XI [*Rec. VI*].

VERS. 29, 30.---*Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.*

19. *Sancti Dei tentoria sunt, in quibus apud nos habitat et ambulat. Paulo Romam petente, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus.*---Extendit nubes Dominus, dum ministris suis viam praedicationis aperiens, eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. Bene autem dictum est: *Quasi tentorium suum.* Tentorium quippe in itinere poni solet. Et cum praedicatores sancti in mandum mittuntur, iter Deo faciunt. Unde scriptum est: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te* (**Malac. III 1**). Et unde rursum per Psalmistam dicitur: *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (**Psal. LXVII, 5**). Et rursum: *Deus, cum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris per desertum, terra mota est* (**Ibid., 8**). Deus enim, qui per semetipsum non localiter ubique est, per praedicatores suos in mundi partes localiter ambulat. Unde etiam per prophetam dicitur: *Et inambulabo in eis* (**Levit. XXVI, 12; II Cor. VI, 16**). Iter quippe per eos agit, dum humanis cordibus eorum se eloquio infundit. Atque in hoc itinere tentoria Dei sunt haec eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per haec ad mentes hominum veniens, agit quae disposuit, et non videtur. [*Vet. VIII.*] Hinc est quod simul omnis synagoga tentorium vocatur, cum cessasse a praedicatione sacerdotes Dominus per

Jeremiam queritur, dicens: *Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas* (**Jerem. X, 20**). Hinc rursum de exterminatione ejus dicitur: *Dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum* (**Thren. II, 6**). Quia enim in unius populi cultu tunc Dominus inter homines latuit, eundem sibi populum tentorium vocavit. Unde et recte nunc nubes istae ejus tentorium dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens, intra praedicatorum suorum mentes operitur. An Paulus ejus tentorium non erat, cum a Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum ad corda mortalium veniens, in ejus mente Dominus quiescebat (**Rom. XV, 19**)? Nubes quippe erat hominibus, tentorium Deo, quia quem praedicando, infundebat audientibus, hunc invisibiliter in mente retinebat. Idem rursus dum catenis vinctus Romam peteret Paulus occupaturus mundum, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus (**Act. XXVIII, 15**), quia et occultus videri non poterat, et per verba praedicationis proditus iter inchoatae gratiae sine cessatione peragebat. Nubes ejus Moyses exstitit, cum priusquam plebi Israeliticae ducatum praeberet, quadraginta annis in deserto **862** permanens, et sublimia appetens, a conversatione populi segregatus vixit. Sed tentorium Dei factus est, cum ad revocandum populum in Aegyptum missus ibat (**Exod. III, 10**), portans invisibilem in corde veritatem, cum omnipotens Deus, qui patescebat in opere, latebat in corde. Et ubique praesens omnia continens, iter in suo famulo in Aegyptum veniens faciebat. Unde scriptum est: *Ivit Deus in Aegyptum, ut redimeret sibi populum* (**Exod. XV, 13, sec. LXX**). Ecce ire dicitur, per cujus incircumscriptionem praesentiam cuncta continentur, quia is qui ubique ex maiestate est quasi in via gressus ponit ex praedicatione.

20. *Deus per sanctos fulgurat, cum edit miracula. Haec in praedicatoribus necessaria.*---Sed eisdem sanctis praedicatoribus nequaquam ad persuadendum verba sufficiunt, nisi etiam miracula addantur. Unde cum dictum sit: *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum*, recte subjungitur: *Et fulgurare lumine suo desuper*. Quid enim sentire fulgura, nisi miracula debemus? de quibus per Psalmistam dicitur: *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos* (**Psal. CXLIII, 6, sec. LXX**). Per has ergo nubes lumine suo desuper fulgurat, quia per praedicatores sanctos insensibilitatis nostrae tenebras etiam miraculis illustrat.

21. *Extremorum etiam terminorum mundi conversio. Britannia fidei subdita.*---Cumque nubes istae verbis pluunt, cumque miraculis vim coruscae lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos in divinum amorem convertunt. Unde recte subditur: *Cardines quoque maris operiet*. Quod faciendum quidem Eliu vocibus audivimus, sed auctore Deo jam factum cernimus. Omnipotens enim Dominus coruscantibus nubibus cardines maris operuit, quia emicantibus praedicatorum miraculis, ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim pene cunctarum jam gentium corda penetravit; ecce in una fide Orientis limitem Occidentisque conjunxit; ecce lingua Britanniae, quae nil aliud noverat, quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebraeum coepit Alleluia resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus servit Oceanus, ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant; et qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas

timet. Quia enim perceptis coelestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinae cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prava agere metuat, ac totis desideriis ad aeternitatis gratiam pervenire concupiscat. Unde hic quoque convenienter adjungitur:

CAPUT XII.

VERS. 31.---*Per haec enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus.*

22. *Per eosdem praedicatores nubibus designatos, et terror infligitur, et esca datur.*---Per haec nimirum verba praedicatorum, id est guttas nubium, per haec fulgura miraculorum Deus populos judicat, quia eorum corda territa ad poenitentiam vocat. Nam dum superna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda sua redeunt, et se de anteactis pravitatibus affligentes, aeterna tormenta pertimescunt. Sed per easdem nubes per quas terror infligitur, etiam esca datur, quia magna praedicatorum dispensatio est, ut sic sciant superbientium mentes affligere, ut etiam afflictas noverint consolationis eloquio nutrire, quatenus et peccantes de aeternis suppliciis terreant, et poenitentes de superni regni gaudiis pascant. Unde bene ipse **863** dispensationis ordo servatus est, ut ordinate Eliu diceret quod per has nubes prius judicat populos, et postmodum escas praebet, quia nimirum omnipotens Deus per praedicatores suos prius nos de prava actione corripiens concutit, et postmodum per spem consolans nutrit. Si enim divina dispensatio per has nubes iudicium

modo non ageret, nequaquam eisdem nubibus dixisset: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (**Joan. XX, 22**). Et rursum, si per eas jejuna nostra corda non pasceret, nequaquam de esurientibus populis discipulis Dominus diceret: *Date illis vos manducare* (**Matth. XIV, 16**). Quod sic tunc eorum manibus factum credimus, ut hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus. Quid enim agit Petrus, cum per epistolas loquitur, nisi ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur? Quid Paulus, quid Joannes per epistolas loquentes operantur, nisi ut mentes nostrae coelestia alimenta percipiant, et inediae suae fastidium quo moriebantur vincant? Dicatur ergo: *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per haec enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus*. Ac si aperte diceret: Si sanctos suos in ministerium praedicationis extendit, eorumque verba miraculis adjuvat, totius mundi limites ad fidem vocat, per quae et prius superbientes judicat, et post per verbum consolationis nutriens in spe humiles roborat.

[*Vet. IX.*] 23. *Non omnibus fides datur.*---Sed cum escas dare mortalibus diceret, notandum quod non ait, omnibus, sed multis, quia vid licet scriptum est: *Non omnium est fides* (**II Thess. III, 2**). Et quibusdam dicitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (**Joan, VIII, 47**). Et rursum: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (**Joan. VI, 44**). Et rursum: *Novit Dominus qui sunt ejus* (**II Tim. II, 19**). Unde in ipsa quoque sancta Ecclesia plurimi fidem tenent, et vitam fidei non tenent; humilitatis dominicae sacramenta percipiunt, sed humiliari dominica

imitatione contemnunt; blanda divini eloquii praedicamenta communicant, sed apud se immanes in timore perseverant. Unde hic quoque, postquam per cardines maris aggregatae Ecclesiae latitudo signata est, apte subiungitur:

CAPUT XIII [*Rec. VII*].

VERS. 32.--- *Immanibus abscondit lucem.*

24. *Superbientibus veritatis cognitio denegatur.*---Immanes quippe sunt, qui se elatis cogitationibus extollunt. Quos contra per Isaiam dicitur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (**Isai. V, 21**). Quos contra etiam Paulus ait: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (**Rom. XII, 16**). Sed his immanibus lux absconditur, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Unde per semetipsam Veritas dicit: *Confiteor tibi, Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (**Matth. XI, 25**): sapientes et prudentes videlicet superbientes vocans. Qui enim non subjunxit: Revelasti ea stultis, sed parvulis, tumorem se damnasce innotuit, non acumen. Unde et alias dicitur: *Custodiens parvulos Dominus* (**Psal. CXIV, 6**). Atque ut ostendatur haec eadem parvitas quid vocatur, adjungitur: *Humiliatus sum, et liberavit me* (**Ibid., 6**). Quia ergo sunt multi in Ecclesia, qui **864** parvuli esse despiciunt, etiam in humilitatis loco immanes apud se esse minime desistunt. Hos plerumque videas honoribus extolli, voluptatibus perfrui, rerum multiplicitate dilatari. Hi saepe

nil praecipue nisi praeesse caeteris appetunt, a multis timeri gratulantur; recte vivere negligunt, et rectae vitae famam habere concupiscunt; adulationes quaerunt, favoribus intumescunt. Et quia in rebus sibi copiose praesentibus prompti sunt, ventura gaudia non requirunt. Cumque eos multiplex actio occupat, etiam a semetipsis alienos demonstrat [*Vet. X*]. Et tamen si qua fidei tentatio exsurgat, quia in ea saltem specie tenus continentur, hanc verbis, hanc laboribus defendunt, et patriam coelestem vindicant, nec tamen amant.

25. Multi pro repromissionis terra pugnant, quam minime tamen diligunt. Exemplum Gaditarum et Rubenitarum.--- Quos bene apud Moysen filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse exprimunt, qui multa pecora et jumenta possidentes, dum extra Jordanem ea quae viderant campestria concupiscunt, in repromissionis terra haereditatem habere noluerunt, dicentes: *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regionis uberrimae est ad pastum animalium; et nos servi tui habemus jumenta plurima precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem (Num. XXXII, 4).* Qui igitur jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiant, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem coelestis patriae non requirunt. Sed ipsa eos quam specie tenus tenent, fides increpat, ne otii delectatione torpescant, atque exemplo suo alios a laboris tolerantia, et studio longanimitatis frangant. Unde eis per Moysen dicitur: *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? Cur subvertitis mentes filiorum Israel (Ibid., 7)?* Sed quia erubescunt non defendere quod

confitentur, pro eadem fide quam professi sunt, ad certamen properant, eamque non sibi, sed proximis vindicant. Unde et ad Moysen dicunt: *Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulisque nostris urbes munitas; nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad praelium ante filios Israel (Ibid., 16)*. Qui mox fortes pro aliis veniunt, et repromissionis terram ab hostibus liberant, et relinquunt; atque ad pascenda armenta extra Jordanem redeunt. Multi quippe quamvis fideles, curis praesentibus occupati, quasi armenta extra Jordanem pascunt, quia contra fidem baptismatis tota mente omnique desiderio rebus perituris inserviunt. Qui tamen ut, diximus, cum fidei tentatio oritur, defensionum armis accinguntur. Hostes fidei superando trucidant, et haereditatem terrae repromissionis, id est fructum fidei non amant; sicque pro illa pugnant, ut tamen sua pignora extra illam deponant. Quia enim parvulos foris habent, affectum in ejus habitatione non habent. Unde ad campestria redeunt, quia ab altis cacuminibus montium quasi a spe coelestium dilabuntur, ut extra repromissionis terram bruta animalia nutrant, quia ad pascendos variis desideriis irrationabiles animi motus elaborant, quia aeternae lucis quanta sit claritas nesciunt qui transitoriis occupationibus obcaecantur; et dum de terrenis rebus superbiunt, coelestis sibi luminis aditum **865** claudunt.

[*Vet. XI.*] Unde recte nunc dicitur: *Immanibus abscondit lucem*. Sed tamen aliquando hos immanes superna gratia respicit, atque ipsis rerum abundantium occupationibus affligit, eorumque prosperitatibus adversas quidem, sed utiles tribulationes interserit, ut contristati ad cor redeant, atque in

perituris rebus quam inaniter occupentur agnoscant. Unde hic quoque postquam subtracta lux dicitur, apte subjungitur:

CAPUT XIV.

IBID.---*Et praecipit ei ut rursus adveniat.*

26. *Veritatis lumen, quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis et humiliatis revelatur.*---Quia veritatis lumen, quod elatis occupatisque mentibus absconditur, afflictis humiliatisque revelatur. Lex quippe advenit, cum afflicta mens ipsas quas de perituris rebus tribulationum tenebras tolerat agnoscit, quia nisi aliquid ex lumine interno perciperet, nec hoc ipsum quia lumen perdiderat videret. Quod intelligi specialiter etiam de Judaeis potest, qui idcirco Redemptori nostro in carne venienti contradicere ausi sunt, quia apud semetipsos immanes exstiterunt. Sed his immanibus lux absconsa est, quia superbi lumen veritatis dum persequuntur, amiserunt. Sed quia in fine mundi ad fidem recipiendi sunt, recte subjungitur: *Et praecipit ei ut rursus adveniat.* Unde etiam per Isaiam dicitur: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae salvae fient (Isai. X, 22).* Tunc quippe ad eos lux revertitur, cum ipsi ad confitendam Redemptoris nostri potentiam revertuntur.

27. *Deus, ut vult, lumen aut abscondit, aut revelat.*---Si autem *in manibus*, nequaquam per dativum casum unum nomen, sed duas partes orationis accipimus; potest intelligi, quia in manibus lux absconditur, cum apud rectum iudicem iniqui quique in suis operibus caecantur. Cui tamen

praecipitur ut rursus adveniat, quia dum peccatores se suis viribus salvari non posse cognoverint, gratiae lumen accipiunt, et protectionis intimae radiis illustrantur, ut majore ardore postmodum coelestem patriam diligant, quam prius in terrena delectatione flagrabant. Sed haec cum de coelesti patria loquimur, cui inesse mira claritate praedita angelorum agmina audimus, cui rerum omnium conditor praesidet, quam visione sua reficiens replet, cui vera haereditas lux est et defectus ejusdem luminis nullus est, ad nosmetipsos mentem reducimus, et quod terrena gestemus membra cogitamus, pensamus quod, nati in tenebris atque a radiis intimae lucis alieni, tanto nequius viximus quanto, rebus corporalibus dediti, a spiritualibus longius degebamus. Qua consideratione permotum cor ac male sibi conscius trepidat, et tantae illius quam audit patriae civem se fieri posse desperat. Unde hic quoque apte subjungitur, quo mens pavida ad fiduciam reducatur. Nam de hac luce mox subditur:

CAPUT XV [*Rec. VIII*].

VERS. 33.---*Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.*

28. *Hominibus pene desperantibus coelestem gloriam promittit Deus.*---Amicus veritatis est rectae amator actionis. Unde et ipsa Veritas discipulis dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis (Joan. XV, 14).* Amicus quippe animae custos dicitur. Unde non immerito qui custodire voluntatem Dei in praeceptis illius nititur, ejus

amicus vocatur. Hinc est quod rursum eisdem discipulis Veritas dicit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (**Ibid., 15**). De hac igitur luce aeternae patriae amico suo **866** Deus annuntiat quod possessio ejus sit, ut nequaquam se infirmitatis suae fragilitate desperet, nequaquam hoc quod creatus, sed quod recreatus est penset, sed tanto certius sciat quia illius lucis claritatem possideat, quanto nunc vitiorum pulsantium tenebras verius calcet. Bene autem in promissione subjungitur: *Et ad eam possit ascendere*. Quid enim difficilius quam homini in terra edito terrena et fragilia membra gestanti, coelorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare?

29. *Christus pacem inter angelos et homines composuit. Aequales nos angelis fecit.*---Sed eorundem spirituum ad nos conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit, sicut de illo Patri per Prophetam dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (**Psal. VIII, 6**). Et quia inter nos et eosdem spiritus discordantis vitae scandalum reperit, mira potentia, mirabili etiam pietate summa creans, ima suscipiens, ima cum summis junxit. Hinc est quod eodem Rege nato, angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, et devicta pravae vitae discordia, hos quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore praedicantes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (**Luc. II, 14**). Ac si aperte dicant: Quos a nobis malitia disjunxerat, jam nunc in terra nata bonitas jungat. Hinc est quod ante incarnationem ejus in Testamento veteri adorasse homo angelum legitur, nec tamen adorare prohibetur (**Genes. XVIII, 2**); sed post Mediatoris

adventum, cum se Joannes adorando angelo prostravisset, audivit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum* (**Apoc. XIX, 10; XXII, 9**). Quid est enim quod prius aequanimiter se concedebant adorari, post ab homine angeli recusant, nisi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemptum, quo abjectionem noverant, justius contemnebant; postmodum vero humanam naturam eo jam subjectam habere non poterant, quo hanc in auctore suo etiam super semetipsos ductam videbant? Neque enim jam debebat in membris subjecta despici, quae in ipso membrorum capite meruit praelata venerari. Is ergo qui propter nos minor angelis exstitit aequales non angelis virtute suae minorationis fecit. Unde et moriendo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidi, ascendendo de coelestis patriae haereditate gloriari, ut quo caput praeisse conspiciunt, illuc se subsequi et membra gratulentur. Unde bene ab eodem nostro capite dicitur: *Ubicunque corpus fuerit, illuc congregabuntur et aquilae* (**Matth. XXIV, 28**). Unde Petrus ait: *In haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in coelis* (**I Pet. I, 4**). Unde Paulus dicit: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis* (**II Cor. V, 1**).

30. *Solus Christus coelum ascendit, quod solis ejus membris patet.*---Sed si nos quoque, qui editi in terra sumus, coelum conscendimus, ubi est quod rursum Veritas dicit: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, Filius hominis qui est in coelo* (**Joan. III, 13**)? Cui nimirum sententiae statim obviat quod haec eadem Veritas dicit: *Pater, volo ut ubi ego*

sum, et illi sint mecum (Joan. XVII, 24). Quae sibi in verbis suis non discrepat, sed ad inquirenda haec quasi discordantia studium nostrae mentis inflamat. Omnes enim nos qui in ejus fide nati sumus, **867** ejus procul dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum Dominus caput factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est etiam nobiscum. *Nemo igitur ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo (Joan. III, 13),* quia dum nos unum cum illo jam facti sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis; et is qui in coelo semper est, ad coelum quotidie ascendit, quia qui divinitate super omnia permanet, humanitatis suae compage sese quotidie ad coelos trahit. Non ergo se desperet humana fragilitas, unigeniti sanguinem consideret, et in pretio suo conspiciat quam magna est quae tanti valet. Perpendat sollicite quo caput praecessit, et quae ad vivendum praeceptis astringitur, ad sperandum exemplo roboretur; confidat coelos, speret supernam patriam, angelorum se sociam sciat, atque in suo capite praelatam se etiam angelis gaudeat. Dicatur igitur recte de hac luce aeternae patriae: *Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. [Vet. XII.]* Sed valde mira sunt ista, valde terribilia, quod homo in terra editus, atque a coelesti patria exigentibus meritis longe damnatus, non solum ad statum conditionis reducitur, sed etiam gloriosius exaltatur, ut qui paradisum perdidit coelum recipiat; et non solum hunc debiti sui reatus non teneat, sed huic post culpam dona cumulatus excrescant, ut ille contemptor Dei, ille imitator diaboli, si ad fructum poenitentiae redeat, usque ad celsitudinem contemplandae intimae lucis ascendat. Cujus itaque cor non in hujus pietatis

admiratione exsiliat? Cujus torpor non in sublevatione tantae considerationis expavescat? Unde et apte subjungitur:

CAPUT XVI [*Rec. IX*].

CAP. XXXVII, VERS. 1.---*Super hoc expavit cor meum, et motum est de loco suo.*

31. *Considerata aeternae patriae luce, mens in ecstasim rapitur.*---Quia pavor dum mentem percutit, hanc a semetipsa alienam reddit, nonnunquam Latini interpretes ecstasim pavorem vocant, sicut per Psalmistam dicitur: *Ego dixi in pavore meo, projectus sum a vultu oculorum tuorum (Psal. XXX, 23)*. Ubi videlicet non pavor, sed excessus dici poterat; sed pavor illic pro excessu ponitur, quia sicut in excessu, ita in pavore alienatur animus. Unde hic quoque considerata luce aeternae patriae, recte subjungitur: *Super hoc expavit cor meum*. Ac si dicat: In admirationis excessu se transtulit, et quia novae spei spiritu mens afflata est, semetipsam qualis in vetusta cogitatione fuerat reliquit.

32. *Cor, terrenis despectis, ad sola coelestia suspirat.*---Bene autem dicitur: *Et motum est de loco suo*. Locus quippe humani cordis est delectatio vitae praesentis. Sed cum divina aspiratione tangitur locus nostri cordis, fit amor aeternitatis. Consideratione igitur aeternae patriae de loco suo animus movetur, quia derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Prius enim quae essent aeterna nesciebat, in

praesentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens amore transeuntia tenebat. Sed postquam quae essent aeterna cognovit, postquam supernae lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla jam ei nisi quae aeterna sunt libeant, et, despectis transeuntibus, sola quae permanent, requirat. Bene ergo dicitur: *Super hoc expavit* **868** *cor meum, et motum est de loco suo*, quia pigrum cor, et terrenis dudum cogitationibus deditum, cum repente per excessum se ad summa suspendit, cogitationis infimae locum mutavit. Sed quia per semetipsam in amore praesentis saeculi prostrata mens dormitat, et nisi divinae gratiae aspiratione pulsetur, in suis delectationibus frigida insensibilisque torpescit, necesse est ut quomodo interna cogitatione tangatur, vel qualiter ad spiritalia sensificetur, adjungat. Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. XIII, Rec. X*].

VERS. 2.---*Audiet auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem.*

33. *Deus prius timore judicii nos castigat, postea coelestis dulcedinis consolatione reficit.*---Mos sacri eloquii est ut cum audire aliquid per auditum insinuat, audiri eundem auditum dicat, sicut Habacuc ait: *Domine, audivi auditum tuum, et timui* (**Habac. III, 1**). Unde hic quoque dicitur: *Audiet auditionem in terrore vocis ejus*. Notandum vero est quod vox Dei non in gaudio, sed in terrore audiri perhibetur, quia nimirum peccator quisque dum sola quae terrena sunt cogitat,

dum cor oppressum infimis cogitationibus gestat, si repente divinae gratiae aspiratione tangitur, hoc ante omnia intelligit, quod cuncta quae agit districta aeterni iudicis animadversione puniantur. Auditio igitur vocis Dei prius in terrore fit, ut postea vertatur in dulcedinem, quia ante nos districti iudicii timore castigat, ut jam castigatos supernae dulcedinis consolatione reficiat. Nam cum nos violenta rerum temporalium delectatio possidet, et mentis nostrae oculos in somno torporis premit, si manu subita superni respectus excitamur, diu clausos mox eosdem ad veritatis lucem oculos mentis aperimus, quae egimus mala meminimus, quam districtus iudex contra haec veniat videmus: versatur mente quantus ille sit tanti iudicis adventus, quae tunc illa sit hominum angelorumque frequentia, quanta vi contra reprobos et ardentia pugnent elementa, quam terribiliter aeterna prodeat de districti iudicis ore sententia, qua reprobis dicitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* (**Matth. XXV, 41**). Eorundem poena reproborum ante oculos volvitur, et quae sint gehennae tenebrae, cum gravi amaritudinis obscuritate pensatur. Quia ergo superbum cor prius terrore concutitur, ut concussum in amore solidetur, recte nunc dicitur: *Audiet auditionem in terrore vocis ejus*. Ubi et bene subjungitur: *Et sonum de ore illius procedentem*

34. *Utrumque praestat spiritus sanctus de ore Domini procedens.*---Sonus de ore Dei est vis timoris de superna irruens aspiratione, quia cum nos de venturis Dominus aspirando replet, procul dubio de male gestis praeteritis terret. Potest autem per os Dei, unigenitus designari

Filius, qui sicut brachium ejus dicitur, quia per eum cuncta Pater operatur, de quo propheta ait: *Et brachium Domini cui revelatum est (Isai. LIII, 1)*? de quo Joannes dicit: *Omnia per ipsum facta sunt (Joan. I, 3)*; ita etiam os dicitur. Hinc est enim quod propheta ait: *Os enim Domini locutum est haec (Isai. LVIII, 14)*. Per quem nobis omnia loquitur, ac si oris nomine patenter diceretur verbum, sicut nos quoque pro verbis linguam dicere solemus, ut cum Graecam, vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Graeca verba monstramus. Os ergo Domini non immerito ipsum accipimus. **869** Unde et ei sponsa in Canticis canticorum dicit: *Osculetur me osculo oris sui (Cant. I, 1)*. Ac si dicat: Tangat me dulcedine praesentiae unigeniti Filii redemptoris mei. [*Vet. XIV.*] Per sonum vero oris potest ejusdem Domini sanctus Spiritus designari. Unde et alias in ejusdem Spiritus significatione scriptum est: *Factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis (Act. II, 2)*. Sonus igitur de ore Domini procedit, cum consubstantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens, surditatem nostrae insensibilitatis rumpit, sicut de eodem sono incircumscripto atque incorporeo os Domini loquitur, dicens: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis (Joan. XVI, 15)*. Potest ergo et per terrorem vocis vis formidinis, et per sonum oris dulcedo consolationis intelligi, quia quos Spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, et postmodum spe coelestium consolatur, ut tanto post confidendo de praemiis gaudeant quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Hinc est quod de unigeniti Spiritu quasi de hoc oris sono Paulus dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater (Rom. VIII, 15)*. Hinc per semetipsam Veritas

dicit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (**Joan. XX, 22**). Ecce conversorum terror vertitur in potestatem, quia dum mala sua poenitendo puniunt, usque ad exercendum iudicium ascendunt; ut hoc in Deo posse accipiant, quod prius de Deo ipsi metuebant. Iudices quippe fiunt qui supernum iudicium perfecte timuerunt, et aliena jam peccata incipiunt dimittere qui prius formidaverant ne retinerentur sua. Sed quia hoc ipsum iudicium quod spiritaliter agitur modo a carnalibus non videtur, sunt nonnulli qui Deum res humanas curare non aestimant, et eas ferri fortuitis motibus putant. Contra quos recte subditur:

CAPUT XVIII [*Rec. XI*].

VERS. 3.---*Subter omnes coelos ipse considerat, et lumen illius super terminos terrae.*

35. *Dei erga summa et infirma providentia.*---Ac si aperte diceretur: Qui summa regit, etiam extrema non deserit, quia sic impenditur maximis, ut tamen haec eadem cura regiminis non praepediatur a parvis. Qui enim ubique praesens, et ubique aequalis est, etiam in dissimilibus sibi ipsi dissimilis non est. Aequae ergo omnia respicit, aequae cuncta disponit, qui in omnibus locis praesens, nec localiter tenetur, nec varia curando variatur. Si autem coelos sanctos praedicatores accipimus, Propheta attestante qui ait: *Coeli enarrant gloriam Dei* (**Psal. XVIII, 1**), postquam per sonum oris adventus

Spiritus sancti designatur, recte subjungitur: *Subter omnes coelos ipse considerat, et lumen illius super terminos terrae.*

36. *Miracula cur in Ecclesiae exordiis concessa.*---Sunt namque nonnulli qui cum mira apostolorum opera audiunt, quod accepto Spiritu sancto mortuos verbo suscitarent, ab obsessis daemonia pellerent, umbra infirmitates amoverent (**Act. V, 12, seq.**), ventura quaeque prophetando praedicerent, et unigenitum Verbum Dei, omnium gentium loquentes lingua, praedicarent (**Act. II, 4**), quia has virtutes nunc in Ecclesia non vident, subtractam jam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare quod scriptum est: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* (**Psal. IX, 10**). Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum **870** adiutoriis indiguit, cum eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis et illa per multos cum opportunitas exigit ostendat. Scriptum quippe est: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (**I Cor. XIV, 22**). Ubi ergo omnes fideles sunt, quae causa exigit ut signa monstrentur? Unde citius fortasse satisfacimus, si quid de ipsa apostolica dispensatione memoremus.

37. *Signa non fidelibus, sed infidelibus data.*---Paulus namque egregius praedicator Melitem veniens, et plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum, orando salvavit (**Act. XXVIII, 8**), et tamen aegrotanti Timotheo praecepit, dicens: *Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates* (**I Tim. V, 23**). Quid est, Paule, quod aegrum infidelem orando ad salutem revocas, et tantum adiutorem Evangelii more

medici per alimenta curas, nisi quod idcirco fiunt exteriora miracula ut mentes hominum ad interiora perducatur, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur ea quae admirabiliora sunt invisibilia credantur? Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat, ut mente revivisceret, dum miraculo ad salutem rediret; Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, quia jam totus intus vivebat. Quid est ergo mirum si, propagata fide, crebro miracula non fiunt, quando haec ipsi quoque apostoli in quibusdam jam fidelibus non fecerunt? [*Vet. XV.*] Elevatis ergo coelis, Dominus inferiora considerat, quia et ablatis summis praedicatoribus, incessanter etiam infima nostrae infirmitatis curat. Et quasi subter coelos lumen illius, terminos respicit, quia post sublimem vitam praecedentium etiam peccatorum mores actusque gratiae suae illustratione comprehendit. Qui etsi virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exerit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit. Potest etiam lumen illius super terminos terrae ita intelligi, quod praedicatio supernae gratiae dum gentes ad fidem colligit, intra semetipsam mundi limites clausit.

38. *Divinae gratiae miraculum in conversione peccatorum in extremis positorum.*---Vel certe termini terrae. sunt fines hominum peccatorum. Et saepe contingit ut plerique Deum deserant, et vitae suae tempora in desideriis carnalibus expendant; sed tamen superna gratia respecti in extremis suis ad Deum redeunt, quae sint iudicia aeterna cognoscunt, cunctaque quae se perverse egisse meminerint, fletibus puniunt, atque haec vere se insequi rectis operibus ostendunt. Quibus subsequente iustitia, profecto totum dimittitur quod ante deliquerunt. Hinc enim per prophetiae spiritum Anna

dicit: *Dominus judicabit fines terrae* (**I Reg. II, 10**), quia nimirum anteactam vitam Deus non judicat, quando posteriora peccatorum respectu supernae pietatis illustrat. Hinc Moyses ait: *Primogenita asini mutabis ove* (**Exod. XIII, 13**). Per asinum quippe immunditia, per ovem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita ove mutare, est immundae vitae primordia in innocentiae simplicitatem convertere, ut postquam illa peccator egit, quae ut immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat, quae Dei sacrificio imponat. Quia ergo post prava opera peccator convertitur, et ab actionum suarum tenebris juxta finem aliquando revocatur, recte nunc dicitur: **871** *Et lumen illius super terminos terrae*. Sed gravi luctu afficit eadem gratia, quae post facinora mentem replet. Nam male gesta ad memoriam reducit, sibique hominem quam sit juste damnandus ostendit. Unde fit ut peccatum omne quod se egisse reminiscitur, quotidianis fletibus insequatur; et quo magis valet jam quod justum est cernere, eo ardentius appetit injustum sese gemitibus punire. Unde apte subjungitur:

CAPUT XIX (*Rec XII*).

VERS. 4.---*Post eum rugiet sonitus.*

39. *Afflante et lucente gratia, poenitentiae gemitus et rugitus audiuntur.*---Quem enim Dominus illustrando repleverit, ejus vitam proculdubio in lamentum vertit; atque illuminatae menti quo magis aeterna supplicia insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat; et dolet homo quod fuit,

quia bonum jam incipit videre quod non fuit; odit qualem se fuisse meminit, amat qualem se esse debuisse cognoscit, et solam jam poenitentiae amaritudinem diligit, quia caute considerat in quantis voluptatibus sua delectatione peccavit. Bene ergo dicitur: *Post eum rugiet sonitus*, quia cum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio quod mox poenitentiae gemitus sequatur, ut ei jam salubriter flere libeat, quae prius de iniquitatibus flenda jucunditate gaudebat. [*Vet. XVI.*] Sed quo uberius culpa fletur, eo altius cognitio veritatis attingitur, quia ad videndum internum lumen polluta dudum conscientia lacrymis baptizata renovatur. Unde post poenitentiae rugitum apte subjungitur:

CAPUT XX [*Rec. XIII*].

IBID.---*Tonabit voce magnitudinis suae.*

40. *Vox Dei torpentem peccatorem excitans, tonitruum similis.* --Voce enim magnitudinis suae Deus tonat, cum se nobis bene jam per lamenta praeparatis quam sit magnus in supernis insinuat. Quasi enim de coelo tonitrus procedit cum nos incuria negligentiaque torpentes respectus gratiae pavore subito percutit, atque in terra positi sonum de superioribus audimus, quia terrena cogitantes superni terroris sententiam repente pertimescimus, et mens bene jam de summis sollicita trepidat, quae prius in infimis male secure torpebat. Sed istius visitationis occultae quibus modis se nobis insinuet terror ignoratur; neque ipsius mentis acie comprehenditur, cujus ad melius intentio commutatur. Unde apte subjungitur:

CAPUT XXI.

IBID.---*Et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.*

41. *Quibus modis haec vox se in aures cordis insinuet ignoratur.*---Vox Domini auditur cum gratiae ejus aspiratio mente concipitur, cum insensibilitas occultae surditatis rumpitur, et cor ad studium summi amoris excitarum virtutis intimae clamore penetratur. Sed istam vocem supervenientis Spiritus, quae se in aures cordis insinuat, nec ipsa mens quae per hanc illustrata fuerit investigat. Pensare enim non valet invisibilis virtus quibus sibi meatibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat. Unde et bene per Joannem dicitur: *Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, et quo vadat (Joan. III, 8).* Vocem enim spiritus audire, est vi compunctionis intimae in amorem invisibilis conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora praedicantium quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit quo vadat, quia cum unam praedicationem multi audiunt, intelligi proculdubio **872** non potest quem deserens abjiciat, aut cujus ingrediens in corde requiescat. Una quippe res foris agitur, sed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur, quia qui invisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat. Hinc est quod resuscitato Lazaro quidam crediderunt, sed tamen Judaeorum plurimi ad persecutionis zelum ex hac ipsa resuscitatione commoti sunt (**Joan. XI, 45**). Unum ergo idemque quae miraculum quod aliis lumen fidei praebuit, alios per invidiae tenebras a

lumine mentis excaecavit. Hinc est quod uterque latro et eandem et suae morti similem mortem Redemptoris vidit (**Luc. XXIII, 39**); sed eum superbiendo alter contumeliis lacessere non timuit, quem timendo alter honoravit; atque in una re una utriusque cogitatio non fuit, quia hanc internus arbiter invisibiliter modificando distinxit. Sed hi occultae aspirationis modi, quia comprehendi nostra cogitatione nequeunt, nimirum divinae vocis vestigia nesciuntur. Bene ergo dicitur: *Et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus*. Unde et adhuc subjungitur:

CAPUT XXII.

VERS. 5.---*Tonabit Deus voce sua mirabiliter.*

42. *Mirabiliter sonat Deus, quia silenter et occulta vi coelesti simul cibo reficit.*---Voce sua Deus mirabiliter tonat, quia occulta vi corda nostra incomprehensibiliter penetrat. Quae dum latentibus motibus premit in timore, et format in amore, quanto ardore sequendus sit aliquo modo silenter clamat, et fit cujusdam impulsione nimietas in mente, cum nihil sonet in voce. Quae tanto apud nos valentius perstrepat, quanto et ab omni exteriori strepitu aurem nostri surdescere cordis facit. [*Vet. XVII.*] Unde et anima ad semetipsam mox hoc intimo clamore collecta miratur quod audit, quia vim compunctionis incognitae percipit. Cujus ipsa admiratio bene apud Moysen manna desuper veniente signatur (**Exod. XVI, 15**). Dulcis enim cibus qui de supernis accipitur manhu vocatur. Manhu enim dicitur *Quid est hoc?* Et quid est hoc dicimus, quando

hoc quod cernimus nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cum per vocem compunctionis elevata novam speciem internae refectionis obstupescit, ut divina dulcedine repleta jure respondeat, *Quid est hoc?* quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea quae de supernis conspicit insolite miratur. Et quia cum hac voce torporis nostri surditas rumpitur, vetustae vitae protinus usus mutatur, ut anima superno spiritu afflata, et in summis appetat quae contempserat, et contemnat in infimis quae appetebat, recte subjungitur:

CAPUT XXIII.

IBID.---*Qui facit magna et inscrutabilia.*

43. *Mira et stupenda in peccatoris conversione Deus operatur.*---Ut enim homo terrenis usibus deditus, iniquis desideriis pressus, subito ad nova efferveat, atque ad consueta frigescat, exterioribus curis renuntiet, in internis contemplationibus anhelet, quis hanc virtutem supernae vocis considerare sufficiat? quis considerando comprehendat? Magna sunt quae per vocem suam Dominus facit, sed minus magna essent si perscrutari potuissent. *Facit ergo magna et inscrutabilia*, quia ostendit foris perfectionem operis, sed latet intus ipsa qualitas operationis. Voce sua foris etiam per apostolos insonat, sed corda audientium per seipsum interiorius illustrat, **873** Paulo attestante qui ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I*

Cor. III, 6). Quamvis ergo nostris mentibus supernae vocis auditum non ipsi praebeant, missi tamen sunt, ut verbis nobis exterioribus condescendant. Unde apte subjungitur.

CAPUT XXIV [*Rec. XIV*].

VERS. 6.---*Qui praecipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suae.*

44. *Sancti praedicatores quorum conversatio in coelis est, infirmis tamen fratribus condescendunt.*---Quia Psalmista ait: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (**Psal. L, 8**), quid hoc loco nivem, nisi per lucem justitiae candida accipimus corda sanctorum? Aquae autem ductae in superioribus constipantur, ut nives fiant. Sed cum hae ipsae nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorum vertuntur. Aquae igitur sunt praedicatorum mentes: quae dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur. Cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia adhuc in terris fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant, et infirmis humiliter praedicantes more nivium corda arentia liquatae rigant. Nives ergo ad terram de coelestibus veniunt, cum sublimia corda sanctorum quae jam solida contemplatione pascuntur pro fraterna charitate ad humilia praedicationis verba descendunt. [*Vet. XVIII.*] Sicut enim nix terram cum jacet operit, cum vero liquatur rigat, ita sanctorum virtus et per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, et per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram

ut fructus proferat infundit. Et quia aqua prius ab infimis trahitur, ut post a superioribus sparsa reddatur, sancti quique etiam cum in virtutum arce consistunt, unde elevati sunt considerant, ne alienae infirmitatis abjecta contemnant. Quasi ergo aquae ad terras de quibus sublevatae sunt redeunt, dum condescendentes iusti peccatoribus reminisci non desinunt quod fuerunt. Certe aqua in terris adhuc Paulus fuerat, cum legem carnaliter sapiebat; sed ductus ad coelestia, in nivem versus est; quia quod prius infirmum sapuit ad soliditatem verae intelligentiae commutavit; et tamen condescendens fratribus quasi nix ima repetiit, quia et post virtutum culmina quam fuerit indignus agnoscit, dicens: *Qui prius fui blasphemus et persecutor (I Tim. I, 13)*, etc. Ecce quam clementer suae imbecillitatis reminiscitur, ut aliorum aequanimiter infirma patiatur. Quasi enim ad terram de qua sumpta fuerat post coelum aqua rediit, dum post tanta suae contemplationis arcana peccatorem se Paulus meminit, ut prodesse humiliter peccatoribus possit. Videamus itaque aqua haec in nivis soliditatem vertenda qualiter trahatur ad summa. Ait: *Sive mente excedimus, Deo (II Cor. V, 13)*. Videamus qualiter ad ima nix redeat, ut dum liquatur infundat. Ait: *Sive sobrii sumus, vobis (Ibid.)*. Videamus qua manu ducitur, ut et jacens elevari valeat, et sublevata revocari. Ait: *Charitas enim Christi urget nos (Ibid., 14)*. Quia igitur charitas Christi, quae sanctorum mentes ad superna sublevat, eas pio moderamine pro fraterna dilectione etiam ad humilitatem condescensionis format, recte dicitur: *Qui praecipit nivi ut descendat in terram*. Ubi et apte subjungitur: *Et hiemis pluviis 874 et imbri fortitudinis suae*.

45. *Hiems est vita praesens, in qua sanctorum praedicatorum abundant pluviae.*---Hiems quippe est vita praesens, in qua nos etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostrae frigidus torpor astringit, quia scriptum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem (Sap. IX, 15)*. Habet autem haec hiems pluvias, rectorum procul dubio praedicationes. De quibus videlicet pluviis per Moysen dicitur: *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea (Deut. XXXII, 2)*. Hae nimirum pluviae hiemi congruunt, aestate cessabunt, quia cum nunc carnalium oculis vita coelestis absconditur, necesse est ut sanctorum nobis praedicationibus irroretur. Cum vero aeterni iudicii aestus incanduerit, nullus verba praedicantium necessaria tunc habebit, quia, veniente iudice, ad cor suum quisque reducit, ut sancta jam cum agere non valet sentiat, et rectum quod sequi debuit ex tortitudinis suae poena cognoscat. Unde bene per prophetam dicitur: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis (Jerem. XII, 3)*. In die enim occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quae debuerunt agere sentiunt, cum digna pravitatis suae supplicia jam declinare non possunt. Quia autem praedicationes sanctae cum vita praesenti, id est pluviae cum hieme cessabunt, recte exeunti animae, atque ad aeternae felicitatis aestiva properanti, sponsi voce suadentis dicitur: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni; jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit (Cant. II, 10)*. Transeunte quippe hieme, imber recedit, quia cum vita praesens peragitur, in qua nos ignorantiae nubilo carnis corruptibilis torpor astrinxerat, omne ministerium praedicationis cessat. Clarius quippe per

nos tunc videbimus hoc quod sanctorum vocibus nunc obscurius audimus. Praecipit igitur Dominus nivi, et hiemis pluviis, ut in terram descendant, dum aspiratione sancti spiritus pro corrigendis peccatoribus corda sanctorum ad ministerium praedicationis humiliat. Ubi recte additur: *Et imbri fortitudinis suae.*

[Rec. XV.] 46.---*Imber fortitudinis, praedicatio divinitatis; imber infirmitatis, praedicatio humanitatis Christi.*---Imber quippe fortitudinis Dei est praedicatio divinitatis. Nam imber infirmitatis est praedicatio ejus incarnationis, de qua per Paulum dicitur: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I Cor. I, 25).* Et rursum: *Si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. XIII, 4).* Sic autem sancti viri humanitatis ejus infirma praedicant, ut auditorum suorum cordibus etiam divinitatis fortia infundant. Audiamus per tonitruum nubis, imbrem fortitudinis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1).* Audiamus etiam imbrem infirmitatis: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Ibid., 14).* Audiamus imbrem fortitudinis: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat (Ibid., 3).* Audiamus etiam imbrem infirmitatis: *In propria venit, et sui eum non receperunt (Ibid., 11).* Imbri ergo fortitudinis suae praecipit ut in terram descendat, quia sanctorum suorum vocibus sic nobis humanitatis suae infirma praedicat, ut nobis etiam mira et fortia suae divinitatis innotescat. Sed cum virtutem nostri conditoris audimus, statim ad corda nostra formidine compellente reducimur, et tantum super nos judicem

perpendentes, **875** quae digne, quaeve egimus indigne, pensamus. Unde et bene subjungitur:

CAPUT XXV [*Rec. XVI*].

VERS. 7.---*Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.*

47. *Cognoscendo Deum nosmet agnoscimus, et severius judicamus.*---Mala enim quae agunt homines, pensare contemnunt. Sed cum virtutem supernae districtiois audiunt, pravorum operum hoc quod se deprimit pondus agnoscunt. Praedicationis quippe verbis pulsati evigilant, ut pensent ad quae supplicia sese antiquae actionis meritum trahat. Dum ergo imber fortitudinis in terram descendit, in manu uniuscujusque signatur, ut sua opera sciat, quia dum virtus incomprehensibilis majestatis agnoscitur, ab unoquoque subtilius sua vita pensatur

48. *Naturali lumine, tanquam lege mentis, pravum et rectum innotescunt.*---Quod tamen intelligi et aliter potest. Creator namque omnipotens a cunctis insensibilibus irrationabilibusque distinctum rationabilem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit ignorare non possit. Naturae enim lege scire compellitur, seu pravum sive rectum sit quod operatur. Nam ad iudicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit? Et ipsi ergo qui praeceptis dominicis erudiri contemnunt, utrum bona an mala sint quae faciunt sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentatione gloriantur? Rursum si mala se agere ignorant,

cur in eisdem factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt, quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde et bene per quemdam sapientem dicitur: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi* (**Sap. XVII, 10**). Quia dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit. Quo contra per Joannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum* (**I Joan. III, 21**). Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt. Quia enim malum quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent iudicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt prius contra se iudicium suae rationis inveniunt, et post ad distractionem aeterni examinis perducuntur. Et hoc est fortasse quod per Psalmistam dicitur: *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum* (**Psal. XLI, 8**). Quia dum miro ordine dispositionis occultae malum non permittitur nesciri quod agitur, et suo se jam iudicio peccator in conscientia condemnat, et post condemnationem propriam ad aeterni iudicis sententiam properat. Abyssum ergo abyssum invocare est de iudicio ad iudicium pervenire. Eant ergo praedicatores sancti, redarguant facta peccantium, auditores autem pravi contemnant verba justorum, defendant quantum voluerint pravitates suas, atque impudenter gestas impudentius defendendo multiplicent: certe ipsi sibi in conscientia testes sunt quia excusabiles non sunt. Eo enim ipso quo rationabilem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.

876 Sed quia Eliu de pravitate singulorum sententiam protulit, illico ad ipsum pravitatis auctorem, per quem unumquodque malum oboritur, mentis oculos deflectit, ut quia uno hoc versu pravi capitis membra perstrinxerat, etiam hoc ipsum membrorum caput sub brevitate describat. Vel certe quia superius (**Num. XIX**), nubium Dei virtutes intulerat, agit nunc ut contra bonorum vitam etiam adversarii impugnationes innotescat. Nam sequitur:

CAPUT XXVI [*Vet. XIX, Rec. XVII*].

VERS. 8.---*Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur.*

49. *Diaboli antrum Antichristus, et reprobi omnes.*---Quis alius nomine bestiae, nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis saevus impetiit, et integritatem vitae illius male suadendo laniavit? Contra quem prophetae vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquum statum restauranda promittitur: *Et mala bestia non transibit per eam (Isai. XXXV, 9)*. Sed haec bestia cum post Redemptoris adventum, post praedicatorum voces, quasi post tonitruum nubium in fine mundi illum damnatum hominem qui Antichristus vocatur invaserit, quid aliud quam latibulum suum ingreditur, ut in antro proprio demoretur? Vas quippe illud diaboli antrum ac latibulum bestiae est, ut insidians hominibus viam hujus vitae carpentibus, in illo et per signa lateat, et per malitiam occidat. Qui tamen omnium reproborum corda etiam nunc priusquam apertus appareat

possidet, eaque per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet, atque ad omne quod nocere bonis appetit in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Judaeorum persequentium corda antrum hujus bestiae non fuerunt, in quorum diu consiliis latuit, sed repente vocibus erupit clamantium: *Crucifige, crucifige* (**Joan. XIX, 6**)? Et quia ad lacerationem mentis pertingere tentando non potuit in Redemptore nostro (**Matth. IV, 3**), ad mortem carnis anhelavit. Haec nimirum bestia multa electorum corda tenuit, sed hanc ab illis moriens Agnus excussit. Unde et in Evangelio dicit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (**Joan. XII, 31**). Qui miro rectoque judicio dum confessiones humilium illuminans suscepit, superborum oculos deserens clausit. Unde ei per Psalmistam dicitur: *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvarum; catuli leonum rugientes ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi* (**Psal. CIII, 20, 21**). Tenebras quippe Dominus ponit, cum peccatis judicia rependens, lumen suae intelligentiae subtrahit. Et nox efficitur, quia pravorum mens ignorantiae suae erroribus caecatur. In qua omnes bestiae silvae pertranseunt, dum maligni spiritus sub opacitate fraudis latentes in reproborum corda pravitates suas explendo percurrunt. In qua et catuli leonum rugiunt, quia nequissimarum sed tamen eminentium potestatum ministri spiritus importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam expetunt, quia nimirum capere animas nequeunt, nisi justo judicio praevalere divinitus permittantur. Ubi et apte subjungitur: *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis se collocaverunt* (**Psal. CIII, 20**). Quia veritatis lumine per carnem apparente, a fidelium mentibus excussi, quasi ad cubilia sua reversi sunt,

dum sola infidelium corda tenuerunt. **877** Quod igitur illic leonum cubile, hic antrum bestiae dicitur.

50. *Bonorum mentes diabolus aliquando ingreditur, sed in eis non moratur.*---Notandum vero magnopere aestimo quod bestia haec non solum antrum suum ingredi, sed in eo etiam morari perhibetur. Aliquando namque etiam bonorum mentes ingreditur, illicita suggerit, tentationibus fatigat, rectitudinem spiritus ad delectationem carnis deflectere conatur, delectationem quoque ad consensum perducere nititur, sed tamen resistente superno adjutorio praevalere prohibetur. Intrare ergo in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest, quia cor justi hujus bestiae antrum non est. Quos enim quasi proprium antrum possidet, eorum mentes procul dubio immorans tenet, quia et prius in eis cogitationes usque ad iniqua desideria et post iniqua desideria usque ad nequissima opera perducit. Neque enim student reprobi suggestiones ejus recta judicii manu repellere, cujus voluntatibus appetunt subdita delectatione servire. Cumque in eorum cordibus pravum quid oritur, mox per studium delectationis enutritur; et cum sibi minime resistitur, protinus ex consensu roboratur, statimque consensus ad opus perducitur, opus vero etiam consuetudine gravatur. Recte ergo in antro suo morari haec bestia dicitur, quae tandiu cogitationes reproborum tenet, quousque eorum vitam etiam aculeo pravi operis perforet. Unde bene ad Judaeam Dominus per prophetam dicit: *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiae (Jerem. IV, 14)*? Neque enim reprehendit cur veniant, sed cur morentur. Et in bona enim corda cogitationes illicitae veniunt, sed tamen morari prohibentur, quia recti quique ne captivandam domum conscientiae praebeant, ab ipso cordis

limine hostem fugant. Qui et si quando repentinis suggestionibus usque ad primum vestibulum subriperit, ad consensus tamen januam non pertingit. Huic nimirum bestiae, impulsu subitae formidinis victus, januam cordis Petrus negando aperuit, sed citius cognoscendo restitit, flendo clausit (**Matth. XXVI, 70**). [*Vet. XX.*] Quia vero antiquus hostis persecutorum corda non solum intrando tenuit, sed etiam tenendo possedit, dicatur recte: *Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur*. Quantum namque in Judaeorum mentibus demorata sit discimus, cum illorum consilia attestatione evangelicae narrationis audimus. In illa namque describitur, cum Redemptorem nostrum vivificare mortuos cernerent, in mortem ejus quanta anxietate crudelitatis insanirent, quot explere contra illum prava desideria ardentem vellent, sed tamen populum timerent (**Joan. XI, 24, 49**); quot occasiones occidendi quaererent, et invenire non possent (**Matth. XXVI, 3, 4**); quot ad votum suae saevitiae alienigenarum manibus usi sunt, quia eum quem legaliter interimere ipsi non poterant ferendum gentibus tradiderunt, ut ex sola potestate Romanus praeses ageret quod ex sola malitia ut agi debuisset ipsi anhelarent (**Joan. XVIII, 28**). Unde et apte subjungitur.

CAPUT XXVII [*Rec. XVIII*].

VERS. 9.---*Ab interioribus egredietur tempestas, et ab Arcturo frigus.*

51. *Christus a Judaeis et gentilibus persecutionem passus.*--- Scriptura sacra cum contra Arcturum interiora memorat, diversam Aquilonis partibus Austri plagam designat. Unde in hoc eodem libro scribitur: *Qui facit Arcturum, et Orionas, et interiora* **878 Austri (Job. IX, 9)**. Quia igitur interiora Austri sol ferventior tenet, in Arcturo vero cursum omnimodo non habet, interiorum nomine plebs Judaica, Arcturi autem vocabulo hoc in loco populus gentilis exprimitur. Hi enim qui unum atque invisibilem Deum noverant, ejusdemque legi saltem carnaliter serviebant, quasi sub meridiano sole ferventes in fidei calore tenebantur. Gentiles autem quia nullam scientiam supernae cognitionis attigerant, velut sine sole frigidi sub Aquilone remanebant. Quia vero tempestas impellit, frigus autem torpore opprimit, recte nunc dicitur: *Ab interioribus egredietur tempestas, et ab Arcturo frigus*. Ac si aperte diceretur: A Judaeis surgit malitia persequens, et a gentilibus potestas premens. Neque enim miracula fieri legis praecepta vetuerant, et tamen Judaei pro eisdem miraculis interimere humani generis Redemptorem quaerebant (**Joan. XI, 48**). Unde explere hoc quod coeperant non valentes, ad Pilati praetorium concurrerunt, ut ipse hunc perimeret quem injuste perimentem lex nulla cohiberet (**Joan. XVIII, 28**). Ab interioribus ergo tempestas atque ab Arcturo frigus prodiit, dum quod Judaea ex invidia petiit, hoc gentilis judex ex Romana auctoritate perpetravit. Unde bene contra hanc eandem invidiam adhuc subditur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XXI*].

VERS. 10.---*Flante Deo concrescit gelu.*

52. *Judaeorum corda invidiae gelu obduruerant.*---Quia quo fidelium cordibus Spiritus sanctus aspiravit, quo majora virtutum miracula contulit, eo in infidelium mentibus gravioribus invidiae torpor excrevit, atque inde contra Deum plebs infidelis obduruit, unde humilis populus anteactam duritiam, qua se astrinxerat emollivit. Deo enim flante in gelu versi fuerant, qui visis miraculis invidentes dicebant: *Ecce totus mundus post eum abiit (Joan. XII, 19)*. Conspiciebant signa, cernebant per ministros ejus miracula, totum jam mundum secuturum fidei praedicamenta praevidebant; et tamen quo sanctus Spiritus mundum repleverat (*Sap. I, 7*), eo illorum mentes arctius invidiae malitia ligabat. Aqua ergo in gelu versa fuerat dum, eunte post Deum mundo, Judaea in invidia pigra remanebat. Sed quia supernae potestati suppetiit etiam tantae crudelitatis duritiam solvere atque ad amandum se corda infidelium liquare, post hoc gelu mox bene subditur:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Et rursum latissimae funduntur aquae.*

53. *Quorundam postea emollita, et in pluviam liquata.*---Post gelu quippe Dominus latissimas aquas fudit, quia postquam Judaeorum saevitiam usque ad mortem pertulit, eorum corda protinus ab infidelitatis duritia amoris sui aspiratione liquefecit; ut tanto post desiderabilius ad obediendum current, quanto praeceptis illius prius obstinatius restitissent. Unde bene per quemdam sapientem

dicitur: *Sicut glacies in sereno, sic resolventur peccata tua* (**Eccli. III, 17**). Ab hoc frigidi torporis gelu solvi Propheta desideraverat, cum dicebat: *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro* (**Psal. CXXV, 4**). De his aquis, id est ad Deum concurrentibus populis, rursum dicitur: *Mittet verbum suum, et liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, et fluent aquae* (**Psal. CXLVII, 18**). Aquae de gelu currunt, quia plerique ex duris persecutoribus magni praedicatores fiunt. Gelu igitur in aqua liquatur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem **879** vertitur praedicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascum pergens (**Act. IX, 2**), in corde fidelium quasi in terra jactata verbi Dei semina, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quaerebat? Sed gelu hoc in aquam rediit, quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctae exhortationis infudit; ut tanto uberius electorum messis exurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore persecutoris irrigaret. Unde et bene subditur

CAPUT XXX [*Vet. XXII, Rec. XIX*].

VERS. 11.---*Frumentum desiderat nubes.*

54. *Electi frumentum sunt, cui Verbi divini imber necessarius.*---Quid enim electi quique sunt, nisi frumenta Dei coelestibus horreis recondenda? Quae nunc in tritura areae paleas tolerant, quia in hac purgatione sanctae Ecclesiae mores contrarios reproborum portant, quousque haec internus agricola ventilabro iudicii dirimat, et in superna

habitacula electos suos, quasi munda jam grana suscipiens, aeternis paleas ignibus tradat. Unde bene per Joannem dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili* (**Matth. III, 12**). Sed hoc frumentum quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluvias exspectat ut crescat, quia bonorum mens praedicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Hoc frumentum supernus agricola in mundo surgere ac nubes desiderare conspexerat, cum dicebat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate autem Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (**Matth. IX, 37**). Qui igitur hic frumentum, illic messis, qui vero hic nubes, illic operarii vocantur, quia praedicatores sancti et nubes sunt, et operarii; nubes videlicet per doctrinam, operarii per vitam; nubes quia verbis influunt, operarii quia non desinunt agere quod loquuntur. Unde et subditur;

CAPUT XXXI.

IBID., 6.---*Et nubes spargunt lumen suum.*

55. *Nubes sunt sancti praedicatores.*--- Nubes enim lumen spargere est praedicatores sanctos exempla vitae et loquendo et agendo dilatare. Sed quamvis annuntiationis intimae lumen spargant, non tamen ad convertenda omnium quae appetunt corda perveniunt. Nam sequitur:

CAPUT XXXII.

VERS. 12.---*Quae lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit.*

56. *Universa lustrant, Deo eorum cursus gubernante.*---Saepe enim praedicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt. Saepe quosdam declinare appetunt, sed tamen internae instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Videamus nubem Dei quomodo gubernantis manu, et ad ea quae non appetit, ducitur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Certe Paulus cum vestimenta sua excutens a Corinthiis discedere vellet, audivit: *Noli timere, sed loquere, et ne taceas, propter quod ego tecum sum, et nemo opponetur tibi ut noceat te, quoniam multus est mihi populus in hac civitate (Act. XVIII, 9).* Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire, retentus est, dicens: *Volui venire ad vos ego quidem Paulus, et semel et iterum, sed impedivit me Satan (I Thess. II, 18).* Neque enim per semetipsum Satan praepedire tanti apostoli vias potuit, sed occultae dispensationis usibus, **880** dum adversatur, nesciens deservivit; ut nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis a quibus recedere non poterat aptius prodesset. Nubes igitur Dei cuncta per circuitum lustrant, quia praedicationis luce mundi fines illuminant. Sed quia divinis nutibus subditae nequeunt explere quod volunt, ire non possunt, nisi quo eas voluntas gubernantis duxerit. Unde et adhuc subjungitur:

CAPUT XXXIII.

IBID.---*Ad omne quod praeceperit eis super faciem orbis terrae.*

57. *Et internos motus moderante.*---Saepe enim cum gubernantis voluntate perducuntur; aliter agere appetunt, sed aliter disponuntur. Nam plerumque quosdam auditores suos student blande corrigere, et tamen eorum sermo in asperitatem ducitur. Plerumque quosdam resecare aspere appetunt, sed tamen eorum vigor per mansuetudinis spiritum refrenatur. Sicut ergo non possunt ire quo volunt, ita etiam nequeunt agere sicut volunt. Quia enim eos internus arbiter tenet cum mittit, ita illos etiam modificans suscipit cum perducit, ut aliquando in cogitatione alia disponant, sed alia in opere peragant; aliquando aliter inchoent, sed aliter consumment. Quia igitur juxta hoc quod sibi praecipitur serviunt, dicatur recte: *Quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod praeceperit illis super faciem orbis terrae.* Eo enim apertiore viam praedicationis inveniunt, quo ad hanc non suis, sed praeceptoris sui nutibus ducuntur. Unde adhuc subditur:

CAPUT XXXIV [*Rec. XX*].

VERS. 13.---*Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocunque loco misericordiae suae eas jusserit inveniri.*

58. *Non Judaeis tantum, sed etiam gentilibus concessa Evangelii praedicatio.*---Una tribus profecto Juda intelligitur, quae in Scriptura sacra clara ac multiplex prae caeteris memoratur. Quae in hoc quod ex se Redemptoris nostri carnem protulit, speciale prae omnibus munus accepit. Terra autem Dei simul omnis Judaea nominatur, quia quae tunc ei fidei suae fructum protulit, cum totus sub idolorum cultu delapsis gentibus mundus erravit. Locus autem misericordiae Dei est ipsa gentilitas, cujus culpas districtus judex si juste animadverteret, ad reconciliationem gratiae nunquam veniret. Quae cum nulla apud Deum merita habuit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur: *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (**Rom. XV, 9**). Unde rursus scriptum est: *Qui quondam non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti* (**I Pet. II, 10**). Nubes ergo suas Deus ducit, sive in una tribu, sive in terra sua, seu in quocunque loco misericordiae suae eas jusserit inveniri, quia praedicatores Veteris Novique Testamenti aliquando soli tribui Judae contulit, et Israel pene totum ex prava regum gubernatione reprobavit. Aliquando et in terra sua has pluere nubes facit, quia eundem Israeliticum populum ad antiquam gratiam post correptionem captivitatemque revocavit. Aliquando de loco suae misericordiae eas clarescere voluit, quia per praedicatores sanctos etiam gentibus virtutum miracula ostendit, ut sola misericordia a jugo erroris absolveret, quos ingenitae perfidiae ira deprimebat. [*Vet. XXIII.*] Sed **881** ecce Eliu, quia

futura per propheticum spiritum sensit, quia multa sublimiter protulit, vir arrogans elationis suae pondere lassatus non valet portare quae dicit. Nam per jactantiam protinus adjungit:

CAPUT XXXV.

VERS. 14.---*Ausculata haec, Job; sta, et considera miracula Dei.*

59. *Quid sit Dei miracula stando, quid jacendo considerare.*--Quasi in comparatione sui jacentem vidit, quem ad verba tantae praedicationis ut staret admonuit. Quamvis et per hoc quod dicit *Ausculata*, gravem beato Job contumeliam irrogat, quia, sicut jam de illo et superius diximus (**Lib. XII, n. 38, et saepe deinceps**), arrogantia minoris est auditum sibi velle extorquere majoris. Sed licet Eliu bona quae dicit nesciat pensare cui dicat, nos qui erudiri ab omnibus quaerimus, indagare verba doctrinae illius subtiliter debemus. Nam magna fortassis virtutis arte dicitur: *Sta, et considera miracula Dei*. Sunt nonnulli quippe qui Dei miracula jacentes considerant, quia operationis ejus potentiam non sequentes admirantur. Stare quippe est recte agere. Unde et per Paulum dicitur: *Qui se existimat stare, videat ne cadat (I Cor. X, 12)*. Et saepe quidem superna judicia mirantur, praedicamenta coelestis patriae cum audiunt diligunt, mira opera internae dispositionis obstupescunt, sed tamen amando et vivendo ad haec eadem opera assurgere negligunt. Jacentes ergo Dei miracula considerant, qui ejus potentiam sciendo pensant, sed vivendo non amant. Per contemplationem quidem in

consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionem sese a terra non erigunt. Unde bene in Balaam exprobrationem dicitur: *Qui cadens apertos habet oculos* (Num. XXII, 16). Multa namque de adventu Redemptoris dixerat, et quae in novissimis temporibus erant ventura praevidebat, sed tamen ei vivendo assurgere noluit, quem praevidendo praedicavit. Jacens ergo apertos oculos habuit, cum ejus mentem et prophetia ad coelestia tenderet, et avaritia in terra retineret. Jacens apertos oculos habuit, quia eum videre de superioribus potuit, quem prostratus in infimis non amavit. Eliu itaque, qui beatum Job nequaquam credidit vivendo tenuisse quod dixit, quasi admonens dicit: *Sta, et considera miracula Dei*. Quem adhuc de venturis discutit, et quasi de ignorantia humilians adjungit:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXI*].

IBID. 15.---*Nunquid scis quando praeceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?*

60. *Deo afflati praedicatores irrigant et lucent*.---Si nubes sancti praedicatores sunt, pluviae nubium sunt verba praedicationum. Sed nubes cum per aera transvolant, nisi pluviae deorsum veniant, nescitur quantam aquarum immensitatem portant. Nisi coruscus sol inter pluvias erumpat, intelligi non valet quid in eis etiam claritatis lateat, quia nimirum praedicatores sancti si taceant, et nequaquam loquentes ostendant, quanta sit coelestis spei claritas, quam in cordibus gestant, aut reliquis hominibus similes, aut longe his

despectiores videntur. Cum autem aperire per praedicationem coeperint quae sit supernae patriae remuneratio quam intrinsecus tenent; cum persecutione pressi in qua virtutis arce profecerint innotescunt, cum visione despecti loquendo insinuant unde timeantur, ipsae quae de nubibus influunt pluviae lucem nobis earundem nubium ostendunt. Per verba enim praedicatorum cognoscimus ut in eis claritatem vitae quam appetunt cum magna humilitate veneremur. **882** Hanc nimirum lucem Paulus discipulis ostendebat, cum diceret: *Ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus (Ephes. I, 18).* Hanc lucem Corinthii per scriptorum verba quasi per pluviae guttas agnoverant, cum dicebant: *Epistolae graves sunt et fortes, praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis (II Cor. X, 10).* Sed plerumque praedicatores sancti ostendere semetipsos ut prosint cupiunt, nec tamen possunt; plerumque latere ut quieti sint appetunt, nec tamen permittuntur. Nemo igitur scit quando lucem nubium pluviae ostendant, quia nemo comprehendit quando Deus virtutem praedicationis praebeat, ut praedicantium gloria clarescat. Dicit ergo: *Nunquid scis quando praeceperit Deus pluviis ut ostenderent lucem nubium ejus?* Ac si aperte dicat: Nunquid si venturos in mundo praedicatores jam conspicias, quando eos ad praedicandum Dominus repletionem sancti Spiritus impellat, quibusve modis eorum vitae claritatem mundo innotescat apprehendis? Unde adhuc apte subjungitur.

CAPUT XXXVII [*Rec. XIII*].

VERS. 16.---*Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?*

61. *Arcta bene vivendi doctrina, non est ampla via, sed semita.*---Habent istae nubes semitas subtilissimas, scilicet sanctae praedicationis vias. Angusta quippe porta est, quae ducit ad vitam (**Matth. VII, 14**). Eos ergo per semitas astringunt, qui ab intentionis eorum tramite per lata mundi desideria evagando non exeunt. Arcta enim bene vivendi censura non est ampla via, sed semita, in qua praedicator quisque studiose constringitur, quia sub praeceptorum custodia sollicite coangustatur. An non quasi quaedam angustia est itineris, in hoc quidem mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despiciere, et pro Deo opprobria amare, gloriam fugere, despectum sequi, adulantes despiciere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quae videlicet omnia semitae sunt, sed magnae, quia quanto in praesenti vita pro ipsa vivendi custodia angustae sunt, tanto amplius in aeterna retributione dilatantur. Unde et bene subditur: *Et perfectas scientias.*

62. *Perfecta scientia est, scire se nihil esse.*---Perfecta quippe scientia est, et cuncta haec sollicite agere, et se de suis meritis scire nihil esse. Unde et ipsae nubes de hac perfecta scientia docentur, cum eis voce Veritatis dicitur: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus* (**Luc. XVII, 10**). Perfecta scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire, quia etsi jam Dei

praecepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita intentione pensamus, etsi jam quae intellexisse nos credimus agimus, adhuc tamen acta eadem qua districtione examinis sint discutienda nescimus, necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus. Quanta ergo est nostra scientia, quae quousque mortalitatis pondere premitur, ipso suae incertitudinis nubilo caecatur? De qua bene per Paulum dicitur: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire (I Cor. VIII, 2)*. In hoc itaque mundo dum vivimus, tum perfecte quae scienda sunt scimus, cum proficientes per intelligentiam, nihil nos **883** perfecte scire cognoscimus. Dicit igitur: *Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?* Ac si aperte dicat: Nunquid jam summa acta praedicantium conspicias, qui postquam per scientiam ad alta se elevant, deorsum se humiliter per cognitionem suae ignorantiae inclinant? Quod quia solius sancti Spiritus dono agitur, ut humanum cor non solum de scientia, sed etiam de ipsa sua ignorantia perfecte doceatur, et calore amoris ad superna ferveat, dum minora esse quae cognovit in infimis pensat, recte subjungitur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XXIII*].

VERS. 17.---*Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?*

63. *Qui Ecclesiae inhaerent, afflatu sancti Spiritus incalescunt.*---Saepe beatum Job figuram sanctae Ecclesiae

tenere jam diximus. Vestimenta vero Ecclesiae sunt omnes qui ei fidei adunatione junguntur. De quibus eidem Ecclesiae per prophetam Dominus dicit: *Vivo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris (Isai. XLIX, 18)*. Per Austrum vero, qui nimirum calidus ventus est, non immerito Spiritus sanctus designatur, quo quisque dum tangitur, ab iniquitatis suae torpore liberatur. Unde bene in Canticis canticorum dicitur: *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius (Cant. IV, 16)*. Aquilo enim jubetur ut surgat, ut nimirum is qui mortalium corda restringit adversarius spiritus fugiat. Auster enim venit et hortum perflat, ut ejus aromata diffluant, quia per adventum sancti Spiritus, dum mens hominum repletur, ex ea mox opinio virtutum aspergitur, ut jure jam sanctorum lingua quasi hortus Austro perflatus dicat: *Christi bonus odor sumus Deo (I Cor. II, 15)*. Vestimenta ergo sanctae Ecclesiae calida sunt, dum terra Austro perflatur, quia hi qui ei per fidem inhaerent, ferventibus charitatis studiis inardescunt, dum eorum mens sancti Spiritus afflatu perfunditur. Quod quidem et de eodem beato Job nihil obstat intelligi, quia sic haec generaliter in sancta Ecclesia dicimus, ut tamen per membra ejus singula specialiter teneamus.

64. *Ex doctorum et auditorum concordia mutua in eis fervet charitas.*---Unusquisque enim qui recte vivit, atque hoc et alios docere consuevit, quasi tot vestimenta habet, quot auditores ei concorditer inhaerent. [*Vet. XXV.*] Natura namque vestimentorum est ut per semetipsa calere non possint, sed adjuncta viventi corpori, dum exhalantes membrorum poros contegunt, emanantem ab intimis calorem premunt, quo nimirum calore haec eadem vestimenta calefiunt, sed

calefacta calorem quem acceperint retinendo ad corpus reddunt. Quid ergo per vestimenta viventi corpori adhaerentia nisi discipulorum vita magistris bene viventibus conjuncta signatur? Quae quasi per poros calorem accipit, quia ad amorem Dei et exemplo actionis et impulsu exhortationis ignescit. Quae velut frigus proprium expellit, dum a pristina iniquitate discedit; calorem quem accepit retinet, quia in eo quem praedicando sumpserit fervore convalescit. Doctores autem sancti dum auditores suos in amorem Dei proficere sentiunt, ipsi amplius in doctrinae virtute fervescunt; et quia eos ad summa inardescere et fervescere conspiciunt, ad praedicanda bona coelestis patriae validius succenduntur. Qui et si quando pro eo quod adhuc vitam corruptibilem humanae infirmitatis agunt de qualibet culpa saltem tenuiter in opere, in locutione, in cogitatione tentantur, discipulorum suorum profectum conspiciunt, **884** et ipsi vel in minimis esse reprehensibiles erubescunt, ne qua forte exempla tortitudinis praebeant eis quos praedicationis voce ad regulam intimae rectitudinis vocant. Dum ergo verbo doctorum accenduntur auditores, quasi ex viventi corpore vestimenta calefiunt. Sed dum ex profectu auditorum etiam vita docentium proficit, quasi ex calefactis vestimentis calor ad corpus redit. Sed nequaquam sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident, quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius non possunt: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. III, 7)*. Dicatur ergo: *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?* Quia nimirum tunc auditores qui jam bene

viventibus doctoribus inhaerent calorem superni amoris accipiunt, cum per afflatum sancti Spiritus excitantur, ac si aperte beato Job diceret: Incassum tibi tribuis si quos per te profecisse in virtutibus contemplaris, quia hi quos per te incaluisse aestimas, nisi eos Spiritus sancti fervor attingeret, frigidi in sua insensibilitate remanerent. Postquam vero haec fortiter dixit, per arrogantiam leviter motus, irrisionis illico verba subjungit, dicens:

CAPUT XXXIX [*Rec. XXIV*].

VERS. 18.---*Tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt.*

65. *Per coelos quasi aere fusos, sancti angeli, et electorum mentes signantur.*---Possunt per coelos hi qui in coelestibus sunt conditi angelici spiritus designari. Unde et in oratione nostra dicere voce Veritatis instruimur: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.* Ut nimirum voluntas Dei, sicut a superiori creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate servetur. De quibus bene dicitur: *Qui solidissimi quasi aere fusi sunt (Matth. VI, 10).* Naturae namque aeris est, rubigine difficile consumi. Et virtutes angelicae quae in divino amore fixae perstiterunt, lapsis superbientibus angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripiantis culpa mordeantur, ut in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant, et in hoc quod sunt conditae aeterna stabilitate subsistant. Quod bene apud Moysen ipsa de mundi origine historiae verba testantur (**Genes. I, 6**), cum et

prius factum coelum dicitur, et hoc idem postmodum firmamentum vocatur, quia videlicet natura angelica et prius subtilius est in superioribus condita, et post ne unquam potuisset cadere, mirabilius confirmata. Possunt etiam per coelos, ut saepe diximus, electorum mentes exprimi, a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensae. Qui quamvis corpore degant in infimis, quia tamen corde jam inhaerent summis, veraciter dicunt: *Nostra conversatio in coelis est* (**Phil. III, 20**). Qui solidissimi ut aere fusi sunt, quia ab integritate coeptae fortitudinis nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Quibus et fortiter contra adversa durantibus, auctoris voce dicitur: *Vos estis amici mei, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Sed quamvis doctus et arrogans cum irridere sanctum virum nititur, irrisioni suae fortia dicta permisceat, a dictis tamen fortibus semper ad supervacua verba relabitur. Nam iterum deridendo subjungit:

VERS. 19.---*Ostende nobis quid dicamus illi, nos quippe involvimur tenebris.*

885 66. Ac si dicat: Tu, qui jam magna intelligentiae luce perfrueris, docere nos qui ignorantiae tenebris involvimur debes. Qui mox ab irrisione resiliens, despiciendo subjungit:

VERS. 20.---*Quis narrabit ei quoe loquor?*

Ac si aperte dicat: Quae ego ei de suis laudibus acute sentiens non audita loquor, quis haec narrare vel postquam audierit potest? Sed quia cum doctrina et arrogantia in unius mentis habitatione confligit, a loquentis ore non solum sonat vivendi levitas, sed etiam gravitas sentiendi, postquam Eliu per

arrogantiam leviter intumuit, dicens: *Quis narrabit ei quae loquor?* mox per doctrinam subdidit:

CAPUT XL [*Vet. XXVI, Rec. XXV*].

IBID.---*Etiam si locutus fuerit homo, devorabitur.*

67. *Hominem de Deo loqui, est caecum de lumine disserere.* --Omne quod aliquid devorat, hoc introrsus trahens, ab intuentium oculis occultat, et rem quae videri in superficie potuit in profundum rapit. Homo igitur cum de Deo tacet, per rationem in qua est conditus esse aliquid videtur. At si loqui de Deo coeperit, illico quam sit nihil ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate devoratur, et quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suae ignorantiae angustia deglutitur. Loquitur enim caro de spiritu, circumscriptus spiritus de incircumscripto, creatura de creatore, temporalis de aeterno, mutabilis de immutabili, mortalis de vivificante; et cum in tenebris positus internum lumen sicut est nesciat, homo, de aeternitate disserere cupiens, caecus de luce loquitur. *Si ergo locutus fuerit homo, devorabitur*, quia si effari homo aeternitatem sicut est appetit, etiam hoc sibi subtrahit quod de illa vel tacitus sentit. Sed ecce aeternitas tunc hominibus vere innotuit, cum se eis humanitate suscepta monstravit. Quae quia necdum revelata fuerat, de eisdem hominibus recte subjungitur:

CAPUT XLI.

VERS. 21.---*At nunc non vident lucem.*

68. *Per Christum lux hominibus affulsit.*---De qua nimirum luce etiam per Prophetam dicitur: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* (**Matth. IV, 16; Isai. IX, 2**). Sed haec eadem lux qualiter ab hominibus videatur, insinuat, cum protinus subdit:

IBID.---*Subito aer cogetur in nubes.*

Aer quippe ita ipsa sua tenuitate spargitur, ut nulla firmitate solidetur. Nubes autem tanto firmiores sunt quanto densiores. Quid ergo per aerem nisi mentes saecularium designantur, quae, innumeris hujus vitae desideriis deditae, huc illucque more aeris fluidae disperguntur? Sed aer in nubes cogitur, cum fluxae mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, ut intra sinum cordis recta sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant.

69. *Petrus et caeteri apostoli per gratiam in nubes solidati.*--
-Aer Petrus fuerat, cum per terrena desideria sparsus, eum quasi aura transiens pro vita carnis cura piscationis agitabat (**Matth. IV, 18**). Aer etiam apostoli omnes exstiterant, qui jam per legem alta didicerant, sed necdum per fidem firma sapiebant (**Ibid.**). Subito autem aer in nubes coactus est, quia per respectum supernae gratiae fluxa corda piscantium in soliditatem versa sunt praedicatorum, ut eorum infirmas cogitationes fortia sentiendo densescerent, ac more nubium aquas scientiae caperent, et subter jacentem terram

verbis praedicationis irrigarent, quo peracto ministerio, ad coeli secreta recurrerent, atque ad aeternam requiem finito labore pervenirent. Unde **886** et bene mox subditur:

CAPUT XLII.

IBID.---*Et ventus transiens fugabit eas.*

70. *Irrigato praedicatione Evangelii mundo, nubes illae a nostris oculis fugatae.*---Ventus quippe transiens est vita praesens. Ventus ergo transiens nubes fugat, quia mortalis vita percurrens praedicatores sanctos a nostris oculis corporaliter occultat. Ventus transiens nubes fugat, quia vitae temporalis excursus a carne apostolos subtrahit, et eos a terrae superficie in secreta requie quasi in coelorum cardine abscondit. Sed quia usque ad mortem praedicare non desinunt, et praesentis vitae spatium more nubium cum verborum pluvia excurrunt, quid eorum laboribus in sancta Ecclesia agatur adjungit, cum protinus subdit:

CAPUT XLIII [*Rec. XXVI*].

VERS. 22.---*Ab Aquilone aurum veniet.*

71. *A gentilibus Christiana religio potissimum propagata.*---Quid per Aquilonem, nisi peccati frigore constricta gentilitas designatur? quam ille sub iugo suae tyrannidis tenuit qui superbiens dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus*

Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isai. XIV, 13, 14). Quid vero auri nomine, nisi animae fideles exprimuntur? De quibus per Jeremiam dicitur: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (Thren. IV, 1)?* Aurum quippe obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiae versam in culpa nigredinem vidit. Ab Aquilone ergo aurum venire dicitur, quia per respectum gratiae Redemptoris a gentilitate dudum perfidiae torpore frigida intra sanctam Ecclesiam pretiosa Deo vita fidelium multiplicatur. Ab Aquilone etenim aurum venit cum ab ipsis idolorum cultoribus vera in Domino fides clarescit. Sed conversis ad fidem gentibus, Judaea contradicit, et ad praemiorum retributionem coelestium dedignatur suscipere eos qui dudum fuerant cultores idolorum. Unde post conversionem gentium Petro dicitur: *Quare introisti ad viros praeputium habentes, et comedisti cum eis (Act. XI, 3)?* Quo contra recte per Isaiam Dominus dicit: *Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere (Isai. XLIII, 6).* Sicut enim per Aquilonem gentilitas, sic per Austrum Judaea signatur, quae quasi meridiano sole incaluit, quia, Redemptore in carne apparente, fervorem fidei prima suscepit. Aquiloni ergo *da* dicitur cum offerre Deo suae fidei munera gentilitas imperatur. Austro autem jubetur ne prohibeat, quia Hebraeis in fide consistentibus praecipitur ne vitam gentium repellendo condemnent. Unde hic quoque quia dictum est: *Ad Aquilone aurum veniet*, apte subjungitur:

IBID.---*Et a Deo formidolosa laudatio.*

72. *De gentium conversione apostoli et alii ex circumcissione fideles Deum laudaverunt.*---Sic enim

formidolosa laudatio a Deo venire dicitur, ac si ab his qui in parte Dei sunt id est a fidelibus venire diceretur. Auro igitur ab Aquilone veniente, a Deo formidolosa laudatio prodiit, quia dum claritatem suae fidei gentilitas obtulit, multitudo Hebraeorum fidelium divina judicia pertimescendo laudavit. Sed quomodo ab Aquilone veniat aurum, quomodo ab his qui sub Deo sunt formidolosa laudatio erumpat, ipsa nobis historia sacri eloquii ostendit. Scriptum quippe est: *Cornelius centurio cohortis quae dicitur Italica, religiosus et timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper, vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit: Quis **887** es, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei (Act. X, 1 seq.).* Aurum ergo ab Aquilone venit, dum in conspectu Dei ex gentibus cum eleemosynis oratio ascendit. Quod cum Petrus fratribus retulisset (**Ibid., 12**), quomodo vel Cornelius angelum, vel ipse de coelo submitti ad se linteum cum bestiis reptilibus ac volatilibus vidisset, vel quomodo Spiritus sanctus etiam ante baptismum gentilium corda perfuderit, qui nunquam in Judaeorum mentibus nisi post aquam baptismatis venit, protinus scriptum est: *His auditis tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et gentibus Deus poenitentiam ad vitam dedit (Act. XI, 18).* Multitudo ergo fidelium formidolosam Deo laudem obtulit, quae, salvatis gentibus, a suo se murmure, dona coelestis gratiae admirando, compressit. Unde ipse quoque Petrus miratur, dicens: *In veritate comperi quod non est personarum acceptor Deus (Act. X, 34).*

73. *Et de Judaeorum reprobatione timuerunt.*---Sed cum gentes fidem suscipiunt, cur ab eis qui jam fideles sunt formidolosa venire laudatio dicitur, cum laeta venire potius quam formidolosa debuisset? Sed idcirco conversis gentibus, ab Hebraeis jam fidelibus formidolosa laudatio prodiit, quia nimirum juste Judaea repulsa est, dum pie est gentilitas vocata; et damna suae repulsionis timuit, dum lucra alienae vocationis vidit. Unde nos quoque quotidie, dum iniquos quosque ad inopinatam vitae celsitudinem provehi repente conspiciamus, sub occultis Dei judiciis timendo gaudemus, ne per occulta judicia quosdam Deus qui digni putantur deserat, qui per haec ad se eos qui indigni aestimantur vocat. Sequitur:

CAPUT XLV.

VERS. 23.---*Digne eum invenire non possumus.*

74. *De Deo qui magnus est fortitudine, judicio et justitia, digne sentire non possumus.*---Et si invenire jam eum possimus, non tamen digne, quia quidquid in illo sentimus ex fide est, et non ex specie. Hoc tamen quod jam se invenisse considerat adjungit, dicens:

IBID.---*Magnus fortitudine et judicio et justitia, et enarrari non potest.*

Magnus quippe est fortitudine, quia fortem adversarium superat, et de domo illius vasa contumeliae auferens in misericordiae vasa permutat. Magnus judicio, quia etsi hic electos suos per adversa deprimit, eos quandoque in gloria

aeternae prosperitatis extollit. Magnus justitia, quia etsi hic diu tolerat, quandoque tamen reprobos sine termino damnat. Bene autem subditur: *Et enarrari non potest*. Qui enim sentiri digne non valet, quanto minus dici? Sed melius hunc utcunque dicimus, si sub considerationis ejus formidine admirando taceamus. Sequitur:

CAPUT XLVI [*Rec. XXVII*].

VERS. 24.---*Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.*

75. *Qui recte praedicant, sed non vivunt, damnationis suae praecones fiunt.*---Hoc loco Eliu viros eos qui ad intelligentiam sunt fortes appellat. Et notandum quod non ait: Et non audebunt contemplari sapientes; sed, *Qui sibi videntur esse sapientes*. Quibus videlicet verbis peritos quidem, sed arrogantes insinuat. Eliu ergo dum multa fortiter sentit, in locutionis suae fine se tetigit. Viri namque arrogantes et docti cum recte non vivunt, sed tamen recta dicere doctrinae impulsionibus compelluntur, ipsi damnationis suae aliquomodo praecones fiunt, quia dum ea quae agere respuunt praedicantes insinuant, suis **888** se vocibus damnatos clamant. Contra quos bene per Psalmistam dicitur: *Conversi sunt in arcum perversum (Psal. LXXVII, 57)*. Arcus quippe perversus ipsum a quo intenditur percutit. In dictis autem suis arrogantium linguae arcui perverso sunt similes, quia dum contra elationem verba faciunt in suis auctoribus sagittas figunt. Unde summa cura providendum est

ne accepta sapientia, cum ignorantiae tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, et jam sapientia esse nequeat. Quae etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat.

76. *Alia bona summa, alia media.*---Alia namque sunt bona summa, alia bona media. Bona enim summa sunt, fides, spes, charitas. Quae cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. Bona autem sunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus, et caetera (**I Cor. XII, 10**), quae ita inter utrumque sunt posita, ut aliquando per haec sola aeterna patria, aliquando vero gloria terrena requiratur. Medias ergo has virtutes dicimus, quas ad quodcunque mens appetit inclinamus. Quibus perceptis ita uti animus sicut terrenis divitiis potest. Per terrenas namque divitias alii in gloriae ostentatione superbiunt, alii erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cum per doctrinam igitur atque prophetiam laus exterior quaeritur, quasi per corporales divitias terrenae gloriae culmen ambitur. Cum vero doctrina atque prophetia lucrandis animabus impenditur, quasi acceptae divitiae egenis fratribus largiuntur. Quia ergo saepe per ipsa dona, quae se percipere exsultat, a manu dantis incautus animus elongat, vigilanti provisione curandum est ut et prius subigantur vitia, et post sub circumspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incaute se deserit, non per haec adjuta subvehitur, sed quasi pro anteactis laboribus remunerata reprobatur. Unde fit etiam ut accepta virtus dum in usu transitoriae laudis assumitur, quia vitio militat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quae in radice propria, id est in

humilitate perdurat. A qua nimirum si abscinditur arescit, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit.

77. Mira Davidis in summis humilitas. Pugnando hostes; humilitatem sectando semetipsum vicit.---Sed quia per hoc quod ab Eliu dicitur, *Non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes*, occulta cordis elatio reprobatur, intueri libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat (**I Reg. XVII, 36; XVIII, 25**). Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliath sternere, a rege proposita, extinctis Allophylis, numerosa praepudia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere (**II Reg. III, 18**)? Et tamen cum arcam Dei in Jerusalem revocat (**Ibid., VI, 14**), quasi oblitus praelatum se omnibus, admistus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter praetulit, sese sub Domino et exaequando minimis, et abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum **889** oculis saltando vilescere metuit, non se honore praelatum caeteris ante ejus arcam qui honorem dederat recognoscit. Coram Deo egit vilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret quae coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiat ignoro; ego David plus saltantem stupeo quam pignantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore

regii generis insana, cum humiliatum despiceret, dicens: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris (Ibid., 20)*, protinus audivit: *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum. Ac paulo post ait: Et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, eroque humilis in oculis meis (Ibid., 22)*. Ac si aperte dicat: Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quaero.

78. *Alii humiliter de se sentiendo, despici metuunt; alii despici cupiendo de sua humilitate superbiunt.*---Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi nil se esse nisi pulverem favillamque perpendunt, sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, et contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt dejectos se exhibendo contemnunt: sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensae vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt quanto amplius in specie elationem premunt. Quae utraque unius elationis bella magna David circumspectione deprehendit, mira virtute superavit. Quia enim, de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quaerit insinuat, dicens: *Ludam et vilior fiam (Ibid., 22)*. Et quia per hoc quod vilem se exterius praebuit, nequaquam interius intumescit, adjungit: *Eroque humilis in oculis meis (Ibid., 22)*. Ac si dicat: Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me et interius attendo. Quid ergo acturi sunt quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque

gaudia prophetando nuntiabat, et tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens: *Eroque humilis in oculis meis?*

890 79. *Dei sapientiam contemplari nequeunt qui sibi sapientes videntur. Sectanda laudabilis fatuitas.*---Bene ergo per Eliu dicitur: *Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.* Contemplari enim Dei sapientiam non possunt qui sibi sapientes videntur, quia tanto ab ejus luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt, quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit; et unde se lucere prae caeteris aestimant, inde se lumine veritatis privant. Si igitur veraciter sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes (I Cor. I, 27).* Hinc rursum dicitur: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens (Ibid., III, 18).* Hinc evangelicae historiae verba testantur quia Zachaeus cum videre prae turba nihil posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Pusillus itaque Zachaeus sycomorum subiit, et Dominum vidit (**Luc. XIX, 4 seq.**), quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba praepedit, quia infirmitatem humanae mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum saecularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam quae divinitus praecipitur stultitiam mente

tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quaerere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo et adjunctis aliis patientiam praebere? Quasi enim sycomorum nos ascendere Dominus praecipit, cum dicit: *Qui aufert quae tua sunt ne repetas* (**Luc. VI, 30**). Et rursum: *Si quis te percusserit in dextram maxillam, praebe illi et alteram* (**Matth. V, 39**). Per sycomorum Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur. Quam juxta Eliu verba videre nequeunt, qui sibi sapientes esse videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum turba deprehensi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

Pars sexta, et ultima, OCTO LIBROS
COMPLECTENS

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS . *Explicantur
undecim priores versus
capitis XXXVIII, multiplici sensu, praesertim
moralis.*

891 PRAEFATIO.

Nihil gravius nocet animae quam conscia virtus, nisi correptionibus exerceatur. Job maximus, quia solo Deo minor.---Post damna rerum, post funera pignorum, post vulnera corporis, post verba male suadentis uxoris, post contumeliosa dicta consolantium, post suscepta fortiter jacula tot dolorum, de tanta virtute constantiae laudandus a iudice beatus Job fuerat, si jam de praesenti saeculo esset evocandus. At postquam hic adhuc duplicia recepturus est, postquam saluti pristinae restituitur, ut rebus redditis diutius utatur, ne per elationis gladium ipsa illum sua victoria sternat, debet omnipotens Deus increpare per districtam justitiam quem servat ad vitam. Quid enim pejus plerumque animam quam conscia virtus interficit? Quae illam dum consideratione sua inflat, a plenitudine veritatis evacuat; et dum se ad percipienda praemia sufficere suggerit, eam a meliorationis intentione distendit. Justus igitur Job ante flagella exstitit, sed justior post flagella permansit; et laudatus antea Dei voce, postmodum crevit ex verberibus. Profecto velut tuba ductilis ex percussione producta in laudem Dei tanto altius elevatus est, quanto majori castigatione percussus. Sed humiliandus erat iste qui, prostratus ulceribus, sic virtutibus stabat. Humiliandus erat, ne tam robustissimum pectus elationis tela confoderent, quod constabat certe quia et illata vulnera non vicissent. Requirendus nimirum fuit homo cujus debuisset comparatione superari. Sed quid est quod de eo voce Domini dicitur: *Vidisti servum meum Job, quod non sit ei similis vir super terram (Job. I, 8; II, 3)?* Cujus ergo comparatione poterat vinci, de quo Deo attestante dicitur quia nullius hominis comparatione possit aequari? Quid itaque agendum est, nisi ut ex persona sua **892** ipse Dominus suas illi virtutes narret, et dicat ei: *Nunquid producis luciferum in tempore suo,*

et vesperum super filios terrae consurgere facis? Et iterum: Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Vel certe: Nunquid post ortum tuum praecepisti diluculo, et ostendisti aurorae locum suum (Job. XXXVIII, 32, 17, 12)? Quis vero ista, nisi Dominus potest? Et tamen interrogatur homo, ut cognoscat quia ista non potest, quatenus vir qui tam immensis virtutibus crevit, et nullius hominis exemplo vincitur, ne extolli debeat, Dei comparatione superetur. Sed o quam potenter erigitur qui tam sublimiter humiliatur! O quanta est hominis victoria, ex Dei comparatione perdidisse! O quanto hominibus major est qui testimoniis convincitur Deo minor! Multum quippe potens est qui tali interrogatione ostenditur quia potens non est. Sed quia ad obscura nimis disserenda ducimur, ad ejusdem textus jam verba veniamus:

CAPUT PRIMUM [*Vet. et Rec. II*].

CAP. XXXVIII, VERS. 1.---*Respondens autem Dominus Job de turbine dixit.*

1. *Quot quibusve modis ad homines loquatur Deus.*---Notandum video quia si sano atque incolumi locutio facta diceretur, nequaquam de turbine Dominus locutus fuisse scriberetur. Sed quia flagellato loquitur, de turbine locutus fuisse describitur. Aliter enim Dominus servis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem provehit, aliter cum per distractionem ne extollantur premit. Per blandam enim locutionem Domini amanda dulcedo ejus ostenditur; per

terribilem vero potestas ejus metuenda monstratur. In illa persuadetur animae ut proficiat, in ista reprimitur quae proficit. In illa discit quod appetat, in ista quod metuat. Per illam dicit: *Gaude et laetare, filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui* (**Zach. II, 10**); **893** per istam dicitur: *Dominus in tempestate veniet, et in turbine viae ejus* (**Isai. LXVI, 15**). Blandus quippe est qui ut in medio inhabitet venit. Cum vero se per tempestatem et turbinem insinuat, nimirum quae tangit corda perturbat; atque ad edomandam elationem se exerit, quando potens et terribilis innotescit.

2. *Aut per angelos loquitur Deus, aut per semetipsum.*--- Sciendum praeterea est quia duobus modis locutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vi internae inspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur, quia virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur. Ad quam mens plena suspenditur, vacua gravatur. Pondus enim quoddam est quod omnem animam quam replet levet. Incorporeum lumen est quod et interiora repleat, et repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui et auditum aperit, et habere sonitum nescit. Quod enim de adventu sancti Spiritus scriptum est: *Factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes; et apparuerunt illis dispertitae linguae quasi ignis, seditque supra singulos eorum* (**Act. II, 2**); per ignem quidem Dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed

per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interius gessit. Quia enim discipulos et zelo succensos, et verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora, igne vero invisibili et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit. Et cum reginae Candacis eunuchus curru praesidens iter caperet, atque Isaiam non intelligens in manibus haberet, in corde nimirum spiritus Philippo dixerat: *Adjunge te ad currum* (**Act. VIII, 29**). Et cum ad evocandum Petrum timentes Deum milites Cornelius direxisset, in mente procul dubio a spiritu Petrus audivit: *Ecce tres viri quaerunt te, surge itaque, descende et vade cum eis* (**Act. X, 19**). Spiritum enim Dei quasi quaedam nobis verba dicere est occulta vi ea quae agenda sunt intimare, et cor hominis ignarum, non adhibito strepitu et tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Nam quia auditus ea quae ad se fiunt non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui et causas per verba, et particulatim verba per syllabas percipit; visus autem noster in eo quod se dirigit, totum subito et simul apprehendit; Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur, potius quam audiatur, quia dum semetipsum sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostrae ignorantiae tenebras illustrat. Unde et Baruch, Neriae filius, cum requisitus exponeret quemadmodum verba Jeremiae prophetantis audisset, ait: *Ex ore suo loquebatur quasi legens, et ego scribebam* (**Jerem. XXXVI, 18**). Qui enim legens loquitur, alio intendit, sed alio verbum facit, quia **894** quod videt dicit. Prophetæ ergo Dei, quia ejus verba vident potius in corde quam audiunt, quasi legentes loquuntur.

3. *Quomodo per angelos loqui soleat. Aliquando verbis utendo; aliquando rebus; aliquando simul verbis et rebus; aliquando imaginibus cordis aut corporis oculis ostensis.*---

Cum vero per angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis et rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis, aliquando coelestibus substantiis, aliquando terrenis; aliquando simul terrenis et coelestibus. Nonnunquam vero etiam per angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, ut ipse quoque angelus mentis obtutibus praesentetur

4. Verbis namque per angelum loquitur Deus, cum nil in imagine ostenditur, sed supernae verba locutionis audiuntur, sicut dicente Domino: *Pater, clarifica filium tuum, ut et filius tuus clarificet te*, protinus respondetur: *Clarificavi, et iterum clarificabo* (**Joan. XVII, 1**). Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsione intimae clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit, sed nimirum, de coelestibus loquens, verba sua quae ab hominibus audiri voluit rationali creatura administrante formavit.

5. Aliquando rebus per angelos loquitur Deus, cum nil verbo dicitur, sed ea quae futura sunt, assumpta de elementis imagine, nuntiantur; sicut Ezechiel, nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit; ut videlicet dum solam speciem aspiceret, quae essent in novissimis ventura sentiret (**Ezech. I, 4**). Electrum quippe ex auri argentique metallo miscetur, in qua permistione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in

electro nisi mediator Dei et hominum demonstratur? Qui dum semetipsum nobis ex divina atque humana natura composuit, et humanam per deitatem clariorem reddidit, et divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Quia enim virtute divinitatis ejus tot miraculis humanitas fulsit, ex auro crevit argentum; et quod per carnem Deus cognosci potuit, quodque per carnem tot adversa toleravit, quasi ex argento temperatum est aurum. Quod bene et in medio ignis ostenditur, quia incarnationis ejus mysterium subsequentis judicii flamma comitatur. Scriptum quippe est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (**Joan. V, 22**).

[*Vet. III.*] 6. Aliquando per angelos verbis simul et rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in divinitatis substantia audire Dominum potuit, sed increpationis verba per angelum audivit, de quo scriptum est: *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi* (**Genes. III, 8**). Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus jam non stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa se a cordis hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem, nisi **895** quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpae suae frigora constringebant? Increpavit ergo Adam deambulans, ut caecis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem, amisso aeternitatis statu, mutabilitatis suae inconstantiam cerneret, et per auram, fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret, et

per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.

[*Vet. IV.*] 7. Aliquando imaginibus cordis oculis ostensis per angelos loquitur Deus, sicut Jacob subnixam coelo scalam dormiens vidit (**Genes. XXVIII, 12**); sicut Petrus linteam reptilibus ac quadrupedibus plenum in ecstasi raptus aspexit (**Act. X, 11**), qui nisi incorporeis oculis haec cerneret, in ecstasi non fuisset; sicut Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit (**Act. XVI, 9**), qui transire eum in Macedoniam rogavit. Aliquando imaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis per angelos loquitur Deus, sicut Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere, et non solum suscipere, sed eorum usibus etiam cibos adhibere (**Genes. XVIII, 2, seq.**). Nisi enim Angeli quaedam nobis interna nuntiantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent; nec cibos cum Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex coelesti elemento gestarent. Nec mirum quod illic ipsi qui suscepti sunt, modo angeli, modo Dominus vocantur, quia angelorum vocabulo exprimuntur qui exterius ministrabant, et appellatione Domini ostenditur qui eis interiorius praeerat, ut per hoc praesidentis imperium, et per illud claresceret officium ministrantium.

[*Vet. V.*] 8. *Varii alii modi quibus Deus loquitur hominibus.*--
-Aliquando coelestibus substantiis per angelos loquitur Deus, sicut, baptizato Domino, scriptum est quia de nube vox sonuit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (**Matth. III, 17**). Aliquando terrenis substantiis per angelos loquitur Deus, sicut cum Balaam

corripuit, in ore asinae humana verba formavit (**Num. XXII, 28**). Aliquando simul et terrenis et coelestibus substantiis per angelos loquitur Deus, sicut ad Moysen in monte cum jussionis suae verba edidit, ignem rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit (**Exod. III, 2**). Quod tamen tunc solum agitur, cum ex ipsa aliquid conjunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostendit, nisi quod ejus populi ductor fieret qui et legis flammam perciperet, et tamen peccati spinam nequa quam vitaret; vel quod ex illo populo exiret qui in igne Deitatis carnis nostrae peccata quasi rubi spinas suscipere, et inconsumptam humanitatis nostrae substantiam etiam in ipsa divinitatis flamma servaret?

[*Vet. VI.*] 9. *Inspirati quandoque prophetae per angelos.*--- Nonnunquam vero humanis cordibus etiam per angelos Deus secreta eorum praesentia virtutem suae aspirationis infundit. Unde et Zacharias ait: *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me* (**Zach. I, 14**). Dum ad se quidem sed in se tamen loqui angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad **896** ipsum verba faceret per corpoream speciem extra non esset. Unde et paulo post subdidit: *Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur* (**Ibid., II, 3**). Saepe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus voluntatem Dei prophetarum sensibus innotescunt, atque eos ad sublimia sublevant, et quaeque in rebus futura sunt in causis originalibus praesentia demonstrant. Humanum namque cor ipso carnis corruptibilis pondere gravatum hanc ipsam corpulentiam suam quasi obicem sustinens, interna non penetrat, et grave exterius jacet, quia levantem manum interius non habet. Unde fit, sicut dictum est, ut prophetarum sensibus ipsa ut est subtilitas

angelicae virtutis appareat, eorumque mens quo subtili spiritu tangitur, levetur; et non jam pigra torpensque in imis jaceat, sed repleta intimis afflatibus, ad superna conscendat, atque inde quasi de quodam rerum vertice, quae infra se ventura sunt videat. Sed ne quis in praedictis Zachariae verbis angeli designatum nomine vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum putet, si textum Scripturae sacrae considerat, quod sentit velociter emendat, quae nunquam Patrem, nunquam Spiritum sanctum, et non nisi per incarnationis suae praedicationem Filium angelum vocat. Unde et in ejusdem Zachariae verbis aperte ostenditur quod in illo vere angelus, id est creatura, loqueretur, cum dicitur: *Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur (Zach. II, 3)*. Statimque subjungitur: *Et alius angelus egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem (Ibid., II, 3)*. Non est itaque Deus angelus qui mittitur, cui verba ab angelo quae dicere debeat jubentur. Sed quia in conspectu conditoris angelica ministeria ordinata graduum positione distincta sunt, ut et pro communi felicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, et tamen pro dispositione dignitatis aliis alii subministrent, ad prophetam angelus angelum mittit, et quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, et docet, et dirigit, quia eum et per superiorem scientiam virtute cognitionis, et per praestantiores gratias culmine potestatis excedit.

10. *Quomodo Deus Job responderit.*---Haec igitur dicta sunt ut quibus modis loquatur Deus hominibus demonstraretur. Cum vero beato Job respondisse Dominus de turbine dicitur, utrum per semetipsum, an ei per angelum sit locutus

ambigitur. Potuerunt quippe per angelum commotiones aeris fieri, et haec ei quae subjuncta sunt per eum verba mandari. Rursumque potuit et exterius angelus in turbine aerem excutere, et tamen interius per semetipsum Dominus vim suae sententiae cordi ejus sine verbis insonare, ut credatur quod dicta dominica quae sequuntur ipse jam per verba protulit, qui, repletus Deo, haec sine verbis audivit. [*Vet. VII, Rec. III.*] Itaque dicitur:

CAPUT II.

VERS. 2.---*Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?*

11. *Recte sentientes at superbe loquentes reprobantur. Prima angeli stultitia elatio fuit.*---Sicut et superiori parte jam diximus, prima exprobratio est talis interrogatio, qua dicitur: **897** *Quis est iste?* Eliu enim arroganter locutus fuerat. Et quis est iste? non dicimus nisi de eo utique quem nescimus. Scire autem Dei approbare est, nescire reprobare. Unde quibusdam quos reprobat dicit: *Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (**Luc. XIII, 25, 27**). Quid est ergo de hoc arrogante requirere *Quis est iste?* nisi aperte dicere: Ego arrogantes nescio, id est eorum vitam in sapientiae meae arce non approbo? Quia dum laudibus humanis inflantur, a vera gloria aeternae retributionis inanescunt. In eo vero quod ait, *Sententias*, et non addidit quales, bonas utique accipimus, quas quidem imperitis asserit sermonibus involutas, quia cum verbis jactantiae fuerant

prolatae. Imperitiae quippe vitium est rectum non recte sapere, id est coeleste donum ad appetitum terrenae laudis inclinare. Sicut enim saepe contingit ut et bona male et mala bene proferantur, ita Eliu arrogans recta non recte protulit, quia humiles in Dei defensione sententias non humiliter dixit. Unde et eorum qui intra catholicam Ecclesiam inani gloriae student, non immerito typum tenet: qui dum se prae caeteris peritos credunt, divino iudicio de imperitia redarguuntur, quia sicut Apostolus ait: *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire (I Cor. VIII, 2)*. Quia enim prima stultitia Angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suae aestimationis. Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit. Unde Eliu et sententias protulit et imperitis sermonibus involutas, quia et de Deo rectum quod diceret noverat, et tamen de semetipso dicta illius elatio stulta infatuabat. Hoc itaque despecto, ad erudiendum Job verba vertuntur:

CAPUT III [*Rec. IV.*]

VERS. 3.---*Accinge sicut vir lumbos tuos.*

12. *Coercenda est luxuria non solum carnis, sed etiam elati cordis.*---Scriptura sacra viros vocare consuevit qui nimirum vias Domini fortibus et non dissolutis gressibus sequuntur. Unde per Psalmistam dicitur: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum (Psal. XXX, 25)*. Unde Paulus ait: *Remissas manus*

et dissoluta genua erigite (Hebr. XII, 12). Unde et Sapia in Proverbiis: *O viri, ad vos clamito (Prov. VIII, 4).* Ac si aperte diceret: Ego non feminis, sed viris loquor, quia hi qui fluxa mente sunt mea verba percipere nequaquam possunt. Lumbos vero accingere est vel in opere luxuriam vel in cogitatione refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis est. Unde et sanctis praedicatoribus dicitur: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes (Luc. XII, 35).* Per lumbos enim luxuria, per lucernas autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere, et lucernas tenere. Ac si aperte audiant: Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. Sede cum beatum Job tanta praeditum castitate noverimus, cur ei post tot flagella dicitur: *Accinge sicut vir lumbos tuos*, id est, sicut fortis restringe luxuriam, nisi quia alia est luxuria carnis qua castitatem corrumpimus, alia vero luxuria cordis est qua de castitate gloriamur? Dicitur ergo ei: *Accinge sicut vir lumbos tuos*, ut qui **898** prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam restringat elationis, ne de patientia vel castitate superbiens, tanto pejus intus ante Dei oculos luxuriosus existeret, quanto magis ante oculos hominum et patiens et castus appareret. Unde bene per Moysen dicitur: *Circumcidite praeputia cordis vestri (Deut. X, 16)*, id est, postquam luxuriam a carne exstinguitis, etiam superflua cogitationum resecae. Sequitur:

CAPUT IV [*Rec. V.*]

IBID.---*Interrogabo te, et responde mihi.*

13. *Tribus modis nos interrogat Deus: flagellando; dura praecipiendo; aliqua nobis abscondendo.*---Tribus modis nos conditor noster interrogare consuevit, cum aut flagelli districtione nos percutit, et quanta nobis insit, vel desit patientia ostendit: aut quaedam quae nolumus praecipit, et nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit; aut aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit, et nobis mensuram humilitatis nostrae innotescit. Flagello namque interrogat cum mentem bene sibi per tranquillitatem subditam afflictionibus pulsat, sicut idem Job et laudatur attestatione judicis, et tamen ictibus conceditur percussoris (**Job II, 3, 7**), ut ejus patientia tanto verius claresceret quanto inquisita durius fuisset. Praecipiendo autem dura nos interrogat, sicut Abraham terram suam jubetur egredi et pergere quo nesciebat (**Genes. XII, 1**), in montem unicum filium ducere, et quem ad consolationem senex acceperat immolare (**Genes. XXII, 2**). Cui nimirum ad interrogationem bene respondenti, id est ad jussionem obedienti dicitur: *Nunc cognovi quia times Deum* (**Ibid., 12**). Vel sicut scriptum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (**Deut. XIII, 3**). Tentare quippe Dei est magnis nos jussionibus interrogare. Scire quoque ejus est nostram obedientiam nosse nos facere. [*Vet. VIII.*] Aperiendo vero nobis quaedam, atque claudendo quaedam nos interrogat Deus, sicut per Psalmistam dicitur: *Palpebrae ejus interrogant filios hominum* (**Psal. X, 6**). Palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil videmus. Quid ergo palpebras Dei, nisi ejus judicia accipimus? Quae juxta aliquid clauduntur hominibus, et juxta aliquid reserantur, ut homines qui se nesciunt sibimetipsis innotescant, quatenus dum quaedam intelligendo comprehendunt, quaedam vero cognoscere omnino non

possunt, eorum corda sese latenter inquirant, si illos divina iudicia vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. Hac enim interrogatione Paulus probatus est, qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum tertii coeli, post supernae locutionis mysteria, adhuc dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse* (**Philip. III, 13**). Et rursum: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (**I Cor. XV, 9**). Et rursum: *Non quia sufficientes sumus aliquid cogitare a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (**II Cor. III, 5**). Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus recte respondit, qui et superna secreta attigit, et tamen in humilitate cordis sublimiter stetit. Qui rursum cum secreta Dei iudicia de repulsione Iudaeorum et gentium vocatione discuteret, atque ad ea pervenire non posset, quasi clausis Dei palpebris interrogatus est. Sed rectum valde responsum **899** reddidit, qui Deo se in ipsa sua ignorantia scienter inclinavit, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (**Rom. XI, 33**)? Ecce enim absconsis mysteriis quasi clausis palpebris inquisitus placita ac recta respondit, qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionem intromitti ad interiora non valuit, per confessionem ante januas humilis stetit; et quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudavit. Unde nunc quoque beatus Job post interrogationem verberis discutitur interrogatione sermonis, ut quae sint superna consideret; quae dum minime comprehendit, ad semetipsum redeat, et quam sit juxta nihilum in supernorum comparatione cognoscat. Audiat itaque: *Interrogabo te, et responde mihi*. Ac si apertius

dicatur: Verbis meis ad sublimia considerata te excito, et dum ea quae super te sunt nescire te perspicias, tibimetipsi te notiolem reddo. Tunc enim mihi vere respondes, si quae ignoras intelligis. Sequitur:

CAPUT V [Rec. VI.]

VERS. 4-6.---*Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatae sunt?*

14. *Per fundamenta Ecclesiae intelligi debent apostoli; per fundamentum, solus Christus.*---Ecce omnia quasi de mundi origine narratione historica contexuntur. Repente vero subjungitur quod non de mundi, sed de Ecclesiae dictum conditione videatur. Nam dicitur:

Aut quis dimisit lapidem angularem ejus?

Per hoc enim quod non in mundi origine factum est, et illud superius ostenditur, quia de mundi origine dictum non est. Idcirco namque rebus planis ac patentibus obscura quaedam ac dissona permiscuntur, ut per hoc quod ab intellectu litterae discrepat et illud inquiratur mystice quod dictum juxta litteram sonat. Namque sicut aliis apertis rebus alia clausa cognoscimus, ita aliis clausis compellimur et illa altiori intellectu pulsare quae aperta credebamus. Dicat ergo: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae.* [Vet. IX.] In Scriptura sacra quid aliud fundamenta quam praedicatores

accipimus? Quos dum primos Dominus in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricae structura surrexit. Unde et sacerdos cum tabernaculum ingreditur (**Exod. XXVIII, 17**) duodecim lapides portare in pectore jubetur, quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens pontifex noster, dum fortes in ipso exordio praedicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaque apostoli et pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, et pro prima soliditate aedificii in solo fundamenta. Unde David propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus apostolorum mentibus poni aedificarique conspiceret: *Fundamenta ejus, inquit, in montibus sanctis* (**Psal. LXXXVI, 1**). Cum vero in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, per cujus divinitatis potentiam, nutantia infirmitatis nostrae corda solidantur. De quo et Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (**I Cor. III, 11**). Ipse quippe fundamentum fundamentorum est, quia et origo est inchoantium, et constantia robustorum. Quia igitur fundamenta nostra sunt hi qui iniquitatum nostrarum pondera portaverunt, ne beatus Job in superbiam de virtutum suarum potentia sublevetur, in ipsa dominici prima parte sermonis de sanctorum praedicatorum commemoratione discutitur, ut quanto illos admirabiles venire conspiceret, tanto in eorum comparatione de se vilius aestimaret. Quod idcirco a Domino jam quasi praeteritum describitur, quia quidquid foris futurum est in opere, intus jam factum est in praedestinatione. Dicitur itaque ei: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?* Ac si aperte diceretur: Virtutem fortium

considera, meque eorum ante saecula auctorem pensa; et cum eos quos in tempore condidi mirabiles suspicis, perpende quantum mihi subdi debeas, quem auctorem mirabilium sine tempore esse cognoscis. Sequitur:

CAPUT VI.

VERS. 4, 5.---*Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam?*

15. *Ejus nutu sancti praedicatores ad quasdam orbis partes missi, ab aliis repulsi.*---Mensurarum lineae in terrarum partitione tenduntur, ut dimensionis aequitas ex ipsa linearum tensione teneatur. In carne autem Dominus ad Ecclesiam veniens mensuras terrae lineis mensus est, quia fines Ecclesiae occulti judicii subtilitate distinxit. Hujus terrae occultae mensurae vel lineae tendebantur quando praedicatores sancti agente Spiritu in alias partes mundi vocabantur ut irent, ab aliis vero partibus arcebantur ne accederent. Paulus namque apostolus cum Macedoniae praedicare negligeret, per visum illi apparuit vir Macedo qui diceret: *Transiens in Macedoniam adjuva nos (Act. XVI, 9)*. At contra, sicut scriptum est: *Tentabant apostoli ire in Bithyniam, et non permisit eos Spiritus Jesu (Ibid., 7)*. Dum ergo praedicatores sancti et vocantur ad Macedoniam, et ab Asia prohibentur, ista occultarum mensurarum linea illic ducta est, hinc reducta. Illic tenditur, ut Macedonia intra sanctae Ecclesiae spatia colligatur; hinc attrahitur, ut extra fines fidei Asia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui

colligendi non erant, quibus juxta meritum suum perditis, jam nunc Asia intra mensuras Ecclesiae Deo largiente suscepta est.

16. *Intra mensuras a Christo positas electi, extra reprobi. In Dei non in hominis manu ejus dispositio.*---Intra has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiam si intra fidei limitem esse videantur. Unde et in Apocalypsi scriptum est: *Atrium quod foris templum est ejice foras, et ne metiaris illud (Apoc. XI, 2).* Quid enim aliud atrium quam latitudinem significat vitae praesentis? Et recte foris templum sunt qui per atrium designantur, atque ideo metiendi non sunt, quia angusta est porta quae ducit ad vitam (**Matth. VII, 14**), et latitudo vitae pravorum non admittitur ad mensuras et regulas electorum. Istaе spiritalis lineae occulto judicio tendebantur quando cuidam dicenti: *Magister, sequar te quocunque ieris (Matth. VIII, 19),* ejusdem magistri voce responsum est: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (Ibid., 20).* Istaе mensurae et lineae tendebantur cum cuidam dicenti: *Domine, permittite me primum ire sepelire patrem meum (Luc. IX, 59),* ejusdem magistri voce responsum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, annuntia regnum Dei (Ibid., 60).* Ecce alius secuturum se promittit, et repellitur: alius relaxandum se postulat, et retinetur. Unde hoc, nisi quia super occulta cordis spatia **901** supernorum judiciorum lineae tendebantur, ut et hunc intus incomprehensibiles mensurae constringerent, et ille foris non injuste remaneret? Sed cum nullus nesciat quia Deus has occultorum judiciorum lineas tendat, cur ad Job dicitur: *Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit*

mensuras ejus, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam? An idcirco requiritur, ut quod nosse, sed tamen praetermittere poterat, memoretur, quatenus pondus secretorum Dei sollicitius penset, dispositionem videlicet hominis non in humanis viribus, sed in manu consistere conditoris, ut dum considerat invisibiliter ista quis agat, suae virtuti nihil tribuat, nec jam de se audeat aliquid, cum Dei judicia occulta formidat; sed perpendens desuper mensuras et lineas incomprehensibiliter tensas, tanto magis in humilitate formidinis consistat, quanto pendere videt omnia in potestate mensoris. Sequitur

CAPUT VII.

VERS. 6.---*Super quo bases illius solidatae sunt?*

17. *Bases Ecclesiae sunt sancti doctores et prophetae.*---Quid aliud hujus terrae bases quam sanctae Ecclesiae doctores accipimus? In basibus quippe columnae, in columnis autem totius fabricae pondus erigitur. Non ergo immerito doctores sancti basium nomine designantur, quia dum recta praedicant, et praedicationi suae vivendo concordant, omne pondus Ecclesiae fixa morum suorum gravitate sustentant, asperas ab infidelibus tentationes ferunt; et quaeque in praeceptis Dei velut difficilia a fidelibus formidantur, exemplis operum facilia ostendunt. Unde et bene cum in typo Ecclesiae tabernaculum figeretur, ad Moysen dicitur: *Facies columnas quatuor, et bases earum vesties argento (Exod. XXVI, 32).* In argento enim quid aliud quam claritas divini sermonis

accipitur? sicut scriptum est: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum* (**Psal. XI, 7**). Bases ergo argento vestitae quatuor columnas tabernaculi sustinent, quia praedicatores Ecclesiae divino eloquio decorati, ut cunctis se exemplum praebeant, quatuor evangelistarum dicta et ore et operibus portant

18. Possunt per bases etiam prophetae signari, qui dum primi aperte de dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases eos conspicimus a fundamento consurgere, et superpositae fabricae pondera sustinere. Unde ad Moysen rursum Dominus, cum tabernaculi tabulas erigi praecepit, fundi earum bases argenteas jubet (**Exod. XXVI, 32**). Quid enim per tabulas nisi apostoli extensa in mundum praedicatione dilatati, quid per bases argenteas nisi prophetae signantur? qui superimpositas tabulas ipsi firmi ac fusiles sustinent, quia apostolorum vita dum eorum praedicatione instruitur, eorum et auctoritate solidatur. Unde et conjunctae binae bases singulis tabulis supponuntur, quia dum prophetae sancti in verbis suis de Mediatoris incarnatione concordant, subsequentes praedicatores Ecclesiae indubitanter aedificant; et cum a semetipsis non discrepant, illos in se robustius figunt. Nec immerito bases quibus prophetae signantur, ut ex argento fundi debeant praecipitur. Argenti quippe claritas ex usu servatur, sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta ante Mediatoris adventum, quia in **902** usu spiritalis intelligentiae non erant, dum conspici prae obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant. At postquam Mediator veniens ea ante oculos nostros incarnationis suae manu tersit, quidquid in eis lucis latebat inclaruit, sensusque patrum praecedentium in usum dedit,

quia verba rebus exposuit. Sive itaque prophetas, seu doctores extremis temporibus subsequentes, basium appellatione significet, dicat: *Super quo bases illius solidatae sunt?* subaudis, nisi super me, qui cuncta mirabiliter teneo, et bonis exterioribus intus principaliter originem praesto. Qui enim sibi quod bonum est tribuit, solida basis non est, quia dum fundamento non innititur, ipso suo pondere in ima praecipitatur. Sed cum jam multa de sanctae Ecclesiae constructione referantur, audire mens appetit inimicae nationes qua virtute conjunctae sint, id est diversa hujus domus aedificia qua sibi arte concordent. Sequitur:

CAPUT VIII.

IBID.---*Aut quis dimisit lapidem angularem ejus?*

19. *Christus lapis angularis, in quo Judaei gentilesque convenerunt.*---Jam per divinam gratiam omnibus liquet, quem Scriptura sacra angularem lapidem vocet, illum profecto qui, dum in se hinc Judaicum illinc gentilem populum suscipit, in una Ecclesiae fabrica quasi duos parietes jungit, illum de quo scriptum est: *Fecit utraque unum* (**Ephes. II, 14**). Qui angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed et in supernis exhibuit, quia et in terra plebi Israeliticae nationes gentium et utramque simul angelis in coelo sociavit. Eo quippe nato clamaverunt angeli: *In terra pax hominibus bonae voluntatis* (**Luc. II, 14**). In ortu enim Regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. De hoc lapide per Prophetam dicitur: *Lapidem*

quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (Psal. CXVII, 22). Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthaeus dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit (**Matth. I, 11**). Quem enim fini secundae, ipsum rursum initio tertiae generationis inseruit. Ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur. Cujus migrationis flexu angularem lapidem designat. Ubi enim ordo a rectitudine deflectitur, ut eat in diversum, tanquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem quasi duo in se latera ostendit, unde et ejus bene imaginem tenuit, qui in Judaea ortus, gentilitatem colligens, quasi a Jerosolymis Babyloniam venit, atque hanc in semetipso fidei fabricam prius discordiae studio scissam arte charitatis intexuit.

Sed haec quae de significatione sanctae Ecclesiae dicta sunt placet ut breviata replicatione moraliter disserantur. Dignum namque est ut per ea quae beato Job dici cognoscimus ad corda nostra revocemur, quia verba Dei tunc mens verius intelligit cum in eis semetipsam quaerit. Ecce enim dicitur:

CAPUT IX.

VERS. 4.---*Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?*

SENSUS MORALIS.---20. *Quid ex nobis fuerimus semper considerandum, ne quod sumus ex Dei munere, nobis tribuamus.*---Si peccatoris animus pulvis est, qui in superficie

attollitur, et tentationis aura raptatur, unde scriptum est: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae* (**Psal. I, 5**), **903** nil obstat terram intelligi animam justi, de qua scriptum est: *Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem* (**Hebr. VI, 7**). [*Vet. X.*] Sed hujus terrae fundamentum fides est. Hujus terrae fundamentum jacitur, quando in occultis cordis prima soliditatis causa divinus timor inspiratur. Iste necdum credit aeterna quae audit; huic cum fides datur, ad aedificium subsequentis operis jam fundamentum ponitur. Ille aeterna jam credit, nec tamen metuit, venturi judicii terrorem despicit, peccatis se carnis et spiritus audenter involvit; huic repente cum futurorum timor infunditur, ut bonae vitae surgat aedificium, jam fundamenta construuntur. Posito itaque prosperae formidinis fundamento, cum virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est ut unusquisque proficiens vires suas caute metiatur, ut cum divina constructione magnus esse jam coeperit, semetipsum respiciat sine cessatione quod fuit, quatenus attendens humiliter quod per meritum inventus est, nequaquam sibi arroget quod per gratiam factus est. Unde et nunc beatus Job per supernam vocem ad semetipsum reducit, et ne de virtutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eique dicitur: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?* Ac si justificato peccatori aperte Veritas dicat: Virtutes a me acceptas tibi non tribuas, noli contra me de meo munere extolli. Recole ubi te inveni quando meo timore prima in te fundamenta virtutum posui. Recole ubi te inveni quando meo te timore solidavi. Ut ergo ego in te non destruam quod construxi, ipse non cesses considerare quod

reperi. Quem enim Veritas nisi aut in flagitiis aut in excessibus invenit? Sed post haec bene possumus servare quod sumus, si nunquam negligimus pensare quod fuimus. Nonnunquam tamen clandestina elatio etiam sollicitis cordibus subrepere solet, ut bonorum cogitatio, licet subtilis sit ac pressa, cum valde in virtutibus crescit, oblita infirmitatis propriae, nequaquam ad memoriam revocet quid in vitiis fuerit. Unde et omnipotens Deus, quia augeri infirmitatem etiam de remediis salutis conspicit, mensuram ipsis nostris profectibus imponit, ut habeamus quaedam virtutum bona quae nunquam quaesivimus, et quaeramus quaedam, nec tamen habere valeamus, quatenus mens nostra dum haec non potest habere quae appetit, et illa se intelligat de semetipsa non habere quae habet, et per ea quae adsunt considerentur illa quae desunt, et per ea quae utiliter desunt serventur humiliter bona quae adsunt. Unde et recte pro hujus terrae, id est justae animae dispensatione subjungitur:

CAPUT X.

VERS. 4, 5.---*Indica mihi, si habes intelligentiam, quis posuit mensuras ejus, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam?*

21. *Quam sapienter Deus dona sua, non omnia omnibus, sed singula singulis distribuat.*---Quis enim nisi conditor noster hujus terrae mensuras ponit (**I Cor. XII, 8**)? Qui, interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiae, alii sermonem scientiae, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum,

alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii **904** interpretationem sermonum tribuit, quatenus in uno eodemque spiritu iste verbo sapientiae polleat, nec tamen sermone scientiae, id est doctrinae, fulciatur, quia sentire atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit; ille sermone scientiae fulgeat, nec tamen in verbo sapientiae convalescat, quia et explere sufficit quantum didicit, et tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat; ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen arenti terrae verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad praesentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen, prophetiae gratiam non habens, quae sibi ventura sunt ignorat; ille ventura quaeque velut praesentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis linguas nescit; ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit sermonum pondera interpretando prudenter discutit, et tamen reliquis bonis quae non habet patienter caret.

22. *Sic humilitati cavetur et charitati.*---Sic itaque creator noster atque dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alteri alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subijcitur attendat, ac licet se praeire et aliis sentiat, eidem tamen quem superat se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum

singula quaeque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum, et unusquisque sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. [*Vet. XI.*] Hinc enim per Petrum dicitur: *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei (I Petr. IV, 10).* Tunc namque bene multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum et ejus qui hoc non habet creditur, quando propter eum cui impenditur sibi datum putatur. Hinc per Paulum dicitur: *Per charitatem servite invicem (Galat. V, 13).* Tunc enim nos charitas a jugo culpae liberos reddit, cum vicissim nos nostro per amorem servitio subjicit, cum et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. Hinc rursum per Paulum dicitur: *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus (I Cor. XII, 14, seq.)? Et paulo post: Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus (Ibid., 19).*

23. *In corpore Ecclesiae alius est oculus, alius manus, alius pes, etc.*---Quid enim sancta Ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo oculus, **905** alius recta operando manus, alius ad injuncta discurrendo pes, alius praeceptorum vocem intelligendo auris, alius malorum fetorem bonorumque fragrantiam discernendo naris est. Qui, corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta

officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt; et cum diversa in charitate peragunt, diversum esse prohibent ubi continentur. Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique quod ex multis continetur non essent, quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diversitas non teneret. Quia ergo sanctis membris Ecclesiae virtutum dona Dominus dividit, terrae mensuras ponit. Unde iterum Paulus dicit: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei (Rom. XII, 3)*. Et rursum: *Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate (Ephes. IV, 16)*.

24. *Singula membra assignatis sibi officiis fungantur, non aliena usurpent.*---Sed cum miro consilio auctor ac dispositor noster huic illa largitur quae alii denegat, alii haec denegat quae isti largitur, mensuras sibi positas egredi nititur quisquis posse plus quam acceperit conatur, ut si fortasse is cui tantummodo datum est praeceptorum occulta disserere tentet etiam miraculis coruscare, aut is quem supernae virtutis donum ad sola miracula roborat etiam divinae legis pandere occulta contendat. In praecipitio enim pedem porrigit qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque amittit et quod poterat qui audacter ea ad quae pertingere non valet arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc bene ministeriis utimur cum sua eis officia distincte servamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, huic incassum utraque patent. Si quis odores velit ore discernere, saponem nare gustare, utriusque sensus sibi

ministerium, quia pervertit. interimit. Dum enim propriis haec usibus non aptantur, et sua officia deserunt, et ad extranea non assurgunt.

25. *Intra mensuras illas David sese continuit, et Paulus.*--- Bene itaque David propheta intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (Psal. CXXX, 1).* Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat quaereret. Super se namque in mirabilibus attollitur qui et in his ad quae non sufficit videri idoneus conatur. Bene intra has mensuras etiam in ipsa Paulus praedicationis suae se latitudine coarctabat, cum diceret: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus (Rom. XV, 18).* Tunc autem recte accepta mensura servatur, cum anteposita oculis virorum spiritualium vita respicitur. Unde et sequitur:

CAPUT XI.

VERS. 5.---*Vel quis tetendit super eam lineam?*

26. *A sanctis sumenda est vivendi regula.*---Super hanc enim terram linea tenditur, quando electae unicuique animae ad sumendam vivendi regulam patrum praecedentium exempla monstrantur, ut ex illorum vita consideret quid in suis actibus servet, quatenus respecto iusti limitis tramite, nec infra minima negligens deficiat, nec ultra maxima **906** superbiens tendat, nec minus conetur explere quam sufficit, nec plus arripiat quam accepit, ne aut ad mensuram quam debet non

perveniat, aut eandem mensuram deserens, extra limitem cadat. Angusta quippe porta est quae ducit ad vitam (**Matth. VII, 14**); et ille hanc ingreditur qui in cunctis quae agit discretionis subtilitate propter hanc sollicite coarctatur. Nam qui per voluntates proprias secunda mente se dilatat, angustae sibi portae aditum damnat. Ut ergo hujus terrae mensura servetur, super eam divinitus linea tenditur, quia ut nostra opera, vel minora proficiant, vel majora moderentur, per sacra eloquia subtilis ante nos sanctorum vita expanditur, et quid nobis quantumque agendum sit ostensa illorum discretionem definitur.

[*Vet. XII.*] 27. *In exemplis Petri proponitur mensura auctoritatis et humilitatis.*---Ecce aliquis vel damna rerum, vel afflictionem corporis metuens, minas terrenae potentiae pertimescit, et contra vim resistentium veritatem defendere non praesumit. Hunc Petrus, quia in timore angustum respicit, ostensa exemplorum suorum linea, ad virtutis latitudinem tendit. Ipse quippe flagellatus a principibus populi (**Act. V, 40**), cum idcirco se relaxari conspiceret, ut a praedicatione cessaret; cum prohiberetur loqui in posterum, nequaquam saltem in praesens cessit. Nam respondens protinus, dixit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (**Ibid., IV, 29**). Et rursum: *Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui*. At ille dudum debilis, et praesentia damna formidans, dum exempla tantae fortitudinis contemplatur, in auctoritate verbi jam Petri lineam sequitur, jam nil adversitatis metuit, jam resistentes Deo potestates saeculi etiam cum corporis laceratione contemnit. Sed tamen quanto vires persequentium patiundo fortiter destruit, et quanto inter adversa nullis terroribus cedit,

tanto plerumque et in his etiam quae inter fideles positus senserit se caeteris praeponit, sua magis consilia eligit, et sibi potius quam aliis credit. Hic nimirum dum, injustis objectionibus non cedens, in virtute se exerit, etiam recta aliorum consilia non recipiens, pedem extra limitem tendit. Hunc Petrus intra mensurae lineam revocat, qui postquam libertate vocis auctoritatem principum pressit, per humilitatem cordis de non circumcidendis gentibus Pauli consilium audivit (**Act. XV, 7**). Sic enim semetipsum contra adversarios ex auctoritate curabat erigere, ut tamen sibimetipsi non crederet in his quae non recte sentiret, ut et libertate fortitudinis tumentes potestates excederet, et humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet, et modo per semetipsum aliis, modo sibimetipsi cum aliis obviaret. In factis igitur Petri quaedam ante oculos nostros auctoritatis et humilitatis linea tenditur, ne mens nostra aut per timorem ad mensuram non perveniat, aut per tumorem limitem excedat.

28. Ejusdem virtutis opera aliquando exercere, aliquando omittere suadet discretio.---Dictum est quomodo linea tenditur, ne per alterius actionis fortitudinem ad alterius causae vitium transeat; dicatur nunc quemadmodum in una eademque virtute discretionis lineam deserimus, si hanc et aliquando agere et aliquando postponere nesciamus. Non enim res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum saepe **907** merita mutantur actionum. Unde fit ut cum quid bene agimus, plerumque melius ab ejus actione cessemus, et laudabilius ad tempus deserat quod in suo tempore laudabiliter mens tenebat. Nam si pro nostris bonis minimis, quibus actis proficimus, nec tamen intermissis

interimus, majora laborum mala proximis, imminet, necessario nos virtutum augmenta seponimus, ne infirmioribus proximis fidei detrimenta generemus, ne tanto jam quod agimus virtus non sit, quanto per occasionem sui in alienis cordibus fundamenta virtutum destruit.

29. Discretionis hujus exemplum in sancto Paulo.---Quam discretionis lineam bene ante intuentium oculos Paulus tetendit, qui et gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit (**Act. XV, 2**), et tamen Lystris atque Iconium transiens, ipse Timotheum, qui gentili patre editus fuerat, circumcidit (**Act. XVI, 3**). Videns enim quod nisi se mandata litterae servare ostenderet, Judaeorum rabiem etiam in eos qui sibi tunc comites aderant excitaret, assertionis suae vim postposuit, et sine damno fidei se suosque comites a persecutionis immanitate custodivit. Fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus cum indiscrete tenetur amittitur; cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in incorporeis intelligimus quod agi et in corporeis rebus videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur. Qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem praetermittitur, reservatur, ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a percussione interim prudenter cessat. Subtilis igitur discretionis super hanc terram linea tenditur, quando ostensis unicuique animae exemplis praecedentium patrum, et utiliter ad operationem virtus accenditur, et nonnunquam utilius temperatur

[Vet. XIII.] 30. *Cavendum ne discretionis nomine, propriis commodis serviatur.*---Sed cum parumper ab opere zeli fortitudo seponitur, alta consideratione opus est, ne fortasse nequaquam communis boni consilio, sed timore proprio vel cujuslibet ambitionis studio a virtutis exercitatione cessetur. Quod nimirum cum agitur, jam non dispensationi, sed culpae servitur. Unde curandum sollicite est ut cum quis susceptum negotium cum virtutis cessatione dispensat, semetipsum prius in radice cordis inspiciat, ne sibi per hoc aliquid avarus appetat, sibi per hoc soli timidus pareat; et eo fiat pravam quod in opere sequitur, quo non ex recta cogitationis intentione generatur. Unde bene in Evangelio Veritas dicit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit (Matth. VI, 22).* Quid enim per oculum exprimitur, nisi opus suum praeveniens cordis intentio? quae priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquaeque actio, quae intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur? *Lucerna itaque corporis est oculus*, quia per bonae intentionis **908** radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*, quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur. Unde et recte subjungitur: *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebrae sint. Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quanta*

erunt (Ibid., 23)? quia si hoc quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt quae mala esse etiam cum agimus non ignoramus? Et si ibi nil cernimus, ubi quasi discretionis lumen tenemus, qua caecitate in illa offendimus quae sine discretionem perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nil temporale in his quae agit appetat, totam se in soliditate aeternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostrae fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT XII.

VERS. 6.---*Super quo bases illius solidatae sunt?*

31. *Bases animae sunt intentiones.*---Bases quippe uniuscujusque sunt animae intentiones suae. Nam sicut fabrica columnis, columnae autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I Cor. III, 11)*, tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostrae in Christo roborantur. Incassum vero alta super se bases aedificia erigunt, si non ipsae in fundamenti soliditate consistunt, quia nimirum quamlibet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra aeternitatis certitudinem deflectuntur, et vitae verae praemia non requirunt, tantoque graviora ruinae super se damna aedificant, quanto altiora aedificia extra fundamentum

portant, quia cum aeternae vitae praemiis non intendunt, quo plus se quasi in virtutibus erigunt, eo in gloriae inanis foveam profundius cadunt. Non ergo pensandum est bases quid sustinent, sed ubi sustententur, quia profecto humana corda divinitus perscrutantur, non solum quae faciunt, sed quod in operibus quaerunt. Unde cum districtum iudicem Paulus describeret, atque actionum bona narraret, dicens: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus, his quidem, secundum patientiam boni operis, gloriam et corruptionem (Rom. II, 6);* quia, nominata boni operis patientia quasi totam electae actionis fabricam dixerat, subtiliter illico ubi bases ejusdem fabricae consisterent exquisivit, dicens: *Gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus, vitam aeternam (Ibid., 7).* Ac si aperte diceret: Et si quidam patientiam boni operis ostendunt, gloriam et incorruptionem non recipiunt, si intentiones cordis, id est bases fabricae, in fundamento non figunt, quia videlicet Deus vel honestae vitae aedificium non inhabitat quod extra se positum non ipse sustentat.

32. *Ad spem aeternitatis sunt dirigendae.*---Quia igitur intentiones electae uniuscujusque animae spei aeternitatis innituntur, recte voce **909** Dominica de hac terra dicitur: *Super quo bases illius solidatae sunt?* Ac si aperte diceret, Nisi super me. Cui dum justa quaeque anima intendit, omne quod temporaliter facit, in me procul dubio non temporaliter construit. Quia vero tunc robustius in fundamento solidamur, cum verba Dei et in exterioribus praeceptis sequimur, et in intimis sensibus subtilius intelligendo pensamus, recte subjungitur:

CAPUT XIII [*Vet. XIV*].

IBID.---*Vel quis dimisit lapidem angularem ejus?*

33. *Christus lapis angularis, quod vitam activam et contemplativam in se conjunxerit.*---Lapis quippe angularis est ad sacra eloquia intellectus duplex. Qui tunc divinitus dimittitur, quando nequaquam districto judicio ignorantiae suae tenebris illigatur; sed quadam libertate perfruitur, dum in praeceptis Dei sufficit vel exsequendo exteriora agere, vel contemplando interna sentire. Ad quod nunquam noster intellectus assurgeret, si ad suscipiendam naturam nostram ipse noster conditor non veniret. Qui aliter angularis lapis dicitur, quia duos in se populos junxit; atque aliter, quia conjunctae utriusque vitae, activae videlicet et contemplativae, in se exempla monstravit. Ab activa enim vita longe contemplativa distat; sed incarnatus Redemptor noster veniens, dum utramque exhibuit, in se utramque sociavit. Nam cum in urbe miracula faceret, in monte vero orando continue pernoctaret, exemplum suis fidelibus praebuit, ut nec contemplationis studio proximorum curam negligant, nec rursum cura proximorum immoderatus obligati contemplationis studia derelinquant; sed sic in utrisque mentem partiendo conjungant, quatenus nec amorem Dei praepediat amor proximi, nec amorem proximi, quia transcendit, abjiciat amor Dei. Quia igitur humano cordi quid ageret ignoranti Dei atque hominis Mediator apparuit, qui et agendo transitoria disponderet, et contemplando ostenderet unde cuncta penderent, recte dicitur: *Vel quis dimisit lapidem*

angularem ejus? Ac si aperte Dominus diceret: Nisi ego, qui unicum quem sine tempore genui servandis hominibus cum tempore ostendi, in cujus vita discerent etiam diversa vivendi studia non discrepare. Et notandum quod eum non se emisisse, sed dimisisse asserit, quia profecto humanam naturam Filius suscipiens ad ima de sublimibus venit. Cujus incarnationis mysterium quia et electi angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt, recte subjungitur:

CAPUT XIV [*Rec. VII*].

VERS. 7.---*Cum me laudarent simul astra matutina.*

34. *Angeli astra matutina cur appellati.*---Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immerito matutina astra angeli vocantur. Quod si ita est, dum terra esset invisibilis et incompressa, dum tenebrae essent super abyssum (**Genes. I, 2**), venturum diem subsequentis saeculi per lucem sapientiae existendo praevenerunt. Nec negligenter audiendum est quod additur, *Simul*, quia nimirum astra matutina etiam cum vespertinis Redemptoris potentiam laudant, dum electi angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratiae supernae glorificant. Ipse quippe ut nos ad laudem conditoris accenderent, hoc quod superius diximus, orta per carnem luce, clamaverunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (**Luc. II, 14**). Simul ergo **910** laudant, quia redemptioni nostrae voces suae exultationis accommodant. Simul laudant; quia dum nos conspiciunt recipi, suum

numerum gaudent repleri. Qui et fortasse ideo matutina astra memorantur, quia saepe ad exhortandos homines missi sunt; et dum venturum mane nuntiant, ab humanis cordibus praesentis vitae tenebras fugant. Sed ecce angeli divinam potentiam laudant, quia ipsa eos tantae claritatis visio dilatat. Nos autem qui redimimur, sed tamen corruptione adhuc carnis gravamur, donum quod percipimus, qua virtute laudamus? Quomodo enim valebit lingua dicere, quod non sufficit mens nostra sentire? Sequitur:

CAPUT XV

IBID.---*Et jubilarent omnes filii Dei.*

35. *Quid sit jubilatio, et cur homines deceat, non angelos.*--- Jubilatio quippe dicitur cum cordis laetitia oris efficacia non expletur; sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse qui gaudet, nec tegere praevalet, nec explere. Laudent itaque angeli, qui jam tantae claritatis altitudinem in sublimibus vident. Jubilent vero homines, qui adhuc in inferioribus oris sui angustias sustinent. Quae quia certo futura Dominus noverat, non tam facienda insinuat, quam facta narrat. Sed quid agimus, quod cum boni de redemptionis suae mysterio jubillant, malos invidia inflammat; dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, et bona nascentia, quia nolunt imitari, persequuntur? Sed tamen inter haec etiam qui redemit, non relinquit. Scriptum quippe est: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (I

Cor. X, 13). Novit enim conditor noster, quando exsurgere persecutionis procellam sinat, quando exsurgentem reprimat. Novit pro custodia nostra restringere quod contra nos egredi pro nostra exercitatione permittit, ut saeviens nos diluat procella, et non mergat. Unde et sequitur:

CAPUT XVI [*Vet. XV, Rec. VIII*].

VERS. 8.---*Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens?*

36. *Saeculum contra sanctos saeviens a Deo conclusum. Humiliatis terrenis principibus, per eos Dominus Ecclesiam supra mundi culmen evexit.*---Quid enim mare nisi saeculum, quid vulvam, nisi conceptum carnalis cogitationis accipimus? Hoc enim loco vulvae nomine occulta et malitiosa carnalium cogitatio designatur. Quae vulva non ad proferendam prolem concipit substantiam corporis, sed ad explendam nequitiam causam doloris. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur: *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (**Psal. VII, 15**). Per hanc vulvam pravi concipiunt, cum mala cogitant. Per hanc vulvam pariunt, cum mala quae cogitaverint operantur. Erumpebat ergo mare quasi de vulva procedens, cum minarum saecularium fluctus de carnalis cogitationis iniquitate concepti, in sanctae Ecclesiae interitum saevirent. Sed auctore Deo, ostiis hoc mare conclusum est, quia contra tumores persequentium sancti viri quasi quaedam ostia oppositi sunt, ut eorum miraculis atque reverentia irae persequentium frangerentur. Humiliatis quippe Dominus

terrenis principibus, per eos sanctam Ecclesiam supra mundi culmen evexit, et saevientis maris impetus, crecta ejusdem Ecclesiae potestate, coercuit. Sed huic saevienti mari quid Dominus fecerit, audiamus. Sequitur:

CAPUT XVII [*Rec. IX.*]

VERS. 9.---**911** *Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem.*

37. *Persecutorum malitiam Deus constrinxit puerilia sapientem.*---Mare saeviens nube induitur, quia crudelitas persequentium stultitiae suae velamento vestitur. Interposita enim caligine infidelitatis suae, perspicuam veritatis lucem videre non sufficit; et id quod agit per crudelitatis impulsus, per caecitatis suae meritum non agnoscit. *Nam si cognovissent*, ut ait Apostolus, *nunquam Dominum gloriae crucifixissent (I Cor. II, 8)*. Haec nubes non solum solet infideles extra positos premere, sed quosdam etiam viventes carnaliter intra Ecclesiam tenebrare. Unde sancti viri, qui etiam alienae negligentiae compatiuntur, et se pati aestimant quod perpeti alios sentiunt, Deo orantes dicunt: *Opposuisti nubem, ne transeat oratio (Thren. III, 44)*. Ac si aperte dicant: Menti nostrae terrenis voluptatibus assuetae curarum suarum phantasmata justo judicio objicis, quibus eam in ipsa orationis suae intentione confundis; et quam desideriiis infimis deditam non ignoras, recte caecatam ab intuenda lucis tuae perspicuitate reverberas, ut cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur; et quae terrena haec

assidue cogitat quia vult, haec etiam toleret in oratione cum non vult. Quia igitur ipsa persecutorum nequitia superna dispensatione constringitur, ne contra sanctos viros inquantum voluerit effrenetur, postquam dixit: *Cum ponerem nubem vestimentum ejus*; apte subdidit: *Et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem*. Pannis quippe infantiae pedes ac brachia constringuntur, ne huc atque illuc dissoluta libertate jactentur. Quia ergo persecutores sanctae Ecclesiae instabilitate cordis inquieti, atque huic saeculo dediti, non grandaeva, sed puerilia sapiunt, qui quidem obscuritate atque caligine, non intellectu superni iudicii constringuntur, ne tantum persequi valeant quantum volunt, pannis infantiae referuntur obvoluti, quia, sicut dictum est, puerilia quidem sapiunt, sed divina dispensatione constricti, quo volunt brachia non extendunt, et si cuncta mala leviter perpetrare appetunt, nequaquam tamen implere cuncta quae appetunt permittuntur. Sequitur:

VERS. 10.---*Circumdedit illud terminis meis.*

Terminis suis Dominus mare circumdat, quia iras persequentium, iudiciorum suorum dispensatione modificat, ut insani tumida unda fervoris plano frangatur littore occultae dispensationis. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Vet. XVII*].

VERS. 10, 11.---*Et posui vectem et ostia, et dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.*

38. *Sancti praedicatores tanquam ostia mari saecus saevienti opposita, tundi fluctibus, non effringi potuerunt, Christo eos roborante. Haec ostia humilibus aperta, et superbis clausa.--*

-Quid per ostia nisi praedicatores sancti, quid per vectem nisi incarnatus Dominus designatur? Qui haec videlicet ostia contra saevientis maris impetum tanto valentiora opposuit, quanto ea sua observatione roboravit. Quia enim ista sanctae Ecclesiae ostia vectis hujus oppositione solidata sunt, potuerunt quidem tundi fluctibus, sed effringi nequiverunt, ut ea exterius unda persecutionis illideret, sed nequaquam cordis eorum interna penetraret. Et quia doctores sancti praedicatione quidem sequentibus aperti sunt, auctoritate autem sua **912** resistentibus clausi, non immerito ostia vocantur, id est aperta conversationi humilium, et clausa terroribus superborum. Non immerito ostia vocantur, quia et ingressum fidelibus aperiunt, et rursum sese perfidis ne ingrediantur opponunt. Pensemus quale Ecclesiae ostium exstitit Petrus, qui investigantem fidem Cornelium recepit, pretio quaerentem miracula Simonem repulit. Illi dicens: *In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus (Act. X, 34)*, secreta regni benigne aperuit. Huic inquam: *Pecunia tua tecum sit in perditionem (Act. VIII, 20)*, per districtae damnationis sententiam coelestis aulae aditum claudit. Quid cuncti apostoli nisi sanctae Ecclesiae ostia existunt, cum voce Redemptoris sui audiunt: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (Joan. XX, 22)*? Ac si illis aperte diceretur: Per vos ingredientur ad me hi quibus vosmetipsos panditis; et repellentur quibus obseratis. Igitur dum mare saevit, Dominus vectem et ostia opponit, quia ab amaris et perfidis cordibus dum

persecutionis procella se dilatat in mundo, Deus unigeniti sui gloriam praedicatorumque ejus reverentiam exaltat; et dum innotescit mysteria divinae fortitudinis, frangit in impiis fluctus furoris.

39. *Divina providentia persecutionis procella aut prosilit, aut conquiescit.*---Bene autem dicitur: *Hucusque venies, et non procedes amplius.* Quia nimirum judicii occulti mensura est, et quando persecutionis procella prosiliat, et quando conquiescat, ne aut non exagitata electos non exerceat, aut non moderata in profundum mergat. Cum vero notitia fidei usque ad persequentes extenditur, turbati maris tumor sedatur; ibique fluctus suos mare frangit, quia ad cognitionem veritatis veniens, omne quod nequiter egit erubescit. Fracta quippe unda in se reliditur, quia victa nequitia etiam per cogitationem sui cordis accusatur; et quasi ipsam vim quam intulerat recipit, quia de pravitate quam gesserat reatus sui stimulos sentit. Unde quibusdam per Paulum dicitur: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis (Rom. VI, 21)?* Ac si diceretur: Quid se in altum fluctus vestrae pravitatis extulerunt, qui nunc in semetipsis fracti, unde perversos vos inflaverant, conversos inde confundunt? Recte itaque dicitur: *Et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quod vero in hac conclusione maris secundo de ostiis dicitur, more sacri eloquii, res semel dicta pro confirmatione replicatur.

40. *Per mare intelligi potest saeculum, cui Deus ostia opposuit, legis et Novi Testamenti praecepta.*---Si autem hoc in loco mare accipere non specialiter turbam persequentium, sed generaliter saeculum debemus, secundo contra hoc mare Dominus ostia opposuit, quia et prius humano generi praecepta legis, et postmodum novae gratiae testamentum

dedit. Secundo objectis ostiis hujus maris impetum clausit, quia eos quos ad obsequium sui cultus assumpsit, et prius ab idolis data lege coercuit, et post ab intellectu carnali gratia revelata correxit. Secundo mare ostia accepit, quia humanum genus prius Deus ab operibus iniquitatis prohibuit, postmodum vero etiam a cogitationis culpa constrinxit. Videamus quemadmodum prima tumentis mari Dominus ostia imponat. Ecce enim per **913** Legem dicitur: *Non occides, non moechaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices (Exod. XX, 13, 14)*. Videamus quemadmodum secundis hoc mare Dominus ostiis claudat. Ecce in Evangelio dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis; ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo (Matth. V, 27)*. Rursumque dicitur: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos (Ibid. V, 43, 44)*. Qui igitur prius nequitias operis prohibet, et postmodum culpas cordis exhaurit, nimirum tumentis mari, ne circumducta justitiae littora transeat, bis ostia imponit.

[Vet. XVII.] 41. Mundo suae origini adhuc vicino, leges positae. Cui tamen Deus nondum illuxerat. Sub litterae caligine quasi pannis infantiae obvolutus mundus. Prius timore ligatus, postea libertatem consecutus. Lex vetus imperfecta et infirma.---Bene autem cum diceret: *Quis conclusit ostiis mare*. Illico et tempus adjunxit, dicens: *Quando erumpebat, quasi de vulva procedens*. Quia videlicet tunc humano generi praeceptis legis obviavit, quando adhuc saeculum suae origini vicinum, quasi ab ortu

proprio ad profectum vitae carnalis exhibat. De vulva quippe procedere est in luce praesentis gloriae carnaliter apparere. Et recte subjungitur: *Cum ponerem nubem vestimentum ejus*. Quia nimirum Deus hominibus non tunc aperta ostensione se intulit, sed dum eos ab errore perfidiae eripuit, nec tamen illis claritatem sui luminis patefecit, quasi ex tenebris eos abstulit, sed adhuc nube vestivit, ut et pristina pravitatis acta relinquerent, et tamen ventura bona adhuc certius non viderent. Unde et apte subditur: *Et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem*. Dum enim rudes populos non aperta spiritus praedicatione edocuit, sed figurata locutione praeceptis litterae astrinxit, adhuc infirma sapientes verborum suorum caligine quasi pannis infantiae obvolvit, ut mandatis grossioribus ligati crescerent, ne male liberi in suis voluptatibus perirent. Quos ad viam justitiae dum non jam charitas, sed adhuc timor astringeret, divina dispensatio quasi pressit ut nutriret. Infirmus namque populus cum praeceptorum pannos nolens pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione pervenit. Quia enim timor eum prius a culpa coercuit, competenter postmodum in libertatem spiritus exivit. Hos pannos infantiae, quos inchoantibus dedit, ipse per prophetam Dominus reprehendit, dicens: *Dedi eis praecepta non bona* (**Ezech. XX, 25**). Mala enim quasi mala esse desinunt comparatione pejorum, et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti Judaeae de Sodoma atque Samaria dicitur: *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es* (**Ezech. XVI, 51**), ita melioribus Novi Testamenti praeceptis subsequentibus praecepta bona quae rudibus data sunt non bona esse memorantur. Neque enim mentes usui vitae carnalis inhaerentes evehi ab infimis possent, nisi

gradatim ducta praedicatione proficerent. Hinc quippe est quod, in Aegypto positis pio justoque moderamine latenti eorum concupiscentiae condescenditur, et vicinorum suorum vasis aureis argenteisque sublatis, discedere jubentur (**Exod. III, 22**). Qui ad Sina montem ducti, accepta lege, mox audiunt: *Non concupisces rem proximi tui* (**Exod. XX, 17**). Et hinc est **914** quod in eadem lege oculum pro oculo, dentem pro dente praecipiuntur exigere (**Exod. XXI, 24**), et quandoque tamen, revelata gratia, percussi maxillam alteram jubentur praebere (**Matth. V, 3**). Quia enim plus semper ira in vindicta exigit quam injuria accepit, dum discunt mala non multiplicius reddere, quandoque discerent ea et multiplicata sponte tolerare. Hinc est quod eundem rudem populum a quibusdam prohibuit, quaedam vero ei in usum pristinum servavit, sed haec ipsa tamen in melioris vitae figura composuit. Bruta namque animalia idolis in Aegypto mactabant, eique in usum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorum cultum vetavit, ut dum de usu suo aliquid amitteret, consolaretur ejus infirmitas per hoc quod de usu suo aliquid haberet. Mira autem dispensatione consilii, quod ei Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentius vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium nisi unigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium nisi extinctionem carnalis nostrae vitae significant? Unde ergo imbecillitati populi rudis condescenditur, inde ei per obumbratas allegoriarum species major fortitudo spiritus nuntiatur. Recte itaque dicitur: *Et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem*, quia unde ejus teneritudinis infirma pertulit, inde altam significationum spiritalium nubem fecit.

[Vet. XVIII.] 42. *Immoderatis animi motibus opposita novae vitae praecepta exemplis Christi roborata.*---Quem quia praeceptorum limite ab immoderatis animi evagationibus cinxit, recte subjicit: *Circumdedit illud terminis meis.* Et quia hujus humani generis motus misso Mediatore coercuit, apte subjungit: *Et posui vectem et ostia.* Vectem quippe et ostia posuit, quia Redemptore nostro contra culpas delinquentium misso, novae vitae praedicamenta firmavit. Clausa namque ostia opposito vecte roborantur. Vectem ergo Deus opposuit, quia contra lascivos motus humani generis unigenitum misit, qui praecepta spiritalia, quae loquendo docuit, agendo solidavit. Bene autem subditur: *Et dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hoc quippe mare ostia priora transcenderat, quia claustra legis oppositae humani tumoris unda transiliebat. At postquam mundus oppositum sibi unigenitum reperit, elationis suae impetum fregit, et transire non valuit, quia ejus fortitudine furoris sui terminum clausum invenit. Unde recte per Prophetam dicitur: *Mare vidit, et fugit (Psal. CXIII, 3).* Possunt etiam per ostia apertae passiones ejus non inconvenienter intelligi. Quibus ex occulto vectem posuit, quia eas ex invisibili divinitate roboravit. Contra quas mundi fluctus veniunt, sed fracti dissiliunt, quia superbi eas videndo despiciunt, sed earum vires experiendo pertimescunt. Nam dum passiones unigeniti humanum genus prius irrisit, postmodum expavit; quasi contra opposita ostia, more elidendi maris, et tumore elatum venit, et fractum virtute dissiluit.

Sed quia idcirco hoc ad beatum Job dicitur, ut de tot virtutibus cordis ejus gloria premeretur, ne sibi fortasse tribuat quod se

stare sublimiter non ignorat, cum quanta ejus aedificatione sint dicta perpendimus, **915** si haec etiam moraliter disseramus. Dicat itaque:

CAPUT XIX.

VERS. 8.---*Quis conclusit ostiis mare?*

43. *Cor humanum mare fervens, quod Deus solus valet coercere.*---Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiae tumidum, fraude malitiae obscurum? Quod mare quantum saeviat, attendit quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. Ecce enim jam perversa relinquimus, jam desideriiis rectis inhaeremus, jam prava opera foris abscindimus; sed tamen latenter intus ea cum qua huc venimus vitae veteris procella fatigamur, quam nisi respectu judicii et aeterni pavore tormenti immensi timoris claustra constringerent, cuncta in nobis penitus superaedificati operis fundamenta corruissent. Si enim quod per suggestionem saevit intrinsecus, per deliberationem foras erumperet, vitae nostrae fabrica funditus eversa jacuisset. In iniquitate namque concepti, et in delicto editi (**Psal. L, 7**), per insitae corruptionis molestias pugnam nobiscum huc deferimus, quam cum labore vincamus. Unde et recte de hoc mari dicitur: *Quando erumpebat, quasi de vulva procedens*. Vulva enim pravae cogitationis adolescentia est. De qua per Moysen Dominus dicit: *Sensus enim et cogitatio humani cordis prona est in malum ab adolescentia sua* (**Genes. VIII, 21**). Corruptionis namque malum, quod

unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit, in provectu aetatis exercet; et nisi hoc citius divinae formidinis manus reprimat, omne conditae naturae bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, cum Veritas dicat: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens?* Quia nisi ab ipso cogitationis primordio cordis fluctus gratia divina retineret, tentationum procellis mare saeviens terram procul dubio humanae mentis obruisset, ut salsis fluctibus perfusa aresceret, id est perniciosis carnis voluptatibus delectata deperiret. Solus ergo Dominus ostiis mare concludit, qui pravis motibus cordis claustra inspiratae formidinis objicit. Quia vero ea quae cernimus sequi prohibemur, quia a corporearum rerum delectatione retundimur, libet etiam ad invisibilia oculos mentis attollere, atque haec ipsa quae sequi praecipimur videre. Sed quid agimus? Infirmis illa obtutibus necdum patent. Ecce ad eorum amorem vocamur, sed tamen a visione restringimur, quia et si quando aliquid furtim parumque aspicimus, sub incerto nimis adhuc visu caligamus. Unde apte subjungitur:

CAPUT XX [*Vet. XIX*].

VERS. 9.---*Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem.*

44. *Hoc mare tenebris et caligine obvolvitur.*---Hoc mare tumultuosum, videlicet cogitationibus fluctuans cor nostrum nube vestitur, quia ne internam quietem pure conspiciat,

inquietudinis suae confusione tenebratur. Hoc mare caligine quasi pannis infantiae obvolvitur, quia a contemplandis sublimibus adhuc teneris sensibus suae infirmitatis ligatur. Videamus Paulum quadam caligine quasi infantiae pannis obvolutum, dum ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (I Cor. XIII, 12)*. Qui si se ad comprehendenda coelestia infantem non cerneret, aetatis suae **916** ad haec comparisonem nullo modo praemisisset, dicens: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus*. Tunc ergo ad robur juvenile conscendimus, cum forti sensu eam ad quam tendimus vitam videmus; nunc autem quia intentionis nostrae acies per infirmitatem suam ab interna luce retunditur, mens nostra ligata infantiae pannis tenetur. Ubi apte subjungitur:

CAPUT XXI.

VERS. 10.---*Circumdedi illud terminis meis.*

45. *Qui termini huic mari positi.*---Terminis enim suis Dominus hoc mare circumdat, quia cor nostrum adhuc corruptionis suae molestia et cura turbulentum sub mensura contemplationis humiliat, ut licet plus appetat, ultra tamen quam sibi conceditur non ascendat. Vel certe terminis suis Dominus hoc mare circumdat, quia cor nostrum tentationibus tumidum occultis donorum distributionibus mitigat, modo agens ne prava suggestio ad delectationem veniat, modo ne

prava delectatio usque ad consensum prorumpat. Qui ergo illicitos motus cordis respicit, et in quibusdam eos usque ad consensum venire prohibet, in quibusdam vero illos etiam a delectatione restringit, nimirum furenti mari terminos imponit, ut nequaquam in opere exeat, sed intra sinum mentis tentationum submurmurans se unda collidat. Quae quia tunc valenter restringitur, cum ei delectatione Dei atque inspiratis virtutibus obviatur, recte subjungitur:

CAPUT XXII

VERS. 10, 11.---*Et posui vectem et ostia, et dixi. Hucusque venies, et non procedes amplius; et hic confringes tumentes fluctus tuos.*

46. *Virtutes dissipat illud mare saeviens, nisi charitate firmentur.*---Quid enim moraliter per ostia, nisi virtutes; quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus? Haec itaque ostia, scilicet operationum virtutes, mare saeviens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facile autem omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Unde et Paulus in suis praedicationibus dum quaedam virtutum ostia mari tentationis opponeret, illico eisdem ostiis quasi robur vectis adjunxit, dicens: *Super omnia autem haec charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis (Coloss. III, 14).* Perfectionis enim vinculum charitas dicitur, quia omne bonum quod agitur nimirum per illam ne pereat ligatur. A tentatore namque citius quodlibet opus evellitur, si solum a vinculo charitatis

invenitur; si autem mens Dei ac proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus quaelibet ei injusta suggererint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, et pravae suasionis undas virtutum ostiis ac vecte intimi amoris frangit. [Vet. XX.] Quia ergo Dominus per inspiratae charitatis fortitudinem nascentia in corde vitia reprimit, insurgentis maris impetum per obserata claustra compescit. Ira fortasse in occulto exasperat; sed ne quies superna perdatur, perturbationi mentis officium linguae subtrahitur, ne usque ad vocem exeat, quod in sinu cordis tumultuosum sonat. Luxuria in occultis cogitationibus accenditur; sed ne supernam munditiam mens amittat, conceptae immunditiae ea quae famulari poterant membra castigat, ne usque ad corruptionem corporis exhalet fetor cordis. Avaritia stimulat; sed ne coelesti regno mens careat, **917** intra claustra se parcimoniae contenta propriis ligat, ne in pravo se opere dilatet, et usque ad exteriores actus internae concupiscentiae aestus exsudet. Superbia inflat; sed ne veram celsitudinem amittat, considerando quisque quia pulvis est ab altitudine se conceptae elationis humiliat, certans nimirum ne quod in suggestionem cogitationis tolerat in exercitationem operis erumpat. Bene ergo dicitur: *Posui vectem et ostia, et dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, quia dum electus quisque et tentatur vitiis, et tamen facere male suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur. Quod **918** etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen bene vivendi littora non excedit. Quod mare quidem in tumore se erigit, sed dum fixa deliberatione cordis illiditur, fractum redit. Beatus igitur Job ne sibi tribuat quod contra procellas cordis fortiter stat, voce divina audiat: *Quis conclusit ostiis*

mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens, et caetera. Ac si ei aperte diceretur: Incassum te exterius in bonis operibus pensas, si non me interius, qui in te tentationis undas compesco, consideras. Ut enim tu fluctus ferre possis in opere, meae virtutis est, qui fluctus frango tentationis in corde.

LIBER VIGESIMUS NONUS. *Explicantur capituli XXXVIII versus duo supra viginti a 12 ad 33 inclusive; multaque docentur, praesertim de Satanae artibus et insidiis, de gratia, de praedestinatione, reprobatione occultisque Dei judiciis.*

CAPUT PRIMUM

1. *Dei Filius in aeterna nativitate nobis ignotus, nasci voluit in tempore, ut se imitandum praeberet.*---Dominus Deus noster Jesus Christus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est (**I Cor. I, 24**); vel potius quia nec coepit nasci, nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus videatur. At vero ut aeternus designari valeat et perfectus, semper dicamus et natus, quatenus et natus ad perfectionem pertineat, et semper ad aeternitatem, ut

quocunque modo illa essentia sine tempore temporali valeat designari sermone; quamvis hoc ipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviamus, quia quod factum non est non potest dici perfectum. Et tamen infirmitatis nostrae verbis Dominus condescendens, ait: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est (Matth. V, 48)*. In illa itaque nativitate divina ab humano genere cognosci non poterat; proinde in humanitate venit ut videretur, videri voluit ut imitaretur. Quae carnis nativitas despecta visa est sapientibus mundi; contempserunt namque infirma humanitatis ejus, Deo haec indigna judicantes. Cui tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna suscepit. *Quia enim non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (I Cor. I, 21)*. Ac si diceret: Cum Deum, qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inveniret, placuit ut Deum hominem factum per humanitatis stultitiam cognosceret, quatenus ejus sapientia ad nostra stulta descenderet, et lucem supernae prudentiae luto suae carnis illuminata nostra caecitas videret. Natus igitur ex Patre sine tempore, ex matre nasci est dignatus in tempore, ut per hoc quod ortum suum inter initium finemque concluderet, humanae mentis oculis ortum, qui nec initio sumitur, nec fine angustatur, aperiret. Unde bene nunc ad beatum Job dicitur:

CAPUT II [*Rec. II.*]

VERS. 12.---*Nunquid post ortum tuum praecepisti diluculo, et ostendisti aurorae locum suum?*

2. *Orto Domino, Ecclesia tanquam aurora a tenebris in lucem versa.*---Subaudis ut ego. Ortus quippe divinitatis ejus ante et post non habet. Cui dum semper esse est per aeternitatem, dum omne quod labitur circumscribit, intra semetipsum temporum discursus claudit. Ortus vera humanitatis ejus, quia et coepit, et desiit, et ante et post habere a tempore accepit. Sed quia, dum ipse umbras nostrae temporalitatis suscepit, lumen nobis suae aeternitatis infudit, recte post hunc ortum quem creator sibi in tempore condidit locum suum sine tempore aurora cognovit. Quia enim diluculum vel aurora a tenebris in lucem vertitur, non immerito diluculi vel aurorae nomino omnis electorum Ecclesia designatur. Ipsa namque dum ab infidelitatis nocte ad lucem fidei ducitur, velut aurorae more in diem post tenebras splendore supernae claritatis aperitur. Unde et bene in Canticis canticorum dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens (Cant. VI, 9)?* Sancta enim Ecclesia coelestis vitae praemia appetens, aurora vocata est, quia dum peccatorum tenebras deserit, justitiae luce fulgescit.

[*Vet. II.*] 3. *Quandiu vivimus, aurora est, non perfectus dies.* --Habemus tamen subtilius aliquid quod considerata qualitate diluculi vel aurorae pensemus. Aurora namque vel diluculum noctem quidem praeteriisse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostentant; sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris permistam tenent. Quid itaque in hac vita omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus? quia et quaedam jam quae lucis sunt agimus, et tamen in quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis

non caremus. Per Prophetam quippe Deo dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psal. CXLII, 2)*. Rursumque scriptum est: *In multis offendimus omnes (Jac. III, 2)*. Paulus quoque ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis (Rom. VII, 23)*. Ubi ergo lex peccati **919** cum lege mentis contendit, profecto adhuc aurora est, quia lux quae jam emicuit, necdum praetereuntes funditus tenebras pressit. Adhuc aurora est, quia dum lex carnis legem mentis, et lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim lux et umbra confligit. Unde rursum Paulus cum diceret: *Nox praecessit (Rom. XIII, 12)*, nequaquam subdidit, Dies venit, sed *Dies autem appropinquavit*. Qui enim post discessum noctis jam non venisse sed appropinquasse diem insinuat, esse se procul dubio ante solem post tenebras adhuc in aurora demonstrat.

4. *Dies erit, cum nullae peccati tenebrae supererunt.*--- Tunc autem plene sancta electorum Ecclesia dies erit, cum ei admista peccati umbra jam non erit. Tunc plene dies erit, quando interni luminis perfecto fervore claruerit. Tunc plene dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes a se tenebrarum etiam reliquias abscondet. Unde et bene haec aurora quasi adhuc in transitu demonstratur, cum dicitur: *Et ostendisti aurorae locum suum*. Cui enim locus suus ostenditur, profecto ex alio ad aliud vocatur. Quid est enim locus aurorae, nisi perfecta claritas visionis aeternae? Ad quem cum perducta venerit, jam de transactae noctis tenebris nihil habet. Nunc autem adhuc tentationum molestias sustinens, quia per intentionem cordis ad aliud festinat Ecclesia, ad locum suum tendit aurora.

Quem locum si mente non cerneret, in hujus vitae nocte remaneret. Sed cum quotidie contendit perfici, et in lucem quotidie augeri, locum suum jam conspicit, et plene sibi clarescere solem quaerit. Locum suum aurora considerat, quando sancta anima ad contemplandam conditoris sui speciem flagrat. Ad locum suum pertingere aurora satagebat, cum David diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (**Psal. XLI, 3**)? Locum suum veritas aurorae monstrabat, cum per Salomonem diceret: *Quid habet amplius sapiens a stulto; et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita* (**Eccl. VI, 8**)? Quem profecto locum etiam praecedentibus incarnationem suam patribus post ortum suum Dominus ostendit, quia nisi per prophetiae spiritum, incarnandum supernae patriae regem cognoscerent, bona ejusdem patriae quam essent desiderabilia non viderent. Locum suum veritas aurorae patefecit, cum Patrem coram discipulis petiit, dicens: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum* (**Joan. XVII, 24**). Locum suum aurorae monstravit, cum diceret: *Ubique fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae* (**Matth. XXIV, 28**). Ad hunc locum quem cognoverat pervenire aurora festinabat, cum Paulus desiderium habere se diceret dissolvi, et cum Christo esse.: Et rursum *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (**Philip. I, 21**). Et rursum: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis* (**II Cor. V, 4**). Bene autem post ortum suum locum proprium aurorae ostendisse se perhibet, quia futurae retributionis beatitudinem, priusquam per corpus ipse innotesceret, in paucorum intellectu continuit. Cum vero humanae nativitatis infirma suscepit, venturae claritatis

notitiam **920** in multitudinis innumerae amore dilatavit. Sed cum divini operis mysterium sic misericordia peragat, ut tamen et ira comitetur, quatenus occultus arbiter alios respiciens redimat, alios deserens perdat, quia cognovimus quomodo per incarnationem suam electos illuminet, audiamus nunc quomodo reprobos damnet. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 13.---*Nunquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea?*

5. *Dominus abjectos et humiles elegit.*---Extrema terrae Dominus tenuit, quia in fine saeculorum ad destitutam jam et alienigenis regibus subditam synagogam venit; atque ex illa impios excussit, quia spiritalia fidei praedicamenta renuentes, etiam a carnalis sacrificii gloria repulit. Vel certe extrema terrae tenuit, quia ex Judaea paucos abjectos et humiles elegit (**Matth. IV, 18, seq.**). Extrema terrae tenuit, quia legis doctores deserens, piscatores assumpsit. Dumque ejus extrema tenet, ex ea impios excutit, quia dum infirmos fideles roborat, fortes in illa infideles damnat. Recte vero etiam *concutiens* addidit, quia per adventum suum immensa formidine etiam reproborum corda commovit. Concussi quippe fuerant qui dicebant: *Nihil proficimus, ecce totus mundus post eum abiit* (**Joan. XII, 19**). Res autem quae concutitur huc illucque ducta fatigatur. Concussa ergo Judaea fuerat, quae de Christo per alios dicebat: *Quia bonus est* (**Joan. VII, 12**). Et per alios resistebat, dicens: *Non, sed*

seducit turbas (Ibid.). Per alios dicebat: Nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam (Joan. IX, 33). Atque ad extremum per alios clamat; Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (Joan. XVIII, 30). Concussi quidem, sed non prostrati sunt reprobi, cum modo miracula obstupescerent, modo infirmitatis opprobria despicientes irriderent. An non concussi fuerant, qui dicebant: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam (Joan. X, 24). Vel certe extrema terrae concussit et tenuit, quia cum infirma corda humilium pio timore terruit, nequaquam ea iudicio districto dereliquit. Inde enim multitudo credentium in Deum robustius stetit, unde in se humiliata trepidavit. Nam quia eum Deus quem concutit tenet, insinuat per prophetam, dicens: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et timentem sermones meos (Isai. LXVI, 2, sec. LXX)? Quia eum quem concutit tenet, Salomone attestante intimatur, quia ait: Beatus vir qui semper est pavidus; qui autem mentis est durae, corrui in malum (Prov. XXVIII, 14). Igitur quia extrema Judaeae Dominus in apostolis tenuit, atque ex illa Scribas et Phariseos ac pontifices impietatis suae merito exigente reprobavit, quid adhuc de eorum damnatione subdatur audiamus. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 14.---*Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum.*

6. *Judaei ab lateritio opere prius liberati, dum terrena sapiunt, iterum ad lateres redierunt.*---Quid aliud Dominus plebem Israeliticam nisi lutum reperit, quam obsequiis gentilium deditam in Aegypto servientem lateribus invenit? Quam dum tot miraculis ad terram repromissionis duxit (**Exod. V, seq.**), dum perductam cognitionis suae scientia implevit, dum tot arcana secretorum ei per prophetiam contulit; quid eam aliud quam servandi mysterii signaculum fecit? Ipsa quippe divina prophetia clausum continuit quidquid de se Veritas **921** in fine revelavit. Sed dum post tot divina secreta, post tot percepta miracula in Redemptoris sui adventu, plus terram quam veritatem dilexit, per sacerdotes dicens: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (**Joan. XI, 48**), quasi ad eos quos in Aegypto reliqueret lateres rediit; et quae facta jam Dei signaculum fuerat, ad hoc se iterum quod deseruerat inflexit; lutumque se post signaculum in oculis veritatis exhibuit, cum per impietatis malitiam accepti verbi mysteria perdidit, et sola terrena sapere quae inquinant elegit.

7. *Soli litterae servientes Deo per charitatem adhaerere noluerunt.*---Ubi apte subjungitur: *Et stabit sicut vestimentum.* Impolita namque et grossiora vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induentis membris bene applicata non inhaerent, stare feruntur. Judaea igitur circa veritatis notitiam etiam cum servire videretur, sicut vestimentum stetit, quia per exteriora mandata servire se Domino ostendit, sed adhaerere ei per charitatis intelligentiam noluit. Dum solam in praeceptis Dei litteram tenuit, et nequaquam se per spiritum

sensibus intimis junxit, quasi ei qui se induerat non adhaesit. Ubi et apte subjungitur:

CAPUT V.

VERS. 15.---*Auferetur ab impiis lux sua.*

8. *Cognitionem legis amiserunt, quod credere veritati renuerint.*---Quia dum credere veritati renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt; et dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiae suae gloria caecantur. Scriptum quippe est: *Obscurentur oculi eorum, ne videant (Psal. LXVIII, 24).* Rursumque scriptum est: *Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava (Isai. VI, 10).* Et rursum scriptum est: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, caeci fiant (Joan. IX, 39).* Et quia semetipsos de legis operibus contra conditorem legis extulerunt, apte subditur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et brachium excelsum conteretur.*

9. *Superba legis observatio reprobata.*---Excelsum quippe brachium conteritur, quando, praedicata fidei gratia, superba legis operatio reprobat, cum dicitur: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro (Rom. III, 20).*

10. *Extrema Ecclesiae qui Deus et teneat et concutiat.*---Cuncta tamen haec intelligi et aliter possunt. Terram quippe Scriptura sacra vocare consuevit Ecclesiam. Extrema igitur terrae Dominus tenet et concutit, quia Ecclesiae suae ultima per adventum Antichristi persecutione immanissima turbari permittit, nec tamen permittendo deserit. Hanc terram aliquando Dominus tenet, et non concutit; aliquando tenet et concutit, quia modo eam tranquilla pace fidei possidet, modo commoveri impetu persecutionis jubet.

11. *In Ecclesiae persecutionibus falsi Christiani excutiuntur sicut paleae.*---Bene autem cum diceret: *Nunquid tenuisti concutiens extrema terrae*, illico adjunxit: *Et excussisti impios ex ea?* Attestante enim Paulo, plerique in ea sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant (**Tit. I, 16**). Impios ergo ex ea Dominus excutit, quia hi quos nunc intima vitia possident, tunc in voraginem apertae infidelitatis cadent; atque in acervum palarum transeunt, cum tentationis illius aura commoventur. Et quamvis se nunc sub specie fidei intra areae sinum tegant, tunc nimirum extra granorum cumulum districti examinis ventilabro resilient.

[*Rec. IV.*] **922** 12. *In illis signaculum fidei vertitur in lutum.*--Unde et apte subjungitur: *Restituetur ut lutum signaculum.* Ac si aperte diceret: Hi qui nunc videntur in Ecclesiae sinu signaculum, tunc ante oculos omnium restituentur ut lutum, id est, nequaquam judicia hominum de professione religionis fallunt, sed quod terrena sapiant, demonstrantur. Solet enim Scriptura sacra pro fide appellare signaculum, pro iniquitate lutum. Nam filius junior qui, consumpta substantia, ad patrem rediit (**Luc. XV, 22**), in munere annulum accepit. Gentilis enim populus, qui,

immortalitate perdita, ad Deum poenitendo revertitur, per fidei signaculum munitur. Unde et a sponso suo Ecclesiae dicitur: *Pone me ut signaculum super cor tuum* (**Cant. VIII, 6**). Idcirco namque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium praesumptione temerentur. Sponsus ergo in corde signaculum ponitur quando fidei ejus mysterium in custodia nostrae cogitationis imprimitur, ut ille infidelis servus, nimirum noster adversarius, cum signata fide corda considerat, tentando ea irrumpere non praesumat. Per lutum vero terrena contagia demonstrantur, attestante Psalmista qui ait: *Eduxisti me de lacu miseriae, et de luto faecis* (**Psal. XXXIX, 3**). Quia igitur multi in terrenis contagiis inventi, perducti ad Ecclesiam, coelestis fidei sacramento signantur, et tamen ab iniquis operibus non recedunt, seque nunc fidei velamine contegunt, sed cum tempus invenerint, quid sint veraciter ostendunt, recte dicitur: *Restituetur ut lutum signaculum*. Quos enim nunc fideles credimus, ipsos tunc fidei hostes inveniemus; et quamvis appareant non tentati signaculum, erunt procul dubio tentati lutum. Unde et recte dicitur, *Restituetur*, quia qualis eorum conscientia esse ante fidem potuit, tales eos post modum reproba vita convincit. De quibus apte subjungitur: *Et stabit sicut vestimentum*.

13. *Multis nunc quasi vestimentis ornatur Ecclesia, quibus, flagrante persecutione, nudabitur.*---Tot nunc quasi vestibus sancta Ecclesia induitur, quot fidelium veneratione decoratur. Unde et ei ostensis gentilibus, a Domino per prophetam dicitur: *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris* (**Isai. XLIX, 18**). Multis tamen quasi fidelibus nunc specie tenus induitur, sed pulsante persecutionis impetu, tunc eis exuta nudabitur; de quorum

sorte hic dicitur: *Et stabit sicut vestimentum*. Stare vero hoc loco ponitur in peccato persistere. Unde scriptum est: *Et in via peccatorum non stetit (Psal. I, 1)*. Vel certe reprobis quisque sicut vestimentum stare dicitur, ut non posse stare monstretur, quia sicut induta vestis in visionis suae specie per corpus tenditur, exuta autem fracta complicatur, ita unusquisque qui a sanctae Ecclesiae tunc statu recesserit, tensus ac decorus quasi dum indueretur fuit, sed exutus postmodum, confractus atque abjectus jacebit. Si vero stare intelligimus perdurare, sicut vestimentum stat quisque reprobis qui in hac vita quam diligit breviter durat. Unde et per Prophetam dicitur: *Omnia sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis ea, et mutabuntur (Psal. CI, 28)*. Haec itaque, quae allegoriarum nube recta intulit, nunc verbis apertioribus innotescit, subdens:

CAPUT VII.

VERS. 15.---*Auferetur ab impiis lux sua.*

14. *Credientibus et male viventibus fidei lumen auferetur, maxime persecutionis Antichristi tempore.*---Neque enim eos nunc Dei lumen illustrat, **923** qui iniquitatis suae malitiam fidei nomine palliant. [*Vet. III, Rec. V.*] Nam dum juxta praedicationem fidei vivere negligunt, et tamen eandem fidem specie tenus venerantur, honorem vitae praesentis ex nomine religionis quaerunt, hocque eis ex fide lucet, quod eos fides coram hominibus refovet. Sunt vero nonnulli, qui

aeterna quae audiunt veraciter credunt, et tamen eidem quam tenent fidei male vivendo contradicunt. Habent hi quoque in tenebris lucem suam, quia dum perversa agunt, et tamen de Deo recta sentiunt, ne tenebrescant funditus, ex quadam parte fulgore luminis illustrantur. Qui dum plus terrena quam coelestia, plus quae vident quam quae audiunt, diligunt, pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur amittunt. Quod illo maxime tempore multiplicius agitur, quando, surgente ipso iniquorum capite, in sanctam Ecclesiam persecutione ultima, liberis suis viribus ejus fortitudo grassatur. Ibi tunc cor uniuscujusque ostenditur, ubi quidquid in occultis latebat aperitur; et qui nunc ore sunt pii, et corde sunt impii, publicata malitia corruunt, et lucem fidei quam specie tenus tenuerant perdunt. Sed inter haec necesse est ut unusquisque nostrum ad cordis sui secretum redeat, et actionis suae damna pertimescat, ne, exigentibus meritis, per districtam justitiam judiciorum Dei in talium hominum numerum incurrat.

[*Rec. VI.*] 15. *Jam in membris suis vivit et saevit Antichristus.* --Nemo autem sibi incaute blandiatur, et idcirco se a tali casu extraneum credat, quia ad illius tempestatis procellam pervenire se non existimat. O quanti illius tentationis tempora non viderunt, et tamen in ejus tentationis procella versantur. Cain tempus Antichristi non vidit, et tamen membrum Antichristi per meritum fuit (**Genes. IV**). Judas saevitiam persecutionis illius ignoravit, et tamen viribus crudelitatis ejus, avaritia suadente, succubuit (**Matth. XXVI, 15**). Simon divisus longe ab Antichristi temporibus exstitit, et tamen ejus se superbiae, miraculorum potentiam perverse appetendo, conjunxit (**Act. VIII, 19**). Sic iniquum corpus suo capiti, sic

membris membra junguntur, cum et cognitione se nesciunt, et tamen prava sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, et tamen ejus nequitiam sequens, voce supernae increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari* (**Apoc. II, 14**). Thyatirae quoque ecclesiam a Jezabel notitia et tempora et loca dividebant; sed quia eam par vitae reatus astrinxerat, inesse ei Jezabel dicitur, atque operibus perversis insistere, angelo attestante, qui ait: *Habeo adversus te aliqua; quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis* (**Ibid., 20**). Ecce quia reperiri potuerunt, qui Jezabel vitam reproba actione secuti sunt, Jezabel illic inventa memoratur, quia videlicet pravum corpus conjuncti mores unum faciunt, etiam si hoc loca vel tempora scindunt. Unde fit ut in perversis suis imitatoribus et iniquus quisque maneat qui jam praeteriit, et in suis operatoribus ipse iniquorum auctor jam appareat, **924** qui necdum venit. Hinc Joannes ait: *Nunc Antichristi multi facti sunt* (**I Joan. II, 18**), quia iniqui omnes jam ejus membra sunt, quae scilicet perverse edita caput suum male vivendo praevenierunt. Hinc Paulus ait: *Ut reveletur in suo tempore; nam mysterium jam operatur iniquitatis* (**II Thess. II, 6**). Ac si diceret: Tunc Antichristus manifestus videbitur; nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, et si occasionem reperiatur, eum supplantare contendit; cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (**Sap. II, 24**)? Alius magni meriti esse se aestimans, per tumorem

cordis cunctis se praeferens, omnes semetipso inferiores credit; cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae* (**Job. XLI, 25**)? Alius mundi hujus potentiam quaerit, non quo aliis prosit, sed quo ipse alteri subditus non sit; cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Qui dixit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo* (**Isai. XIV, 18**)? Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit, cum suum dominium quaerens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit, quia ei qui sibi est superna ordinatione praepositus subesse fastidit.

[*Vet. IV.*] 16. *Infidelitatis rei sunt, qui veritatem negant.*--- Sunt praeterea plurima quae quosdam in ipsa pace Ecclesiae constitutos infideles esse renuntient. Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut requisiti ab eo, pro favore ejus non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quis est veritas, nisi ille qui dixit: *Ego sum via, veritas, et vita* (**Joan. XIV, 6**)? Neque enim Joannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiae veritate requisitus occubuit (**Marc. VI, 28**); sed quia Christus est veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate, pervenit. Ponamus ergo ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, et ne verbi saltem injuriam pateretur, veritatem negavit. Quid rogo iste faceret in dolore poenarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce et post haec ante oculos hominum adhuc Christianus est, et

tamen si eum Dominus districte disposuit judicare, jam non est.

17. *Et qui corrigere, cum teneantur, negligunt. Non desunt in pace Ecclesiae Antichristi tentamenta.*---Video autem alios, quibus per locum magisterii exhortandi sunt officia arguendique commissa, qui vident aliquid illicitum admitti, et tamen dum quorundam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non praesumunt. Quisquis iste est, quid aliud facit, nisi videt lupum venientem, et fugit (**Joan. X, 12**)? Fugit, quia tacuit; tacuit, quia, despecta aeterna gratia, temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, et sicut persecutioni publicae, sic occulto locum dedit timori. Bene de talibus dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei* (**Joan. XII, 43**). Quisquis igitur talis est, si haec districte judicantur, etsi persecutio publica defuit, tamen tacendo **925** Christum negavit. Non ergo desunt vel in pace Ecclesiae Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremae tempora quasi sola perhorrescat. Apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum jam nunc, occultus operatur. Et si multi nunc specie tenus intra Ecclesiam constituti simulant se esse quod non sunt, in adventu tamen judicis prodentur quod sunt: de quibus bene Salomon ait: *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi justorum operum* (**Eccle. VIII, 10**). Igitur postquam de iniquis dictum est, *Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum, et auferetur ab impiis lux sua*, quod utique in illa est Antichristi persecutione faciendum, mox, de ejusdem Antichristi perditione nos consolans, ait

CAPUT VIII.

VERS. 15.---*Et brachium excelsum conteretur.*

18. *Antichristi superbia et casus. Angelus et homo lapsi, quia Deo similes esse per potentiam, non per justitiam, voluerunt.* --Quid namque aliud excelsum brachium accipitur, nisi superba Antichristi celsitudo, quae super reprobas mentes hominum fastu gloriae saecularis erigitur, ita ut homo peccator, et tamen aestimari homo despiciens, Deum se super homines mentiatur? Unde et Paulus apostolus dicit: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus (II Thess. II, 4).* Cujus ut tumorem plenius ostenderet, praemisit: *Qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (Ibid.).* Deus enim dici aliquando et homo potest, juxta quod ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis (Exod. VII, 1).* Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriae, et hoc quod Deus dicitur, et hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiae foveam cecidit, qui in mensura ruinae qua lapsus est non permansit. Diabolus quippe vel homo a statu conditionis propriae elata mente corruerunt, ut vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isai. XIV, 13);* vel iste audiens crederet: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii (Genes. III, 5).* Idcirco ergo uterque cecidit, quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit. Sed homo per gratiam

liberatus, qui Dei similitudinem perverse appetendo ceciderat, in reatu criminis sui longe Deo imparem se esse cognoscens clamat: *Domine, quis similis tibi* (**Psal. LXXXVIII, 8**)? Diabolus vero in lapsu sui criminis iusti dimissus, in mensura ruinae suae minime permansit; sed quanto diutius ab omnipotentis gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit, quia perverso ordine Deo esse similis voluit, eo usque perductus est, ut in Antichristum veniens, videri Deo similis dedignetur, atque eum quem habere non potuit superbus aequalem, damnatus inferiorem putet. Nam cum de illo hoc quod jam praemisimus dicitur: *Extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (**II Thess. II, 4**), aperte monstratur quia appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum erigere se voluit, sed in superbiae culpa crescendo, jam se supra omne quod Deus dicitur et colitur extollit. Quia ergo haec ejus superbia districti judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, 926 et destruet illustratione adventus sui* (**Ibid., 8**), recte dicitur: *Et brachium excelsum conteretur*.

9. *Verbi divini, quo plus teritur, virtus magis augetur.*---Cuncta tamen haec, quae bis discussa sunt, adhuc intelligi et aliter possunt. Verba enim Dei quasi pigmenta quaedam nostri sunt adjutorii. Et sicut pigmentum quanto plus teritur, tanto plus in poculo ejus virtus augetur, ita divina eloquia quo magis exponendo conterimus, eo audientes amplius quasi bibentes juvamus. [*Vet. V.*] Quia igitur misericors Deus diu peccata hominum tolerat, et cum jam vicinum finem respicit, plerumque mentes peccantium immutat, recte de se, vim tantae pietatis insinuans, ait:

CAPUT IX.

VERS. 13.---*Nunquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea?*

20. *Deus hominem non deserit, et in extremis electos sollicitius purgat.*---Per terram quippe homo infima sapiens designatur, cui peccanti dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Sed quia pius conditor facturam suam non deserit, mala hominum et per suam sapientiam tolerat, et per eorum quandoque conversionem relaxat. Cum autem duras atque insensibiles mentes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret, ut quae pessima securitate duruerant, salubri timore molescant, quatenus vel sero redeant, et hoc ipsum saltem, quod diu exspectati sunt erubescant. Sic enim Dominus quia extrema vitae nostrae plus judicat, et idcirco electos suos in fine sollicitius purgat. Scriptum quippe est: *Deus judicabit fines terrae* (**I Reg. II, 10**). Tanto ergo impensius ultimis nostris invigilat, quanto in ipsis pendere initia vitae sequentis pensat. Quod quia misericorditer facit, pietate sua in medium deducta, qua etiam sero conversos peccatores recipit, beati Job justitiam erudit, dicens: *Nunquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea?* Subaudis ut ergo, qui in suis ultimis saepe peccatores terrendo concutio, convertendo teneo, atque ab eorum cordibus impios cogitationum motus evello. Et recte beato Job Dominus quomodo juxta finem peccatores convertat insinuat. Ac si aperte dicat: Misericordiae meae potentiam respice, et tuae justitiae elationem preme. Quae

extrema hominis quia, etiam cum convertitur per carnis mortem, illa antiquae culpa vindicta comitatur, protinus insinuat, cum dicit.

CAPUT X.

VERS. 14.---*Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum.*

21. *Homo Dei signaculum et imago, in poenam superbiae, per mortem fit terra et cinis.*---Hominem quippe Dominus, quem ad suam similitudinem condidit, quasi quoddam suae potentiae signaculum fecit. Quod tamen ut lutum restituetur, quia licet aeterna supplicia per conversionem fugiat, in ultione tamen perpetratae superbiae carnis morte damnatur. Ex luto quippe homo conditus, et mentis accepta ratione, similitudine divinae imaginis decoratus, elatione cordis intumescens, quod de infimis formatus esset oblitus est. Unde mira conditoris justitia actum est ut quia per sensum intumuit, quem rationabilem accepit, rursus terra per mortem fieret, quam esse se considerare humiliter noluit; et quia peccando Dei similitudinem perdidit, moriendo vero ad limi sui materiam redit, recte dicitur: *Restituetur ut lutum signaculum.* Et quia de corpore dum spiritus vocatur, quodam quasi involucro suae carnis exuitur, 927 apte de eodem luto subjungitur: *Et stabit sicut vestimentum.* Lutum namque nostrum sicut vestimentum stare est usque ad resurrectionis tempus inane exutumque perdurare. Sed quia hanc poenam superbiae nec illi transeunt,

qui et eandem superbiam vivendo humiliter vinct; quae sit superbientium specialis poena, subiungit dicens:

CAPUT XI.

VERS. 15.---*Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.*

22. *Mors quae electos luci restituit, reprobis lucem, nimirum praesentis vitae gloriam tollit.*---Mors enim carnis, quae electos luci suae restituit, lucem suam reprobis tollit. Lux namque superbientis est gloria vitae praesentis. Quae ei lux tunc subtrahitur, cum per carnis interitum ad retributionum suarum tenebras vocatur. Ibi tunc excelsum brachium confringitur, quia celsitudo cordis ultra naturae ordinem violenter arrepta opprimentis se divinae iustitiae mole dissipatur, ut quia se perverse in brevi erexerat, per pondus iudicii in aeternum fracta cognoscat. Nullus autem nostrum quid post mortem sequeretur agnosceret, nisi vitae nostrae conditor ad poenam usque mortis nostrae veniret. Nisi enim ipse misericorditer infima peteret, nequaquam nos post suam imaginem perditos iuste ad summa revocaret. Unde et recte subiungitur:

CAPUT XII [*Rec. VII*].

VERS. 16.---*Nunquid ingressus es profundum maris, et in novissimis abyssi deambulasti?*

23. *Dominus non solum in mundum, sed etiam in infernum pro nobis descendit.*---Ac si dicat: Ut ego, qui non solum mare, id est saeculum, per assumptam humanam carnem atque animam petii, sed etiam per eam sponte in morte positam, usque ad ultima inferni, quasi ad maris profunda descendi. Si enim mare, more divini eloquii, saeculum debet intelligi, nihil prohibet profunda maris inferni claustra sentiri. Quod profundum maris Dominus petiit, cum inferni novissima, electorum suorum animas erepturus, intravit. Unde et per prophetam dicitur: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati (Isai. LI, 10)*. Hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit, quia in se etiam bonorum animas, quamvis non in locis poenalibus, clausit. Quod tamen profundum viam Dominus posuit, quia illuc veniens, electos suos a claustris inferni ad coelestia transire concessit. Unde et apte illic dicitur: *Ut transirent libertati (Ibid., 10)*. Quod vero profundum maris dixerat, hoc, aliis verbis replicans, abyssi novissimum vocat, quia sicut aquarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferni nullo a nobis cognitionis sensu penetrantur. Qui enim hinc subtrahantur cernimus, sed quae illos juxta meritum retributio suppliciorum maneat, non videmus.

[*Vet. VI.*] 24. *In inferno deambulavit, quia liber ad ligatos venit.*---Vigilanti vero est cura pensandum quod in novissimo abyssi deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non

constricti, sed liberi est. Quem enim vincula stringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in inferno deambulavit. Liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est: *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (**Psal. LXXXVII, 5**). In novissimis ergo abyssi Domino deambulare est in loco damnationis nihil suae retentionis invenire, attestante Petro, qui ait: *Solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (**Act. II, 24**). Vel certe quia deambulando nos cum de loco **928** ad locum ducimur, hic illicque praesentes invenimur; deambulasse in inferno Dominus dicitur, ut electis animabus in locis singulis per divinitatis potentiam praesens fuisse monstraretur. Unde et spiritus sapientiae mobilis describitur (**Sap. VII, 4**), ut per hoc quod nusquam deest, ubique nobis occurrere designetur. Quam descensionem suam Dominus tanto mirabilem respicit, quanto eam redempto homini crebrius infundit. Eam namque adhuc replicans subdit:

CAPUT XIII.

VERS. 17.---*Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti?*

25. *Portas mortis, hoc est potestates adversas superavit.*---Portae enim mortis sunt potestates adversae. Quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superavit. Quae appellatione quoque alia tenebrosa ostia vocantur, quia dum per occultationis suae insidias non

videntur, deceptis mentibus viam mortis aperiunt. Quae tenebrosa ostia Dominus videt, quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam et respicit et premit. Quos nisi ipse nobis nescientibus videndo prohiberet, et nil de insidiis eorum mens nostra cognosceret, et eisdem insidiis capta deperiret. Quae tenebrosa etiam nos ostia cernimus, quando supernae lucis radiis illustramur. Unde et per prophetam dicitur: *Dominus mihi adjutor est, et ego videbo inimicos meos* (Psal. CXVII, 7). Hostes igitur nostros ipse videt, qui suo eos munere nobis visibiles facit. Vel certe tenebrosa tunc ostia Dominus vidit, cum claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit, et mortis praepositos moriendo damnavit. Quod idcirco hic non adhuc de futuro, sed jam de praeterito dicitur, quia hoc quod facturus erat in opere, nimirum jam fecerat in praedestinatione. Quia vero post mortem resurrectionemque ejus crevit Ecclesia, atque in cunctis est gentibus dilatata, apte subjungitur:

CAPUT XIV [*Vet. VII*].

VERS. 18.---*Nunquid considerasti latitudinem terrae?*

26. *Morte Christi crevit Ecclesia. Tanquam Samson, plures hostium moriens exstinxit quam vivens.*---Dum enim Dominus angustias mortis petiit, fidem suam in gentibus dilatavit, atque ad innumera corda credentium sanctam Ecclesiam extendit. Cui per prophetam dicitur: *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida; ad dexteram enim et*

ad laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit (Isai. LIV, 2). Quae latitudo terrae profecto non fieret, nisi ipse prius et vitam quam novimus moriendo despiceret, et vitam quam non novimus resurgendo monstraret. In morte quippe sua nostrae oculos mentis aperuit, et quae esset vita quae sequeretur ostendit. Unde et hunc in Evangelio ordinem tenens, discipulis dicit: *Sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes (Luc. XXIV, 46).* Pauci enim ex plebe Israelitica ipso praedicante crediderunt; innumeri vero gentium populi viam vitae moriente illo secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita mortuus stravit. Quod bene Samson in semetipso dudum figuraliter expressit (**Judic. XVI, 30**), qui paucos quidem dum viveret interemit; destructo autem templo, hostes innumeros cum moreretur occidit, quia nimirum Dominus ab elatione superbiae paucos cum viveret, plures vero cum templum **929** sui corporis solveretur exstinxit (**Joan. II, 19**); atque electos ex gentibus quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit. Recte itaque postquam inferna penetrasse se docuit, considerandam mox terrae latitudinem subjunxit: *Nunquid considerasti latitudinem terrae?* Ac si flagellato homini diceret: Perpende quid pertuli, et pensa quod emi; nec queraris ipse de verbere, dum nescis quae te praemia maneant in retributione. Inter haec itaque verba creatoris operae pretium puto, si a bono communi ac publico parumper oculos flectimus, et quid in singulis nobis latenter agat intuemur. Dicit enim:

CAPUT XV [*Rec. VIII*].

VERS. 16.---*Nunquid ingressus es profundum maris?*

27. *Maris profundum Deus ingreditur, cum peccatoris mentem visitat.*---Mare quippe est mens humana, cujus profunda Deus ingreditur quando per cognitionem suam ad lamenta poenitentiae ab intimis cogitationibus perturbatur, quando prioris vitae nequitas ad memoriam reducit, et fluctuantem in confusione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quando etiam desperata corda permutat. Ipse enim mare intrat quando cor saeculare humiliat, profundum maris ingreditur quando visitare mentes etiam pressas sceleribus non dedignatur. Unde et recte percunctando subjungitur: *Et in novissimis abyssi deambulasti?* Quae enim est abyssus, nisi mens humana, quae dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est, velut obscura abyssus, latet? Unde bene per prophetam dicitur: *Dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiae suae* (**Habac. III, 10**), quia dum semetipsam mens humana non penetrat, ex comparatione sui, divinae naturae potentiam quam comprehendere non sufficit humiliter laudat.

28. *In novissimis abyssi deambulat, cum nequissimorum corda convertit.*---In novissimis ergo abyssi Deo deambulare est etiam nequissimorum corda hominum convertere, et desperatas mentes visitationis suae vestigiis tangendo mirabiliter reformare. Cum enim post immensa scelera, unusquisque compungitur, quid aliud quam in novissimis abyssi Deus deambulans videtur? Quasi in abyso namque Deus deambulat, cum obscurum cor penetrans, fluctus

invisibiles vitiorum calcat. Plerumque enim praeterita alia plangimus, et aliis praesentibus urgemur, ut modo superbia, modo ira, modo luxuria, modo avaritia tentante fatigemur. Sed cum cuncta haec in corde nostro Dominus occultae visitationis suae timore reprimat, quid aliud quam in abyssonem gressus ponit? Quos gressus mente conspiciamus, quando contra insurgentia vitia quomodo timoris ejus obviam dona pensamus. Hos namque gressus Propheta conspexerat, cum dicebat: *Visi sunt ingressus tui, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto ipsius* (Psal. LXVII, 25). Qui enim inordinatos motus animi divinorum iudiciorum memoria in se reprimi conspiciat, quasi deambulantis in se gressus Domini videt. Dicatur ergo beato Job: *Nunquid ingressus es profundum maris, et in novissimis abyssi deambulasti?* Subaudis ut ego, qui mira misericordia in peccatorum cordibus modo iram, modo luxuriam, modo avaritiam, modo surgentem superbiam calco. **930** Ac si ei aperte diceretur: Si latentia cordis vitia me solum reprimere conspicias, tu extolli de propria justificatione cessabis. [*Vet. VIII.*] Et quia cum divinitus visitamur etiam de occultis et illicitis motibus mentis ad confessionem ducimur, recte subiungitur:

CAPUT XVI.

VERS. 17.---*Nunquid apertae sunt tibi portae mortis?*

29. *Portae mortis sunt cogitationes pravae, quas Deo per confessionem pandimus.*---Portae enim mortis sunt cogitationes pravae, quas Deo pandimus, quando eas in

poenitentia flendo confitemur. Quas etiam non confessas intuetur, sed confessas ingreditur. Tunc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando, solutis pravis cogitationibus, ad nos post confessionem venit. Quae portae mortis idcirco vocatae sunt, quia profecto via ad interitum per iniquas semper cogitationes aperitur. Quod adhuc replicatur, cum subditur:

IBID.---*Et ostia tenebrosa vidisti?*

30. *Tenebrosa namque ostia sunt latentia mentis mala.*---Tenebrosa namque ostia sunt latentia mentis mala, quae et haberi intrinsecus possunt, et tamen ab altero videri non possunt. Quae tamen Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiae destruit. Scriptum quippe est: *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo (Prov. XX, 8).* Et quia omne vitium angustat, omnis vero virtus animum dilatat, post destructa vitia recte subjungitur: *Nunquid considerasti latitudinem terrae?* Nisi enim virtus animum dilataret, nequaquam Paulus Corinthiis diceret: *Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus (II Cor. VI, 13).* Solerter vero intuendum est quod dicitur:

CAPUT XVII.

VERS. 18.---*Considerasti latitudinem terrae?*

31. *Sancti dum exterius angustiis premuntur, intus dilatantur.*---Latitudo namque bonorum interiorum

nequaquam comprehenditur, nisi caute consideretur. Nam plerumque eos exterius inopia humiliat, poenae cruciatus angustat; sed tamen inter haec semper interior fortitudo se usque ad speranda coelestia dilatat. Angustati apostoli exterius fuerant, quando flagella sustinebant; sed in magna stabant intus latitudine liberi, qui apud se haec eadem flagella in gaudium verterant. Scriptum namque est: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. V, 41)*. Hanc latitudinem inter angustias Paulus invenerat, qui dicebat: *Scire autem vos volo, fratres, quia quae circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in omni praetorio (Philip. I, 12)*. Hanc latitudinem David inter angustias obtinebat, dicens: *In tribulatione dilatasti me (Psal. IV, 2)*. Tunc itaque haec terra, id est sanctorum conscientia, dilatatur, cum mundi hujus adversitatibus; exterius premitur. Nam cum a praesentis vitae securitate repellitur, intus ad se impingitur, ut ad speranda superna tendatur. Cumque evagari exterius non permittitur, quasi in sinum suum revocata dilatatur. Nos autem quae boni viri adversa tolerant cernimus, sed intus quantum gaudeant non videmus. Mentis eorum latitudinem modo in verbis, modo in operibus considerando cognoscimus, sed tamen quanta in eis amplitudo sit ejusdem latitudinis ignoramus. Audiat ergo **931** humana sapientia, et se insipientem discat: *Nunquid considerasti latitudinem terrae?* Ac si dicat: ut ego, qui flagellis cinctam, occultam justorum laetitiam solus plene considero, quia solus misericorder formo. Vel certe idcirco beatus Job utrum terrae latitudinem consideraverit inquiritur, ut exemplo alienae latitudinis humilietur. Ac si ei aperte diceretur: Eos quos innumera mala praesentis vitae nequeunt

angustare considera, et de statu cordis tui inter verbera gloriari cessa. Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. et Rec. IX*].

VERS. 18-20.---*Indica mihi, si nosti omnia, in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus.*

32. *Per lucem justitia, per tenebras iniquitas designatur. Qui in justitia perseveraturi sint, aut in peccato morituri, nos latet.*---Beatus Job gravi quaestione discutitur, ut et de via lucis, et tenebrarum loco requiratur; ut unumquodque ad suos terminos ducat, ac semitas domus ejus intelligat. Quid enim lucis nomine, nisi justitia accipitur? et quid per tenebras, nisi iniquitas designatur? Unde quibusdam conversis a peccatorum nequitia dicitur: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino (Ephes. V, 8).* Et de quibusdam in peccato manentibus memoratur: *Qui dormiunt, nocte dormiunt (I Thess. V, 7).* Beato itaque Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit?* Ac si dicatur ei: Si plenam te habere scientiam suspicaris, dic vel in cujus cor ea quae nunc deest, innocentia veniat, vel in cujus corde ea quae nunc est malitia perseveret. *In qua via habitat lux, id est cujus mentem veniens justitia impleat: Et tenebrarum quis locus sit, id est, in quo iniquitas caeca perduret: Ut ducas unumquodque ad terminos suos, id est, ut dijudices si vel is qui nunc iniquus cernitur, in iniquitate vitam finiat; vel is qui justus cernitur extremitatem vitae suae cum*

justitiae perfectione concludat: *Et intelligas semitas domus ejus*, id est, consideres atque discernas, vel cui bona actio perseverans aeternam mansionem praestet in regno, vel quem usque ad terminum suum actio prava constringens in aeternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansionem ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit. Sed quis hominum ista discussus dicat? quis ista saltem imperterritus audiat? Multos enim videmus quotidie, qui justitiae luce resplendent, et tamen ad finem suum nequitiae obscuritate tenebrantur; et multos cernimus peccatorum tenebris obvolutos, et tamen juxta vitae suae terminum repente reddi luci justitiae liberos. Multos etiam novimus semel inventam viam justitiae illibate usque ad mortem tenuisse, et plerosque conspeximus usque ad exitum coepta semel crimina sine cessatione cumulassee.

33. *Judiciorum Dei nubila, mentis nostrae radiis impervia.*--- Quis vero inter ista occultorum judiciorum nubila mentis suae radium mittat, ut aliqua consideratione discernat, vel quis perduret in malo, vel quis perseveret in bono, vel quis ab infimis **932** convertatur ad summa, vel quis a summis revertatur ad infima? Latent haec sensus hominum, nec quidquam de cujuslibet fine cognoscitur, quia divinorum judiciorum abyssus humanae mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quod illa adversa Deo gentilitas justitiae luce perfusa est, et Judaea dudum dilecta perfidiae est nocte caecata. Scimus etiam quod latro de patibulo transivit ad regnum (**Luc. XXIII, 43**), Judas de apostolatus gloria est lapsus in tartarum (**Matth. XXVII, 5**). Rursumque quia aliquando sortes quae coeperint non mutantur, et latronem novimus alium pervenisse ad supplicium, et

apostolos scimus percepisse propositum quod desideraverant regnum. Quis ergo discutiat in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit, ut ducat unumquodque ad terminos suos, et intelligat semitas domus ejus? Video Paulum ex illa persecutionis saevitia ad gratiam apostolatus vocatum (**Act. IX, 1, seq.**), et tamen sic inter judicia occulta formidat, ut reprobari se, etiam postquam vocatus est, timeat. Ait enim: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar* (**I Cor. IX, 27**). Et rursum: *Ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quae quidem retro sunt oblitus, ad ea quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum sequor, ad palmam supernae vocationis Dei, in Christo Jesu. Sequor autem si comprehendam, in quo et comprehensus sum* (**Philip. III, 13**). Et certe jam de illo voce dominica dictum fuerat: *Vas electionis mihi est* (**Act. IX, 15**); et tamen adhuc castigans corpus suum metuit ne reprobetur.

34. *Spem nostram potius comitetur timor quam securitas. Vae laudabili etiam vitae, si remota pietate judicetur.*---Vae miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, et jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profecto, debet in spe esse non solum securitas, sed etiam timor in conversatione, ut et illa certantes foveat, et iste torpentes pungat. Unde recte per prophetam dicitur: *Qui timent Dominum, sperent in Domino* (**Psal. CXIII, 11**). Ac si aperte diceret: De spe incassum praesumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. Sed cur beatus Job de tam valida quaestione requiritur, quae omnino ab hominibus ignoratur, ut justorum iniquorumque terminum comprehendat, nisi ut aliorum finem cognoscere non valens, ad suum recurrat, quia

sicut aliorum, sic etiam suum nesciat, et nesciens timeat, timens humilietur, humiliatus jam de operibus suis extolli non debeat, et non elatus in gratiae arce persistat? Dicatur ergo ei: *Indica mihi, si habes intelligentiam, in qua via habitat lux, et tenebrarum quis locus sit; ut ducas unumquodque ad terminos suos.* Ac si diceretur: Sicut qui de malis convertantur ad bona, vel qui de bonis ad mala redeant, nescis, ita etiam nec de te quid tuis meritis exigentibus agatur intelligis. Et sicut alienum nullatenus comprehendis, ita etiam tuum terminum praenoscere non vales. Jam enim quantum ipse profeceris scis, sed quid adhuc de te ego in occulto sentiam nescis. Jam justitiae tuae acta consideras, sed quam districte apud me pensentur ignoras. Vae etiam laudabili vitae **933** hominum, si remota pietate judicetur, quia districte discussa inde ante oculos judicis unde se placere suspicatur obruitur. Unde recte Deo per Prophetam dicitur: *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psal. CXLII, 2).* Unde bene per Salomonem dicitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta (Eccle. IX, 1).* Hinc rursum per eundem Salomonem dicitur: *Quis hominum intelligere poterit viam suam (Prov. XX, 24)?* Et nimirum bona malave quis faciens conscientia attestante cognoscitur. Sed idcirco dicitur quod via sua ab hominibus nesciatur, quia etiam si recta se quisque opera agere intelligat, sub districto tamen examine quo tendat, ignorat. [*Vet. et Rec. X.*] Igitur postquam illum de ista finis sui consideratione perterritum, ad examinandum ejus exordium redit; ac ne conqueratur cur finem suum nesciat,

commemoratur etiam quia nec quo huc initio accessit intelligat. Nam sequitur:

CAPUT XIX.

VERS. 21.---*Sciebas tunc quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras?*

35. *Nullus hominum suum initium novit aut finem.*---Ac si aperte diceret: Quid mirum si terminum tuum non intelligis, qui nec initium comprehendis? Et qui ignoras quo huc initio veneris, quid mirum si nescias quo fine subtraharis? Si ergo meum fuit te per initium ex occultis ad prompta producere, meum quoque erit etiam te ex promptis ad occulta revocare. Cur de vitae tuae dispensatione aliquid quereris, qui in manu artificis temetipsum nesciens teneris? Extolli itaque tanto magis non debes in eo quod agis, quanto intra sinum aeternitatis clausus, nec quo huc ordine veneris, nec quando vel quomodo hinc educaris agnoscis.

36. *Ab hac lege Christus eximitur.*---Haec tamen intelligi et aliter possunt: *Sciebas tunc quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras?* Subaudis ut ego, qui me nasciturum novi, quia et ante humanitatis ortum in divinitate semper substantialiter vixi. Homines quippe tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur. Nam ipsa quoque conceptio nativitas dicitur, juxta hoc quod scriptum est: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est (Matth. I, 20).* Et idcirco se nascituros nesciunt, quia nec priusquam creentur existunt. Deus vero qui sine initio semper exstitit praescivit

de se hoc quod in utero Virginis initium sumpsit; et quia praescivit, disposuit; quia disposuit, nihil profecto in humana forma sine sua voluntate toleravit. Convincatur ergo cur de flagellis suis homo queritur, qui ortum suum praescire non potuit, si ipse etiam qui ortum suum praesciendo disposuit se inter homines ad flagella praeparavit. Sequitur:

CAPUT XX [*Rec. XI*].

VERS. 22, 23.---*Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli?*

37. *Improbi ad justorum probationem servantur.*---Quid aliud nive vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum? Sicut enim fervore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari. Scriptum namque est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit animam malitia sua (Lerem. VI, 7).* Et rursum: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum (Matth. XXIV, 12).* In 934 frigore ergo nivis, vel in duritia grandinis, quid accipi aptius potest quam vita pravorum, quae et per torporem frigescit, et per duritiae malitiam percutit? Quorum tamen vitam Dominus tolerat, quia eos ad justorum suorum probationem servat. Unde et recte subjunxit: *Quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli.* Ut cum adversarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quasi suis contra nos armis utatur. Per ipsos quippe nos saeviens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsi flagella

fiunt, de quorum tali vita dum percutimur, ab aeterna morte liberamur. Unde agitur ut electorum vitae proficiat etiam perdita vita reproborum, et utilitati nostrae dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat quatenus electis Dei non pereat etiam omne quod perit.

[*Vet. XI.*] 38. *Aliqui ex illis electi sunt, et ad maxima vocati.*--
-Intelligi hoc quoque aliter potest, ut quia verbis praecedentibus videtur annexum, a superioris versus expositione non discrepet. Nam quia indicaverat vel bonos ad malum, vel malos ad bonum posse converti, illico secutus adjunxit: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli?* In nive vel grandine frigida, vel dura, ut dictum est, accipimus corda pravorum. Sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus elegit, et quam multos electos adhuc inter pravorum vitam repositos habeat novit, apte in nive, vel grandine thesauros habere se perhibet. Thesaurus quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id est a positione nominatur. Et plerosque in vita frigida diu latentes respicit, quos ad medium cum jubet producit, et justitiae nitore candidos per supernam gratiam ostendit. Scriptum quippe est: *Lavabis me, et super nivem dealbabor (Psal. L, 9).* Quos ad diem belli pugnaeque praeparatos diu intra suae praescientiae sinum tegit; sed cum repente eos eduxerit, resistentia adversariorum pectora illorum verbis ac redargutionibus quasi quibusdam grandinibus percutit. Unde alias scriptum est: *Prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis (Psal. XVII, 13).* Prae fulgore enim nubes transeunt, quia praedicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati

sunt, quia et per correptionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt. Ipsa quoque libera sanctorum increpatio natura grandinis convenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium et terrentes feriunt, et blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant Propheta testatur, dicens: *Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt* (**Psal. CXLIV, 6**). Et quemadmodum blandientes rigent secutus adjunxit: *Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt, et justitia tua exsultabunt* (**Ibid., 7**). In nive ergo vel grandine habentur thesauri, quia plerique iniquitatis torpore frigidi, ad supernam gratiam assumpti, in sancta Ecclesia justitiae luce fulgescunt, et pravam adversariorum scientiam doctrinae suae ictibus tundunt. Unde et apte subditum est: *Quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli.* [*Vet. XII.*] Nix quippe vel grando fuerat Saulus per frigidam insensibilitatem; sed nix et grando contra adversariorum **935** pectora factus est, vel candore justitiae, vel districti eloquii correptione. O qualem hunc thesaurum in nive et grandine habuit, quando illum inter pravorum vitam positum jam tunc electum suum Dominus latenter vidit! O ad quanta adversariorum pectora ferienda hanc in manu sua grandinem sumpsit, per quam tot sibi resistentia corda prostravit.

39. *Nemo extollatur, nemo desperet.*---Nemo itaque de suis operibus extollatur, nemo desperet eos quos adhuc frigidos videt, quia thesauros Dei in nive et grandine non videt. Quis enim crederet quod per apostolatus gratiam lapidatum Stephanum ille praecederet qui in morte ejus omnium lapidantium vestimenta servavit (**Act. VII, 57**)? Si ergo ad

ista dona vel judicia occulta recurrimus, nullos omnino desperantes, nec illis nos in corde nostro praeferimus, quibus pro tempore praelati sumus, quia etsi jam videmus quantum praecessimus, nescimus quantum cum currere coeperint praecedamur. Bene ergo ad beatum Job dicitur: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quae praeparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli?* Ac si aperte diceretur: Nulli te de operibus tuis praeferas, quia de his quos intueris adhuc per culpam frigidus, quantos operadores justitiae et defensores rectae fidei sim facturus ignoras. Quod quia per adventum Mediatoris agitur, recte subjungitur:

CAPUT XXI [*Rec. XII*].

VERS. 24.---*Per quam viam spargitur lux?*

40. *Per adventum Mediatoris lux sparsa.*---Ipse quippe via est, qui ait: *Ego sum via, veritas et vita* (**Joan. XIV, 6**). Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per ejus praesentiam cuncta gentilitas illustratur. *Spargitur* autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata atque coarctata, sed late fulgens lux praedicationis emicuit. Quia vero, accepta luce conversionis, inardescit intrinsecus vis amoris, ut vel transacta mala anxie lugeantur, vel ventura bona flagrantissime requirantur, competenter adjungitur:

CAPUT XXII.

IBID.---*Dividitur aestus super terram.*

41. *Ex hac luce flagrat ardor charitatis et persecutionis aestus.*---Sparsa enim luce aestus super terram dividitur, quia, per apertum justitia praedicata, ad requirendum Deum cordis anxietas in virtutem exercitatione dilatatur, ut iste in sermone sapientiae, ille in sermone scientiae fulgeat; hic in curationum gratia, ille in virtutum operatione convalescat; et dona sancti Spiritus dum dispariliter singuli accipiunt, necessario sibimet juncti omnes unanimiter accendantur (**I Cor. XII, 8**). [*Vet. XIII.*] Sed postquam spargi lux dicitur, potest convenienter intelligi quod per aestum persecutio designatur, quia ut lux praedicationis inclaruit, mox a perfidorum cordibus ardor persecutionis exarsit. Nam quod per aestum persecutio exprimitur, dominicus sermo testatur, de jactatis seminibus super petrosam terram dicens: *Sole orto aestuaverunt omnia, et quia non habebant radicem, aruerunt* (**Matth. XIII, 6**). Quod paulo post cum exposuit, aestum persecutionem vocavit. Sparsa igitur luce aestus super terram divisus est, quia clarescente vita fidelium, accensa est crudelitas perfidorum. Divisus namque aestus erat, quando nunc Jerosolymis, nunc Damasci, nunc in aliis longe regionibus persecutio saeviebat. Scriptum quippe est: *Facta est in 936 illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regionem Judaeae et Samariae* (**Act. VIII, 1**). Rursumque scriptum est: *Saulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas,*

quas deferret in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus vitae viros ac mulieres, vinctos deduceret in Jerusalem (Act. IX, 1, seq.). Quia ergo nunc hic, nunc illic persecutio excreverat, hi qui lucem veritatis agnoverant, quasi sub ardore divisi aestus anhelabant.

42. *Lux est justitia, quae non nisi successive spargitur.*---Sed quia beatum Job de occultis judiciis requisitum superioribus dictis audivimus, oportet ut hoc quod de sparsa luce vel diviso aestu dictum est subtilius perscrutemur. Adhuc enim alta interrogatione discutitur, ut saltem quia nesciat doceatur, eique dicatur: *Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram?* Quid enim lucis nomine, nisi justitia designatur? De qua scriptum est: *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (Isai. IX, 2).* Omne autem quod spargitur, non continue, sed sub quadam intermissione jactatur. Et idcirco spargi lux dicitur, quia etsi jam quaedam ut sunt perspicimus, quaedam tamen ita ut videnda sunt non videmus. Cor namque Petri lux sparsa tenuerat, qui tanto fidei, tanto miraculorum fulgore claruerat, et tamen conversis gentibus dum circumcisionis pondus imposeret, quid rectum diceret nesciebat. Lux ergo in hac vita spargitur, quia ad omnis rei intelligentiam continua non habetur. Dum enim aliud sicut est comprehendimus, et aliud ignoramus, quasi sparsa luce et ex parte cernimus, et in obscuritate ex parte remanemus. Tunc vero lux nobis sparsa jam non erit, quando mens nostra ad Deum funditus rapta fulgescet.

43. *Quibus modis humano cordi insinuetur, ignoramus.*---Et quia haec eadem lux quibus modis humano cordi insinuetur ignoratur, recte in percunctatione dicitur: *Per quam viam spargitur lux?* Ac si aperte diceretur: Dic quo ordine justitiam

meam occultis sinibus cordium infundo, cum et per accessum non videor, et tamen visibilia opera hominum invisibiliter immuto, cum unam eandemque mentem modo hac, modo illa virtute irradio, et tamen per sparsam, lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permitto. Requiritur homo nesciens per quam viam spargitur lux, ac si patenter dicatur: Dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aspera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga stabilio, dum nutantia confirmo, intueri, si vales, incorporaliter veniens quibus ea meatibus illustro. Haec quippe omnia nos facta cernimus, nam qualiter intrinsecus efficiantur ignoramus. Hanc viam lucis esse nobis invisibilem, in Evangelio Veritas ostendit, dicens: *Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, et nescis unde veniat et quo vadat* (**Joan. III, 8**).

[*Vet. XIV.*] 44. *Hac luce crescente, tentationes succrescunt.*--
-Sed quia cum lux spargitur mox ab occulto adversario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt, recte subjungitur: *Dividitur aestus super terram*. Hostis namque callidus quos justitiae luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerumque plus **937** se urgeri tentationibus sentiant, quam tunc cum lucis internae radios non videbant. Unde et Israelitae postquam vocati sunt, contra Moysen et Aaron de excrescente labore conqueruntur, dicentes: *Videat Dominus et judicet, quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et praebuistis ei gladium, ut interficeret nos* (**Exod. V, 21**). Volentibus quippe ex Aegypto discedere, Pharaon paleas subtraxerat, et tamen ejusdem mensurae opera requirebat. Quasi ergo contra legem mens

submurmurat, post cujus cognitionem tentationum stimulos acriores portat; et cum sibi labores crescere conspicit, in eo quod adversario displicet, quasi fetere se in oculis Pharaonis dolet. Post lucem ergo aestus sequitur, quia post illuminationem divini muneris tentationis certamen augetur.

45. *Pro unius cujusque indole hostis ad malum nos sollicitat.*---Recte vero etiam dividi aestus dicitur, quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis ac juxta positis vitiis fatigantur. Prius enim conspersionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, et tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque laetis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus adversarius facile capiat, vicinas conspersionibus deceptiones parat. Quia etenim laetitiae voluptas juxta est, laetis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiae porrigit. Quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quaeque voluerit blandis favoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis convenientibus insidiatur. Neque enim facile captivaret, si aut luxuriosis praemia, aut avaris scorta proponeret, si aut voraces de abstinentiae gloria, aut abstinentes de gulae imbecillitate pulsaret, si mites per studium certaminis aut iracundos capere per pavorem formidinis quaereret. Quia ergo in tentationis ardore callide singulis insidians vicinos moribus laqueos abscondit, recte dicitur: *Dividitur aestus super terram.*

46. *Deus tentationes moderatur, ne aut multae sint, aut nimiae.*---Sed cum praemittitur: *Per quam viam spargitur lux.* Statimque subjungitur: *Dividitur aestus super*

terram. Nimirum per eandem viam per quam lux spargitur etiam dividi aestus indicatur. Alta quippe atque incomprehensibilis Spiritus sancti gratia cum luce sua nostras mentes irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat, ut simul multae non veniant, aut ipsae tantummodo quae ferri possunt illustratam jam a Deo animam tangant, ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant; Paulo attestante qui ait: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (II Cor. X, 13). Hunc ergo aestum aliter dividit callidus supplantator, aliter misericors conditor. Ille dividit ut per illum citius interimat, iste ut eum tolerabilem reddat. Et quia cum tentatione fatigamur, non solum interno Dei spiritu instruimur, sed etiam exterioribus praedicantium verbis adjuvamus, recte post divisum aestum subditur:

CAPUT XXIII. [*Vet. XV, Rec. XIII*].

VERS. 25.---938 *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?*

47. *Crescente persecutione, crevit apostolorum et sanctorum praedicatorum ardor. Praedicatio, cessante gratia, ad cor non transit.*---Si vero, ut superius diximus (Num. 41), divisi aestus nomine illa in Judaeae regionibus persecutio designatur, quia ipsa persecutionis asperitas praedicatores sanctos superno munere adjutos a praedicationis suae ministerio nullo timore compescuit, apte subjungit: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* Ac si diceret: nisi ego. Diviso

enim aestu, cursum vehementissimo imbri dedisse est inter ipsas persecutionis angustias praedicationis impetum roborasse, ut tanto magis virtus praedicantium cresceret, quanto magis persequentium crudelitas obviaret, quatenus arentia corda audientium pluviae guttis infunderent, et siccitatem perfidiae uberius irrigarent, ut quamvis contra eos saevitiae aestus candesceret, per eos tamen vox gratiae non taceret. Hunc persecutionis aestum Paulus et tolerabat et irrigabat, cum diceret: *Laboro usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum (II Tim. II, 9)*. De hoc imbri alias dicitur: *Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem (Isai. V, 6)*. De hoc cursu imbris qui in electorum cordibus agitur Psalmista testatur, dicens: *Velociter currit sermo ejus (Psal. CXLVII, 15)*. Plerumque vero imber est, et cursum non habet, quia praedicatio ad aures venit, sed, cessante interna gratia, ad corda audientium non pertransit. De cuius praedicationis verbis propter electos dicitur: *Etenim sagittae tuae pertransierunt (Psal. LXXVI, 19)*. Sagittae quippe Dei pertranseunt quando verba praedicationis ejus ab auribus ad corda descendunt. Quod quia solo divino munere agitur, imbri cursum Dominus se dedisse testatur.

48. *Verbi divini efficacia persuadentis omnia relinquere, omnia tolerare.*---Sed notandum video quod eundem imbrem non vehementem, sed vehementissimum vocat. Imber vehemens est vis magna, imber vero vehementissimus vis immensa praedicationis. Vehemens namque imber erat cum praedicatores sancti credere gaudia aeterna suadebant. Imber autem vehementissimus, quando propter spem admonebant rem deserere, cuncta visibilia propter invisibilia contemni, et propter audita gaudia praesentis saeculi poenas cruciatusque

tolerari. Sed cum, fide cognita, saeviente aestu persecutionis, tot electi possessa reliquerunt, carnalis affectus obliti sunt, et prae gaudio spiritus in cruciatibus membra posuerunt, quid aliud Dominus fecit, nisi etiam vehementissimo imbri cursum praebeuit, qui usque ad exsequenda summa praecepta per verba corporis invisibilia cordis irrigavit? Ubi et apte subjungitur:

CAPUT XXIV [*Vet. XVI*].

IBID.--- *Et viam sonanti tonitruui.*

49. *Tonitruo hinc simile dicitur. Solus Deus corda per gratiam aperit.*---Quid enim per tonitruum, nisi praedicatio superni terroris accipitur? Quem terrorem dum percipiunt humana corda quatiuntur. Aliquando vero in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens, ea quae super nos erant terribiliter sonuit. Unde et ipsi sancti apostoli de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitruui sunt vocati (**Marc. III, 17**). Aliquando autem, sicut dictum est, tonitruus ipsa ejus praedicatio accipitur, **939** per quam supernorum judiciorum terror auditur. Sed quia quilibet praedicator verba dare auribus potest, corda vero aperire non potest; et nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus praedicantium verbis ad corda audientium invisibiliter aditum praestet, incassum praedicatio aure audientis percipitur, quae pervenire ad intima corde surdo prohibetur, se Dominus viam sonanti tonitruui dare asserit, qui cum praedicationis verba

tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus praedicator egregius, dum superna mysteria terribiliter insonaret, se a se habere non posse conspiciens, discipulos admonebat, dicens: *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi (Colos. IV, 3)*. Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis a Domino aperiri ostium precabatur, habebat quidem jam tonitruum, sed dari ei desuper viam quaerebat. Hanc viam nequaquam se Joannes dare posse cognoverat, qui dicebat: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus (I Joan. II, 27)*. Hanc viam rursum Paulus quis daret intimabat, dicens: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. III, 7)*. Accepta igitur via quid iste imber ac tonitruus agat audiamus. Sequitur:

CAPUT XXV [*Rec. XIV*].

VERS. 26.---*Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur.*

50. *Gentilitas desertum est, coelesti gratia tanquam imbre irroratum.*---Super terram absque homine in deserto plueret est verbum Dei gentilitati praedicare. Quae dum nullum cultum Divinitatis tenuit, nullamque in se speciem boni operis ostendit, videlicet desertum fuit. In qua quia legislator non fuit, et qui rationabiliter Deum quaereret non fuit, quasi hominum nullus fuit, et velut solis bestiis occupata, vacua a mortalibus exstitit. De hac deserti terra alias dicitur: *Posuit in*

deserto viam (Isai. XLIII, 19). De hac praedicatione gentilitati concessa Psalmista testatur, dicens: *Posuit flumina in deserto (Ps. CVI, 33).* [Vet. XVII.] Notandum vero est quod postquam aestus super terram divisus est, cursum vehementissimus imber accepit, ut in deserto plueret, quia postquam in Judaea asperitas persecutionis inhorruit, ut non solum fidem minime reciperet, sed etiam eam gladiis impugnaret, ad Israel missus quisque praedicator ad evocandas gentes deflexit. Unde sancti apostoli Hebraeis persequentibus, quos deserunt, dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act. XIII, 46).* Diviso igitur aestu, deserta et absque homine terra compluitur, quia dispersa in Judaeae regionibus persecutione fidelium, derelicta dudum et quasi ab infusione rationis aliena, praedicationis guttis gentilitas irroratur. Quae gentilitas quasi adhuc a praedicatoribus sit inventa ostenditur, cum subditur:

VERS. 27.---*Ut impleret inviam et desolatam.*

Quid vero compluta reddidit, monstratur, cum illico adjungitur:

CAPUT XXVI.

IBID.---*Et produceret herbas virentes.*

51. *Prius invia prophetiae, patuit gratiae.*---Invia namque dudum gentilitas fuit, ad quam via Dei verbo non patuit. Redemptore quippe nostro veniente, sic accepit vocationem gratiae, **940** ut non in ea prius fuerit via prophetiae. Desolata etiam recte vocata est, vel ratione videlicet consilii, vel fructu boni operis destituta. Dedit ergo Dominus vehementissimo imbri cursum, et viam sonanti tonitruum, ut in deserto plueret, et impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes; id est, exteriori praedicationi internam aspirationem contulit, ut corda gentilium arentia virescerent, clausa patescerent, inania complerentur, infecunda germinarent.

[*Vet. XVIII.*] 52. *Aeternae vitae opera doctrinamque germinavit.*---In Scriptura enim sacra aliquando herba viror gloriae temporalis accipitur, aliquando refectio diaboli, aliquando sustentatio praedicatorum, aliquando bona operatio, aliquando aeternae vitae scientia atque doctrina. Viror namque gloria temporalis accipitur, sicut Propheta ait: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et pertranseat* (**Psal. LXXXIX, 6**). Mane namque sicut herba florere atque transire est in prosperitate hujus saeculi temporalis gloriae decus velociter arescere. Herba refectio diaboli accipitur, sicut de illo a Domino dicitur: *Huic montes herbas ferunt* (**Job. XL, 15**). Ac si diceret: Superbi ac tumidi dum se illicitis cogitationibus atque actionibus efferunt, suis illum iniquitatibus pascunt. Herba sustentatio praedicantium demonstratur, cum dicitur: *Producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum* (**Psal. CXL, 8**). In montibus quippe fenum et servituti hominum herba producitur, cum sublimes hujus saeculi, ad fidei cognitionem vocati, sanctis praedicatoribus in hujus vitae itinere transitoria alimenta

largiuntur. Herba bona operatio ponitur, sicut scriptum est: *Germinet terra herbam virentem* (**Genes. I, 11**). Quod licet in conditione mundi ita historice factum teneamus, terram tamen Ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus, quae in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fecunda misericordiae opera protulit. Herbam aliquando scientiam atque doctrinam aeternae viriditatis accipimus, sicut per Jeremiam dicitur: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba* (**Jerem. XIV, 5**). Quo dicto superba ac nequissima Judaeorum est persecutio prophetata. Ipsi quippe onagri pro mentis elatione, ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non in Deo, sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt dicentes: *Regem non habemus nisi Caesarem* (**Joan. XIX, 15**). Traxerunt ventos quasi dracones, quia spiritu elationis inflati superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia scilicet spes eorum ab eo quod intendebat corruit. Quae temporalia diligens, praestolari aeterna neglexit, et terrena ideo quia Deo praeposuit amisit. Dixerunt enim: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (**Joan. XI, 48**). Timuerunt ne locum non occiso Domino perderent, et tamen occiso perdiderunt. Sed cur ista miseris evenerint, subdit: *Quia non erat herba*; id est, quia eorum cordibus defuit aeternitatis scientia, et nullo eos refecit pabulo viriditatis internae doctrinae. Hoc igitur loco quid aliud virentes herbas nisi sanctae doctrinae scientiam vel congruas operationes accipimus? Deserta igitur terra **941** compluitur, ut ab ea virentes herbae producantur, quia dum sanctae praedicationis imbrem gentilitas percepit, et

vitae opera et doctrinae herbam germinavit. Ista viriditas voce prophetica desertae terrae pollicetur, cum dicitur: *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant orietur viror calami et junci (Isai. XXXV, 7)*. Quid enim per calamum nisi praedicatores, quid per juncum qui juxta aquae humorem semper nascitur nisi pusilli ac teneri auditores sacri eloquii designantur? In draconum ergo cubilibus viror calami et junci oritur, quia in eis populis quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coacervatur.

[*Vet. XIX.*] 53. *Singulorum corda sunt velut desertum, antequam imbre gratiae fecundentur.*---Haec tamen quae generaliter de gentilitate dicta sunt si solerter inspicimus, intra sinum sanctae Ecclesiae agi in singulis videmus. Sunt enim plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitae auribus audiunt, sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt. Hi quid aliud quam deserta terra sunt? Quae scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus mortalium in hac terra commoratur, quia et si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt. Prava enim desideria in eorum cordibus sedem inveniunt, recta vero si quando venerint, ac si impellantur, decurrunt. Sed cum misericors Deus imbri suo cursum et sonanti tonitruui viam dare dignatur, compuncti per internam gratiam verbis vitae aures cordis aperiunt. Et impletur terra invia, quia dum praebet auditum verbo, cumulatur mysterio. Et producit herbas virentes, quia per gratiam compunctionis infusa, praedicationis verba non solum libenter recipit, sed etiam ubertim reddit, ut quod audire

non poterat jam loqui concupiscat; et quae non audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquendo quae sancta sunt viriditate sua quoslibet esurientes pascat. Unde bene per prophetam dicitur: *Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae* (Psal. CIII, 30). Sic enim sic facies terrae virtute renovationis immutatur, dum sicca dudum mens gratia veniente compluitur, et post ariditatem pristinam, quasi productis herbis, scientiae viriditate vestitur. Quae conditoris nostri gratia adhuc nobis altius commendatur, cum subditur:

CAPUT XXVII [*Vet. XX, Rec. XV*].

VERS. 28.---*Quis est pulviae pater? vel quis genuit stillas roris?*

54. *Imber hic voluntarius, non pro nostris meritis datur. Aliquando tanquam ros stillat, aliquando ut pluvia ubertim manat.*---Ac si diceret nisi ego, qui siccam terram humani cordis guttis scientiae gratuito aspergo. De hac enim pluvia alias dicitur: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, haereditati tuae* (Psal. LXVII, 10). Voluntariam quippe pluviam haereditati suae Dominus segregat, quia non eam nobis pro nostris meritis, sed pro suae munere benignitatis praestat. Et idcirco hoc loco pater pluviae dicitur, quia superna nobis praedicatio non de nostro merito, sed de ejus gratia generatur. Stillae enim roris ipsi sancti praedicatores sunt, qui arva pectoris nostri inter mala vitae praesentis, quasi inter tenebras siccae noctis arentia, gratia supernae largitatis infundunt. De his stillis contumaci Judaeae dicitur: *Propterea*

prohibitae sunt 942 stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit (Jerem. III, 3). Ipsae quippe stillae roris sunt quae stillae pluviarum. Quando enim dispensatione aliqua praedicationem temperant, quasi rorem tenerum aspergunt. Quando vero ea quae de supernis sentiunt virtute qua praevalent loquuntur, quasi ubertim manantem pluviam fundunt. Rorem aspergebat Paulus, cum Corinthiis diceret: *Non enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2).* Et rursum pluviam manabat, dicens: *Os nostrum patet ad vos, o Corinrinthii, cor nostrum dilatatum est (II Cor. VI, 11).* Hinc est quod Moyses, qui et valida fortibus, et tenera infirmis dicturum se noverat, dicebat: *Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea (Deut. XXXII, 2).*

Sed ecce audivimus quo munere gentilitas vocatur; audiamus nunc qua distictione Judaea repellitur. Audivimus quomodo deserta excolat, arentia infundat; audiamus nunc quomodo ea quae quasi videntur interna projiciat. Neque enim sic colligit electos, ut non etiam judicet reprobos; neque sic quibusdam culpas relaxat, ut non et in quibusdam feriat. Scriptum quippe est: *Misericordia enim et ira ab illo (Eccli V, 7).* Unde hic quoque postquam tot dona gratiae intulit, etiam irae suae judicia non abscondit. Nam sequitur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XXI*].

VERS. 29.---*De cujus utero egressa est glacies, et gelu de coelo quis genuit?*

55. *Judaei reprobati, quasi ex misericordiae divinae utero ejecti, licet a sanctis patriarchis orti.*---Quid enim aliud in gelu vel glacie nisi frigida et perfidiae torpore constricta accipimus corda Judaeorum? Qui quondam per acceptionem legis, per custodiam mandatorum, per ministeria sacrificii, per mysteria prophetiae, sic intra sinum gratiae, quasi intra uterum creatoris, habebantur. Sed quia, veniente Domino, constricti frigore perfidiae, fervorem fidei et caritatis amiserunt, a secreto gratiae sinu projecti, quasi glacies, de utero creatoris egressi sunt: *Et gelu de coelo quis genuit?* Quid hic aliud coelum, nisi sublimis debet intelligi vita sanctorum? cui coelo dicitur: *Attende coelum, et loquar* (**Deut. XXXII, 1**). Non enim insensibili, sed rationabili creaturae loquebatur. De hoc coelo Dominus ait: *Coelum mihi sedes est* (**Isai LXVI, 1**). De qua sede alias scriptum est: *Anima justi sedes sapientiae est*. Quia ergo sapientia est Deus, si sedes Dei coelum est, et anima justi sedes est sapientiae, coelum est utique anima justi. Coelum fuit Abraham, coelum Isaac, coelum Jacob. Sed quia persecutores Domini pontifices Judaeorum perfidiae torpore frigidi de illorum patrum progenie processerunt, quasi de coelo gelu exiit, quia de sublimi prole sanctorum processit frigida plebs infidelium. Cum enim de Abraham natus est Caiphas, quid aliud nisi gelu de coelo processit? Quod tamen gelu idcirco Dominus genuisse se dicit, quia Judaeos, quos naturaliter ipse bonos condidit, justo judicio per eorum malitiam frigidos a se exire permisit. Dominus enim auctor est naturae, non culpae. Genuit ergo creando naturaliter quos iniquos permisit vivere tolerando patienter. Et quia illa quondam tenera ac fidei penetrabilia corda Judaeorum, in perfidiae postmodum obstinatione durata sunt, recte subjungitur:

CAPUT XXIX.

VERS. 30.---*In similitudinem lapidis aquae durantur.*

943 56. *Ex filiis Abrahae facti sunt lapides, ob cordis duritiam; et gentiles prius lapides in filios Abrahae converti sunt.*---Aguas enim populos accipi jam saepius edocuisse me memini. In lapide vero pro ipsa duritia aliquando gentiles populi designantur. Ipsi quippe lapides coluerunt. Et de his per prophetam dictum est: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis (Psal. XIII, 8).* Unde Joannes Judaeos aspiciens se de stemmate generationis extollere, et gentiles praevicens ad Abrahae prolem fidei cognitione transire, ait: *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (Matth. III, 9);* lapides utique duros perfidia gentiles vocans. Quia ergo primum Judaea Deo credidit, gentilitate omni in perfidiae suae obstinatione remanente, postmodum vero ad fidem gentilium corda mollita sunt, et Judaeorum infidelitas obdurata, bene dictum est: *In similitudinem lapidis aquae durantur.* Ac si diceret: Illa mollia ac penetrabilia fidei corda Judaeorum in insensibilitatem vertuntur gentium. Cum enim misericors Deus gentes traxit, iratus Judaeam repulit. Actumque est ut sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta, Judaeae populus perfidiae torpore duresceret. Unde Paulus apostolus eisdem gentibus dicit: *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum*

incredulitatem; ita et isti non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Concluserit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur (Rom. XI, 30). Quam sententiam suam primum quidem de vocatione Judaeorum, et repulsione gentium, postmodum vero de vocatione gentium, et repulsione Judaeorum subtiliter pensans, seque occulta Dei judicia comprehendere non posse considerans, exclamando subjunxit: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus (Ibid., 33)!* Unde hic quoque cum de Judaeorum perfidia Dominus diceret: *In similitudinem lapidis aquae durantur*, ut de repulsione eorum occulta esse sua judicia demonstraret, apte subdidit:

CAPUT XXX [*Vet. XXII*].

IBID.---*Et superficies abyssi constringitur.*

57. *Judicia Dei abyssus multa.*---Quia superjecto quodam ignorantiae nostrae velamine, incomprehensibilitatem divini judicii humanae mentis oculus nullatenus penetrat. Scriptum quippe est: *Judicia tua abyssus multa (Psal. XXXV, 7).* Nemo ergo perscrutari appetat cur cum alius repellitur, alius eligatur; vel cur cum alius eligitur, alius repellatur; quia superficies abyssi constringitur, et, attestante Paulo: *Inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus (Rom. XI, 33).*

58. *Dicta de Judaeorum duritia et reprobatione, de Satana possunt intelligi.*---Per hoc vero quod dictum est: *De cujus utero egressa est glacies, et gelu de coelo quis genuit?* etiam Satan in gelu et glacie nil obstat intelligi. Ipse quippe quasi de Dei utero glacies processit, quia a calore secretorum ejus, malitiae torpore frigidus, magister iniquitatis exivit. Ipse gelu de coelo est genitus, quia constricturus corda reproborum, a summis cadere est ad ima permissus. Qui bene in coelestibus conditus, in culpa frigore mentes sequacium quasi gelu dum cecidit astrinxit. **944** Qui ad terram veniens, quid in hominibus egerit, expletur cum subditur: *In lapidis similitudinem aquae durantur.* Per aquas namque populi, per lapidem vero ejusdem Satanae duritia designatur. Illo igitur ad ima veniente, in similitudinem lapidis aquae duratae sunt, quia ejus malitiam imitati homines, mollia viscera charitatis amiserunt. Cujus fraudulenta consilia quia a seductis hominibus deprehendi non possunt, recte subjungitur: *Et superficies abyssi constringitur.* Aliud quippe ei intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit. Transfigurat enim se velut angelum lucis (**II Cor. XI, 14**), et callida deceptionis arte plerumque proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat. Abyssi ergo superficies constringitur, quia dum quasi bona persuasionis ejus species velut solida desuper glacies ostenditur, in profundo latens ejus malitia non videtur.

59. *Et de superbis propter accepta dona insolescentibus.*---Cuncta tamen haec intelligere et aliter possumus, si moraliter exquiramus. [*Vet. XXIII*]. Mentis namque hominum omnipotens Deus dum in suo timore format, quasi concipit, easque ad apertas virtutes, dum provehit, gignit; sed si de acceptis virtutibus extolluntur, relinquit. Et saepe quosdam

cognovimus malorum suorum consideratione compungi, divini terroris pavore fervere, et per pavoris exordia usque ad virtutum summa pervenire; sed dum de eisdem virtutibus quas accipiunt extolluntur, inanis gloriae laqueo astricti, ad antiquum torporem redeunt. Recte ergo cum tales Dominus projicit dicit: *De cujus utero egressa est glacies?* Quasi enim de Dei utero glacies egreditur, quando hi qui jam intus incaluerant ex virtutum dono frigescunt; et inde exterioriorem gloriam torpentes appetunt, unde ad interna diligenda ardentius flagrare debuerunt. Dumque iste signis, ille scientia, iste prophetia, ille magnis operibus pollet, atque per haec dona placere hominibus appetit, omne quod prius intimum caluerat, exterioriorem laudem diligens, in torporem vertit. Quasi ergo glacies de utero egreditur, dum post donorum beneficia a visceribus pietatis supernae separatur. An non sunt glacies, qui in virtutibus quas accipiunt laudes ab hominibus quaerunt? Et tamen venienti iudici dona sua ad ejus memoriam revocantes, dicunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus* (**Matth. VII, 22**)? Sed quomodo hanc glaciem Dominus projiciat ostendit, dicens: *Nescio vos unde sitis, discedite a me, omnes operarii iniquitatis* (**Ibid.**). Hanc glaciem nunc in utero Dominus portat, quia intra sinum Ecclesiae tolerat. Sed tunc aperte ejicit, cum tales a secretis coelestibus per extremum et publicum iudicium repellit. His itaque verbis quid aperte agitur, nisi ut beatus Job de summis suis virtutibus humilietur, ne in hoc quod bene vivendo caluerat, superbiendo frigescat, et a Divinitatis utero repulsus exeat, si intra sinum sui cordis se tumidus extollat?

[Vet. XXIV.] 60. *Superbiae poena, induratio. Quo sensu Deus dicatur indurare.*---Et quia justo iudicio superbas mentes ad culpam egredi ex accepta virtute permittit, recte adhuc subjungitur: *Et gelu de coelo quis genuit?* Plerumque enim sacri eloquii scientiam praestat, sed dum de eadem scientia is qui accipit extollitur, **945** ira districti iudicis in ipso sacro eloquio caecatur, ut exteriores favores per illam sequens, ejus jam interna non videat; et qui intus manens calere poterat, exeundo frigescat, duratusque in ima corruat, qui ad cognitionem Dei prius tractabilis in summis liquidus stabat. An sacrum eloquium coelum non est, quod diem nobis intelligentiae aperiens, sole nos justitiae illustrat, quod dum nos vitae praesentis nox continet, stellis nobis mandatorum fulget? Sed quia oportet esse haereses, ut probati manifesti fiant (**I Cor. XI, 19**), cum ab intellectu sano mens superba repellitur, ultione districti iudicis gelu de coelo generatur, ut cum ipsa Scriptura sacra in electorum cordibus caleat, eos qui se superbe scire appetunt a se frigidos emittat. Ibi quippe errant ubi corrigere errata debuerant; et dum a superna intelligentia resplendentis eloquii, et obdurati ipsi, et seducturi caeteros, corrunt, ad ima venientes ut gelu, et alios astringuat. Semetipsum tamen Dominus hoc gelu gignere perhibet, non quod pravorum mentes ipse ad culpam formet, sed quod a culpa non liberat, sicut scriptum est: *Ego obdurabo cor Pharaonis* (**Exod. X, 27**). Quod quia misericorditer emollire noluit, profecto districte se obdurasse nuntiavit.

61. *Amissa virtutis, virtute imago saepe retinetur.* Quia vero cum inchoata divini timoris virtus amittitur, propter humanas laudes virtutis imago retinetur, recte subjungitur: *In*

similitudinem lapidis aquae durantur, et superficies abyssi constringitur. Aquae enim per glaciem in superficie durescunt, sed fluidae in intimis remanent. Et quid per aquas nisi fluxa accipimus corda reproborum? Quae cum ex proposito virtutem deserunt, fortes se in bonis operibus per hypocrisim ostendunt; dumque in intimis suis ad vitia defluunt, et foris se sanctorum ac fortium imitatores fingunt, *Aquae in similitudinem lapidis durantur, et superficies abyssi constringitur*, quia per superductam sanctitatis speciem fluxa ac instabilis eorum conscientia hominibus tegitur. Nam cum sibimetipsis intrinsecus turpes sint, ante alienos tamen oculos quadam vivendi vetustate vestiuntur.

63. *Praeposteros virtutis fructus Deus sapienter premit.*---Sed ne quis haec verba Domini in bonam intelligi partem velit, debemus sic etiam quaerentibus astruere, dummodo minime iudicemur quae perscrutanda fuerant neglexisse. Superiori enim versu dicitur: *Quis est pluviae pater vel quis genuit stillas roris?* Statimque additur: *De cuius utero egressa est glacies, et gelu de coelo quis genuit?* Si ergo dictis praecedentibus sequens sententia non dispari sensu conjungitur, profecto et in bonam partem nobis ejus intelligentia sine obstaculo difficultatis aperitur. [*Vet. XXV.*] Terra enim cum compluitur, jactata in eam semina feracius ligantur. Sed rursum si illam pluvia immoderatus irrigat, in culmo pinguedinem frumenti virtutemque mutat. Sin vero jactatum semen post pluviam gelu premitur, quo foris citius apparere repellitur, eo intus fecundius radicitur; et quo vetatur progredi, cogitur multiplicari, quia cum ab immaturo ortu restringitur, ex conceptionis suae **946** tarditate laxatum

ad fructum uberius impletur. Quid est ergo quod Dominus prius quidem patrem se pluviae insinuat, postmodum vero de suo egredi utero glaciem narrat, seque gelu gignere de coelo pronuntiat, nisi quod miro modo nostri pectoris terram ad suscipienda verbi semina, et prius per occultae gratiae pluviam infundit, et postmodum, ne in conceptis virtutibus immoderatus profluat, disciplina intimae dispensationis premit, ut quam acceptae gratiae pluvia irrigat, etiam disciplinae rigor astringat, ne si aut antequam debet, aut plusquam necesse est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat? Plerumque enim ab inchoantibus opus bonum dum priusquam oportet ostenditur, a grano perfectionis inanitur, et plerumque virtutes dum plus quam necesse est exuberant exhalant. Unde et electorum suorum Dominus vel ante tempus desideria renuit, vel rursum in tempore ultra mensuram profectus premit, ne si aut antequam debent, aut plus quam debent, proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis defectum cadant. Nam cum cor post peccata compungitur, terra quae aruerat infusione pluviae rigatur; et cum relictis iniquitatibus bona exsequi opera proponit, quasi post infusionem semen accipit. Et plerique cum desideria sancta concipiunt, in summis jam exerceri virtutibus inardescunt ut non solum culpa operationem non inquinet, sed nec cogitationem pulset. Et adhuc quidem in corpore positi sunt, sed nil jam perpeti de communione praesentis vitae volunt; imitari per intentionem internam mentis stabilitatem appetunt, sed intervenientibus tentationibus reverberantur, ut videlicet infirmitatis suae meminerint, et elati de virtutibus quas accipiunt non sint. Quod dum mira disciplinae repressione agitur, quid aliud quam super infusam terram gelu de coelo generatur? Quid aliud quam de Dei utero glacies

producitur, quando de interno secreto dispensatio egreditur, et voluntates nostrae etiam in bonis desideriis frenantur?

63. *Quod exemplo S. Pauli confirmatur.*---Videamus, Paulus, infusa videlicet terra, quanta disciplinae glacie prematur, dum ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio (Rom. VII, 18)*. Qui enim velle habere se asserit, jam per infusionem gratiae, quae in se lateant semina ostendit. Sed dum perficere bonum non invenit, profecto indicat quanta illum dispensationis supernae glacies premat. An ista glacies eorum corda non presserat, quibus dicebat, *Ut non quaecunque vultis, illa faciatis (Gal. V, 17)*? Ac si aperte diceret: Occulta cordis vestri semina jam prodire in frugem quaerunt, sed superni moderaminis gelu premuntur, ut tanto post fecundius exeant, quanto divini judicii prementia pondera patientius portant.

[*Vet. XXVI.*] 64. *Inde graves emergunt tentationes, quae bene vivendi consuetudine superantur.*---Et quia plerumque humana corda quoniam erumpere ad virtutes quas appetunt non valent, eo ipso quo ab intentionis suae perfectione resiliunt, tentationum stimulis fatigantur, sed tamen easdem tentationes cogitationum comprimunt, seque per 947 exercitationis usum in quodam vivendi rigore componunt, bene subditur: *In similitudinem lapidis aquae durantur*. Quia etsi fluxae cogitationes interius lacescunt, nequaquam tamen usque ad consensum pravi operis trahunt. Sed mens sub inolita bene vivendi consuetudine quasi sub quadam durtia exterius abscondit quidquid intus ex tentationis pulsatione mollescit. Unde et bene subjungitur: *Et superficies abyssi constringitur*. Quia prava cogitatio et si usque ad suggestionem venit, usque ad consensum non

prosilit, quia fluctuantes motus animi superductus rigor sanctae deliberationis premit.

65. *Adversitas valentiores efficit sanctos.*---Potest etiam in gelu vel glacie praesentis vitae adversitas designari, quae dum asperitate sua sanctos comprimit, valentiores reddit. Dum enim nos omnipotens Deus molestiis exerceri permittit, atque ad melioris vitae statum interveniente tristitia provehit, miro consilio super futuram frugem gelu et glaciem gignit, ut electus quisque in hac vita, tanquam in hieme, adversa ventorum et frigorum toleret, et velut in aestiva serenitate postmodum fructus quos hic conceperit demostret. Unde et sponsi voce unicuique animae post hujus mundi turbines ad illa aeternitatis amoena properanti dicitur: *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni; jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit (Cant. II, 10).* Et quia si sola nobis adsunt prospera solvimur, ad virtutes vero melius per adversa solidamur, recte subjungitur: [*Vet. XXVII.*] *In similitudinem lapidis aquae durantur.* Mentis enim quae per prospera molliter fluxerant constrictae adversitatibus durescunt; et ad similitudinem lapidis aqua perducitur, quando infirmus quisque per acceptam desuper tolerantiam passiones sui Redemptionis imitatur. In similitudinem quippe lapidis aqua duruerat, cum ille prius impatiens persecutor postmodum Paulus dicebat: *Impleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea (Coloss. I, 24).*

66. *Et ad interna dona custodienda magis sollicitos.*---Et quia cum deprimuntur adversis, solertius in terna dona custodiunt, recte additur: *Et superficies abyssi constringitur.* Solet enim laetitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere; adversa vero cum nos exterius deprimunt, interius cautiores

reddunt. Post gelu itaque vel glaciem superficies abyssi constringitur, quia mens nostra, ad conservanda profunda dona quae acceperit, adversitatibus munitur. Abyssi enim suae superficiem Isaias constrinxerat, cum dicebat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (**Isai. XXIV, 16**). Abyssi suae superficiem Paulus constrinxerat, qui tot periculis ac adversitatibus insudans, sub praetextu cujusdam de semetipso loquitur, dicens: *Audivi arcana verba, quae non licet homini loqui* (**II Cor. XII, 4**). Et rursum: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me* (**Ibid., 6**). Qui igitur foris adversa tolerans, ne fortasse in laudibus deflueret, arcana sua aperire metuebat, quid aliud quam secretorum suorum abyssum per constrictam superficiem presserat? Sequitur:

CAPUT XXXI [*Rec. XVI*].

VERS. 31.---*Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?*

948 67. *Quid Pleiades et Arcturus. Dei omnipotentiam pensates, infirmitatis nostrae admonemur.*---Pleiades stellae ἀπὸ τοῦ πλείστου, id est a pluralitate vocatae sunt. Ita autem vicinae sibi et divisae sunt conditae, ut et simul sint, et tamen conjungi nequaquam possint, quatenus vicinitate quidem conjunctae sint, sed tactu disjunctae. Arcturus vero ita nocturna tempora illustrat, ut in coeli axe positus per diversa se vertat, nec tamen occidat. Neque enim extra se currens volvitur, sed in loco situs, in cunctis mundi partibus

nequaquam casurus inclinatur. Quid ergo est quod homo ex terra factus, atque in terra positus (**Genes. II, 7**), de coelesti administratione discutitur, quia Pleiades conjungere non valet, quas vicinas sibimetipsis conditas et pene conjunctas videt, quia Arcturi gyrum dissipare non potest, quem tamen cernere ipsa sua vertigine pene dissipatum potest? An ut in istis ministeriis auctoris potentiam pensans, infirmitatis suae meminerit, et eum quem adhuc in majestate sua videre non poterat quam sit inaestimabilis in ipsa ministeriorum coelestium gubernatione perpendat?

SENSUS MYSTICUS.---*Pleiadum nomine sancti designantur.*---68. Sed cur ista loquimur, qui stimulo rationis urgemur, ut haec verba mysticis sensibus gravida cognoscamus? [*Vet. XXVIII.*] Quid enim micantes Pleiades, quae et septem sunt, aliud quam sanctos omnes denuntiant, qui inter praesentis vitae tenebras septiformis Spiritus gratiae nos lumine illustrant, qui ab ipsa mundi origine usque ad ejus terminum diversis temporibus ad prophetandum missi, et juxta aliquid sibi conjuncti sunt, et juxta aliquid disjuncti? Stellae enim Pleiades, sicut supra dictum est, vicinitate sibi conjunctae sunt, et tactu disjunctae. Simul quidem sitae sunt, et tamen lucis suae viritim radios fundunt. Ita omnes sancti aliis atque aliis ad praedicandum temporibus apparentes, et disjuncti sunt per visionem suae imaginis, et conjuncti per intentionem mentis. Simul micant, quia unum praedicant; sed non semetipsos tangunt, quia in divisis temporibus partiuntur.

69. *Omnes, etiam qui Christum praecesserunt, eum praedicant, et Trinitatis mysterium.*---Quam diversis temporibus Abel, Isaias, et Joannes apparuerunt! Divisi quidem fuerunt tempore, sed non praedicatione. Nam Abel

Redemptoris nostri passionem significans, agnum in sacrificio obtulit (**Genes. IV, 4**), de cuius passione Isaias ait: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (**Isai, LIII, 7**). De quo Joannes quoque ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (**Joan. I, 29**). Ecce divisus quidem temporibus missi, et tamen concorditer de Redemptoris nostri innocentia sentientes, eundem agnum Joannes ostendendo, Isaias praevidendo, Abel offerendo locutus est; et quem Joannes in ostensione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit.

70. Quia igitur quomodo Pleiades stellae de humanitate Redemptoris sibi concinant diximus, nunc quomodo in ostendenda unitate Trinitatis concorditer luceant demonstramus. Diversis quippe temporibus huic mundo David, Isaias et Paulus apparuit; sed tamen nullus eorum alteri diversum sensit, quia etsi semetipsos non noverant facie, unum tamen didicerant ex divina cognitione. David quippe ut auctorem omnium Deum in Trinitate ostenderet, dixit: *Benedicat nos Deus, Deus 949 noster, benedicat nos Deus* (**Psal. LXVI, 8**). Ac ne tertio Deum nominans tres Deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit: *Et metuant eum omnes fines terrae* (**Ibid.**). Qui enim nos eos, sed eum subdidit, unum tria quae dixerat intimavit. Isaias quoque cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim voces exprimens, ait: *Sanctus, sanctus, sanctus* (**Isai. VI, 3**); ac ne tertio sanctum nominans unitatem divinae substantiae scindere videretur, adjunxit: *Dominus Deus sabaoth*. Quia ergo non domini dii, sed Dominus Deus addidit, unum existere quod tertio sanctum vocaverat indicavit. Paulus quoque ut operationem sanctae Trinitatis

ostenderet, ait, *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. XI, 36)*. Atque ut unitatem ejusdem Trinitatis intimaret, protinus addidit: *Ipsi gloria in saecula saeculorum, amen (Ibid.)*. Qui igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio idipsum dixit. Quasi ergo et uno in loco Pleiades sitae sunt, quia de Deo concorditer sentiunt, et tamen semetipsas non tangunt, quia sicut dictum est per hujus mundi tempora diversa partiuntur.

71. *Sancti omnes fidei ac virtutum unanimitate conjunguntur.* --Quod bene ac breviter Ezechiel propheta describit, qui cum diversi generis animalia videre se diceret, adjunxit: *Junctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum (Ezech. I, 9)*. Pennae quippe animalium alterius ad alterum junctae sunt, quia etsi dissimilia sunt quae agunt, uno tamen eodemque sensu sibi sanctorum voces virtutesque sociantur. Et quamvis alius rationabiliter cuncta agendo sit homo, alius in passionibus fortis adversa mundi non timendo sit leo, alius per abstinentiam semetipsum vivam hostiam offerendo sit vitulus, alius se in alta rapiendo contemplationis volatu sit aquila, pennae se tamen dum volant tangunt, quia et confessione vocum, et virtutum sibi unanimitate junguntur. Quod quia solius divinae virtutis est, et disjunctis temporibus missos in fidei praedicatione conjungere, et dissimilibus virtutibus praeditos fulgore intentionis unire, recte dicitur, *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades?* Ac si dicat ut ego, qui unus omnia impleo, atque in unitatis sensu electorum mentes implendo conjungo.

72. *Arcturus totam Ecclesiam significat. Docet fidei simul ac bonorum operum necessitatem.* ---In Arcturo autem, qui per

gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, nequaquam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ecclesia designatur, quae fatigationes quidem patitur, nec tamen ad defectum proprii status inclinatur: gyrum laborum tolerat, sed ad occasum cum temporibus non festinat. Neque enim ad ima poli Arcturus cum nocturno tempore ducitur, sed dum ipse volvitur, nox finitur, quia nimirum dum sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur, praesentis vitae umbra terminatur; eaque stante nox praeterit, quia illa in sua incolumitate perdurante, mortalitatis hujus vita percurrit. [*Vet. XXIX.*] Est in Arcturo quod consideratius possimus intueri. In septem quippe stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, atque ad ima quatuor inclinat, modo **950** quatuor superius erigit, et tres inferius premit. Sancta quoque Ecclesia cum modo infidelibus Trinitatis notitiam, modo autem fidelibus virtutes quatuor, id est prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam praedicat, quasi rotatu praedicationis status sui speciem quodammodo immutat. Nam cum quibusdam de operibus suis gloriantibus confidentiam proprii laboris evacuat, et fidem Trinitatis exaltat, quid aliud facit nisi tres stellas Arcturus elevat, quatuor inclinat? Et dum quosdam bona opera non habentes de sola fide praesumere prohibet, sed operari enixius quae praecepta sunt jubet, quid aliud Arcturus facit, nisi quatuor stellas erigit, tres deponit? Videamus quomodo tres elevet, quatuor deponat. Ecce per Paulum contra fidem de opere superbientibus dicitur: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum (Rom. IV, 2).* Quid enim Scriptura dicit? *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (Genes. XV, 6).* Videamus quomodo quatuor elevet, tres deponat. Ecce per Jacobum de fide contra opera superbientibus dicitur: *Sicut*

corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est (Jac. II, 26). Arcturus itaque volvitur, quia sancta Ecclesia juxta auditorum suorum mentes in diverso latere praedicationis arte versatur. Arcturus volvitur, quia haec in noctis hujus tribulationibus rotatur. Sed hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia labores Ecclesiae ad requiem permutat. Tunc et Pleiades plenius jungit, cum gyrum Arcturi destruit, quia tunc nimirum sancti omnes etiam visionis sibi specie copulantur, quando in fine mundi sancta Ecclesia ab his quos nunc sustinet laboribus solvitur. Dicat ergo: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Subaudis ut ego, qui tunc sanctorum vitam etiam per speciem unio, cum gyrum universalis Ecclesiae corporaliter solvo. Et quis hominum solius divinae hoc esse virtutis ignorat? Sed ut cognoscat homo quid ipse sit, memoretur assidue quid solus Dominus possit.

73. Rursum per Arcturum lex vetus, per Pleiades Novi Testamenti gratia signatur.---Habemus adhuc quod de stellis Pleiadibus atque Arcturo aliud sentiamus. Pleiades quippe ab Oriente, Arcturus vero ex parte Aquilonis surgit. Quocumque autem se per gyrum suum Arcturus verterit, Pleiades ostendit; et cum lux diei jam vicina efficitur, stellarum ejus ordo distenditur. Potest igitur per Arcturum, qui a plaga frigoris nascitur, lex; per Pleiades vero, quae ab Oriente surgunt Testamenti Novi gratia designari. Quasi enim ab Aquilone lex venerat, quae tanta subditos rigiditatis asperitate terrebat. Nam dum pro culpis suis alios praeciperet lapidibus obrui, alios gladii morte mulctari, plaga torpens, et velut a sole charitatis aliena, praeceptorum suorum semina plus premebat

ex frigore quam ex calore nutriebat. Cujus oppressionis pondus Petrus horruerat, cum dicebat: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus* (**Act. XV, 10**)? Nec mirum quod per Arcturi septem stellas Testamentum Vetus exprimitur, quia et veneratione legis **951** dies septimus exstitit venerabilis, et per hebdomadam integram constituti sacrificii vota tendebantur. Pleiades vero quae ipsae quoque, sicut superius diximus, septem sunt, Testamenti Novi gratiam tanto apertius indicant, quanto cuncti liquido cernimus, quod per illam fideles suos Spiritus sanctus septiformis muneris lumine illustrat. Quaqua igitur se Arcturus vertit, Pleiades ostendit, quia per omne quod Testamentum Vetus loquitur Testamenti Novi opera nuntiantur. Sub textu enim litterae tegit mysterium prophetiae. Et quasi inclinatur se Arcturus et demonstrat, quia ad dum spiritalem intellectum flectitur, significata per illud lux gratiae septiformis aperitur. Et propinquante diei luce, stellarum ejus ordo distenditur, quia postquam per semetipsam nobis Veritas innotuit, ab obsequiis carnalibus litterae praecepta laxavit.

[*Vet. XXX.*] 74. *Christus solus omnes sancti Spiritus operationes in se manentes habuit.*---Redemptor autem noster in carne veniens Pleiades junxit, quia operationes septiformis Spiritus simul in se et cunctas et manentes habuit. De quo per Isaiam dicitur: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (**Isai. XI, 1**). De quo Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt* (**Zach. III, 9**).

Atque iterum: *Et in candelabro aureo lucernae septem* (**Ibid., IV, 2**). Nullus vero hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum, cujus est idem Spiritus, qui de Patre ante saecula procedit. Bene ergo dicitur: *Super lapidem unum septem oculi sunt*. Huic enim lapidi septem oculos habere est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiae in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum juxta distributionem sancti Spiritus accipit (**I Cor. XII, 8**); ad habenda vero cuncta ejusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suae potentiam simul se habere omnes sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes procul dubio Pleiades junxit. Dum vero Pleiades jungit, Arcturi gyrum dissipat, quia dum semetipsum factum hominem habere cunctas sancti Spiritus operationes innotuit, in Testamento Veteri litterae laborem solvit, ut fidelis quisque jam cum libertate spiritus illud intelligat cui prius in formidine inter tot discrimina serviebat. Audiat itaque beatus Job: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades?* Ac si aperte diceretur: Habere quidem lumina quarundam virtutum potes, sed nunquid exercere simul omnes operationes sancti Spiritus sufficis? Me ergo conjungentem Pleiades in cunctis virtutibus contemplare, et tu de paucis ab elatione compescere. Audi quod dicitur: *Aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Ac si ei aperte diceretur: Et si ipse jam quae recta sunt sentis, nunquid virtute tua etiam in alienis cordibus laborem grossioris intelligentiae destruis? **952** Me itaque considera, qui carnalium stulta corripo, dum me per carnis stultitiam manifesto, ut tanto magis haec quae putas virtutum tuarum

fortia humiliter, quanto nec vestigia meae infirmitatis apprehendis. Quia vero in ipso dominicae incarnationis mysterio aliis lux veritatis ostenditur, aliorum vero per scandalum corda tenebrantur, recte subjungitur:

CAPUT XXXII [*Rec. XVII*].

VERS. 32.---*Nunquid producis luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terrae consurgere facis?*

75. *Christus verus lucifer, maxime in resurrectione; vesper autem Antichristus. Huic juste subduntur homines terrae dediti.*---Pater quippe in tempore suo luciferum produxit, quia, sicut scriptum est: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret (Gal. IV, 4).* Qui natus ex Virgine, velut lucifer inter tenebras nostrae noctis apparuit, quia fugata obscuritate peccati, aeternum nobis mane nuntiavit. Luciferum vero se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore sui luminis mortalitatis nostrae terram caliginem pressit. Cui bene per Joannem dicitur: *Stella splendida et matutina (Apoc. XXII, 16).* Vivus quippe apparens post mortem, matutina nobis stellas factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis praebuit, quae lux sequatur indicavit. Vesperum vero super terrae filios Dominus consurgere facit, quia infidelibus Judaeorum cordibus dominari Antichristum eorum merito exigente permittit. Qui idcirco a Domino huic vesperi juste subduntur, quia ipsi sponte sua filii terrae esse voluerunt. Terrena quippe

et non coelestia requirentes, a perspicienda luciferi nostri claritate excaecati sunt; et dum praeesse sibi vesperum expetunt, subsequentis damnationis aeterna nocte merguntur. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; alius veniet in nomine suo, et ipsum recipietis* (**Joan. V, 43**). Hinc Paulus ait: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (**II Thess. II, 10**). Nequaquam ergo super eos vesper consurgeret, si coeli filii esse voluissent. Sed dum visibilia appetunt, amisso cordis lumine, sub noctis duce tenebrescunt.

[*Vet. XXXI.*] 76. *Sermo Dei qui electis lucifer est, reprobis fit vesper.*---Quod tamen si moraliter discutimus, quomodo quotidie agatur invenimus, quia nimirum et electis lucifer oritur, et reprobis Deo permittente vesper dominatur. Unus enim atque idem sermo Dei est in ore praedicantis. Quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, claritatem sibi luciferi in vesperi tenebras vertunt. Dum isti humiliter vocem sanctae praedicationis accipiunt, quasi ad stellae lucem oculos cordis aperiunt; dum vero illi benedicienti invident, et non salutis causam, sed elationis gloriam quaerunt, prorumpente iniquitatis suae vespere in somnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo iudicium is qui electis est lucifer reprobis auditoribus fit vesper, quia exhortatione sancta qua boni ad vitam redeunt pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur: *Christi 953 bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam* (**II Cor. II, 15**).

Verbum itaque suum auditoribus esse luciferum simul et vesperum vidit, per quod et alios ab iniquitate suscitari, et e contra alios sopiri in iniquitate conspexit. Quod quia occultis Dei judiciis agitur, quae in hac vita ab hominibus comprehendi non possunt, recto illic subdidit: *Et ad haec quis tam idoneus (Ibid., 16)?* Ac si diceret: Idonei quidem sumus ad haec considerata quia fiunt, sed idonei non sumus ad haec investiganda cur fiant. Unde hic quoque Dominus, quia aliis produci luciferum, aliis vero consurgere vesperum dixerat, ne perscrutari homo occulta Dei judicia audeat, illico subjungit:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXXII, Rec. XVIII*].

VERS. 33.---*Nunquid nosti ordinem coeli, et pones rationem ejus in terra.*

77. *Judiciorum et praedestinationis Dei causas nemo scit; nemo scrutetur.*---Ordinem coeli nosse est supernarum dispositionum occultas praedestinationes videre. Rationem vero ejus in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. Rationem videlicet coeli in terra ponere est supernorum judiciorum mysteria vel considerando discutere, vel loquendo manifestare. Quod utique facere in hac vita positus nullus potest. Ut enim a parvis ad majora veniamus, quis intelligat quae esse ratio secretorum potest, quod saepe vir justus a judicio non solum non vindicatus, sed etiam punitus redeat, et iniquus ejus adversarius non solum

non punitus, sed etiam victor abscedat? Quis intelligat cur vivit alius insidians mortibus proximorum, et moritur alius qui profuturus esset vitae multorum? Alius culmen potestatis assequitur, qui non nisi laedere studet; alius tantummodo laesos defendere concupiscit, et tamen ipse oppressus jacet. Alius vacare appetit, et innumeris negotiis implicatur; alius negotiis **954** implicari desiderat, et coactus vacat. Alius male inchoans usque ad vitae suae terminum ad pejora protrahitur; alius bene incipiens per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum. At contra, alius male vivens diu reservatur ut se corrigat, alius vero bene quidem videtur vivere, sed in hac vita eo usque durat quoad in perversa prorumpat. Alius in errore infidelitatis natus in errore deficit, alius in catholicae fidei rectitudine genitus in catholicae fidei rectitudine consummatur. E contra vero alius catholicae matris ventre editus juxta vitae terminum erroris voragine devoratur, alius autem vitam suam in catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris. Alius celsitudinem bene vivendi appetere et vult, et valet; alius nec vult, nec valet. Alius vult, et non valet; alius valet, et non vult. Quis ergo ista judiciorum coelestium secreta discutiat? Quis intelligat secretam lancem aequitatis occultae? Ad cognoscendos quippe istos judiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini, ut se nescire cognoscat; nescientem vero se cognoscat ut timeat; timeat ut humilietur, humilietur ne praesumat in se; non praesumat in se, ut conditoris sui auxilium requirat; et qui in se fidens mortuus est, auctoris sui adjutorium appetens vivat. Audiat itaque vir justus jam quidem se sciens, sed adhuc quae supra se sunt nesciens: *Nunquid nosti ordinem coeli, et pones rationes ejus in terra?* id est, nunquid occultos ordines

judiciorum coelestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Job de judiciorum incomprehensibilium investigatione requiritur, ac si ei aperte diceretur: Cuncta quae pateris tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum coelestium ignarus cur haec pateris nescis.

LIBER TRIGESIMUS. *Expositionem octo versuum ultimorum capitis XXXVIII, et totidem capitis XXXIX, complectitur. Ubi de Evangelii praedicatione praesertim plurima pie ac erudite sanctus Doctor edisserit.*

955 [*Vet. et Rec. I.*] *1. Cur Job a Deo de tot tantisque interrogatus.*---Beatus Job talia utrumne fecerit, Domino interrogante, requiritur, qualia utique facere non potest homo, ut dum se ista facere non posse deprehendit, ad eum refugiat quem solum talia quia facere possit intelligit, atque ante oculos judicis sui magis potens appareat, si sua verius infirma cognoscat. Quod ergo mire a Domino fieri non ignoratur, de eo divina Job voce requiritur; diciturque ei:

CAPUT PRIMUM.

CAP. XXXVIII, VERS. 34.---*Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?*

2. *In nebula verbum Dei spargitur, dum infidelibus annuntiatur.*---Vocem quippe suam in nebula Dominus elevat, quando per praedicatorum suorum linguas ad caliginosa corda infidelium exhortationem format; eumque aquarum impetus operit, dum bene agentia membra ejus turba resistentium populorum premit. Hinc est enim quod scriptum est: *Factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: Sta in atrio domus Domini, loquens ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt, ut adorent in domo Domini, universos sermones quos ego mandavi tibi (Jerem. XXVI, 2).* Et paulo post: *Et audierunt sacerdotes et prophetae et omnis populus Jeremiam loquentem verba haec in domo Domini. Cumque complevisset Jeremias loquens, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetae et omnis populus, dicens: Morte moriatur, quare prophetavit in nomine Domini (Ibid., 7)?* Ecce in nebula Dominus vocem levavit, quia obscuras mentes superbientium directo propheta corripuit. Ecce aquarum impetus eum protinus operuit, quia ab insurgentibus populis, et causa suae correptionis instigatis, ipse in Jeremia cuncta pertulit, qui correptionis verba mandavit. Per semetipsum quoque Dominus in nebula vocem levavit, quando praesentem se etiam assumpto corpore exhibens, multa suis persecutoribus sed figuris aenigmatum velata praedicavit. In nebula vocem levavit, quia veritatem suam non secuturis infidelibus quasi per caliginem sonuit. Unde et bene in libris Regum scriptum est: *Nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam (III Reg. VIII, 10, 11).* Exigentibus enim meritis, dum superbi Judaeorum pontifices divina mysteria per parabolas audiunt, sacerdotes in domo Domini quasi propter nebulam ministrare nequiverunt. Qui et in Testamento Veteri dum sensus

mysticos litterae velamine coopertos inter obscuras allegoriarum caligines investigare despiciunt, debitum fidei suae ministerium propter nebulam perdiderunt. Quibus et nunc in nebula doctrinae suae vocem Dominus protulit, cum de se etiam **956** aperta narravit. Quid est enim apertius quam: *Ego et Pater unum sumus* (**Joan. X, 30**)? Quid apertius dicere quam: *Antequam Abraham fieret, ego sum* (**Joan. VIII, 58**)? Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo repleverat, quasi emissum solis radium nebula interjacens abscondebat.

[*Vet. II.*] 3. *Verbi divini praedicatores impetus aquarum operit, cum in eos infideles saeviunt.*---Ad hanc namque elevationem vocis eum protinus aquarum impetus operuit, quia contra illum mox saeviens populorum turba surrexit. Scriptum quippe est: *Propterea ergo quaerebant eum Judaei inter ficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* (**Joan. V, 18**). De hoc aquarum impetu per Prophetam clamat: *Circumdederunt sicut aqua tota die, circumdederunt me simul* (**Psal. LXXXVII, 18**). Et rursum: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam* (**Psal. LXVIII, 2**). Quas profecto aquas in semetipso ante mortem, in suis autem et post ascensionem pertulit. Hinc est enim quod et de superioribus clamat: *Saule, Saule, quid me persequeris* (**Act. IX, 4**)? Ecce jam coelum conscenderat, et tamen adhuc eum Saulus aquarum infidelium impetu persequens, et tumidior caeteris unda tangebatur. Ipse quippe est qui per bonos recta loquitur, ipse qui in bonorum passione laceratur. Ut ergo mirifica Dominus charitatis unitate, monstraret se esse qui indignis auditoribus per sanctorum suorum ora praedicat, ait: *Nunquid elevabis in nebula vocem*

tuam? Ut vero ostenderet se esse qui in sanctis suis omnia adversa pateretur, subdidit: *Et impetus aquarum operiet te?* subaudis ut me, quem iniqui omnes neque per praedicantes sanctos loquentem intelligunt, neque per morientes patientem vident. Narrat ergo Dominus quod ab hominibus patitur, ut dolor afflicti hominis mitigetur, ac si illi aperte dicat: Mea subtiliter pensa, et tua aequanimiter tempera. Multo enim minus est te vulnera quam me humana tolerare.

4. *Ad arcanas inspirationes Dei etiam justorum corda caligant.*---Adhuc tamen verba haec subtilius perscrutari possumus, si inter dona coelestia nostra sollicite corda pensamus. Jam quidem fideles sumus, jam quae audimus superna credimus, jam quae credimus amamus. Sed dum quibusdam supervacuis curis preminur, obducta confusione caligamus; et cum nobis etiam talibus mira quaedam Dominus de se sentienda insinuat, quasi in nebula vocem levat. Dum caliginosis nostris mentibus semetipsum loquitur, velut in nebula is qui non cernitur auditur. Summa sunt namque quae de illo cognoscimus, sed tamen adhuc eum in secreta inspiratione qua instruimur non videmus. Qui igitur **957** cordibus nostris praebet quidem locutionem, sed occultat speciem, velut in nebula format vocem. Sed ecce jam verba Dei intrinsecus semetipsum loquentis audimus, jamque amoris ejus qua continuatione, quo studio inhaerere debeamus agnoscimus, et tamen ab internae considerationis culmine ad consueta nostra ex ipsa mortalitatis hujus mutabilitate relabimur, et imminentium peccatorum male sedula importunitate tentamur. Cum ergo caecis nostris mentibus subtilia de semetipso insinuat, in nebula vocem levat.

[Vet. III.] 5. *Tentationibus intellectum de Deo obruentibus, ipse Deus quasi aquis operitur. Deus nos, ne quidem dum respuitur, non relinquit.*---Cum vero tentatione vitiorum ipse de Deo noster intellectus opprimitur, quasi aquarum impetu in voce sua Deus operitur. Tot enim super illum aquas mittimus, quot post inspirationem ejus gratiae, cogitationes illicitas in corde versamus. Nec tamen nos vel oppressos deserit, nam illico ad mentem redit, tentationum nebulas discutit, imbrem compunctionis infundit, et subtilis intelligentiae solem reducit; atque sic ostendit quantum nos diligit, qui nos nec cum respuitur relinquit, ut saltem sic erudita humana conscientia ad se tentationes erubescat admittere, quam Redemptor suus et vagantem non cessat amare. Hoc in nobis per semetipsum tolerat, hoc ab infidelibus per suos quotidie praedicatores portat. Ejus enim donum suborta in nobis tentatione repellitur, et tamen ab infundendo intrinsecus munere nequaquam nostra infirmitate revocatur. Ejus publice verba respuuntur, et tamen ab eroganda gratiae largitate nulla infidelium iniquitate compescitur. Nam cum pravi homines praedicamenta despiciunt, adjungit etiam miracula quae venerentur. Unde post editam vocem, post inundantium aquarum impetum, apte subjungitur:

CAPUT II [*Rec. II*].

VERS. 35.---*Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus?*

6. *A Deo exeunt sancti praedicatores et ad eum revertuntur, miracula quibus coruscant, illi soli tribuendo.*---Fulgura quippe ex nubibus exeunt, sicut mira opera ex sanctis praedicatoribus ostenduntur. Qui, ut saepe diximus, idcirco nubes vocari solent, quia et coruscant miraculis, et verbis pluunt. Et quia humana corda, postquam per praedicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus conturbantur, Propheta attestante didicimus, qui ait: *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos (Psal. XVII, 15)*. Ac si diceret: Dum verba praedicationis tuae non audiat, per praedicantium miracula conturbantur. Unde alias scriptum est: *In lumine jacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorum tuorum (Habac. III, 11)*. Jacula Dei in lumine ire est verba ejus aperta veritate resonare. Sed quia saepe homines verba vitae etiam intellecta despiciunt, adjunguntur etiam miracula. Unde illic subdidit: *In splendore fulgoris armorum tuorum*. Fulgor quippe armorum est claritas miraculorum. Armis namque nos tuemur, jaculis adversa destruimus. Arma ergo cum jaculis sunt miracula cum praedicamentis. Sancti enim praedicatores verbis suis quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt; **958** armis vero, id est miraculis, semetipsos tuentur, ut et quantum sint audiendi sonent per impetum jaculorum, et quantum sint reverendi clarescant per arma miraculorum. [*Vet. IV.*] Dicitur ergo ad beatum Job: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus?* subaudis ut mihi. Vadunt enim fulgura cum praedicatores miraculis coruscant et superna reverentia auditorum corda transfigunt. Revertentia vero dicunt, Adsumus, cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est ergo Deo dicere, Adsumus? Quoddam namque in hoc verbo obsequium declaratur. Revertentes itaque praedicatores sanctos dicere

est, adsumus, illi laudem tribuere gratiae a quo se accepisse sentiunt victoriam pugnae, ne sibi tribuant quod operantur. Et ire quidem fulgura operando possunt, sed reverti superbiendo non possunt.

7. *Id praestitit Petrus.*---Videamus itaque fulgur vadens; claudio cuidam ait Petrus: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa ejus manu dextera allevavit eum, et protinus consolidatae sunt bases ejus et plantae, et exiliens stetit, et ambulabat (Act. III, 6).* Sed cum de hoc facto Judaeorum fuisset turba commota, videamus nunc fulgur rediens, quod ait: *Viri Israelitae, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum (Ibid., 12).* Et paulo post: *Cujus nos testes sumus, et in fide nominis ejus hunc, quem vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides quae per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Ivit ergo fulgur cum Petrus miraculum fecit, rediit cum non sibi tribuit, sed auctori quod fecit. Vadunt fulgura cum praedicatores sancti mira opera ostendunt, sed revertendo dicunt adsumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam auctoris recurrunt.

8. *Praedicatores ad publicum operationis missi, ad secretum contemplationis redire curent.*---Quod tamen intelligi et aliter potest. Fulgura etenim, sicut superius dictum est, sancti viri mittuntur et eunt cum a secreto contemplationis ad publicum operationis exeunt. Mittuntur et vadunt cum ex abscondito speculationis intimae in activae vitae latitudinem

diffunduntur. Sed revertentes dicunt Deo, adsumus, quia post opera exteriora quae peragunt semper ad sinum contemplationis recurrunt, ut illic ardoris sui flammam reficiant, et quasi ex tactu supernae claritatis ignescant. Citius enim inter ipsa licet bona exteriora opera frigerent, nisi intentione sollicita ad contemplationis ignem incessanter redirent. Unde bene per Salomonem dicitur: *Ad locum, de quo exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant* (Eccle. I, 7). Ipsi quippe illic flumina qui hic fulgura sunt vocati. Quia enim corda audientium rigant, flumina; quia vero accendunt, fulgura memorantur. De quibus 959 alias scriptum est: *Elevaverunt flumina, Domine; elevaverunt flumina voces suas* (Psal. XCII, 3). Et rursum: *Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae* (Psal. XCVI, 4). Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur, quia sancti viri etsi a conspectu creatoris sui, cujus claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad activae vitae ministerium veniunt, incessanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt, et si in praedicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba se fundunt, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis revertuntur. De quibus et bene dicitur: *Ut iterum fluant*. Nisi enim ad contemplandum Deum sollicita semper mente recurrerent, nimirum interna siccitas etiam exteriora praedicationis eorum verba siccaret. Sed dum videre Deum indesinenter sitiunt, quasi decursura foras flumina intus semper oriuntur, quatenus illic amando sumant unde ad nos praedicando defluant. Dicatur igitur recte: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus?* Subaudis ut ego, qui praedicatores meos cum voluero post contemplationis gratiam ad activae vitae ministerium compono; quos tamen semper a bonis

exterioribus ad internum culmen contemplationis revoco, ut modo jussi ad exercenda opera exeant, modo revocati ad speculationis studium apud me familiarius vivant. Revertentes itaque dicunt Adsumus, quia quamvis per exteriora acta parum quid contemplationi deesse videantur, per ardorem tamen desiderii, quem in mente sua continue accendunt, obsequentes Deo suam praesentiam ostendunt. Adsumus namque dicere est praesentes se amando monstrare. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 36.---*Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?*

9. *Praedicatoribus per gallum diem cantu praenuntiantem figuratis, data a Deo intelligentia. Galli hujus cur lumbi succincti.*---Qui hoc loco alii galli nomine designantur, nisi modo alio repetiti iidem praedicatores sancti, qui inter tenebras vitae praesentis student venturam lucem praedicando, quasi cantando, nuntiare? Dicunt enim: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit* (**Rom. XIII, 12**). Qui vocibus suis somnum nostri torporis excutiunt, clamantes: *Hora est jam nos de somno surgere* (**Rom. XIII, 11**). Et rursum: *Evigilate, justi, nolite peccare* (**I Cor. XV, 34**). [*Vet. V.*] De hoc gallo rursum scriptum est: *Tria sunt quae bene gradiuntur, et quartum quod feliciter incedit: leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum; gallus succinctus lumbos, et aries, nec est rex qui resistat ei* (**Prov. XXX, 29**). Ipse quippe hoc loco leo ponitur de quo scriptum

est: *Vicit leo de tribu Juda* (**Apoc. V, 5**). Qui fortissimus bestiarum dicitur, quia in illo hoc quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (**I Cor. I, 25**). Qui ad nullius pavet occursum. Dicit enim: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (**Joan. XIV, 30**). Gallus succinctus lumbos, id est praedicatores sancti inter hujus noctis tenebras verum mane nuntiantes. Qui succincti lumbos sunt, quia a membris suis luxuriae fluxia restringunt. In lumbis quippe luxuria est. Unde et eisdem a Domino dicitur: *Sint lumbi vestri praecincti* (**Luc. XII, 35**). Et aries, nec est rex qui resistat ei. Quem alium hoc loco arietem accipimus nisi primum intra Ecclesiam ordinem sacerdotum? De quibus scriptum est: *Afferte Domino filios arietum* (**Psal. XXVIII, 1**); qui per exempla sua gradientem **960** populum, quasi subsequentem ovium gregem trahunt. Quibus spiritaliter recteque viventibus nullus rex sufficit omnino resistere, quia quilibet persecutor obviet, intentionem eorum non valet praepedire. Sciunt enim ad eum quem desiderant, et anxie currere, et moriendo pervenire. Ponitur ergo primus leo, secundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Christus, deinde sancti praedicatores apostoli, et tunc demum spiritales patres Ecclesiarum praepositi, videlicet duces gregum, quia doctores sequentium populorum.

10. *Antichristus elevatus in sublime, stultus apparebit. In hac vita non omne quod bene, feliciter, nec omne quod feliciter, bene.*---Sed haec adhuc melius affirmamus, si ejusdem loci etiam reliqua exponendo subjiciamus. Nam quia post haec et Antichristus apparebit, hoc illic quartum subdidit, dicens: *Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori imposuisset manum* (**Prov. XXX, 32**). Ipse

quippe in sublime elevabitur, cum Deum se esse mentietur. Sed elevatus in sublime stultus apparebit, quia in ipsa elevatione sua per adventum veri judicis deficiet. Quod si intellexisset, ori imposuisset manum; id est, si supplicium suum cum superbire exorsus est praevidisset, bene aliquando conditus in tantae jactationem superbiae non fuisset elatus. De quo nequaquam moveat quod superius dictum est: *Quartum quod incedit feliciter (Ibid., 29)*. Tria quippe incedere bene dixit, et quartum feliciter. Non enim omne quod feliciter, bene; neque in hac vita omne quod bene, feliciter. Nam leo, gallus, et aries bene incedunt, sed non hic feliciter, quia persecutionem bella patiuntur. Quartum vero feliciter, et non bene incedit, quia in fallacia sua Antichristus gradietur, sed juxta breve tempus vitae praesentis ipsa illi fallacia prosperabitur, sicut de eo sub Antiochi specie per Danielelem dictum est: *Robur datum est ei contra jube sacrificium, propter peccata, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur (Dan. VIII, 12)*. Quod Salomon ait: *Incedit feliciter*, hoc Daniel dicit *prosperabitur*. Juxta hoc itaque testimonium quod per Salomonem dicitur: *Gallus succinctus lumbos (Prov. XXX, 31)*, apte etiam hoc loco gallum sanctos praedicatores accipimus. Ad se ergo cuncta referens Dominus dicit: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Ac si diceret: In cor hominis humana sapientis supernae sapientiae gratiam quis infudit? vel ipsis sanctis praedicatoribus quis, nisi ego, intelligentiam dedit, ut sciant quando vel quibus debeant venturum mane nuntiare? Idcirco enim quando et quid agant sentiunt, quia hoc intrinsecus me revelante cognoscunt. Notandum vero est quod sapientia divinitus inspirata in visceribus hominis quia nimirum quantum ad electorum numerum spectat, non in solis

vocibus, sed etiam in sensibus datur, ut juxta quod loquitur lingua vivat conscientia, et lux ejus tanto clarius resplendeat in superficie quanto verius inardescit in corde.

[*Rec. IV.*] 11. *Quantum animarum rectores discretione indigeant.*---Magni autem laboris est hoc quod additur: *Vel quis dedit gallo intelligentiam*, subtiliori adhuc expositione discutere. Intelligentia quippe doctorum tanto esse subtilior debet, quanto se ad penetranda invisibilia exercet, quanto nil materiale discutit, quanto et per vocem corporis loquens, 961 omne quod est corporis transit. Quae profecto nullatenus summis congrueret, nisi cantanti eam gallo, id est praedicanti doctori, ipse summorum conditor ministraret. Intelligentiam quoque gallus accepit, ut prius nocturni temporis horas discutiatur, et tunc demum vocem excitationis emittat, quia videlicet sanctus quisque praedicator in auditoribus suis prius qualitatem vitae considerat, et tunc demum ad erudiendum congruam vocem praedicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est peccatorum merita dijudicare, quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere. Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia doctori veritatis, virtus discretionis, ut noverit, quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, divinitus ministratur.

[*Vet. VI.*] 12. *Exhortatio quae quibusdam prodest aliis nocet.* --Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Saepe enim aliis officiunt quae aliis prosunt. Nam et plerumque herbae quae haec animalia reficiunt, alia occidunt; et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat; et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; et panis qui vitam

fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, et ad sua singulis congruat, et tamen a communis aedificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentae mentes auditorum, nisi quasi quaedam in cithara tensiones stratae chordarum? quas tangendi artifex, ut non sibimetipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordae consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis aedificet, ex una doctrina, sed non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

13. *Pro singulorum qualitate, varia monita dentur.*--- Aliter namque viri, aliter admonendae sunt feminae; aliter juvenes, aliter senes; aliter inopes, aliter locupletes; aliter laeti, aliter tristes; aliter subditi, aliter praelati; aliter servi, aliter domini aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes; aliter impudentes, aliter verecundi; aliter protervi, aliter pusillanimes; aliter impatientes, aliter patientes; aliter benevoli, aliter invidi; aliter simplices, aliter impuri; aliter incolumes, aliter aegri; aliter qui flagella metuunt, et propterea innocenter vivunt; aliter qui sic in iniquitate duruerunt, ut nec per flagella corrigantur; aliter nimis taciti, aliter multiloquio vacantes; aliter timidi, aliter audaces; aliter pigri, aliter praecipites; aliter mansueti, aliter iracundi; aliter humiles, aliter elati; aliter pertinaces, aliter inconstantes; aliter gulae dediti, aliter abstinentes; aliter qui sua misericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt; aliter qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur, aliter qui et ea quae habent sua tribuunt, et aliena rapere non desistunt; aliter discordes, aliter pacati; aliter seminantes jurgia, aliter pacifici; aliter

admonendi sunt qui sacrae legis verba non recte intelligunt, aliter qui recte quidem intelligunt, sed haec humiliter **962** non loquuntur; aliter qui, cum praedicare digna valeant, prae nimia humilitate formidant, aliter quos a praedicatione imperfectio vel aetas prohibet, et tamen praecipitatio impellit; aliter qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur, aliter qui quidem quae mundi sunt concupiscunt, sed tamen adversitatis labore fatigantur; aliter conjugii obligati, aliter a conjugii nexibus liberi; aliter commistionem carnis experti, aliter ignorantes; aliter qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum; aliter qui commissa plangunt, nec tamen deserunt; aliter qui deserunt, nec tamen plangunt; aliter qui illicita quae faciunt etiam laudant, aliter qui accusant prava nec tamen devitant; aliter qui repentina concupiscentia superantur, aliter qui in culpa ex consilio ligantur; aliter qui licet minima, crebro tamen illicita faciunt, atque aliter qui se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur; aliter qui bona nec inchoant, aliter qui inchoata minime consummant; aliter qui mala occulte agunt, et bona publice, aliter qui bona quae faciunt abscondunt, et tamen quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt. Et quidem de singulis quis sit admonitionis ordo subtiliter insinuare debuimus, sed formidata locutionis prolixitate praepedimur. Auctore autem Deo in alio opere id explere appetit animus, si tamen laboriosae hujus vitae adhuc aliquantulum tempus restaverit.

[*Vet. VII.*] 14. *Iniqui altis et magnis vocibus increpandi, lenibus et blandis admonendi qui ab iniquitate recesserunt.*--
-Habemus vero aliud quod de galli hujus intelligentia considerare debeamus, quia profundioribus horis noctis

valentiores ac productiores edere cantus solet, cum vero matutinum jam tempus appropinquat, leniores et minutiores omnimodo voces format. In quibus galli hujus intelligentia quid nobis innuat considerata praedicatorum discretio demonstrat. Qui cum iniquis adhuc mentibus praedicant, altis et magnis vocibus aeterni judicii terrores intimant, quia videlicet quasi in profundae noctis tenebris clamant. Cum vero jam auditorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem in lenitatem dulcedinis vertunt, et non tam illa quae sunt de poenis terribilia quam ea quae sunt blanda de praemiis proferunt. Qui etiam minutis tunc vocibus cantant, quia appropinquante mane subtilia quaeque de mysteriis praedicant, ut sequaces sui eo minutiora quaeque de coelestibus audiant, quo luci veritatis appropinquant, et quos dormientes longus galli clamor excitaverat, succisior vigilantes delectet; quatenus correcto cuilibet de regno cognoscere subtiliter dulcia libeat, qui prius adversa de judicio formidabat. Quod bene per Moysen exprimitur, cum ad producendum exercitum tubae clangere concisius jubentur. Scriptum namque est: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles* (**Num. X, 2**). Et paulo post: *Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra* (**Ibid, 5**). Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo praecepta charitatis ad procinctum fidei populus vocatur. Quae idcirco argenteae fieri praecipiuntur, ut praedicatorum verba lucis nitore pateant, **963** et auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles, quia necesse est ut hi qui venturam vitam praedicant tribulationum praesentium tusionibus crescant. Bene autem dicitur: *Cum concisus clangor increpuerit, movebuntur castra* (**Num. X, 5**), quia nimirum praedicationis sermo cum subtilius ac minutius

agitur, auditorum corda contra tentationum certamina ardentius excitantur.

15. *Qui alios ex officio adhortantur, prius se in bonis operibus exerceant.*---Est adhuc aliud in gallo solerter intuendum, quia cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens, vigilantiores reddit. Quod patenter cernimus, si sanctorum praedicatorum vitam vigilanter videamus. Ipsi quippe cum verba praedicationis movent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce; sed ante se per sublimia facta excutiunt, et tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt. Prius cogitationum alis semetipsos feriunt, quia quidquid in se inutiliter torpet, sollicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant, et tunc quae aliorum sunt punienda denuntiant. Prius ergo alis insonant quam cantus emittant, quia antequam verba exhortationis proferant omne quod locuturi sunt operibus clamant; et cum perfecte in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant.

16. *Ut recte suo munere defungantur praedicatores et doctores, habent a Deo.*---Sed unde tanta haec doctori intelligentia, ut et sibi perfecte vigilet, et dormientes ad vigilias sub quibusdam clamoris proVectibus vocet, ut et peccatorum tenebras prius caute discutiat, et discrete postmodum lucem praedicationis ostendat, ut singulis juxta modum et tempora congruat, et simul omnibus quae illos sequantur ostendat? Unde ad tanta et tam subtiliter tenditur, nisi intrinsecus ab eo a quo est conditus doceatur? Quia ergo laus tantae intelligentiae non praedicatoris virtus est, sed

auctoris, recte per eundem auctorem dicitur: *Vel quis dedit gallo intelligentiam?* Ac si diceret: Nisi ego, qui doctorum mentes quas mire ex nihilo condidi ad intelligenda quae occulta sunt mirabilius instruxi. Unde bene ut in dictis praedicantium non solum inspiratorem se intelligentiae, sed etiam auctorem locutionis ostendat, adjungit:

VERS. 37.---*Quis enarrabit coelorum rationem?*

[*Rec. V.*] Quorum tamen verba quia cum sese nobis per speciem ostenderit subtrahit, protinus subdidit:

CAPUT IV.

IBID.---*Et concentum coeli quis dormire faciet?*

17. *Deo in majestate sua revelato, praedicatio cessabit. Spiritus sanctus Patris et Filii est, utrique coaeternus.*---In hac enim vita infirmitati nostrae Dominus non aperta specie majestatis suae, sed praedicatorum suorum voce locutus est, ut corda adhuc carnalia carnalis lingua pulsaret, et tanto facilius insueta perciperent, quanto ea per sonitum consuetae vocis audirent. At postquam per mortem in pulverem caro resolvitur, et per resurrectionem pulvis animatur, tunc de Deo audire verba non quaerimus, quia unum ipsum quod implet omnia jam per speciem Dei verbum videmus. Quod nobis **964** tanto altius sonat quanto et mentes nostras vi intimae illustrationis penetrat. Sublatis namque fortis et occidentibus verbis, quasi quidam sonus aeternae praedicationis fit ipsa imago internae visionis. Unde et recte

nunc ad beatum Job Dominus dicit: *Quis enarrabit coelorum rationem, et concentum coeli quis dormire faciet?* Quid enim coelorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum? Quid per coeli concentum nisi concors praedicantium sermo signatur? Conditor igitur noster cum coelorum rationem narrare coeperit, dormire coeli concentum facit, quia cum jam nobis per speciem ostenditur, nimirum praedicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Jeremiam Dominus dicit: *Non docebit ultra vir proximum suum, et fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus (Jerem. XXXI, 34).* Hinc Paulus ait: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur (I Cor. XIII, 8).* [Vet. VIII.] Vel certe coelorum ratio est ipsa vivificatrix virtus, quae spiritus format angelorum. Deus enim sicut est causa causarum, sicut vita viventium, ita etiam ratio rationabilium creaturarum. Tunc ergo coelorum rationem Dominus narrat, cum semetipsum nobis quomodo electis spiritibus praesit insinuat. Tunc coelorum rationem narrat, cum, deteresa mentis nostrae caligine, clara se visione manifestat. Unde et in Evangelio Dominus dicit: *Venit hora cum jam non in proverbiiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis (Joan. XVI, 25).* Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suae speciem, et quomodo ipsi gignenti non impar oriatur. et quomodo utrorumque Spiritus utrique coaeternus procedat ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendo est ei de quo oritur subsequens non est, quomodo is qui per processionem producit a proferentibus non praeitur. Aperte tunc videbimus quomodo et unum divisibiliter tria sint, et indivisibiliter tria unum. Lingua ergo tunc narrantis Dei est

visa claritas sublevantis. Et concentus coeli tunc dormiet, quia apparente in iudicio retributore operum, exhortationum jam verba cessabunt. Unde et aperte ipsum resurrectionis tempus adjungitur, cum illico profertur:

CAPUT V.

VERS. 38.---*Quando fundabatur pulvis in terram, et glebae compingebantur.*

18. *Resurrectionis tempus a Job praevisum et praenuntiatum.*---More enim suo quae adhuc futura sunt quasi jam praeterita divinus sermo describit, hoc in se videlicet servans quod per eum dicitur: *Qui fecit quae futura sunt (Isai. XLV, 11, sec. LXX)*. Pulvis itaque tunc in terram fundatur, quia in solida membra reducit. Et glebae compinguntur, quia nimirum firma corpora ex pulvere collecta consurgunt. Sed postquam verba haec dominica quomodo de futuro intelligenda sint diximus, nunc etiam quid de praesenti insinuent indicemus.

[*Vet. IX.*] 19. *Reprobis absconduntur coelestia, revelantur electis.*---*Quis enarrabit coelorum rationem, et concentum coeli quis dormire faciet?* Coelorum rationem Dominus narrat, dum nunc insinuando superna **965** secreta electorum suorum mentes illuminat. Concentum vero coeli dormire facit, dum concordēs angelorum hymnos atque illa coelestium virtutum gaudia reproborum cordibus justo iudicio abscondit. Qui concentus coeli, quamvis in se intrinsecus vigilet, in ipsa tamen reproborum ignorantia extrinsecus dormit. Enarratur

ergo secreti coelestis ratio, et tamen concentus coeli dormire permittitur, quia et aliis per inspirationem supernae retributionis scientia panditur, et aliis quae sit internae laudis suavis occultatur.

20. *Visibilia reprobos hic morantur, sanctos autem ad meliora compellunt.*---Narratur coelorum ratio, quia electorum mentibus quae sit supernorum retributio indesinenter aperitur, ut nimirum sine cessatione proficiant, et transcurrentes visibilia sese ad invisibilia extendant. Omne enim visibile quod in hac vita reprobos figit, hoc electos ad alia impellit, quia dum bona quae facta sunt respiciunt, in eum a quo facta sunt inardescunt; tantoque eum praestantius amant, quanto illum hoc quod ipse bonum condidit praeire considerant. Loquitur quippe hoc eis intrinsecus silenter sonans invisibilis lingua compunctionis. Quam tanto plenius intus audiunt, quanto ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius avertuntur. His itaque concentus coeli non dormit, quia eorum mens quae sit laudis supernae suavis, apposita amoris aure, cognoscit. Intus enim quod appetunt audiunt, et de coelestium bonorum praemiis ipso desiderio Divinitatis instruuntur. Unde et praesentem vitam non solum adversantem, sed etiam faventem graviter tolerant, quia eis onerosum est omne quod cernitur, dum ab eo quod intus audiunt differuntur. Omne quod sibi praesto est grave aestimant, quia illud non est ad quod anhelant; indesinenter autem eorum mens ipsis temporalitatis laboribus fessa in illud coeleste gaudium resumenda suspenditur, dum, in aure cordis intro erumpente concentu coeli, societatem sibi quotidie supernorum civium praestolantur. Iste concentus supernae laudis in illius aure eruperat, qui dicebat: *Ingrediar*

in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei in voce exsultationis et confessionis, sonus civitatis epulantis (Psal. XLI, 5). Qui igitur intus vocem exsultationis et confessionis ac sonum civitatis epulantis audierat, quid illum aliud nisi coeli concentus excitabat?

21. *Concentus coelorum a pravis non auditur.*---Qui tamen concentus reprobis dormit, quia eorum cordibus nequaquam per vocem compunctionis innotescit. Non enim considerare illam desiderabilem supernorum civium frequentiam student, nullo ardoris radio illa solemnitatis internae festa conspiciunt, nulla in intimis contemplationis penna sublevantur. Solis namque visibilibus serviunt, et idcirco nihil supernae suavitatis intrinsecus audiunt, quia eos, sicut superius diximus, in aure cordis curarum saecularium surdi tumultus premunt. Quia igitur occulti dispensatione iudicii quod aliis aperitur aliis clauditur, quod aliis detegitur aliis occultatur, dicatur recte: *Quis enarrabit coelorum rationem, et concentum coeli quis dormire faciet?* Quod tamen tunc nobis latius innotuit, cum Redemptor noster per dispensationis 966 mysterium apparens, et indignis misericordiam praebuit, et eos a se qui digni videbantur exclusit. Unde hic quoque apte subjungitur:

CAPUT VI [*Vet. X, Rec. VI*].

VERS. 38.---*Quando fundabatur pulvis in terram, et glebae compingebantur.*

22. *Peccatores pulveri similes, quolibet tentationis flatu rapiuntur. Spiritus sancti gratia solidantur, et charitate compinguntur.*---Quis in pulvere nisi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere solidati cujuslibet tentationis flatu rapiuntur? De quibus scriptum est: *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae (Psal. I, 5).* Pulvis ergo in terram fundatus est, cum peccatores vocati in Ecclesia traditae fidei sunt ratione solidati, ut qui prius inconstantia mobiles tentationis aura levabantur, immobiles postmodum contra tentamenta consisterent, et Deo perseveranter inhaerentes, fixum bene vivendi pondus tenerent. Glebae vero ex humore coagulantur et pulvere. In hac itaque terra glebae compactae sunt, quia vocati peccatores et per Spiritus sancti gratiam infusi in collectione sunt charitatis uniti. Ista glebae in terra compactae sunt, quando populi qui prius quasi in dispersione pulveris diversa sentiebant, postmodum, sancti Spiritus gratia accepta, in illa pacatissima unanimatis concordia convenerunt, ut cum essent tria millia, vel rursum quinque millia, Scriptura testante, diceretur quia *erat in eis cor unum et anima una (Act. IV, 32).* Has glebas ex uno quidem pulvere, sed quasi diversa mole distinctas quotidie Dominus in terra compingit, quia, servata unitate sacramenti, juxta varietatem morum atque linguarum fideles in Ecclesia populos colligit. Has glebas jam tunc Dominus designavit, quando ad esum panis et piscium quinquagenos discumbere vel centenos jussit (**Matth. XIV, 19, 20**).

23. *In Ecclesia diversi sunt ordines.*---Quas tamen glebas si in Ecclesia ex diversitate meritorum attendimus, fortasse adhuc distinguere subtilius valemus. Nam dum alius est ordo

praedicantium, alius auditorum; alius regentium, atque alius subditorum; alius conjugum, alius continentium, alius poenitentium, alius virginum; quasi ex una terra est diversa glebarum forma distincta, dum in una fide, in una charitate disparia demonstrantur bene operantium merita. Has glebas populus ille significavit, qui ad constructionem tabernaculi sub uno studio diversa donaria obtulit, de quo scriptum est: *Quidquid in cultum tabernaculi et ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus praebuerunt, armillas et inaures, annulos et dextralia, omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum (Exod. XXXV, 22)*, etc.

24. *Singuli, ad Ecclesiae cultum implendum, dona offerunt.* --In ornamento ergo tabernaculi viri dona cum mulieribus offerunt, quia in explendo cultu sanctae Ecclesiae, et fortium facta sublimia, et infirmorum opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quae lacertos astringunt nisi praepositorum valide laborantium opera demonstrantur? Et quid per inaures nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos nisi signaculum secretorum? Plerumque enim magistri signant quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia nisi primae operationis ornamenta **967** memorantur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatum nisi divinitatis intelligentia accipitur, quae tanto ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola quae aeterna sunt amanda sublevantur? Quid per hyacinthum nisi spes coelestium? Quid per purpuram nisi cruor ac tolerantia passionum amore regni perpetui exhibita? Et quid per bis tinctum coccum nisi charitas demonstratur, quae pro

perfectione bis tingitur, quia Dei et proximi dilectione decoratur? Quid per byssum nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum, ex quibus ciliciorum asperitas textitur, nisi dura poenitentium afflictio designatur? Dum igitur alii per armillas et annulos forte magisterium exercent, alii per inaures et dextralia devotam obedientiam rectamque operationem exhibent, alii per separatum vas aureum praeclaram subtilioremque Dei intelligentiam tenent; alii per hyacinthum, purpuram et coccum, audita coelestia sperare, credere, amare non desinunt, etiam quae adhuc subtiliori intellectu minime cognoscunt, alii per byssum incorruptionem carnis offerunt; alii per caprarum pilos deplorant aspere quod libenter commiserunt; quasi ex una terra innumerae glebae proferuntur, quia ex uno et pari obsequio facta fidelium disparia procedunt. Quae nimirum glebae nequaquam concretae ex pulvere surgerent, nisi aquam prius pulvis acciperet, et concepto se humore solidaret, quia nisi peccatores quosque sancti Spiritus gratia infunderet, constrictos eos ad fidei opera charitatis unitas non teneret. Quando igitur Dominus enarrabit coelorum rationem, vel concentum coeli dormire faciet, aperiat. Ait enim: *Quando fundabatur pulvis in terram, et glebae compingebantur*. Ac si diceret: Tunc primum vocatione et discretionem manifesta, secreta spiritalia et non sine misericordia aliis aperui, et non sine iustitia aliis clausi, cum alios respuerem, et alios intra Ecclesiam concordia charitatis adunarem. Quae sancta Ecclesia quia a perfidia Iudaeorum repulsa, ad rapiendas gentes se contulit, atque in suo corpore convertendas, quod quidem non suis, sed Domini viribus fecit, apte subjungitur:

CAPUT VII [*Vet. XI, Rec. VII*].

VERS. 39.---*Nunquid capies leaenae praedam, et animam catulorum ejus implebis?*

25. *Ecclesia leaena est, cujus catuli fuerunt apostoli.*---Ista nimirum illa leaena est de qua Job dicebat, cum superbientem Judaeam cerneret praedicante Ecclesia praetermissam: *Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leaena (Job. XXVIII, 8).* Huic ergo leaenae Dominus praedam capit, ut animam catulorum ejus impleat, quia ad augmentum hujus Ecclesiae innumeros de gentilitate diripuit, et per animarum lucrum esurientia apostolorum vota satiavit. Ipsi quippe catuli pro mentis teneritudine et formidinis infirmitate vocati sunt, quia, passo Domino, clausis foribus residebant, sicut de illis scriptum est: *Cum esset sero die illo una Sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio eorum (Joan. XX, 19).* Unde hic quoque de eisdem catulis apte subjungitur:

CAPUT VIII.

VERS. XL.---*Quando cubant in antris, et in specubus insidiantur.*

26. *In antris prius cubarunt, unde in mundum praedas acturi exsilierunt.*---Cum enim nequaquam sancti apostoli contra

membra diaboli in voce liberae praedicationis exsurgerent, et necdum post passionem Domini **968** sancti Spiritus effusione solidati Redemptorem suum firma auctoritate praedicarent, adhuc contra adversarios suos quasi in antris insidiabantur. Clausis quippe foribus quasi in quibusdam abditis specubus suis catuli rapturi mundum cubabant, ut animarum praedam postmodum praesumentes diriperent, de quibus tunc certum est quod mundi impetum etiam sibimetipsis latendo formidarent. Illis foribus clausis isti catuli mortem mortis nostrae insidiati quaesierunt, ut culpam nostram interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. Horum primo illi esurienti catulo, sed jam valenti, ostensa per linteum gentilitate, quasi monstrata praeda, dicitur: *Macta et manduca* (**Act. X, 13**). His catulis velut adhuc infirmis ut cubare in antris debeant jubetur, cum eis dominica voce dicitur: *Sedete hic in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* (**Luc. XXIV, 49**). An non recte leaenae catuli vocantur, qui in Ecclesia editi adversantem mundum ore rapuerunt?

27. Illos imitantur perfecti doctores. Ille scit recte dicere, qui novit ordinate tacere.---Et haec quidem facta a sanctis apostolis novimus, haec nunc etiam fieri a perfectis doctoribus videmus. Ipsi enim etsi subsequentium populorum patres sunt, tamen sunt praecedentium filii; unde et non immerito catuli dicuntur. Vel certe quia etsi quorumdam fidelium magistri sunt, universalis tamen Ecclesiae discipulos se esse gloriantur. Leaenae itaque praedam Dominus capit, quia virtute suae inspirationis ab errore vitam delinquentium diripit; et animas catulorum illius replet, quia conversione multorum piis doctorum desideriis satisfacit. De quibus catulis bene subjungitur: *Quando cubant in antris, et in*

specubus insidiantur. Neque enim cuncta tempora doctrinae sunt congrua. Nam plerumque dictorum virtus perditur, si intempestive proferantur. Saepe vero et quod lenius dicitur conventu temporis congruentis animatur. Ille ergo scit recte dicere, qui et ordinate novit tacere. Quid enim prodest eo tempore irascentem corripere, quo alienata mente non solum non aliena verba percipere, sed semetipsum vix valet tolerare? Furentem quippe qui per invectionem corripit, quasi ei qui non sentiat, plagas ebrio imponit. Doctrina itaque ut pervenire ad cor audientis valeat, quae sibi congrua sint temporum momenta perpendat. Bene ergo de his catulis dicitur: *Quando cubant in antris, et in specubus insidiantur.* Doctores enim sancti quando et arguenda conspiciunt et tamen se per silentium in cogitationibus retinent, quasi in specubus latent, et velut in antris se contegunt quia in suis cordibus occultantur. Sed cum opportunum tempus invenerint, repente prosiliunt, nulla quae dicenda sunt reticent, et cervicem superbientium morsu asperae increpationis tenent. Sive itaque per apostolos, sive per doctores, quos in apostolorum locum subrogavit, huic leaenae Dominus quotidie praedam capit, et per eos quos cepit alios etiam capere non desistit. Ad hoc quippe justi hujus mundi peccatores rapiunt, ut per conversos eos etiam alii ex mundo rapiantur. Unde et ipsa geminitas, quae pio apostolorum ore rapta est, tanta nunc fame alios esurit quanta se ab apostolis concupitam fuisse cognoscit. Proinde et apte subjungitur:

CAPUT IX [*Vet. XII, Rec. VIII*].

VERS. 41.---*Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli 969 ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos?*

28. *Gentilitas conversa corvus est, cujus pulli sunt sancti praedicatores.*---Quid enim corvi pullorumque ejus nomine nisi peccatis nigra gentilitas designatur? De qua per Prophetam dicitur: *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum (Psal. CXLVI, 9).* Jumenta quippe escam accipiunt, dum sacrae Scripturae pabulo mentes dudum brutae satiantur. Pullis vero cervorum, filiis scilicet gentium esca datur, cum eorum desiderium nostra conversatione reficitur. Iste corvus esca fuit dum ipsum sancta Ecclesia quaereret. Sed nunc escam accipit, quia ipse ad conversionem alios exquirat.

29. *Hi sua virtute nihil se posse sciunt.*---Cujus videlicet pulli, id est praedicatores ex eo editi, non in se praesumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur: *Quando pulli ejus clamant ad Deum.* Nihil enim sua virtute posse se sciunt. Et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen qui cuncta intrinsecus operatur haec fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt, quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. III, 7).*

30. *Zelo lucrandarum animarum aestuant.*---Quod vero dictum est: *vagantes eo quod non habeant cibos,* in hac vagatione nihil aliud quam aestuantium praedicatorum vota signantur. Qui dum in Ecclesiae sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desiderium mittunt. Quasi quaedam quippe vagatio est ipsa cogitationis aestuatio; et velut ad loca varia

mutatis nutibus transeunt, dum pro adunandis animabus in modos innumeros ac in partes diversas esurienti mente discurrent.

[*Vet. XIII.*] 31. *Pauli pro omnibus pene ecclesiis sollicitudo. Charitas, quae divisa unit, cor Pauli per multa dividebat.---* Hanc vagationem pulli corvorum, id est filii gentilium, ab ipso gentium magistro didicerunt. Ipse quippe quam valida charitate flagrat, tam nimia ex locis ad loca se vagatione permutat; transire ad alia ex aliis appetit, quia ipsa eum quae implet charitas impellit. Longe namque a Romanis positus scribit: *Memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos; desidero enim videre vos (Rom. I, 9, 10).* Retentus Ephesi Corinthiis scribit: *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos (II Cor. XII, 14).* Rursum Ephesi commorans, Galatis loquitur, dicens: *Vellem modo esse apud vos, et mutare vocem meam (Gal. IV, 20).* Romae quoque custodia carceris clausus, quia ire ad Philippenses per semetipsum non permittitur, transmittere se discipulum pollicetur, dicens: *Spero in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt (Philip. II, 10).* Constrictus etiam vinculis atque Ephesi retentus, Colossensibus scribit: *Nam si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum (Coloss. II, 5).* Ecce quomodo sancto desiderio quasi vagatur: hic corpore tenetur, illuc spiritu ducitur; et paterni amoris affectum istis praesentibus exhibet, illis absentibus ostendit; coram positus impendit opera, audientibus exprimit vota, efficaciter praesens eis cum quibus erat, nec tamen 970 illis absens cum quibus non erat.

Cujus vagationem melius cognoscimus, si ejus adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim: *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo; apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo (I Cor. XVI, 5).* Perpendamus, quaeso, quae sit ista vagatio. Ecce alio interim manet, alio se iturum perhibet, atque alio deflexurum promittit. Quid est quod tam anxie per tot loca partitur, nisi quod circa omnes una charitate constringitur? Charitas enim quae divisa unire consuevit, unum cor Pauli per multa dividi compellit. Quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. Praedicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre, quia et in carne permanendo vult omnibus vivere, et de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse. Vagentur itaque pulli corvorum, id est magistrum suum imitentur filii gentium, torporem mentis excutiant, et cum animarum lucrum, id est cibum suum minime reperiunt, non quiescant; ad profectum se ex provectibus extendant, et, aestuantes in utilitate multorum, refectionem suam quasi vagantes esuriant. Quia vero per praedicationum opera discurrendo, refectione fidei gentilitatem satiare non cessant, dicatur recte: *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos.*

[*Vet. XIV.*] 32. *Corvi quoque nomine plebs Judaica significatur. Visa gentilium conversione, olim resipiscet ac de sua stultitia erubescet.*---Potest etiam corvi nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Judaica designari. Nam pulli ejus ad Deum clamare referuntur, ut eidem corvo a Domino esca praeparetur, quia nimirum sancti apostoli, plebis Israeliticae carne generati, dum pro gente sua preces ad Dominum

funderent, quasi pulli corvorum, eum de quo carnaliter editi sunt spiritali intelligentia parentem populum paverunt. Igitur dum pulli ejus clamant, corvo esca praeparatur, quia dum apostoli exorant, plebs dudum perfida ad cognitionem fidei ducitur, et ex praedicatione filiorum quasi ex pullorum voce satiatur. Illud tamen in hoc versu debemus solerter intueri, quod huic corvo esca dicitur primum pullis clamantibus et postmodum vagantibus praeparari. Clamantibus namque pullis corvo esca praeparata est, cum praedicantibus apostolis verbum Dei Judaea audiens, modo in tribus millibus, modo in quinque millibus spiritali est intelligentia satiata. Sed cum per reproborum multitudinem crudelitatem suam contra praedicantes exerceret, et quasi pullorum vitam necaret, iidem pulli in universa mundi spatia dispersi sunt. Unde et eisdem carnalibus patribus spiritali praedicationi resistentibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes* (**Act. XIII, 46**); scientes profecto quod postquam gentilitas crederet, etiam Judaea ad fidem veniret. Unde et scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (**Rom. XI, 25**). Quia igitur summopere sancti apostoli et studuerunt prius **971** audientibus praedicare, et postmodum resistentibus exempla conversae gentilitatis ostendere, quasi esurientes pulli huic corvo escam suam prius clamando et postmodum vagando quaesierunt. Unde enim vagantur pulli, inde escam corvus invenit, quia dum per laborem praedificantium conversam ad Deum gentilitatem Judaicus populus respicit, ad extremum quandoque stultitiam suae infidelitatis erubescit; et tunc Scripturae sacrae sententias intelligit, cum prius quam sibi eas gentibus innotuisse cognoscit, atque, expleta

vagatione pullorum, ad percipienda sacra eloquia os cordis aperit; quia peractis in mundum cursibus apostolorum, sero ea spiritaliter percipit: quibus diu se perfidia astringente jejunavit. Quae quia omnia solius divinae potentiae virtus operatur, recte dicitur: *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos?* Subandis nisi ego, qui infidelem populum filiis suis et exorantibus tolero, et praedicantibus pasco, atque ad alia vagantibus convertendum quandoque in fine sustineo.

[*Vet. XV.*] 33. *Periti magistri, discipulis non satis humiliter de se sentientibus, sublimioris doctrinae cibum subtrahunt.*---Est adhuc aliud quod de corvo moraliter possit intelligi. Editis namque pullis, ut fertur, escam plene praebere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant, eosque inedia affici patitur, quoadusque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illucque vagantur in nido, et ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cum nigrescere coeperint, tanto eis praebenda alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit. Corvus profecto est doctus quisque praedicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam atque cognitionem infirmitatis propriae quasi quamdam coloris nigredinem portat. Cui quidam nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, fortasse a peccatis praeteritis memoriam avertunt, et per hoc eam quam assumi oportet contra hujus mundi gloriam humilitatis nigredinem non ostendunt. Hi velut ad accipiendas escas os aperiunt, cum doceri de secretis sublimibus quaerunt. Sed eis doctor suus alimenta praedicamentorum sublimium tanto minus tribuit,

quanto illos peccata praeterita minus digne deflere cognoscit. Exspectat quippe atque admonet ut a nitore vitae praesentis prius per poenitentiae lamenta nigrescant, et tunc demum congrua praedicationis subtilissimae nutrimenta percipiant. Corvus in pullis ora inhiantia respicit, sed ante in eis pennarum nigredine indui corpora quaerit. Sic et discretus doctor interna mysteria eorum sensibus non ministrat, quos adhuc ab hoc saeculo nequaquam se abjecisse considerat. Quanto igitur discipuli exterius per cultum vitae praesentis minus quasi nigri sunt, tanto per cibum verbi interius minus replentur; et quo se a corporali gloria non evacuant, eo a spiritali refectione jejunt.

34. *Secus si in confessione peccatorum humilientur.* ---Si vero in confessione vitae praeteritae lamenti sui gemitus velut nigrescentes plumas proferant, illico in contemplatione doctor ad escam de sublimibus deferendam, quasi pullorum refectionem cogitans corvus, volat, eisque hiantibus in ore **972** cibum revocat, dum ex ea intelligentia quam coeperit esurientibus discipulis alimenta vitae loquendo subministrat. Quos tanto ardentius de supernis reficit, quanto verius a mundi nitore nigrescere poenitentiae lamentatione cognoscit.

35. *Quo major est humilitas, major etiam spes provectus.* ---Pulli autem dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt, quia quo magis discipuli abjecta de se sentiunt, quo magis sese despicientes affligunt, eo amplius spem provectus sui in altiora pollicentur. Unde et curat doctor festinantius alere quos jam per quaedam indicia providet posse et aliis prodesse. Hinc enim Timotheum Paulus admonet, velut plumescentes pullos sollicitius nutrire, dum dicit: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda*

fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere (II Tim. II, 2). Quae doctrinae discretio dum caute a praedicatore custoditur, ei divinitus largior copia praedicationis datur. Dum enim per charitatem compati afflictis discipulis novit, dum per discretionem congruum doctrinae tempus intelligit, ipse non solum pro se, sed etiam pro eis, quibus laboris sui studia impendit, majora intelligentiae suae munera percipit. Unde hic quoque apte dicitur: *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos?* Cum enim pulli ut satientur clamant, corvo esca praeparatur, quia dum verbum Dei boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis majora doctoribus intelligentiae dona tribuuntur. Sequitur:

CAPUT X [*Vet. XVI, Rec. IX*].

CAP. XXXIX, VERS. 1.---*Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?*

36. *Cur magistri spirituales in ibicibus et cervis signati. Ibicum descriptio. Qui cervi flumina transmittant. Quae agimus apud Deum eo magis crescunt quo apud nos per humilitatem decrescunt.*---Meridiana pars ibices aves vocat, quae Nili fluentis inhabitant. Orientalis vero Occidentalisque plaga parva quadrupedia ibices nominat quibus et moris est in petris parere, quia neque sciunt nisi in petris habitare. Quae si quando etiam de altis saxorum cacuminibus ruunt, in suis se cornibus illaesa suscipiunt. Caput quippe ruentes feriunt, cujus dum prima cornua opponunt fit omne corpus a jactura

casus alienum. Cervarum vero moris est inventos serpentes extinguere, eorumque membra morsibus dilaniare. Fertur autem quia si quando flumina transeunt, capitum suorum onera dorsis praecedentium superponunt, sibi invicem succedentes laborem ponderis omnino non sentiunt. Quid est ergo quod beatus Job de partu ibicum cervarumque discutitur, nisi quia in cervis vel ibicibus magistrorum spiritalium persona signatur? Ipsi quippe velut ibices in petris pariunt, quia in doctrina patrum, qui petrae pro soliditate vocati sunt, ad conversionem animas gignunt. Ipsi velut ibices nullius casus damna sentiunt, dum in suis cornibus excipiuntur, quia quidquid eis ruinae temporalis accesserit, in testamentis sacrae Scripturae se suscipiunt, et quasi cornuum exceptione salvantur. De his enim testamentis dictum est: *Cornua sunt in manibus ejus* (**Habac. III, 4**). Ad Scripturarum ergo consolationem refugiunt, dum aliqua temporalis casus jactura feriuntur. An non more ibicum, hujus mundi adversitatibus cadens, quasi in suis se cornibus excipiebat Paulus, cum diceret: *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam* **973** *scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus* (**Rom. XV, 4**)? Ipsi etiam cervae vocati sunt, sicut per Jeremiam de doctoribus genitos filios incaute deserentibus dicitur: *Cerva in agro peperit, et reliquit* (**Jerem. 14, 5**). Ipsi, more cervarum, interemptis vitiis, quasi extinctis serpentibus vivunt, et de ipsa extinctione vitiorum, ad fontem vitae acrius inardescunt. Unde Psalmista ait: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (**Psal. XLI, 1**). Ipsi etiam dum labentia hujus temporalitatis momenta quasi quaedam flumina transeunt, compatientes charitate, onera sua sibi invicem superponunt, quia cauta observatione custodiunt id

quod scriptum est: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (Galat. VI, 2)*. Quia vero post adventum Domini spiritales magistri per mundum sparsi sunt, qui auditorum animas in conversione parere praedicando potuissent, et quia hoc idem tempus incarnationis Domini ante prophetarum voces cognitum non fuit, quamvis futura ipsa incarnatio praecognita omnibus electis fuit, bene beatus Job de tempore partus ibicum cervarumque discutitur, eique dicitur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?* Ac si dicatur ei: Idcirco te egisse aliquid sublimiter credis, quia illud tempus necdum praevides quo spiritales magistri in mundum missi per doctrinam antiquorum patrum filios generant, suisque laboribus animarum mihi lucra comportant. Nam si illorum fructum quasi ibicum cervarumque partus aspiceres, valde humiliter de tua virtute sentire. Magna quippe quae agimus quasi minima ducimus, cum haec per fortiora exempla pensamus. Sed tunc apud Deum crescunt per meritum, cum apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt.

[*Vet. XVII.*] 37. *Per cervas, doctores; per ibices, auditores possunt intelligi. Exempla sanctorum inspicienda. Regis David humilitas et patientia. Contumeliosa verba non convicia, sed adjutoria credidit. Iis gratia magis quam ira debetur.*---Possunt vero cervarum significatione doctores, appellatione autem ibicum, qui animalia sunt minima, auditores intelligi. In petris vero ibices pariunt, quia ad exercenda sancta opera per exempla patrum praecedentium fecundantur, ut cum fortasse praecepta sublimia audiunt, et, infirmitatis propriae conscii, ea se implere posse diffidunt, majorum vitam conspiciant, atque in eorum considerata

fortitudine bonorum operum fetus ponant. Ut enim pauca de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in paucis intelligat, iste, verborum contumeliis pressus, cum virtutem patientiae servare non sufficit, David factum ad memoriam reducat, quem cum tot Semei conviciis urgeret, et armati proceres ulcisci contenderent, ait: *Quid mihi et vobis filii Sarviae? Dimittite eum ut maledicat; Dominus enim praecepit ei ut malediceret David; et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit (II Reg. XVI, 10)?* Et paulo post: *Dimittite eum ut maledicat juxta praeceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna (Ibid., 12).* Quibus profecto verbis indicat quia pro perpetrato Bethsabée scelere, exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, et aequanimiter pertulit quod audivit; et contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se **974** purgari sibi que misereri posse judicavit. Tunc enim illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad male perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspiciamus quia pejus est quod mereremur; sicque fit ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur, quarum interventu Deo iudice poena gravior declinari posse confiditur.

[*Vet. XVIII.*] 38. *Qua arte Joseph luxuriam vicerit. Illatam gratiam exteriorum Dei munerum, in arma virtutum convertamus. Contra Deum ex ejus beneficiis pugnare nos pudeat.*---Ecce alius dum mundi hujus successibus proficit, lenocinante cordis laetitia, tentari se luxuriae stimulis sentit; sed Joseph factum ad memoriam revocat, et in arce se

castitatis servat. Qui dum sibi a domina conspiceret pudicitiae damna suaderi, ait: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi praeter te, quae uxor ejus es; quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum* (**Genes. XXXIX, 8**)? Quibus verbis ostenditur quia bona quae assecutus fuerat repente memoriae intulit, et malum quod se pulsabat evicit; et quia perceptae gratiae meminit, vim culpae imminentis fregit. Cum enim voluptas lubrica tentat in prosperis, haec ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, ut eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuito bona percepisse, et illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, ut sint ante oculos quae percepimus, et quae nos alliciunt subigamus. Quia enim voluptas ipsa ex prosperitate nascitur, ejusdem prosperitatis est consideratione ferienda, quatenus hostis noster unde oritur, inde moriatur. Considerandum quippe est ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per favorem vitae nos absorbeat vorago nequitiae. Iram namque contra nos superni judicis inexstinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius etiam ex ipsa sua largitate pugnamus.

39. *Ad contemplationem anhelanti Daniel imitandus. Sapor carnalium reprimendus. Exteriorum evagationem cohibenti, secessus interior aperitur.*---Alius internae scientiae dulcedinem quaerens, nec tamen secreta ejus contingere praevalens, Danielis vitam ad imitandum conspicit, et desideratum scientiae culmen apprehendit. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internae concupiscentia *vir desiriorum* dicitur (**Dan. X, 11**), prius in

aula regia carnis in se desideria edomuisse memoratur, ut nil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis ac mollioribus duriora atque asperiora cibaria praeferret (**Dan. I, 12**), ut dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta perveniret; et tanto avidius gustum sapientiae intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectet invenimus. Intentioni quippe animae, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per profectum potest, quia et in altum crescere arbor cogitur, quae per ramos diffundi prohibetur; et cum rivos fontis obstruimus, fluentia surgere ad superiora provocamus. Igitur dum studiosi quique sanctorum vitam imitando conspiciunt, in petris ibices fetus ponunt. Hinc est quod auditores suos quasi ibices in petris parere Paulus admonebat, **975** cum enumeratis majorum virtutibus diceret: *Habentes tantam impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen* (**Hebr. XII, 1**). Et rursum: *Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (**Hebr. XIII, 7**).

[*Vet. XIX.*] 40. *Cum divina praecepta concipimus, non statim parturimus.*---Sed cum divina praecepta corde concipimus, non statim quasi jam solide cogitata parturimus. Unde et beatus Job non de partu ibicum, sed de tempore partus inquiritur. Quod videlicet tempus si in nobismetipsis vix comprehendimus, multo magis in aliena mente nescimus. Prius enim superni timoris semina utero cordis suscepta per meditationem studii coagulantur ut maneant, postmodum,

stricta intentione cogitationis affixa, dum ad discretionis rationem tendunt, quasi in membrorum distinctionem formantur; dehinc, usu perseverantiae confirmata velut in soliditatem ossium veniunt; ad extremum vero, perfecta auctoritate roborata, quasi in partum procedunt; quae incrementa divinorum seminum nullus in aliena mente considerat, nisi ipse qui creat. Nam etsi quemlibet jam vim supernae concupiscentiae concepisse quarundam rerum attestatione cognoscimus, quando tamen in partu erumpat ignoramus.

41. *Quidam fetus abortivi sunt, quia praematuri. Bona tenera humana laus exstinguit.*---Saepe autem concepta mente semina pervenire ad perfectionem nequeunt, quia oriendo tempus partus antecedunt. Et quia necdum plene in cogitatione formata ante humanos oculos prodeunt, velut abortiva moriuntur. Bona quippe adhuc tenera, plerumque humana lingua, dum jam quasi fortia laudat, exstinguit. Tanto enim celerius occidunt, quanto ad favoris notitiam intempestive prorumpunt. Nonnunquam vero imperfecta nostra cogitatio necdum roborata, dum citius hominibus ostenditur, resistentium adversitate dissipatur; et cum conatur ante tempus videri quia sit, agit ut non sit. Sancti autem viri, quia cuncta quae bene cogitant student ut occulte convalescant, et quasi processuros fetus prius intra uterum mentis formant, recte beatus Job de partus tempore discutitur, quod videlicet unicuique quando sit congruum nisi a creatore nescitur. Qui dum penetralia cordis aspicit, quando ad humanam notitiam bona nostra congrue nascantur, apprehendit. Bene itaque dicitur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris?* Ac si aperte dicat. Ut ego, qui idcirco

electorum fetus vivaces facio, quia praescito in tempore produco. Bene autem expleto fetu auditorum subditur: *Vel parturientes cervas observasti?* Parturientes enim cervas observare est illos labores patrum qui spiritales filios generant cauta consideratione pensare.

42. *Praedicatorum animas parturientium qui dolores, quae dotes.*---Solerter quippe intuendum est quod hic sermo tam vigilanter imprimitur, ut dicatur, *observasti*, quia utique perpaucorum est pensare quis labor sit in praedicationibus patrum; quantis doloribus, quasi quibusdam conatibus animas in fide et conversatione parturiunt; quam cauta se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in praeceptis, **976** compatiuntur in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi, et tamen dum vires suas sibimet non tribuunt, infirmi; quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus de stantibus timor; quo fervore alia adipisci appetunt, quo pavore alia adepta conservant. Quia igitur perpaucorum est ista pensare, bene ei dicitur: *Vel parturientes cervas observasti?*

[*Vet. XX.*] 43. *Qui per vigorem disciplinae patres sunt, per pietatis viscera sint matres.*---Nil vero obstat quod verba Deus de doctoribus faciens, non cervorum, sed cervarum eos specie designat, quia nimirum illi veri doctores sunt, qui cum per vigorem disciplinae patres sunt, per pietatis viscera esse matres noverunt. Qui labores sanctae conceptionis tolerant, et proferendos Deo filios intra uterum charitatis portant. In edenda enim prole amplius matres laborant, quae crescentem intra uterum conceptionem, longo mensium tempore

sustinent, et quae ex utero procedentem non sine magnis doloribus deponunt. Unde et hic apta consideratione subjungitur:

CAPUT XI [*Rec. X*].

VERS. 2.---*Dinumerasti menses conceptus eorum?*

44. *Per congruum tempus concepta soboles in cordis utero gestanda ut vivat.*---Sancti enim viri cum de profectu auditorum cogitant, quasi jam in utero conceptionem portant. Sed cum nonnulla quae dicenda sunt differunt, et aptum suis exhortationibus tempus quaerunt, velut a partu quem fieri appetunt in mensium prolixitate dilatantur. Et saepe dum quaedam quae sentiunt, intempestive dicere audientibus nolunt, in ipsa tarditate proferendae sententiae, sive ad haec quae suadenda sunt, seu ad illa quae increpanda, consilio altiori firmantur. Et dum cogitatur vita filiorum, nec tamen ante tempus lingua consilium mentis ejicit, quasi jam concepta soboles intra uterum crescit, ut ad auditorum notitiam tunc sententia cordis exeat, quando prolata utiliter quasi per congruum tempus partus vivat. Et quia haec homines in magistrorum mente quando vel quomodo agantur ignorant, Deus vero ad retributionis gloriam non solum effectum considerat, sed etiam momenta cogitationum signat, recte ad beatum Job dicitur: *Dinumerasti menses conceptus earum?* Subaudis ut ego, qui in sanctis praedicatoribus non solum fructus exteriorum operum, sed

ipsas diutinas cogitationes numero, qui et eas ad retributionem servo.

[*Vet. XXI.*] 45. *Qui se ad praedicandum parant, prius se interius virtutibus innovent.*---Possunt per menses, quia congesti dies sunt, etiam multiplicatae virtutes intelligi. In mensibus quoque luna renascitur; nilque obstat si per menses nova regenerationis creatura signetur. De qua Paulus apostolus dicit: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura* (**Galat. V, 6; VI, 15**). Sancti igitur viri, cum se ad praedicandum parant, prius se interius virtutibus innovant, ut ad hoc quod loquendo docent, vivendo concordent. Prius sua interna considerant, atque a cunctis se vitiorum sordibus emundant, curantes summopere ut contra iram patientiae luce resplendeant, contra carnis luxuriam etiam cordis munditia fulgescant, **977** contra torporem zelo candeant, contra confusos praecipitationis motus serena gravitate rutilent, contra superbiam vera humilitate luceant, contra timorem radiis auctoritatis clarescant. Quia ergo tanta in se prius studia congerunt, quasi in conceptu sanctae praedicationis menses virtutum fiunt. Quos menses Dominus solus dinumerat, quia eadem bona in eorum cordibus non nisi qui dedit pensat. Et quia juxta mensuram virtutum effectus etiam subsequitur fructuum, recte subjungitur:

CAPUT XII.

IBID.---*Et scisti tempus partus earum?*

46. *Virtutum mensuram fructus ratio sequitur.*---Subaudis, Ut ego, qui dum in cogitatione virtutum menses dinumero, quando hoc quod implere appelunt parere valeant scio, quia nimirum dum cordis occulta conspicio, futurum foris effectum operis intus in pondere cogitationis penso. Sequitur:

CAPUT XIII.

VERS. 3.---*Incurvantur ad fetum, et pariunt, et rugitus emittunt.*

47. *Praedicatores nisi flendo spiritualiter gignere non possunt.*---Rugiunt quippe, dum per incurvationem suam in conversatione lucis auditorum animas gignunt, quia ab aeternis nos suppliciis remove nisi flendo et dolendo non possunt. Praedicatores enim sancti nunc in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi cervae in dolore partus sunt, ut spiritali prole postmodum sint fecundi. Ut enim unum de multis loquar, video Paulum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, vellem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis (Galat. IV, 19).* Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut praedicationis sermo in rugitum vertatur doloris. Vult mutare vocem suam, quia quos jam praedicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum haec cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare

cogebatur, dicens: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit; et sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini (Galat. III, 1)?* vel certe: *Currebatis bene, qui vos impedivit veritati non obedire (Galat. V, 7)?* Qualis in hujus cervae partu rugitus fuit, quae diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, et quandoque partos ad malitiae uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quae et postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est exstincta suscitare.

[*Vet. XXII.*] 48. *Nisi ad infirmitatem nostram descenderent et incurvarentur, filios in fide non procrearent. Sapere ad sobrietatem debent.*---Notandum vero summopere est quod istae cervae incurvantur ut pariant, quia nimirum si erectae starent, parere non valerent. Nisi enim praedicatores sancti ab illa immensitate contemplationis internae quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima praedicatione quasi quadam incurvatione descenderent, nunquam utique in fide filios procrearent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suae altitudinis erectione persisterent. Sed videamus cervam sese ut pariat incurvantem: *Ego, inquit, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (I Cor. III, 1).* Atque mox ejusdem incurvationis causas exsequitur, dicens: *Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis (Ibid., 2).* Sed hanc cervam, quae propter nos incurvata est, quaeso videamus 978 erectam. Ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos (I Cor. II, 6).* Et rursum: *Sive mente excedimus, Deo (II Cor. V, 13).* Cum vero mente excedit Deo, excessum ejus nos omnino non capimus. Ut ergo nos lucretur, incurvatur ad nos. Unde illic apte subjungit: *Sive*

sobrii sumus vobis (Ibid.). Si enim sancti viri ea nobis praedicare vellent quae capiunt, cum in superna contemplatione debriantur, et non magis scientiam suam quodam moderamine et sobrietate temperarent, adhuc angusto intelligentiae sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Incurvatae autem istae cervae, alias coeli vocatae sunt, de quibus dicitur: *Domine, inclina coelos tuos, et descende (Psal. CXLIII, 5).* Cum enim inclinantur coeli, descendit Dominus, quia cum se in praedicatione sua sancti doctores attrahunt, divinitatis notitiam nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippe ad nos Dominus descenderet, si praedicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo coeli ut descendat Dominus, incurvantur cervae ut nos in nova fidei luce nascamur. Istae incurvatae cervae in Canticis canticorum sponsae ubera sunt vocatae, sicut scriptum est: *Meliora sunt ubera tua vino (Cant. I, 1).* Ista enim sunt ubera quae in arca pectoris fixa lacte nos potant, quia ipsi arcanis summae contemplationis inhaerentes, subtili nos praedicatione nutriunt. Ut igitur ab aeterno gemitu et dolore nos retrahant, nunc incurvantur cervae, atque in partu rugitus emittunt. Quia vero ipsi, qui sancta Patrum praedicatione nascuntur, aliquando doctores suos patiendo praeveniunt, ut eis adhuc in hac vita durantibus ipsi jam martyrio consummentur, apte sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. XI*].

VERS. 4.---*Separantur filii earum, et pergunt ad pastum; egrediuntur, et non revertuntur ad eas.*

49. *Eorum filii ad sacrae Scripturae pastum pergunt. Eos Verbum ex natura divinitatis illustrat.*---Pastum Scriptura sacra illud viriditatis aeternae pabulum vocat, ubi jam nostra refectio nullius defectus ariditate marcescet. De quo pastu per Psalmistam dicitur: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit (Psal. XXII, 2).* Et rursum: *Nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus (Psal. XCIV, 7).* De quibus nimirum pascuis Veritas per semetipsam dicit: *Per me si quis introierit, salvabitur; et ingreditur, et egredietur, et pascua inveniet (Joan. X, 9).* Pergunt ergo ad pastum, quia de corporibus exeuntes illa pabula internae viriditatis inveniunt. Egrediuntur, et non revertuntur ad eas, quia in illa suscepti contemplatione gaudiorum, jam nullatenus indigent verba audire docentium. Egressi itaque ad eas jam non redeunt, quia angustias vitae praesentis evadentes, ultra a doctoribus praedicationem vitae accipere non requirunt. Tunc quippe impletur quod scriptum est: *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus (Jerem. XXXI, 34).* Tunc impletur quod in Evangelio Veritas dicit: *Palam de Patre meo annuntiabo vobis (Joan. XVI, 25).* Filius quippe de Patre palam annuntiat, quia sicut superius diximus, per hoc quod Verbum est, ex natura nos divinitatis illustrat. Verba enim tunc docentium quasi quosdam humanae linguae rivulos non quaerunt, quando de ipso jam veritatis fonte derivantur.

Igitur postquam figurata incurvatione cervarum, multa de magistrorum virtute narrata sunt, **979** nunc ad eorum vitam,

qui remotae conversationis secreta appetunt, verba vertuntur: qui et ipsa cessandi otia, quia divino adjutorio et non suis viribus assequuntur, de eis a Domino dicitur:

CAPUT XV [*Vet. XXIII, Rec. XII*].

VERS. 5.---*Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit?*

50. *Onagri liberi nomine intelliguntur, qui a servitute saecularium rerum expediti, solitudini vacant.*---Subaudis nisi ego. Onager enim, qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis popularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur: quia magna est servitus saecularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Cujus servitutis conditione carere est in mundo jam nil concupiscere. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. Hoc grave servitutis jugum Dominus vidit saecularium cervicibus impressum, cum diceret: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitissimum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (**Matth. XI, 28**). Asperum quippe jugum, et durae, sicut diximus, servitutis

pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quae prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pavore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur qui, calcatis terrenis desideriis, ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. *Et vincula ejus, quis solvit?* Subaudis nisi ego.

51. *Divino adjutorio desideriorum carnalium retinacula rumpuntur.*---Solvuntur vero uniuscujusque vincula, dum divino adjutorio interna desideriorum carnalium retinacula dirumpuntur. Cum enim pia intentio ad conversionem vocat, sed adhuc ab hac intentione carnis infirmitas revocat, quasi quibusdam vinculis anima ligata praepeditur. Multos enim saepe videmus vitam quidem sanctae conversationis appetere; sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare. Qui in certa mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa enim ante oculos ponunt, quae si eis in conversatione eveniant, subsistere se non posse formidant. De quibus bene Salomon ait: *Iter pigrorum, quasi sepes spinarum (Prov. XV, 19)*. Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinae obstantium sepium sic formidinum suarum oppositae suspensiones pungunt. Quod quia electos praepedire non solet, bene illic secutus adjungit: *Via justorum absque offendiculo (Ibid.)*. Justi quippe in conversatione sua quodlibet eis adversitatis obviaverit, non impingunt, quia temporalis adversitatis obstacula aeternae spei et internae contemplationis saltu transcendunt. Solvit itaque **980** Deus onagri vincula, quando ab electi uniuscujusque animo

infirmarum cogitationum nodos rumpit, et propitius dissipat omne quod illectam mentem ligabat. Sequitur:

CAPUT XVI.

VERS. 6.---*Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis.*

52. *Duplex solitudo, cordis et corporis. Haec sine alia non prodest.*---Hoc loco solitudinem debemus intelligere corporis, an solitudinem cordis? Sed quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanae terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum saecularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quaerant, ubi cum illo exteriori cessante strepitu per interna desideria silenter loquantur.

[*Vet. XXIV.*] 53. *Silentium contemplationis, hac in vita non potest esse perfectum.*---De hoc secreto cordis alias dictum est: *Factum est silentium in coelo, quasi dimidia hora (Apoc. VIII, 1).* Coelum quippe ecclesia vocatur electorum, quae ad

aeterna et sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (**Sap. IX, 15**). Bene ergo factum hoc silentium non integra, sed dimidia hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardentem inchoetur. Quod etiam per Ezechielem prophetam congruenter exprimitur (**Ezech. XL, 5**), qui pro mensura civitatis in monte conditae, in manu viri calamus sex cubitorum et palmi, se vidisse testatur. In monte quippe electorum ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid autem per cubitum, nisi operatio; quid per senarium numerum, nisi perfectio operationis ostenditur, quia et sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur? Quid ergo super sex cubitos palmus insinuat (**Genes. II, 1**), nisi contemplationis vim, quae jam initia aeternae et septimae quietis demonstrat? Quia enim aeternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura septimi cubiti non expletur. Electorum itaque ecclesia, quia cuncta quae operanda sunt perficit, in sex cubitis sese in monte posita civitas ostendit. Quia vero hic adhuc sola initia contemplationis **981** inspicit, de septimo cubito non nisi palmum tangit.

54. *Culmen contemplationis non attingitur, nisi ab exteriorum curarum oppressione liberemur.*---Sciendum vero est quia

nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curae oppressione cessemus. Nequaquam nosmetipsos intuemur, ut sciamus aliud in nobis esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur, nisi ad secretum hujus silentii recurrentes, ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene etiam Adam dormiens figuravit (**Ibid.**), de cujus mox latere mulier processit, quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur, a rebus visibilibus oculos claudit; et tunc in semetipso vel quae praeesse viriliter debeant, vel quae subesse possint infirma distinguit, ut aliud in illo sit quod regere valeat tanquam vir, aliud tanquam femina quod regatur. In hoc itaque silentio cordis, dum per contemplationem interius vigilamus, exterius quasi obdormiscimus. Quia ergo remoti viri, id est a desideriis carnalibus alieni, hoc silentium mentis inhabitant, huic onagro Dominus in solitudine domum dedit, ut turba desideriorum temporalium non prematur.

[*Vet. XXV.*] 55. *Sancti quandiu vivunt, desiderio supernae patriae aestuant.*---Sequitur: *Et tabernacula ejus in terra salsuginis.* Salsugo accendere sitim solet. Et quia sancti viri quandiu in hujus vitae tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderii sui quotidianis aestibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur. Incessanter quippe accenduntur ut sitiant, sitiunt ut satientur; sicut scriptum est: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (**Matth. V, 6**). Sequitur:

CAPUT XVII.

VERS. 7.---*Contemnit multitudinem civitatis.*

56. *Terrenorum hominum multitudinem sequi dedignantur.*---
Multitudinem civitatis contemnere est humanae conversationis prava studia devitare, ut jam non libeat terrenorum hominum, qui prae abundantia iniquitatis multi sunt, perditos mores imitari. Cum paucis namque ingredi angustam portam desiderant, et non cum multis lata itinera ingredi appetunt, quae ad interitum ducunt (**Matth. VII, 13**). Solerter quippe a quo et ad quid sunt creati conspiciunt, et recta consideratione acceptae imaginis sequi vulgi multitudinem dedignantur. Unde et sponsi voce sponsae in Canticis canticorum dicitur: *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos* (**Cant. I, 7**). Semetipsam namque ea quae est pulchra inter mulieres cognoscit, quando electa quaeque anima etiam inter peccantes posita quia ad auctoris sui imaginem ac similitudinem sit condita meminit (**Genes. I, 26**), et juxta perceptae similitudinis ordinem incedit. Quae si se non cognoscit, egreditur, quia a secreto sui cordis expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa vero abit post vestigia gregum, quia sua interna deserens, ad latam videlicet viam ducitur, et sequitur exempla populorum. Nec jam agnos, sed haedos pascit, quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutrire pravos motus carnis intendit. Quia ergo electus quisque ac continens abire post gregum vestigia despicit, dicatur recte: *Contemnit multitudinem civitatis*. Ubi et apte subjungitur:

CAPUT XVIII [*Rec. XIII*].

IBID.---*Clamorem exactoris non audit.*

57. *Vehementioribus diaboli tentationibus aures claudunt, et ventris clamoribus.*---Quis intelligi exactor alius, nisi diabolus potest, **982** qui semel in paradiso homini malae persuasionis nummum contulit (**Genes. III, 6, seq.**), et quotidie ab eo hujus debiti exigere reatum quaerit? Hujus exactoris sermo est malae suggestionis inchoatio. Hujus exactoris clamor est jam non lenis, sed violenta tentatio. Hic exactor clamat, cum fortiter tentat. Clamorem ergo exactoris non audire est violentis tentationum motibus minime consentire. Audiret enim si ea quae suggerit faceret. Sed cum perversa agere despicit, recte dicitur: *Clamorem exactoris non audit.*

[*Vet. XXVI.*] 58. Nonnulli vero hoc loco per exactorem intelligi ventrem volunt. Ipse namque a nobis quoddam debitum exigit, quia quotidianum fructum sibi humani laboris impendi etiam per naturam quaerit. Abstinentes igitur viri, qui hoc loco onagri vocabulo figurantur, dum violenter gulae desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contemnunt. Sed cum continenti viro contra innumera vitia multa virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore contempto, de solo hic ventre dicitur quod ejus impetum impulsumque restringat, nisi quod nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum spiritalis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulae videlicet appetitus, edomatur, quia si non ea quae nobis sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter ad ea quae longius

sunt impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa urbis moenia civis insidians habetur. Mens quoque ipsa certantis sub gravi confusionis dedecore a spiritalis certaminis congressione repellitur, quando infirma in carnis praelio gulae gladiis confossa superatur. Nam cum se parvis prosterni conspicit, confligere majoribus erubescit.

59. *Qui gulam edomare non curant, incaute ad spiritalia bella consurgunt.*---Nonnulli vero ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, et jam ad spiritalia bella consurgunt. Qui aliquando multa etiam quae magnae sunt fortitudinis faciunt, sed, dominante gulae vitio, per carnis illecebram omne quod fortiter egerint perdunt; et dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctae virtutes obruuntur. Unde et de Nabuchodonosor vincente scribitur: *Princeps coquorum destruxit muros Jerusalem.* Quid enim per muros Jerusalem significans Scriptura exprimit, nisi virtutes animae, quae ad pacis visionem tendit? Aut quis coquorum princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissima a coquentibus cura servitur? Muros igitur Jerusalem princeps coquorum destruit, quia virtutes animae dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem moenia decertanti vires coquorum principi subtrahebat, cum diceret: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar (I Cor. IX, 27).* Hinc etiam praemisit, dicens: *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans (Ibid., 26).* Quia cum carnem restringimus, ipsis abstinentiae nostrae ictibus non aerem, sed immundos spiritus verberamus; et cum hoc quod est intra

nos subjicimus; extra positis adversariis pugnos damus. Hinc est **983** quod cum rex Babylonis succendi fornacem jubet (**Dan. III**), naphthae, stuppae, picis et malleoli ministrari congeriem praecepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumit, quia antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, ut a carnalis concupiscentiae aestibus illaesae perdurent, ut etsi usque ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat.

[*Vet. XXVII.*] 60. *Quinque modis gula nos tentat. Non cibus, sed appetitus in vitio est.*---Sciendum praeterea est quia quinque nos modis gulae vitium tentat (*De consecr., d. 5, c. Quinque modis*). Aliquando namque indigentiae tempora praevenit; aliquando vero tempus non praevenit, sed cibos lautiores quaerit; aliquando quaelibet quae sumenda sint praeparari accuratius expetit, aliquando autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatae refectionis excedit. Nonnunquam vero et abjectius est quod desiderat, et tamen ipso aestu immensi desiderii deterius peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathas meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit (**I Reg. XIV, 27**). Et ex Aegypto populus eductus, in eremo occubuit, quia, despecto manna, cibos carnum petiit, quos lautiores putavit (**Num. XXI, 5**). Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer, non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quaereret, quas accuratius exhiberet (**I Reg. II, 12, seq.**). Et cum ad Jerusalem dicitur: *Haec fuit*

iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, et abundantia (Ezech. XVI, 49), aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiae vitio mensuram moderatae refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno aestu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit (Genes. XXV, 33); quam dum vendendis etiam primogenitis praetulit, quo in illam appetitu anhelaret indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiae degustamus. Hic quippe quem diximus, Esau, primatum per lenticulam perdidit, et Elias in eremo virtutem corporis carnes edendo servavit (III Reg. XVII, 6). Unde et antiquus hostis quia non cibus, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, et primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit (Genes. III, 6), et secundum non carne, sed pane tentavit (Matth. IV, 3). Hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta et vilia sumuntur. Neque enim Adam solus ut a vetito se pomo suspenderet praeceptum prohibitionis accepit. Nam cum alimenta quaedam saluti nostrae Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus, profecto quid aliud quam vetita degustamus?

*61. Edenda quae necessitas quaerit, non quae libido suggerit. Quanta ad hoc discretio necessaria.---*Ea itaque sumenda sunt quae naturae necessitas quaerit, et non quae edendi libido suggerit. Sed magnus discretionis labor est huic exactori et aliquid impendere, et aliquid denegare; et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire. [Rec. XIV.] Quae fortasse discretio subinfertur, cum dicitur: *Clamorem*

exactoris non audit. Sermo namque **984** hujus exactoris est necessaria postulatio naturae. Clamor vero ejus est mensuram necessitatis transiens appetitus gulae. Hic itaque onager exactoris hujus sermonem audit, clamorem non audit, quia discretus vir ac continens et usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, et a voluptate restringit.

[*Vet. XXVIII.*] 62. *Voluptas sub necessitatis specie se palliat.* --Sciendum vero est quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expleri desiderium suppetit; et tanto gulam securius in praeceps rapit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendae se contegit. Saepe autem in ipsa edendi via furtive adjuncta voluptas subsequitur; nonnunquam vero impudenter libera etiam praeire conatur. Facile autem est deprehendere cum voluptas ejus necessitatem praevenit, sed valde est difficile discernere cum in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia praeceuntem naturae appetitum sequitur, quasi a tergo veniens tardius videtur. Eo enim tempore quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid, sicut dictum est, voluptas suppetat, ignoratur. Saepe vero et discernimus; et quia utramque sibi conjunctam novimus, in hoc quod extra metas rapimur, libet ut sciendo fallamur; et dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur. Scriptum quippe est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (**Rom. XIII, 14**). Quae igitur fieri in desiderio prohibetur, in necessitate conceditur.

63. *Carnis desideria, non caro occidenda. Cavendum ne, dum hostem insequimur, civem quem diligimus, trucidemus.* ---Sed saepe dum incaute necessitati condescendimus, desideriis

deservimus. Nonnunquam vero dum desideriis immoderatus obviare nitimur, necessitatis miserias augemus. Sic enim necesse est ut arcem quisque continentiae teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel praedicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorem quippe habemus intentionis internae hunc hominem quem exterius gestamus, et ipsi insunt motus lasciviae, ipsi effectus suppetunt operationis bonae. Saepe vero dum in illo hostem insequimur, etiam civem quem diligimus trucidamus; et saepe dum quasi concivi parcimus, ad praelium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritae virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cum vero immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est ut interior homo, noster aequus quidam arbiter praesideat inter se, et eum quem exterius gestat, quatenus ei homo suus exterior et semper ad debitum ministerium servire sufficiat, et nunquam superbe libera cervice contradicat; nec moveat si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper superposita calce dominationis premat. Sicque fit ut dum repressa vitia reniti quidem nobis patimur, et tamen haec nobiscum congregari ex aequo prohibemus, nec vitia contra virtutem praevalcant, nec rursum virtus cum vitiorum **985** omnimoda extinctione succumbat. Qua in re sola elatio funditus exstinguitur, quia quamvis victoriae serviat, ad edomandam tamen cogitationum superbiam continua nobis pugna servatur. Unde bene hic, quia unusquisque vir continens et debitaе necessitati congruit, et violentae voluptati contradicit, voce dominica

dicitur: *Clamorem exactoris non audit*. Quia autem discretus vir eo ad intelligenda superiora se elevat, quo in se carnis incentiva castigat, recte post contemptum exactoris clamorem subditur.

CAPUT XIX [*Rec. XV*].

VERS. 8.---*Circumspicit montes pascuae suae*.

64. *Ad intelligenda sublimia valet ascendere, qui carnis incentiva castigavit*.---Montes pascuae sunt altae contemplationes internae refectionis. Sancti enim viri quanto magis se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Unde scriptum est: *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum* (Psal. LXXXIII, 6, 7), quia quos exterius in fletu continet convallis humilitatis, eos interius sublevat ascensus contemplationis. [*Vet. XXIX.*] Montes etiam pascuae sunt sublimes virtutes angelorum. Quae idcirco hic nos ministrando et adjuvando reficiunt, quia illic interno contemplationis rore pinguescunt. Quae quia largiente Deo in omni nos certamine protegent, recte circumspici dicuntur. Undique enim nobis adesse circumspicimus, quorum defensione contra adversarios ex omni latere munimur. Possunt adhuc montes pascuae accipi altae sententiae Scripturae sacrae, de quibus per Psalmistam dicitur: *Montes excelsi cervis* (Psal. CIII, 18), quia hi qui jam dare contemplationis saltus noverunt, altos sententiarum divinarum vertices quasi cacumina montium ascendunt, ad

quae profecto cacumina quia infirmi pervenire non valent, recte illic subditur: *Petra refugium erinaciis (Ibid.)*, quia videlicet invalidos non sublimiter intelligentia exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet. Sequitur:

CAPUT XX.

IBID.---*Virentia quaeque perquirat.*

65. *Despectis transitoriis, in aeternum mansura desiderantur.*---Arentia quippe sunt omnia quae temporaliter condita venturo fine a jucunditate vitae praesentis quasi aestivo sole siccantur. Virentia autem sunt vocata, quae nulla temporalitate marcescunt. Huic ergo onagro virentia perquirere, est sancto unicuique viro, despectis rebus transitoriis, in aeternum mansura desiderare.

Cuncta vero haec quae de onagro dicta sunt intelligi etiam et aliter possunt. Quae repetito superiori versu exponimus, ut lectoris iudicio quod eligendum crediderit relinquamus. Igitur postquam praedicatorum dispensatio sub cervarum praetextu descripta est, ut ostenderetur per quem haec eadem virtus praedicationis datur, illico commemoratio de dominica incarnatione subnectitur, ut dicatur:

CAPUT XXI.

VERS. 5.---*Quis dimisit onagrum liberum?*

ALLEGORICUS SENSUS.---66. *Christus onagro merito comparatur.*---Nec indignum quis iudicet per tale animal incarnatum Dominum posse figurari, dum constat omnibus quia per significationem quamdam in Scriptura sacra et vermis et scarabaeus ponatur, sicut scriptum est: *Ego autem sum vermis, et non homo (Psal. XXI, 7).* Et sicut apud Septuaginta interpretes per 986 prophetam dicitur: *Scarabaeus de ligno clamavit (Habac. II, 2).* Cum ergo nominatis rebus tam abjectis et vilibus figuratur, quid de illo contumeliose dicitur, de quo constat quod proprie nihil dicatur? Vocatur etenim agnus, sed propter innocentiam. Vocatur leo, sed propter potentiam. Aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam. Atque ideo per haec omnia dici figuraliter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si agnus proprie diceretur, leo jam vocari non poterat. Si leo proprie diceretur, per serpentem signari non posset. Sed haec in illo omnia dicimus tanto latius in figura, quanto longius ab essentia. Potest ergo onager incarnatum Dominum designare. Agreste quippe animal est onager. Et quia incarnatus Dominus gentilitati magis, quam Judaeae profuit, animale corpus assumens, quasi non in domum, sed potius in agrum venit. De quo agro gentilitatis per Psalmistam dicitur: *Species agri mecum est (Ps. XLIX, 11).* Incarnatus itaque Dominus qui in forma Dei aequalis est Patri, in forma servi minor est Patre, qua minor est etiam seipso (**Philip. II**). [*Vet. XXX.*] Dicatur ergo a Patre de Filio secundum formam servi: *Quis dimisit onagram liberum, et vincula ejus quis solvit?* Omnis quippe qui peccat, servus est peccati (**Joan. VIII, 35**). Et quia incarnatus Dominus particeps nostrae

factus est naturae, non culpae, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo alias scriptum est: *Inter mortuos liber (Psal. XXXVII, 5)*. Liber dimissus dicitur, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullo modo tenetur. Quem quamvis macula culpae nostrae non attigit, passio tamen nostrae mortalitatis astrinxit. Unde et postquam liber dimissus dicitur, recte de illo adjungitur:

CAPUT XXII.

IBID.---*Et vincula ejus quis solvit?*

67. *Hujus onagri vincula soluta sunt, cum infirmitates passionis, in resurrectionis gloriam sunt commutatae.*--- Vincula quippe ejus tunc soluta sunt cum infirmitates passionis illius in resurrectionis sunt gloriam commutatae. Quasi quaedam vincula Dominus habuit ea quae nos nequitiae merito patimur, nostrae mortalitatis infirma, quibus et usque ad mortem sponte ligari se voluit, et quae per resurrectionem mirabiliter solvit. Esurire enim, sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostrae mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petrae, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent; quid aliud tot argumentis tantae virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostrae vincula solvebantur, ut is qui ad suscipiendam servi formam venerat, in ipsa servi forma ab inferni vinculis absolutus, ad coelum etiam cum membris liber rediret? De quibus ejus vinculis Petrus apostolus attestatur dicens: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta*

quod impossibile erat illum teneri ab eo (Act. II, 24). Et quia post mortem suam atque resurrectionem ad gratiam fidei gentilitatem vocare dignatus est, postquam dicta sunt soluta ejus vincula, apte subjungitur:

CAPUT XXIII.

987 VERS. 6.---*Cui dedi in solitudine domum, et tabernaculum ejus in terra salsuginis.*

68. *Cui datus in solitudine locus et in terra salsuginis, cum gentilitas eum recepit.*---In gentilitate enim in qua patriarcha non fuit, propheta non fuit; ad intelligendum Deum, qui ratione uteretur, homo pene non fuit. De hac solitudine per Isaiam dicitur: *Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium (Isai. XXXV, 1).* Et rursum de Ecclesia dicitur: *Ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini (Isai. LI, 3).* Terra vero salsuginis haec eadem solitudo repetita est, quae priusquam veram Dei sapientiam cognosceret, salsuginem protulerat, quia nullam viriditatem boni intellectus proferens, perversa sapiebat. Domum ergo in solitudine et tabernaculum in terra salsuginis accepit, quia incarnatus pro hominibus Deus, derelicta Judaea, gentilitatis corda possedit. Unde ei Patris voce per prophetam dicitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Psal. II, 8).* Qui juxta hoc quod Deus est, cum Patre dat omnia, juxta hoc vero quod homo est, a Patre accipit inter omnia, sicut scriptum est: *Potestatem dedit ei et iudicium*

facere, quia filius hominis est (Joan. V, 27). Et rursum scriptum est: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus (Joan. XIII, 1). Vel sicut ipse dicit: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet (Joan. VI, 37). Jam vero si quaeritur quid inter domum ac tabernaculum distet, domus in habitatione est, tabernaculum in itinere. Corda itaque gentilium quasi quaedam tabernacula habuit veniendo. sed ea per justitiam firmans, domum fecit habitando. Et quia eorum vitam ad quos venerat imitari despexit, recte subjungitur:

CAPUT XXIV.

VERS. 7.---*Contemnit multitudinem civitatis.*

69. Multitudinis exempla non est secutus, sed sua sequenda proposuit. Vita praesens non propter se amanda est, sed propter futuram toleranda.---Id est, mores despicit humanae conversationis. Homo quippe inter homines factus, usum tenere hominum noluit. Idcirco namque inter nos homo factus est, ut non solum nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret. In conversatione igitur nostra et veniendo alia invenit, et vivendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe progeneri, prospera vitae praesentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos Dominus incarnatus adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cum Judaei illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex refugit (Joan. VI, 15). Cum vero eum interficere molirentur, sponte ad crucis

patibulum venit (**Ibid.**, **XVIII**, 4). Fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt. Sed cum fugit quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur, ut et mortuus ipse resurgeret, et morte sua alios de morte resuscitaret. [*Vet. XXXI.*] Duae quippe vitae sunt hominis in corpore consistentis, una ante mortem, alia post resurrectionem: quarum unam omnes agendo noverant, alteram nesciebant; et humanum genus soli huic quam noverat intendebat. Venit per carnem Dominus, et dum suscepit unam; alteram demonstravit. Dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quae nobis est incognita ostendit. Moriendo quippe vitam exercuit quam tenemus, resurgendo aperuit quam quaeramus, **988** exemplo suo nos docens quod haec vita quam ante mortem ducimus non propter se amanda sit, sed propter alteram toleranda. Quia ergo nova conversatione usus inter homines, mores Babyloniae secutus non est, bene de eo scriptum est: *Contemnit multitudinem civitatis.*

70. *Christus multitudinem per spatiosa vagantem deseruit.*---
Vel certe quod multos per spatiosam viam vagantes deseruit, et per angusta gradientes paucos elegit. Multitudinem namque civitatis contemnere est humani generis partem quae latam viam ingreditur (**Matth. VII, 13**), quae et pro abundantia iniquitatis multa est, a regni sui sorte reprobare. Sequitur:

CAPUT XXV.

IBID.---*Clamorem exactoris non audit.*

71. *Exactoris, scilicet diaboli clamorem non audivit.*---Sicut supra dictum est, quis hoc loco exactor accipi nisi diabolus potest? Qui male suadendo spem contulit immortalitatis, sed decipiendo exigit tributum mortis; qui suadendo intulit culpam, saeviendo exigit poenam. Hujus exactoris sermo est ante mortem hominis astuta persuasio, clamor vero ejus est violenta jam rapina post mortem. Quos enim ante mortem latenter intercipit, hos ad supplicii sui consortium post mortem violenter rapit. Sed quia ad mortem veniens Dominus, hujus exactoris violentos impetus non expavit, sicut ipse ait: *Venit enim princeps hujus mundi et in me non habet quidquam (Joan. XIV, 30)*, bene dicitur: *Clamorem exactoris non audit.* Venit quippe ad eum exactor humani generis, quia illum hominem vidit. Sed quem infirmitate despectum hominem credidit, virtute supra hominem sensit.

[*Rec. XVI.*] 72. *Hujus exactoris typus, Laban; Christi, Jacob; Ecclesiae, Rachel fuit.*---Hujus nimirum exactoris typum Laban tenuit, quando cum furore veniens sua apud Jacob idola requisivit (**Genes. XXXI, 1, seq.**). Laban quippe interpretatur dealbatio. Dealbatio autem non inconvenienter diabolus accipitur; qui cum sit tenebrosus ex merito, transfigurat se in angelum lucis (**II Cor. XI, 14**). Huic servivit Jacob, id est ex parte reproborum Judaicus populus, cujus ex carne incarnatus Dominus venit. Potest etiam per Laban mundus hic exprimi, qui cum furore Jacob persequitur, quia electos quosque qui Redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Hujus filiam, id est sive mundi, sive diaboli, Jacob abstulit, cum sibi Christus Ecclesiam ex gentilitate conjunxit. Quam et de domo patris abstrahit, quia ei per Prophetam

dicit: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (**Psal. XLIV, 11**). Quid vero in idolis, nisi avaritia designatur? Unde per Paulum dicitur: *Et avaritia, quae est idolorum servitus* (**Coloss. III, 5**). Laban ergo veniens apud Jacob idola non invenit, quia ostensis mundi thesauris, diabolus in Redemptore nostro vestigia concupiscentiae terrenae non reperit. Sed quae Jacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Per Rachel quippe, quae et ovis dicitur, Ecclesia figuratur. Sedere autem, est humilitatem poenitentiae appetere, sicut scriptum est: *Surgite postquam sederitis* (**Psal. CXXVI, 2**). Rachel ergo idola sedendo operuit, quia sancta Ecclesia Christum sequens terrenae concupiscentiae vitia poenitendo texit. De hac coopertione vitiorum per Psalmistam dicitur: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (**Psal. XXXI, 1**). Nos igitur Rachel illa **989** signavit, qui idola sedendo premimus, si culpas avaritiae poenitendo damnamus. Quae utique avaritia illis non solet evenire, qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (**Psal. XXX, 25**), sed his maxime qui quasi effeminato gressu gradientes per blandimenta saeculi resolvuntur. Unde et illic ejusdem Rachelis haec verba sunt: *Juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi* (**Genes. XXXI, 35**). Apud Jacob ergo idola Laban non reperit, quia exactor callidus quid in Redemptore nostro reprehenderet, non invenit. De quo exactore Redemptori nostro gentilitatem ab ejus dominio liberanti per prophetam dicitur: *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian* (**Isai. IX, 4**). Eripiens quippe gentilitatem Dominus, superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa daemoniacae tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam

humeri ejus, cum percussione illius, quae ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere redempto compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat debita tributa poenarum, de fidelium corde destruxit.

[*Vet. XXXII, Rec. XVII.*] 73. *Gedeonis contra Madianitas insolens pugna, Christi certamen praesignavit.*---Sed quomodo haec acta sunt audiamus. Subjunctum est illico: *Sicut in die Madian.* Non abs re arbitror si hoc Madianitarum bellum quod in comparatione adventus Dominici a propheta vigilanter illatum est aliquando latius disseramus. In libro quippe Judicum (**Judic. VII, 1 seq.**), Gedeon contra Madianitas dimicasse describitur. Is cum exercitus multitudinem ad bella produceret, divina illi admonitione praeceptum est ut ad fluvium veniens, omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, a bellorum conflictu removeret. Actumque est ut trecenti viri tantummodo, qui stantes manibus aquas hauserant, remanerent. Cum his ad praelium pergit, eosque non armis, sed tubis, lampadibus et lagenis armavit (**Ibid., 19, seq.**). Nam, sicut illic scriptum est, accensas lampades miserunt intra lagunculas, et tubas in dextra, lagenas autem in sinistra tenuerunt; et ad hostes suos cominus venientes, cecinerunt tubis, confregerunt lagunculas, lampades apparuerunt; et hinc tubarum sonitu, illinc lampadum coruscatione territi hostes, sunt in fugam conversi. Quid hoc est, quod tale bellum per prophetam ad medium adducitur, et adventui Redemptoris nostri istius pugnae victoria comparatur? An indicare propheta nobis studuit, quod adventum Redemptoris nostri

contra diabolum illa sub Gedeon duce pugnae victoria designavit? Talia illic nimirum acta sunt, quae quanto magis usum pugnandi transeunt, tanto amplius a prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam cum lagenis et lampadibus ad praelium venit? Quia contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis haec profecto fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ipsa testante didicimus, ne parvi haec quae facta sunt perpendamus. Gedeon itaque ad praelium veniens, Redemptoris nostri signat adventum, 990 de quo scriptum est: *Tollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio (Psal. XXIII, 7)*. Hic Redemptorem nostrum non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia complectitur, et tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus est, et clausus non est, quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur, de judicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit. Et idcirco de judicio vocantur, quia alieni a gratia Redemptoris, justae damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt.

[Vet. XXXIII.]. 74. *Quid significant trecenti milites cum Gedeone pugnantes.*---Contra hos Gedeon cum trecentis

pergit ad praelium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruit, cum his ad praedicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quae Deus est, perfecta sentire. Notandum vero est quia iste trecentorum numerus in tau littera continetur, quae crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id quod in cruce eminet adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in tau littera continetur, et per tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (**Luc. IX, 23**). Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius et se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Unde et per Ezechielem prophetam dicitur: *Signa tau super frontes virorum gementium et dolentium* (**Ezech. IX, 4**). Vel certe in his trecentis, qui in tau littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis ligno superetur. Ductique sunt ad fluvium, ut aquas biberent, et quicumque aquas flexis genibus hauserunt, a bellica intentione remoti sunt. Aquis namque, doctrina sapientiae; stante autem genu, recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genuflexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recesserunt, quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad praelium, qui cum doctrinae fluentia hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt. Reprobatique sunt, qui genua, dum aquas

biberent, inflexerunt; quia attestante Apostolo: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed* **991** *factores legis justificabuntur (Rom. II, 13).* Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, recte rursum per Paulum dicitur: *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. XII, 12).* Hi ergo Christo duce ad bellum procedunt, qui hoc quod ore annuntiant opere ostendunt, qui fluente doctrinae spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus inflectuntur carnaliter, quia sicut scriptum est: *Non est speciosa laus in ore peccatoris (Eccli. XV, 9).*

75. *Quid tubae, lampades et lagenae, cum quibus ad praelium perrexerunt, et hostes debellarunt.*---Itum ergo est ad praelium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. Inusitatus iste, ut diximus, fuit ordo praeliandi. Cecinerunt tubis, et sinistris lagenae tenebantur: intra lagenas autem sunt missae lampades; confractis vero lagenis lampades ostensae sunt, quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor praedicantium, in lampadibus, claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad praedicationis praelium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad praelium martyres nostri; sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum praedicant; confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponunt; resplenduerunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam conversi sunt; quia

dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenae frangerentur; lagenae fractae sunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur; id est, praedicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur; corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent; coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent, quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent.

76. Fidei praedicatores plus morte sua, quam praedicatione profecerunt.---Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades, quia nimirum persecutores sanctae Ecclesiae, fidei praedicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt; post solutionem vero corporum apparentibus miraculis in fugam versi sunt, quia, pavore conterriti, a persecutione fidelium cessaverunt. Praedicatione scilicet tubarum, fractis lagenis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum.

[*Vet. XXXIV.*] *77. Cui major est cura corporis quam praedicationis, metuenda reprobatio.*---Intuendum est etiam id quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimur quidquid pro magno pensamus; pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est quod in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt, quia Christi martyres pro magno habent praedicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis, quam gratiam praedicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet. Si enim priori

loco gratia praedicationis attenditur, **992** et posteriori utilitas corporis, certum est quia in dextris tubae, et sinistris lagenae teneantur. Hinc Dominus in Evangelio ait: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum (Matth. V, 15)*. In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux praedicationis accipitur. Lucernam ergo sub modio ponere est propter temporale commodum, gratiam praedicationis abscondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illic additur: *Sed super candelabrum*. In candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna superponitur, dum eidem corpori cura praedicationis antefertur. Bene itaque per Prophetam dictum est: *Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian (Isai. IX, 4)*. Sed quia exponendi prophetici testimonii gratia longe digressi sumus, ad operis nostri ordinem revertamur. Igitur postquam dictum est: *Clamorem exactoris non audit*, quia videlicet antiqui hostis insidias Dominus in carne manifestatus despexit, quid etiam de electis suis fecerit recte subjungit, dicens:

CAPUT XXVI.

VERS. 8.---*Circumspicit montes pascuae suae.*

78. *Etiam superbos in sua membra transformavit Christus. Convertit eos quos aspicit.*---Montes accipimus omnes elatos hujus saeculi, qui in corde suo altitudine terrena tumuerunt. Sed quia etiam tales Dominus Ecclesiae suae corpori conversos inviscerat, eosque a priori elatione commutans, in

sua membra transformat, isti montes pascuae ejus sunt, quia nimirum de conversione errantium, et de superborum humilitate satiatur, sicut ipse ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit (Joan. IV, 34)*. Et sicut apostolis ad praedicationem missis praecepit, dicens: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam (Joan. VI, 27)*. De his montibus per Prophetam dicitur: *Non repellet Dominus plebem suam, quoniam in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipse conspicit (Psal. XCIV, 4)*. Altitudines enim montium elationes sunt utique superborum. Quas Dominus conspiciere dicitur, id est ab iniquitate sua in melius commutare. Convertit namque Dominus eum quem conspicit. Unde scriptum est: *Conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis; et egressus foras flevit amare (Luc. XXII, 61)*. Et sicut Salomon ait: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo (Prov. XX, 8)*. De hoc respectu montium rursum per prophetam dicitur: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini (Psal. XCXVI, 5)*, quia post perversitatis suae duritiam, divina formidine liquefacti, ab illo prius rigido tumore substrati sunt.

79. *Bonis operibus conversorum pascitur. Magnum Christo convivium fecit Matthaeus, imo fuit.*---Intuendum etiam quod non ait inspicit, sed *circumspicit montes pascuae suae*. In Judaea quippe incarnatus est Dominus, quae posita in medio gentium fuit. Atque ideo circumspexit montes, quia elatos hujus saeculi circumquaque positos ex gentilitatis universitate collegit. In his itaque montibus pascitur, quia bonis operibus conversorum quasi herbis virentibus satiatur.

Hinc est quod ei sponsae voce in Canticis canticorum dicitur: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* (**Cant. I, 6**). Pascitur quippe Dominus, cum bonis nostris actibus delectatur. Cubat vero in meridie, cum ex desideriiis carnalibus ardenti corde reproborum apud **993** electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonae. Mons enim quidam Matthaeus fuerat, quando in telonii lucris tumebat; de quo et scriptum est quia postquam credidit, invitato in domum suam Domino, convivium magnum fecit (**Luc. V, 29**). Mons itaque iste huic onagro virentis pascuae herbas protulit, quia et foris eum convivio, et intus epulis virtutum pavit. Quod adhuc plenissime expletur, cum subditur:

CAPUT XXVII.

IBID.--- *Virentia quaeque perquiri.*

80. *Arentia corda Christus deserit; fide ac spe virentia requirit.*---Arentia enim deserit, et virentia quaeque perquiri. Arentia namque corda sunt hominum, quae in hujus saeculi spe peritura plantata, aeternitatis fiduciam non habent. Virent autem quae illi haereditati inhaerent, de qua Petrus apostolus dicit: *In haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem* (**I Pet. I, 4**). Tanto enim verius quique virentes sunt, quanto in haereditatis immarcescibilis sorte cogitationis radicem figunt. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, arentia extrinsecus mundi hujus desideria fugiat. Quisquis a

Domino perquiri desiderat, aeternam patriam appetens, in interna cordis plantatione viridescat.

81. *S. Gregorii modestia et humilitas.*---Haec autem de onagro exposita sub duplici intellectu sufficiant. Lectoris vero iudicio relinquendum est quid magis duxerit eligendum. Et si utriusque expositionis intelligentiam fortasse despexerit, libenter ipse lectorem meum subtilius veriusque sentientem, velut magistrum discipulus sequar, quia mihi proprie donatum credo, quidquid illum me melius sentire cognosco. [*Vet. XXXV.*] Omnes enim qui fide pleni de Deo aliquid sonare nitimur, organa veritatis sumus; et in ejusdem veritatis potestate est, utrum per me sonet alteri, an per alterum mihi. Ipsa quippe in medio nostri, etiam non aequae viventibus omnibus aequa est, et saepe alium tangit, ut bene audiat quod per alium ipsa sonuerit; saepe vero alium tangit, ut bene quod ab aliis audiatur sonet.

82. *Saepe doctore verbum aut propter auditoris meritum tribuitur, aut propter culpam subtrahitur.*---Saepe doctore verbum pro gratia tribuitur auditoris, et saepe propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctore. In his ergo quae ubertim praedicat doctor, nulla elatione se efferat, ne fortasse **994** non pro sua, sed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua; et in his quae doctor steriliter dicit, auditor non succenseat, ne fortasse doctoris lingua non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. Pro auditoris namque gratia boni, datur etiam malis sermo doctoribus, sicut potuerunt Phariseis suppetere verba praedicationis, de quibus scriptum est: *Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere* (**Matth. XXIII, 3**). Propter auditorum vero reprobationem

bonis etiam doctoribus sermo subtrahitur, sicut ad Ezechielem contra Israel dicitur: *Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est* (**Ezech. III, 26**).

83. *Aliquando pro doctoris et auditorum merito vel culpa, datur aut negatur. De accepto nemo extollatur. Spem comitetur timor.*---Aliquando autem sermo praedicationis propter utrosque datur, aliquando propter utrosque subtrahitur. Propter utrosque enim datur, sicut divina voce Paulo apud Corinthios dicitur: *Noli timere, sed loquere* (**Act. XVIII, 9**). Et paulo post: *Quia populus multus est mihi in hac civitate* (**Ibid. 10**). Propter utrosque vero subtrahitur, sicut Heli sacerdos et pravam filiorum cognovit actionem, et dignam increpationis non exercuit vocem; cum profecto futurum esset ut in mortis supplicio et istos reatus flagitii, et illum silentii poena multaret (**I Reg. III, 12, seq.**). Inter haec igitur cum vel pro quo sermo detur, vel propter quem subtrahatur, ignoramus, unum est salubre remedium, nec de his quae aliis magis accepimus, nosmetipsos extollere, nec de eo alterum quod minus acceperit irridere; sed fixo humilitatis pede, graviter et constanter incedere, quia in hac vita tanto veracius docti sumus, quanto doctrinam nobis a nobismetipsis suppetere non posse cognoscimus. Cur ergo quilibet de doctrina superbiat, qui occulto iudicio vel cui quando detur, vel quando cui subtrahatur ignorat? Quamvis enim securitati timor semper longe videatur abesse, nobis tamen nihil est securius quam sub spe semper timere, ne incauta mens aut desperando se in vitiis dejiciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti enim ac pii iudicis oculos quanto de se sub spe humiliter trepidat, tanto in illo robustius stat.

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS. *Explicatur
versus nonus cum reliquis
capitis XXXIX, omissis tantum tribus ultimis; et
divinae gratiae, in Evangelii praedicatione
peccatorumque conversione, efficacia
praesertim demonstratur.*

CAPUT PRIMUM.

995 *1. Inflictum homini a superbo diabolo vulnus, Dei humilitate sanatum---*In paradiso sano homini diabolus invidens superbiae vulnus infixit, ut qui mortem non acceperat conditus, mereretur elatus (**Genes. III**). Sed quia divinae potentiae suppetit, non solum bona de nihilo facere, sed ea etiam ex malis quae diabolus perpetraverat, reformare, contra hoc inflictum vulnus superbientis diaboli medicina apparuit inter homines humilitas Dei, ut auctoris exemplo humiliati surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant. Contra ergo superbientem diabolum apparuit inter homines homo factus humilis Deus. Hunc potentes hujus saeculi, id est membra diaboli superbientis, eo despicabilem crediderunt, quo humilem conspexerunt. Vulnus enim cordis eorum quanto magis tumuit, tanto amplius medicamentum mite despexit. Repulsa igitur a vulnere superbiorum medicina

nostra pervenit ad vulnus humilium: *Infirma* quippe *mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (**I Cor. I, 27**); actumque est cum pauperibus quod post etiam divites erati mirarentur. Nam dum novas in illis virtutes aspiciunt, eorum quorum prius contempsere vitam postmodum obstupere miracula. Unde mox pavidum ad sua corda redeunt, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in praeceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia, quia dum in venerationem vita surgit humilium, elatio cecidit superbiorum. Igitur quia beatus Job sanctae Ecclesiae typum tenet, et omnipotens Deus praevidit quod in primordiis nascentis Ecclesiae, potentes huius saeculi leve ejus jugum suscipere crassa cordis cervice recusarent, dicat:

CAPUT IX.

CAP. XXXIX, vers. 9.---*Numquid volet rhinoceros servire tibi?*

2. *Per rhinocerotem intelligendi elati et potentes a Christo domiti, et Ecclesiae servire coacti. Eorum superbiam miraculis fregit.*---Rhinoceros enim indomitae omnino naturae est; ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus vero nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu. Et quid aliud in nare nisi fatuitas, quid in cornu nisi elatio designatur? Nam quia in nare fatuitas solet intelligi, Salomone attestante didicimus, qui ait: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua* (**Prov. XI, 22**). Haereticam namque

doctrinam nitore vidit eloquii resplendere, nec tamen sapientiae apto intellectu congruere, et ait: *Circulus aureus in naribus suis*, id est pulchra et circumflexa locutio in sensibus mentis stultae, cui ex eloquio aurum pendet, sed tamen ex terrenae intentionis pondere, more suis, ad superiora non respicit. Quod secutus exposuit, dicens: *Mulier pulchra et fatua*; id est, doctrina haeretica: pulchra per verbum, fatua per intellectum. In cornu vero, quia elatio frequenter accipitur, 996 Propheta attestante didicimus, qui ait: *Dixi iniquis, nolite inique agere, et delinquentibus, nolite exaltare cornu* (Psal. LXXIV, 5). Quid ergo in rhinocerote hoc nisi potentes hujus saeculi designantur, vel ipsae in eo summae principatuum potestates, qui typho fatuae jactationis elati, dum falsis exterius inflantur honoribus, veris miseriis intus inanescunt? Quibus bene dicitur: *Quid superbis, terra et cinis* (Eccli. X, 9)? In ipsis vero initiis nascentis Ecclesiae, dum contra illam divitum se potestas extolleret, atque in ejus necem immensitate tantae crudelitatis anhelaret, dum tot cruciatibus anxia, tot persecutionibus pressa succumberet, quis tunc credere potuit quod illa recta et aspera superborum colla sibi subjiceret, et jugo sancti timoris edomita, mitibus fidei loris ligaret? Diu quippe in exordiis suis rhinocerotis hujus cornu ventilata, et quasi funditus interimenda percussa est. Sed divina gratia dispensante, et illa moriendo vivificata convaluit, et cornu suum rhinoceros iste feriendo lassatus inclinavit; quodque impossibile hominibus fuit, Deo difficile non fuit, qui potestates hujus mundi rigidas non verbis, sed miraculis fregit. Ecce enim quotidie servire rhinocerotes agnoscimus, dum potentes mundi hujus, qui in viribus suis fatua dudum fuerant elatione confisi, Deo subditos jam videmus. Quasi de quodam indomito rhinocerote Dominus

loquebatur, cum diceret: *Dives difficile intrabit in regnum coelorum* (Matth. XIX, 23). Cui cum responsum esset: *Et quis poterit salvus fieri?* Illico adjunxit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omniaabilia sunt* (Ibid., 26). Ac si diceret: Rhinoceros iste humanis viribus mansuescere non potest, sed tamen divinis subdi miraculis potest. Unde hic quoque apte beato Job sanctae Ecclesiae typum tenenti dicitur: *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* [Rec. II.] Subaudis: Ut mihi, qui eum praedicamentis quidem hominum diu resistere pertuli, sed tamen repente, cum volui, miraculis stravi. Ac si apertius dicat: Nunquid hi qui fatua elatione superbiunt sine meis adiutoriis tuae praedicationi subduntur? Per quem itaque praevaleas considera, et in omne quod praevalēs elationis sensum inclina. Vel certe ad beati Job notitiam pro humilianda ejus virtute deducitur, quam mira quandoque per apostolos agantur, qui mundum Deo subjiciunt, eique edomitam potentum hujus saeculi superbiam flectunt, ut tanto de se beatus Job minus aestimet, quanto aggregari Deo tam difficiles animas per alios videt. Dicat ergo: *Nunquid volet rhinoceros tibi?* Subaudis: Sicut per eos quos misero serviet mihi. Sequitur:

CAPUT III [Vet. II].

997 IBID.---*Aut morabitur ad praesepe tuum?*

3. *Scripturae sanctae pabulo Christus hos rhinocerotes nutrit.*---Praesepe hoc loco ipsa Scriptura sacra non

inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur, de quibus per Prophetam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea* (Psal. LXVII, 11). Hinc etiam natus Dominus a pastoribus in praesepe reperitur (Luc. II, 16), quia ejus incarnatio, in ea quae nos reficit Prophetarum scriptura cognoscitur. Rhinoceros itaque iste, videlicet omnis elatus in primordiis nascentis Ecclesiae, cum patriarcharum dicta, cum prophetarum mysteria, cum Evangelii arcana audiret, irridebat, quia tanto in praedicatorum praesepe claudi satiarique contempserat, quanto in voluptatibus propriis dimissus, desperationis suae campum tenebat. Quem superborum campum bene Paulus insinuat, dicens: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis, in avaritiam* (Ephes. IV, 19). Tanto enim se quisque in malis praesentibus latius relaxat, quanto post hanc vitam se assequi bona aeterna desperat. Sed omnipotens Deus diu quidem rhinocerotem hunc per pravae voluptatis campum vagantem pertulit, et tamen cum voluit, repente ad suum praesepe religavit, ut vitae pabulum bene clausus accipiat, ne vitam funditus male liber amittat. Ecce enim jam cernimus quod potentes hujus saeculi, ejusque principes praedicamenta dominica libenter audiunt, constanter legunt, passimque a praesepe non exeunt, quia praecepta Dei, quae aut legendo, aut audiendo cogoscunt, nequaquam vivendo transcendunt; sed ad verbi pabulum quasi clausi stare aequanimiter tolerant, ut edendo et permanendo pinguescant. Quod cum Deo agente conspiciamus, quid aliud quam rhinocerotem hunc ad praesepe morantem videmus? Quia vero post acceptum pabulum praedicationis rhinoceros iste fructum debet ostendere operis, recte subjungitur:

CAPUT IV [*Vet. et Rec. III*].

VERS. 10.---*Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?*

4. *Saeculi principes divina praecepta quibus alligantur, praedicant et servari curant.*---Lora sunt Ecclesiae praecepta disciplinae. Arare vero est per praedicationis studium humani pectoris terram vomere linguae proscindere. Hic igitur rhinoceros quondam superbus ac rigidus jam nunc loris fidei tenetur ligatus; atque a praesepe ad arandum ducitur, quia eam praedicationem qua ipse reffectus est innotescere. et aliis conatur. Scimus enim rhinoceros iste, terrenus videlicet princeps, quanta prius contra Dominum crudelitate saevierit, et nunc agente Domino cernimus quanta se ei humilitate substernit. Hic rhinoceros non solum ligatus, sed etiam ad arandum ligatus est, quia videlicet disciplinae loris astrictus, non solum se a pravis operibus retinet, sed etiam in sanctae fidei praedicationibus exercet. Ecce enim, sicut superius dictum est, ipsos humanarum rerum rectores ac principes dum metuere Deum in suis actionibus cernimus, quid aliud quam loris ligatos videmus? Cum vero eam fidem, quam dudum persequendo impugnauerant, nunc prolatis legibus praedicare non cessant, quid aliud faciunt, nisi aratri laboribus insudant?

5. *Saecularis potestatis et humilitatis christianae mirus consensus.*---Libet videre hunc rhinocerotem, id est terrae principem fidei loris ligatum, quemadmodum **998** et cornu portat per potentiam saeculi, et jugum fidei sustinet per

amorem Dei. Timeri iste rhinoceros valde poterat, nisi ligatus esset. Cornu quippe habet, sed ligatus est. Habent ergo in loris ejus quod humiles diligant, habent in cornu ejus quod elati pertimescant. Strictus enim loris, servat pietatem mansuetudinis, sed fultus cornu terrenae gloriae exercet dominium potestatis. Plerumque autem cum exigente ira ad feriendum rapitur, divino timore revocatur. Et quidem per exasperatam potentiam in furorem se elevat; sed quia aeterni judicis reminiscitur, cornu ligatus se inclinat. Saepe ipse vidisse me memini, quod cum se ad feriendum graviter hic rhinoceros accenderet, et quasi elevato cornu bestiolis minimis mortes, exsilia, damnationesque subjectis immensis terroribus intentaret, repente fronti signo crucis impresso, omne in se incendium furoris exstinxit, conversus minas deposuit; et quia ad deliberata progredi non posset, ligatus agnovit. Et non solum in se iras edomat, sed in subjectorum etiam sensibus omne quod rectum est inserere festinat, ut quia omnes sanctam Ecclesiam ex intima cogitatione venerentur, exemplo ipse suae humilitatis demonstret. Dicatur igitur beato Job: *Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Ac si aperte dicat: Nunquid potentes hujus saeculi in sua fatua elatione confidentes, ad laborem praedicationis dirigis, et sub disciplinae vincula restringis? Subaudis: Ut ego, qui id egi cum volui, qui persecutores meos, quos prius hostes pertuli, ipsos postmodum rectae fidei defensores feci. Sequitur:

CAPUT V [*Vet. IV*].

IBID.---*Aut confringet glebas vallium post te?*

6. *Qui prius fidei persecutores, postmodum praedicatores et assertores facti.*---Solent excultae terrae superjacentes glebae jactata semina premere, et nascentia suffocare. Quibus glebis hoc loco illi signantur, qui per duritiam suam atque pestiferam vitam, nec ipsi semina verbi recipiunt, nec receptorum seminum fructus alios ferre permittunt. Sanctus enim quisque praedicator in mundum veniens, evangelizando pauperibus, quasi molles vallium terras araverat; sed quorundam duritiam elatorum Ecclesia rumpere non valens, eos quasi superjectas labori suo glebas oppressa tolerabat. Multi enim perversae mentis ipsa terrenorum principum infidelitate confisi, surgentem Ecclesiam male vivendi pondere premebant, cum diu quos possent modo damnabilibus exemplis, modo minis, modo blandimentis destruerent, ne terra cordis auditorum ad spiritualis seminis fructum exculta perveniret. At cum omnipotens Deus hunc rhinocerotem loris suis subdidit, per eum illico glebarum duritiam fregit. Mox quippe terrenum principatum suae fidei subjugavit, dura persequentium corda contrivit, ut quasi confractae glebae non jam obduratae premerent, sed ad percepta verbi semina resolutae germinarent. Unde recte nunc ait: *Aut confringet glebas vallium post te?* Ac si diceret sicut post me, qui postquam mentem cujuslibet elatae potestatis ingredior, non solum eam mihi subditam reddo, sed etiam ad conterendos fidei hostes exerceo, ut potentes hujus saeculi meae formidinis loris ligati, non solum in me credentes permaneant, sed et pro me 999 alieni cordis duritiam zelantes frangant.

7. *In suo sinu multos hostes habet Ecclesia, contra quos terrenorum principum opem quaerit.*---Hoc autem quod de infidelibus diximus, in plerisque etiam qui fidei nomine censentur videmus. Multi namque in medio humilium fratrum positi fidem verbo tenus tenent, sed dum elationis typhum non deserunt, dum quos possunt illatis violentiis premunt, dum fructificantibus aliis ipsi nequaquam semina verbi recipiunt, sed ab exhortantis voce aurem cordis avertunt, isti quid aliud, quam obduratae glebae in exaratis vallibus jacent? Qui eo nequiores sunt, quo nec ipsi humilitatis fructum proferunt, et quod est deterius, proferentes humiles premunt. Ad horum duritiam dissolvendam nonnunquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerotis hujus, id est terreni principis opitulationem quaerit, ut ipse superjacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit ac comminuit, quia pravorum potentiumque duritiam, cui ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissolvit. Quod quia sola divina virtute agitur, ut terreni regni culmina ad provectum regni coelestis inclinentur, recte nunc dicitur: *Aut confringet glebas vallium post te?* Ut vero de suis virtutibus beatus Job humilia sentiat, et adhuc de hujus mundi potestatibus sub rhinocerotis nomine sublimia cognoscat, sequitur:

CAPUT VI.

VERS. 11.--- *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos?*

8. *Temporalis principis potestatem sibi servire cogit Christus, eique suam Ecclesiam credidit ac commendavit.*---In rhinocerotis fortitudine fiduciam Dominus habere se asserit, quia vires quas temporaliter terreno principi contulit, ad cultum suae venerationis inclinavit, ut ex accepta potestate, per quam dudum contra Deum tumuerat, religiosum nunc Deo obsequium impendat. Quo enim in mundum plus potest, eo pro mundi auctore plus praevalet. Nam quia a subjectis ipse metuitur, tanto facilius persuadet, quanto et cum potestate indicat qui vere metuatur. Dicatur ergo: *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus?* Ac si diceretur: Ut ego, qui vires terrenorum principum meo cultui servituras aspicio. Tanto enim ea quae nunc agis, minora aestimo, quanto jam praevideo, quia et majores hujus mundi mihi potestates inclinabo. Bene autem subditur: *Et derelinques ei labores tuos?* Labores enim suos huic rhinoceroti Dominus reliquit, quia converso terreno principi eam quam sua morte mercatus est, Ecclesiam credidit: quia videlicet in ejus manu quanta sollicitudine pax fidei sit tuenda commisit. Sequitur:

CAPUT VII [*Vet. V, Rec. IV*].

VERS. 12.---*Nunquid credes ei quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget?*

9. *Pro Ecclesia leges promulgat; qui dudum contra eam saeviebat.*---Qui aliud semen, nisi verbum praedicationis accipitur? sicut in Evangelio Veritas dicit: *Exiit qui seminat, seminare (Matth. XIII, 3);* et sicut propheta ait: *Beati qui*

seminatis super omnes aquas (Isai. XXXII, 20). Quid aliud area nisi Ecclesia debet intelligi? de qua Praecursoris voce dicitur: *Et permundabit aream suam (Matth. III, 12).* Quis ergo in initio nascentis Ecclesiae crederet, dum contra eam ille indomitus principatus terrae tot minis et cruciatibus saeviret, quia rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est acceptum praedicationis verbum operibus repensaret? Quis **1000** posset tunc infirmorum credere quod ejus aream congregaret? Ecce enim modo pro Ecclesia leges promulgat, qui dudum contra eam per varia tormenta saeviebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit ad fidei illas gratiam suadendo perducit; eisque aeternam vitam indicat, quibus captis praesentem servat. Cur hoc? Quia videlicet aream nunc congregat, quam aliquando superbo cornu dispergendo ventilabat. Audiat igitur beatus Job quid gentilitatis principes faciant, et nequaquam se apud semetipsum de gloria tantae suae virtutis extollat. Audiat et rex potens, potentiores hujus mundi reges quanta Deo devotione famulentur, et virtutem suam quasi pro singularitate non trahat in elationis vitium, qui habet in aliis exemplum, quia etsi tunc ei similem Dominus non vidit, multos tamen per quos ejus gloriam retunderet praevidit.

10. *Qui terrenorum principum metu, Ecclesiam aperta vi vexare non audent, ad varia fraudis argumenta convertuntur. Sine hoste esse non potest Ecclesia.*---Igitur quia terreni principes magna se Deo humilitate substernunt, pravi homines qui dudum contra Ecclesiam in infidelitate positi aperta adversitate saeviebant, nunc ad alia fraudis argumenta vertuntur. Quia enim illos religionem venerari conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt, et bonorum vitam sub despectis vestibis iniquis moribus premunt. Mundi quippe

dilectores sunt, hocque in se quod homines venerentur ostendunt, atque eis qui vere semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim praesentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur. Qui quid sentiunt contra bonos ostenderent, si aptum nequitiae tempus invenirent. [*Vet. VI.*] Sed haec etiam argumenta pravorum ad electorum purgamenta proficiunt. Sancta enim Ecclesia transire sine labore tentationis non potest tempora peregrinationis, quae etsi foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. Nam contra vitia semper in acie est, et habet etiam pacis tempore bellum suum; et fortasse gravius affligitur cum non extraneorum ictibus, sed suorum moribus impugnatur. Sive itaque illo, seu isto tempore, est tamen semper in labore. Nam et in persecutione principum timet ne amittant boni quod sunt, et in conversione principum tolerat, quia mali simulant bonos se esse, quod non sunt. Unde omnipotens Deus, quia rhinocerotem hunc loris ligatum dixit, illico pravorum hypocrisim subdidit, dicens:

CAPUT VIII [*Rec. V*].

VERS. 13.---*Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris.*

11. *Struthioni pennas habenti, sed non volatum, similes sunt hypocritae.*---Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio vero pennae eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe elevari non valet, et alas

quasi ad volatum specie tenus erigit, sed tamen nunquam se a terra volando suspendit. Ita sunt nimirum omnes hypocritae, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctae visionis habent, sed veritatem sanctae actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum saecularium pondere praegravati, nullatenus a terra sublevantur. Speciem namque Pharisaeorum reprobans Dominus, quasi struthionis pennam **1001** redarguit, quae in opere aliud exercuit, et in colore aliud ostendit, dicens: *Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis, quae foris quidem apparent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum; ita et vos foris apparetis hominibus iusti, intus vero pleni estis avaritia et iniquitate* (**Matth. XXIII, 27**). Ac si diceret: Sublevare vos videtur species pennae, sed in infimis vos deprimit pondus vitae. De hoc pondere per Prophetam dicitur: *Filii hominum, usquequo graves corde* (**Psal. IV, 3**)? Hujus struthionis conversurum se hypocrisim Dominus pollicetur, cum per prophetam dicit: *Glorificabunt me bestiae agri, dracones et struthiones* (**Isai. XLIII, 20**). Quid enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosae mentes exprimuntur, quae per terram semper in infimis cogitationibus repunt? Quid vero per struthionum vocabulum nisi hi qui se bonos simulant designantur, qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus a dracone vel struthione asserit, quia et aperte malos, et fecte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe agri bestiae, id est dracones struthionesque Dominum glorificant, cum fidem

quae in illo est ea quae in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas exaltat. Quam et propter malitiam draconum nomine exprobrat, et propter hypocrisim vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accepit gentilitas, sed volare non potuit, quae et naturam rationis habuit, et actionem rationis ignoravit.

12. *Electi pauca habent hic quae eos deprimant, multa quae sursum tollant; secus reprobi.*---Habemus adhuc quod in consideratione struthionis hujus de accipitre et herodio attentius perpendamus. Accipitris quippe et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta, et idcirco cum celeritate transvolant, quia eis parum inest quod aggravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, et immani corpore gravatur, ut etsi volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aera non suspendat. Bene ergo in herodio et accipitre electorum persona signatur, qui quandiu in hac vita sunt, sine quantulocunque culpa contagio esse non possunt. Sed cum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonae actionis suppetit quae illos in superna sustollit. At contra hypocrita, etsi facit pauca quae elevent, perpetrat multa quae gravent. Neque enim nulla bona agit hypocrita, sed quibus ea ipsa deprimat, multa perversa committit. Paucae igitur pennae corpus struthionis non sublevant, quia parvum bonum hypocritae multitudo pravae actionis gravat. Haec quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis vero similitudinem non habet. Illorum namque conclusae et firmiores sunt, et volatu aerem premere virtute suae soliditatis possunt. At contra struthionis pennae dissolutae, eo volatum sumere nequeunt, quo ab ipso quem premere

debuerant aere transcenduntur. Quid ergo in his aspicimus nisi quod electorum virtutes solidae evolant, ut ventos humani favoris premant? Hypocritarum vero actio quamlibet recta videatur, volare non sufficit, quia videlicet fluxae virtutis pennam humanae laudis aura pertransit.

1002 [*Vet. VII.*] 13. *Veri Christiani a falsis, ex fructibus discernendi.*---Sed ecce cum unum eundemque bonorum malorumque habitum cernimus, cum ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, unde nostrae intelligentiae suppetat ut electos a reprobis, a falsis veros comprehendendo discernat? Quod tamen citius agnoscimus, si intimata in memoriam praeceptoris nostri verba signamus, qui ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (**Matth. VII, 20**). Neque enim pensanda sunt quae ostendunt in imagine, sed quae servant in actione. Unde hic postquam speciem struthionis hujus intulit, mox facta subjungit, dicens:

CAPUT IX.

VERS. 14.---*Quae derelinquit in terra ova sua.*

14. *Hypocritae quos gignunt, bonis exemplis fovere et nutrire negligunt.*---Quid enim per ova, nisi tenera adhuc proles exprimitur, quae diu fovenda est, ut ad vivum volatile perducatur? Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta, in viva volatilia convertuntur. Ita nimirum parvuli auditores ac filii certum est, quod frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita

exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua doctorum voce fovendi sunt, quousque valeant et per intelligentiam vivere, et per contemplationem volare. Quia vero hypocritae quamvis perversa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt; bene autem loquendo in fide vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire non possunt, recte de hac struthione dicitur: *Quae derelinquit in terra ova sua*. Curam namque filiorum hypocrita negligit, quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdit, in quibus quanto magis extollitur, tanto minus de prolis suae defectu cruciatur. Ova ergo in terra dereliquisse est natos per conversionem filios nequaquam a terrenis actibus interposito exhortationis nido suspendere. Ova in terra dereliquisse est nullum coelestis vitae filiis exemplum praebere. Quia enim hypocritae per charitatis viscera non calent, de torpore prolis editae, id est de ovorum suorum frigore nequaquam dolent; et quanto se libentius terrenis actibus inserunt, tanto negligentius eos quos generant agere terrena permittunt. Sed quia derelictos hypocritarum filios superna cura non deserit, nonnullos namque etiam ex talibus intima electione praescitos, largitae gratiae respectu calefacit, recte subjungitur:

CAPUT X [*Rec. VI*].

IBID.---*Tu forsitan in pulvere calefacies ea?*

15. *Pravorum et bonorum doctorum filios Dei gratia calefacit*.---Ac si dicat: Ut ego, qui illa in pulvere calefacio,

quia scilicet parvulorum animas, et in medio peccantium sitas, amoris mei igne succendo. Quid pulvis, nisi peccator accipitur? Unde et ille hostis hujus peccatoris perditione satiatur, de quo per prophetam dicitur: *Serpenti pulvis panis ejus* (Isai. LXV, 25). Quid per pulverem, nisi ipsa iniquorum instabilitas demonstratur? De qua David ait: *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae* (Psal. I, 4). Ova ergo Dominus in pulvere derelicta calefacit, quia parvulorum animas praedicatorum suorum sollicitudine destitutas, etiam in medio peccantium positas amoris sui igne succendit. Hinc est quod plerosque cernimus et in medio populorum vivere, et tamen vitam torpentis populi non tenere. Hinc est quod plerosque cernimus, et malorum turbas non fugere, et tamen superno ardore flagrare. Hinc est quod plerosque cernimus, **1003** ut ita dixerim, in frigore calere. Unde enim nonnulli in terrenorum hominum torpore positi supernae spei desiderii inardescunt, unde et inter frigida corda succensi sunt, nisi quia omnipotens Deus derelicta ova scit etiam in pulvere calefacere, et frigoris pristini insensibilitate discussa, per sensum spiritus vitalis animare, ut nequaquam jacentia in infimis torpeant; sed in viva volatilia versa sese ad coelestia contemplando, id est volando, suspendant? Notandum vero est quod in his verbis non solum hypocritarum actio perversa reprobatur, sed bonorum etiam magistrorum, si qua fortasse subreperit elatio premitur. Nam cum de se Dominus dicit quod derelicta ova in pulvere ipse calefaciat, profecto aperte indicat quia ipse operatur intrinsecus per verba doctoris, qui et sine verbis ullius hominis calefacit quos voluerit in frigore pulveris. Ac si aperte doctoribus dicat: Ut sciatis quia ego sum qui per vos loquentes operor, ecce cum voluero cordibus hominum etiam

sine vobis loquor. [*Vet. VIII.*] Humiliata igitur cogitatione doctorum, ad exprimendum hypocritam sermo convertitur, et qua fatuitate torpeat, adhuc sub struthionis facto plenius indicatur. Nam sequitur:

CAPUT XI [*Rec. VII.*].

VERS. 15.---*Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.*

16. *Pravi doctores de sua prole non sunt solliciti, secus boni.* --Quid in pede, nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro, nisi mundus iste signatur? De quo in Evangelio Dominus dicit: *Ager autem est mundus (Matth. XIII, 38)*. Quid in bestia nisi antiquus hostis exprimitur, qui hujus mundi rapinis insidians, humana quotidie morte satiatur? De qua per Prophetam, pollicente Domino, dicitur: *Et mala bestia non transibit per eam (Isai. XXXV, 9)*. Struthio itaque ova sua deserens obliviscitur quod pes conculcet ea, quia videlicet hypocritae eos quos in conversatione filios generant derelinquunt, et omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinae custodia destitutos, pravorum operum exempla pervertant. Si enim ova quae gignunt diligerent, nimirum metuerent ne quis ea, perversa opera demonstrando, calcaret. Hunc Paulus pedem infirmis discipulis, quasi ovis quae posuerat, metuebat, cum diceret: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi (Phil. III, 18)*. Et rursum: *Videte canes, videte malos operarios (Ibid., 2)*. Et

rursum: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis (II Thess. III, 6).* Hunc pedem Joannes Caio formidabat, qui cum multa Diotrephis mala praemisisset, adjunxit: *Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est (III Joan. 11).* Hunc ipse Synagogae dux infirmo suo gregi metuebat, dicens: *Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium (Deut. XVIII, 9).* Obliviscitur etiam quod bestia agri conterat, quia nimirum si diabolus in hoc mundo saeviens editos in bona conversatione filios rapiat, hypocrita omnino non curat. Hanc autem agri bestiam Paulus ovis quae posuerat metuebat dicens: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a charitate, quae est 1004 in Christo Jesu (II Cor. XI, 3).* Hanc agri bestiam discipulis metuebat Petrus, cum diceret: *Adversarius vester diabolus, quasi leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide (I Pet. V, 8).* Habent ergo veraces magistri super discipulos suos timoris viscera ex virtute charitatis: hypocritae autem tanto minus commissis sibi metuunt, quanto nec sibimetipsis quid timere debeant deprehendunt. Et quia obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debiti amoris agnoscunt. Unde adhuc sub struthionis specie subditur:

CAPUT XII.

VERS. 16.---*Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.*

17. *Hi charitate flagrant erga filios, non illi.*---Quem enim charitatis gratia non infundit, proximum suum etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit, ut profecto sunt omnes hypocritae, quorum videlicet mentes dum semper exteriora appetunt, intus insensibiles fiunt; et in cunctis quae agunt, dum sua semper expetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compassione mollescent. O quam mollia viscera gestabat Paulus, quando circa filios suos tanto aestu amoris inhiabat, dicens: *Nos vivimus, si vos statis in Domino (I Thess. III, 8).* Et, *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Jesu (Phil. I, 8).* Romanis quoque ait: *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri semper facio in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos; desidero enim videre vos (Rom. I, 9, seq.).* Timotheo quoque ait: *Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitoribus meis in conscientia pura, quia sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre (II Tim. I, 3).* Thessalonicensibus quoque amorem suum indicans, dicit: *Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horae, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio (I Thess. II, 17).* Qui duris persecutionibus pressus, et tamen de filiorum salute sollicitus, adjunxit: *Misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confortandos vos; et exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus (I Thess. III, 2).* Ephesiis

quoque ait: *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis quae est gloria vestra (Ephes. III, 13)*. Ecce in tribulatione positus alios exhortatur, et in hoc quod ipse sustinet alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat more struthionis oblitus, sed metuebat nimis ne ejus discipuli in praedicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo despicerent, contra quam innumerae passionum contumeliae praevalerent. Et idcirco minus dolebat in tormentis, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Parvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiando suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando, curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus charitatis fuerit, inter dolores proprios aliis timuisse, pensemus cujus charitatis fuerit, filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, et statum mentis in proximis etiam ex sua dejectione custodire.

1005 [*Vet. IX.*] 18. *Quia per concupiscentiam in exteriora bona feruntur. Quae apud se tota non est mens, cogitare se non potest.*---Sed haec hypocritae charitatis viscera nesciunt, quia eorum mens quanto per mundi concupiscentiam in exteriora resolvitur, tanto per inaffectionem suam interius obduratur; et torpore insensibili frigescit intrinsecus, quia amore damnabili mollescit foris; seque ipsam considerare non valet, quia cogitare se minime studet. Cogitare vero se mens non potest, quae tota apud semetipsam non est. Tota vero esse apud semetipsam non sufficit, quia per quot concupiscentias rapitur, per tot a semetipsa species dissipatur, et sparsa in infimis jacet, quae collecta, si vellet, ad summa consurgeret.

19. *Mira justorum intra se collectorum perspicacia.* ---Unde justorum mens, quia per custodiam disciplinae a cunctorum

visibilium fluxu appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur; qualisque Deo vel proximo esse debeat, plene conspicit, quia nihil suum exterius derelinquit; et quanto ab exterioribus abstracta compescitur, tanto aucta in intimis inflammatur; et quo magis ardet, eo ad deprehendenda vitia amplius lucet. Hinc est enim quod sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Unde bene per Ezechielem prophetam dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram et coelum, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli, ad provocandam aemulationem* (**Ezech. VIII, 3**). Quid est enim cincinnus capitis, nisi collectae cogitationes mentis, ut non sparsae diffluant, sed per disciplinam constrictae subsistant? Manus ergo desuper mittitur, et propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cum nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene vero inter terram et coelum sublatum se asserit, quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima derelinquit. In visione vero Dei in Jerusalem ducitur, quia videlicet unusquisque proficiens per charitatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contemplatur. Bene quoque additur. *Juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem*, quia nimirum sancti viri dum per aditum internae contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quam recta deprehendunt; et quasi in Aquilonis parte oculos, id est ad solis sinistram flectunt, quia contra vitiorum frigora charitatis se stimulis accendunt. Ubi et recte subjungitur: *Quia illic erat statutum idolum zeli ad*

provocandam aemulationem. Dum enim intra sanctam Ecclesiam a nonnullis specie sola fidelibus, rapinas et vitia perpetrari considerant, quid aliud quam in Jerusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos aemulatio superna provocatur: et tanto districtius delinquentes ferit, quanto nos charius Redemptor amat.

[*Vet. X.*] 20. *Hypocritarum ad coelestia torpor, ardor ad terrena.*---Hypocritae igitur, quia cogitationes mentis non colligunt, per cincinum capitis minime tenentur. Et qui sua nesciunt, commissorum sibi quando delicta deprehendunt? Hi itaque torpent **1006** a coelestibus, ad quae flagrare debuerant; et flagrant terrenis rebus anxie, a quibus laudabiliter torpuissent. Postposita quippe filiorum cura, saepe eos videas se contra pericula immensi laboris accingere, maria transmeare, adire judicia, pulsare principatus, palatia irrumpere, jurgantibus populorum cuneis interesse, et terrena patrimonia laboriosa observatione defendere. Quibus si fortasse dicatur: Cur ista vos agitis, qui saeculum reliquistis? respondent illico Deum se metuere, et idcirco tanto studio defendendis patrimoniis insudare. Unde bene adhuc de struthionis hujus stulto labore subjungitur:

CAPUT XIII [*Rec. VIII*].

VERS. 16.---*Frustra laboravit, nullo timore cogente.*

21. *Neglecta filiorum custodia, temporalia damna vel leviora jurgiis propulsat. Erga ea quae possidemus qua mente simus, nisi cum amittuntur, ignoramus.*---

Illic namque trepidaverunt timore, ubi non erat timor (Psal. XIII, 5). Ecce enim divina voce praecipitur: Si quis tibi tulerit tunicam, et voluerit tecum iudicio contendere, dimitte illi et pallium (Matth. V, 40). Et rursum: Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas (Luc. VI, 30). Paulus quoque apostolus discipulos suos cupiens exteriora despicere, ut valeant interna servare, admonet, dicens: Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini (I Cor. VI, 7)? Et tamen hypocrita, assumpto sanctae conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, et temporalia quaeque defendere etiam jurgiis quaerit. Exemplo suo eorum perdere corda non trepidat, et quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat. In errorem discipulus labitur, et tamen cor hypocritae nullo dolore sauciatur. Ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspicit, et haec quasi inaudita pertransit; at si quod sibi leviter inferri temporale damnum senserit, in ultionis iram repente ab intimis inardescit. Mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrenatur, quia dum animarum damna aequanimiter tolerat, jacturam vero rerum temporalium repellere etiam cum spiritus commotione festinat, cunctis veraciter indicat teste mentis perturbatione quid amat. Ibi quippe est grande studium defensionis, ubi et gravior vis amoris. Nam quanto magis terrena diligit, tanto privari eis vehementius pertimescit. Qua enim mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur, nisi cum amittimus. Sine dolore namque amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quae vero ardentius diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis autem animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui,

neglectis his quae ejus sunt, propria tuetur. Perdere namque hypocritae ea quae Dei sunt, id est animas hominum, non timent, et quae sua sunt amittere, videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto judici posituri rationes timent, ac si placatum inveniant, cui, desideratis rebus, id est rationabilibus, perditis, insensibilia et non quaesita conservant. Possidere aliquid in hoc mundo volumus, et ecce Veritas clamat: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. XIV, 33).

22. *Quo animo, cum necessitas et charitas cogunt litigandum.*---Perfectus igitur Christianus quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas non praecipitur **1007** possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfecte Deum sequimur, in hujus vitae itinere a magno onere levigati sumus. Cum vero curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt; quidam vero conservata charitate prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus, cum illis vero et nunc conditionis ordine, etsi corrigi studeant, post perceptionem muneris, unum sumus. Quis autem nesciat quia minus ea quibus utimur, et plus debemus amare quod sumus? Si ergo et pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solum nobis quae temporalia, sed ipsis etiam quae sunt aeterna vindicamus.

23. *Qua moderatione litigandum.*---Qua in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum cupiditas subrepat rerum, et zelo succensa prohibitio, impetus

immoderatione distensa, usque ad odiosae turpitudinem contentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, liquido apparet quia plus res quam proximus amatur. Si enim charitatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos pejus ipso raptore persequimur, graviusque nos quam alter poterat devastamus, quia dilectionis bonum sponte deserentes, a nobis ipsis intus est quod amittimus, qui ab illo sola exteriora perdebamur. Sed hanc hypocrita formam charitatis ignorat, quia plus terrena quam coelestia diligens, contra eum qui temporalia diripit sese in intimis immani odio inflamat.

[*Vet. XI.*] 24. *Qui discrepent ab hypocritis nonnulli acrius bona temporalia tuentes. Hi qua cautela reprehendendi.*--- Sciendum vero est quia sunt nonnulli quos charitatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritalis aetatis incrementa perducatur, qui nonnunquam et sanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exsequi non valent. Ad dona namque spiritalia minime assurgunt, et idcirco his qui sibi conjuncti sunt ad tuenda ea quae terrena sunt serviunt, et nonnunquam in defensionis ejusdem iracundia excedunt. Hos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum incurrere, quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Hoc itaque inter hos et hypocritas distat, quod isti infirmitatis suae conscii malunt a cunctis de culpa sua redargui, quam de ficta sanctitate laudari; illi vero et iniqua se agere certi sunt, et tamen apud humana judicia de nomine sanctitatis intumescunt. Isti non metuunt pravis hominibus etiam de bona actione displicere, dum supernis tantummodo judiciis placeant; illi vero nunquam quid agant, sed quomodo de actione qualibet hominibus possint placere considerant. Isti

juxta modum suae intelligentiae etiam in rebus saeculi militant caucasis Dei; illi vero per causas Dei intentioni deserviunt saeculi, quia inter ipsa quoque quae se agere sancta opera ostendunt, non conversionem **1008** quaerunt hominum, sed auras favorum.

25. Igitur dum quosdam non despectae conversationis viros iracunde vel nimie defendere terrena conspiciamus, debemus hoc in illis per charitatem reprehendere, nec tamen eos reprehendendo desperare, quia plerumque uni eidemque homini et insunt quaedam judicabilia quae apparent, et magna quae latent. In nobis autem saepe magna in facie prodeunt, et nonnunquam quae reprehendenda sunt occultantur. Hinc ergo humilianda est nostrae mentis elatio, quod et illorum infirma sunt publica, et nostra secreta; et rursum fortia illorum secreta sunt, et in publico nostra vulgantur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occultae fortitudinis aestimatione veneremur; et si de aperta se infirmitate nostra mens elevat, occulta sua infirma considerans, sese in humilitate premat. Saepe enim nonnulli multis praeceptis obsequuntur, et quaedam pauca praetereunt, et nos multa praetermittimus cum pauca servamus. Unde fit plerumque ut quia quod servare nos novimus, hoc praeterire alios videmus, illico nostra se in elatione mens elevet, obliviscens quam multa praetereat, cum valde sint pauca quae servat. Necesse est igitur ut in quibus alios reprehendimus, elationem sollicitae nostrae cogitationis inclinemus, quia si sublimiorem se caeteris noster animus conspicit, quasi in praecipitia singularitatis ductus, eo pejus ruit. Sed cur hypocrita coelestia lucra deserens terrenis elaboret, sub struthionis adhuc nomine subjungit, dicens:

CAPUT XIV [*Rec. IX*].

VERS. 17. *Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.*

26. *Deus obdurat cor, non quia duritiam confert, sed quia exigentibus peccatis, non emollit.*---Quamvis aliud sit privare, aliud non dare, hoc tamen repetiit subdendo, *Non dedit*, quod praemisit, *Privavit*. Ac si diceret: Quod dixi, *Privavit*, non injuste sapientiam abstulit, sed juste non dedit. Unde et Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod, exigentibus ejus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit. Sed nunc hypocrita (**Exod. VII, 3**), quod sanctum se simulat, quod sub imagine boni operis occultat, sanctae Ecclesiae pace premitur, et idcirco ante nostros oculos religionis visione vestitur. Si qua vero tentatio fidei erumpat, statim lupi mens rabida habitu se ovinae pellis exspoliatur; quantumque contra bonos saeviat, persequens demonstrat. Unde et recte subditur:

CAPUT XV.

VERS. 18.---*Cum tempus fuerit, in altum alas erigit; deridet equitem et ascensorem ejus.*

27. *Hypocrita non solum sanctos deridet, sed Deum ipsum.*---Quid enim alas hujus struthionis accipimus, nisi pressas hoc

tempore quasi complicatas hypocritae cogitationes? Quas cum tempus fuerit, in altum elevat? quia opportunitate comperta, eas superbiendo manifestat. Alas in altum erigere est per effrenatam superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, quia in semetipso stringit quae cogitat, quasi alas in corpore **1009** per humilitatem plicat. [*Vet. XII.*] Notandum vero est quod non ait: *Deridet equum et ascensorem*, sed *equitem et ascensorem ejus*. Equus quippe est unicuique sanctae animae corpus suum, quod videlicet novit et ab illicitis continentiae freno restringere, et rursum charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine anima sancti viri exprimitur, quae jumentum corporis bene subditum regit. Unde et Joannes apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait: *Et exercitus qui sunt in coelo, sequebantur eum in equis albis* (**Apoc. XIX, 14**). Multitudinem quippe sanctorum quae in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat: qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora et luce justitiae et castimoniae candore claruerunt. Deridet ergo hypocrita equitem, quia cum ipse in aperto iniquitatis eruperit, electorum despicit sanctitatem, et elatus fatuos appellat, quos, pace pressus fidei, callida arte simulabat. Quis vero alius hujus ascensor est equitis, nisi Omnipotens Deus, qui et ea quae non erant praevidens condidit, et ea quae sunt possidens regit? Ascendit quippe equitem, quia justus uniuscujusque viri animum possidet, sua bene membra possidentem. Huic ergo hypocritae deridere equitem est sanctos despiciere; deridere vero ascensorem equitis est prosilire usque ad injuriam creatoris.

28. *In lapsibus a minimo incipitur, et ad graviora pervenitur. Multos malos occultos Ecclesia tolerat. Cur in Ecclesia mali bonis immisti. Rhinocerotis aut unicornis nomine judaicus populus intelligendus. Rhinoceros qua arte mitigetur.*---Quia enim in unoquoque lapsu a minimis semper incipitur, et succrescentibus defectibus ad graviora pervenitur, recte hypocritae hujus iniquitas per supposita detrimenta distinguitur, ut dicatur prius bonum se quod non sit ostendere, postmodum vero bonos aperte despicere, ad extremum quoque usque ad injuriam conditoris exilire. Nunquam quippe illic anima quo ceciderit jacet, quia voluntarie semel lapsa, ad pejora pondere suae iniquitatis impellitur, ut in profundum corruens, semper adhuc profundius obruatur. Eat ergo hypocrita, et nunc suas laudes appetat; postmodum vitam proximorum premat, et quandoque se in irrisione sui conditoris exerceat, ut quo elatiora semper excogitat, eo se suppliciis atrocioribus immergat. O quam multos tales nunc sancta Ecclesia tolerat, quos cum tempus eruperit, tentatio aperta manifestat. Qui voluntates suas, quia contra eam modo non exerunt, quasi complicatas interim alas cogitationum premunt. Quia enim a bonis malisque haec vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter congregatur, sed Deo invisibiliter judicante discernitur, atque in exitu suo a reproborum societate separatur. Modo vero esse in ea nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt. Hoc enim tempore conjuncta utraque pars sibi necessario congruit, ut et mali mutantur per exempla bonorum, et boni purgentur per tentamenta malorum. Atque ideo Dominus postquam sub struthionis specie multa de hypocritarum reprobatione intulit, mox ad electorum sortem verba convertit, ut qui in illis

audierant quod fugientes tolerant, in istis audiant quod imitantes ament. Sequitur [*Rec. X*]. *Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?*

29. Sed fortasse prius quam hujus equi fortitudinem **1010** hinnitumque disseramus, ab aliquibus quaeritur ut aliter etiam moralitate postposita, et rhinocerotis virtus, et struthionis hujus fatuitas exponatur. Manna quippe est verbum Dei, et quidquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profecto in ore comedentis sapit. (**Exod. XVI**). Terra est verbum Dei, quam quanto labor inquirentis exigit, tanto largius fructum reddit. Debet ergo intellectus sacri eloquii multiplici inquisitione ventilari, quia et terra, quae saepius arando vertitur, ad frugem uberius aptatur. Quae igitur et aliter de rhinocerothe ac struthione sentimus, sub brevitate perstringimus, quia ad ea quae obligatiora sunt, enodanda properamus [*Vet. XIII*]. Rhinoceros iste, qui etiam monoceros in Graecis exemplaribus nominatur, tantae esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur; sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa investigatione sudaverunt, virgo ei puella proponitur, quae ad se venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita caput deponit, sicque ab eis a quibus capi quaeritur, repente velut inermis [*Al.*, enervus] invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem adversantium ferire perhibetur, ut cum ea quae molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. Potest ergo per hunc rhinocerotem, vel certe monocerotem, scilicet unicornem, ille populus intelligi qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter caeteras

bestias cornu singulare gestavit. Unde passionem suam Dominus, Propheta canente, pronuntians, ait: *Libera me de ore leonis, et de cornibus unicornium humilitatem meam (Psal. XXI, 22)*. Tot quippe in illa gente unicornes, vel certe rhinocerotes exstiterunt, quod contra praedicamenta veritatis de legis operibus, singulari et fatua elatione confisi sunt, Beato igitur Job sanctae Ecclesiae typum tenenti dicitur:

CAPUT XVI.

CAP. XXXIX, VERS. 9.---*Nunquid votet rhinoceros servire tibi?*

30. *Ex Judaeis ferox, Saulus a Christo domitus*.---Ac si apertius dicatur: Nunquid illum populum, quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub jure tuae praedicationis inclinas? subaudis ut ego, qui et contra me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero protinus subdo. Sed hoc melius ostendimus, si de genere ad speciem transeamus. Ille ergo ex hoc populo et prius in superbia, et postmodum praecipuus testis in humilitate nobis ad medium Paulus ducatur, qui dum contra Deum se quasi de custodia legis nesciens extulit, cornu in nare gestavit. Unde et hoc ipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans, dicit: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci (I Tim. I, 13)*. In nare cornu gestabat, qui placitum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: *Et proficiebam in*

Judaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum (Galat. I, 14). Hujus autem rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit, quia Saulis saevitiam unusquisque praedicator expavit. Scriptum namque est: *Saulus adhuc spirans minarum 1011 et coedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viae viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem (Act. IX, 1).* Cum flatus nare reddendus trahitur, spiratio vocatur, et illud saepe per odorem nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rhinoceros ergo iste nare gestabat cornu quo percuteret, quia minarum et caedis in Domini discipulos spirans, postquam praesentes interfecerat, absentes quaerebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, id est omnis homo rationale sapiens opinione timoris ejus effugatur. Ut ergo hunc rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, id est secretum suum ipsa per se inviolata in carne Dei sapientia expandat. Scriptum quippe est quod cum Damascum pergeret; subito circumfulsit illum die media lux de coelo, et vox facta est, dicens: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui prostratus in terra respondit: Quis es, Domine? Cui illico dicitur: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris (Act. IX, 4, 5, seq.). Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei sapientia incarnationis suae mysterium de coelo loquendo patefecit; et fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat amisit. Qui dum, sublato oculorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet jam rhinoceros iste, quibus Dei loris astringitur, quia videlicet uno in tempore caecitate, praedicatione, baptismo

ligatur. Qui etiam ad Dei praesaepe moratus est, quia ruminare verba Evangelii dedignatus non est. Ait enim: *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium* (**Galat. II, 1, 2**). Et qui prius jejunos audierat: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (**Act. IX, 9, 5**): mira postmodum virtute praesidentis pressus, ex verbi pabulo vires obtinuit, et calcem superbiae amisit.

31. *Iste rhinoceros ad agrum dominicum arandum ligatus---* Loris quoque Dei non tantum a feritate restringitur, sed quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur, ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectioni serviens, aratrum praedicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus quasi de arantibus dicit: *Debet enim in spe qui arat arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi* (**I Cor. IX, 10**). Qui igitur tormenta prius fidelibus irrogaverat, et pro fide postmodum flagella libenter portat, qui scriptis etiam epistolis humilis ac despectus praedicat, quod dudum terribilis impugnabat; profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui vivebat in campo male liber a timore. De quo recte dicitur:

CAPUT XVII [*Vet. XIV*].

VERS. 10.---*Aut confringet glebas vallium post te?*

32. *Glebas hoc est mentium duritiam fregit.*---Jam scilicet Dominus quorundam mentes intraverat, qui illum veraciter humani generis redemptorem credebant. Qui tamen cum

nequaquam a pristina observatione recederent, cum dura litterae praedicamenta custodirent, eis praedicator egregius dicit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (**Gal. V, 2**). Qui ergo in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contrivit, quid aliud quam in valle post Dominum glebas fregit? ne videlicet grana seminum quae excisus aratro fidei sulcus cordis exciperet per custodiam litterae **1012** pressa deperirent. De quo bene adhuc subditur:

CAPUT XVIII.

VERS. 11. *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos?*

33. *In ejus fortitudine quam Deus fiduciam habuerit.*---In rhinocerotis hujus fortitudine fiduciam Deus habuit, quia quanto illum crudelius sibi dura inferentem pertulit, tanto pro se constantius tolerantem adversa praescivit. Cui labores etiam quos ipse in carne pertulerat dereliquit, quia conversum illum usque ad imitationem propriae passionis traxit. Unde et per eundem rhinocerotem dicitur: *Suppleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea* (**Coloss. I, 24**). De quo adhuc subditur:

CAPUT XIX.

VERS. 12.---*Nunquid credes illi quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget?*

34. *Arcam Dei prius ventilavit, postea congregavit.*--- Consideremus Saulum quis fuerit, cum ab ipsa adolescentia lapidantium adjutor existeret, cum alia Ecclesiae loca vastaret, et acceptis epistolis vastanda alia peteret, cum mors ei fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis extinctis anhelaret (**Act. VII**); et profecto cognoscimus quia nullus tunc fidelium crederet, quod ad jugum Deus suae formidinis vim tantae elationis inclinaret. Unde et Ananias voce dominica hunc et postquam conversum audivit, extimuit, dicens: *Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala sanctis tuis fecerit in Jerusalem* (**Act. IX, 13**). Qui tamen repente commutatus, ab hoste praedicator efficitur, et in cunctis mundi partibus Redemptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tolerat, pati se quae irrogaverat exsultat; alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat. Istis regnum pollicetur coelestis patriae, illis minatur ignem gehennae. Hos per auctoritatem corrigit, illos ad viam rectitudinis per humilitatem trahit, atque in omni latere ad manum se sui rectoris inclinatur, et tanta arte Dei aream congregat, quanta illam prius elatione ventilabat.

[*Vet. XV*] 35. *Paulus abstinentia corpus castigans, ventri deditos ferit.*---Sed neque hoc abhorret a Paulo, quod rhinoceros buxei coloris dicitur, et elephantorum ventres cornu ferire perhibetur. Quia enim vivere sub rigore legis assuevit, arctius caeteris in illo custodia uniuscujusque virtutis inolevit. Quid enim per colorem buxeum, nisi abstinentiae pallor exprimitur? Cui ipse se tenaciter adhaerere testatur, dicens: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne*

forte aliis praedicans ipse reprobus efficiar (I Cor. IX, 27). Qui divinae legis eruditione praeditus, dum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantes in ventrem ferit. In ventrem quippe elephantes percusserat, cum dicebat: *Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis; nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum (Philip. III, 18).* Et rursum: *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri (Rom. XVI, 18).* Cornu suo igitur rhinoceros iste non jam homines, sed bestias percutit, quando illa Paulus doctrinae suae fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit. Quae ergo in Paulo scripta cognovimus, superest ut facta et in aliis credamus. Multi quippe ad humilitatis gratiam ex illius populi elatione conversi sunt, quorum saevitiam Dominus dum sub jugo inspirati timoris edomuit, nimirum rhinocerotis sibi fortitudinem subegit. Sed quia mira Dei **1013** potentia quid de electis egerit audivimus, nunc mira ejus patientia in his quos reprobat quid toleraverit audiamus:

CAPUT XX.

VERS. 13.---*Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris.*

36. *Synagoga struthioni similis, alas habens humi repit.*--- Quid struthionis nomine, nisi synagoga signatur? quae alas Legis habuit, sed corde in infimis repens, nunquam se a terra sublevavit. Quid vero per herodium et accipitrem, nisi antiqui

patres exprimuntur, qui ad ea quae potuerunt intelligendo perspicere, valuerunt etiam vivendo pervolare? Penna igitur struthionis, herodii et accipitris pennis est similis, quia Synagogae vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescivit. Unde et ejusdem Synagogae populos de Pharisaeis atque Scribis Veritas admonet, dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere* (**Matth. XXIII, 2**). Multa autem dicere de herodii vita potuimus; sed quia penna ejus tantummodo ad memoriam deducitur, de vita loqui prohibemur.

CAPUT XXI [*Vet. XVI*].

VERS. 14.--- *Quando derelinquit in terra ova sua, tu forsitan in pulvere calefacies ea?*

37. *Quos genuit apostolos dereliquit, Christi gratia postea vivificatos*.---In ovis aliud est quod cernitur, aliud quod speratur; et videri spes non potest, Paulo attestante qui ait: *Quod enim videt quis, quid sperat* (**Rom. VIII, 24**)? Quid ergo per struthionis ova nisi de Synagogae carne editi apostoli designantur, qui dum se in mundo despectos atque humiles exhibent, sperare gloriam in supernis docent? Abjecti namque et quasi nullius momenti apud elatos habiti, in terra velut ova jacuerunt; sed intus in eis latebat unde viverent, et sublevati spei pennis ad coelestia volarent. Quae ova struthio in terra derelinquit, quia eos quos carne genuerat Synagoga

apostolos audire contemnens, vocandae gentilitati deseruit. Mira autem potentia Dominus haec eadem in pulvere ova calefacit, quia vivos apostolorum fetus in illa abjecta dudum gentilitate suscitavit; et quos synagoga velut insensatos invivificatosque despexerat, ipsi nunc in veneratione gentium per doctrinae magisterium viventes volant. Ova sua struthio in pulvere derelinquit, quia omnes quos praedicando Synagoga genuit, a terrenis desideriis minime suspendit. Quae nimirum desideria quia antiquus hostis concepta in corde invenit, obsessas mentes etiam in scelera rapit. Unde et subditur:

CAPUT XXII.

VERS. 15.---*Obliviscitur quod pes conculcet ea, et bestia agri conterat.*

38. *Humana corda, dum terrena cogitant et appetunt, diabolo conterenda se sternunt.*---Tunc ova pes calcat, et bestia agri conterit, cum in terra deseruntur, quia videlicet humana corda dum semper terrena cogitare, semper quae ima sunt agere appetunt, ad conterendum se agri bestiae, id est diabolo, sternunt. ut cum diu in infima cogitatione abjecta sunt, quandoque etiam majorum criminum perpetratione frangantur. Synagoga ergo ova quae genuit, a terra suspendere bene vivendo neglexit. Sed omnipotens Deus multos ejus filios, quamvis in terrenis desideriis mortuos ac frigidos reperit, calore tamen sui amoris animavit. Sed vitam, quam filiis synagoga non dedit, **1014** hanc postmodum invidit, dum

moliretur persequendo exstinguere quos se ad bona opera non meminerat fovendo genuisse. Unde et apte de hoc struthione subditur:

VERS. 16.---*Duratur ad filios suos quasi non sint sui.*

39. *Synagogae in filios crudelitas.*---Quasi non suos despicit quos aliter vivere quam docuit ipsa deprehendit, et durescente saevitia terrores admovet, seque in eorum cruciatibus exercet, atque invidiae facibus inflammata, in quibus non laboravit ut possint vivere, laborat ut debeant interire; et cum Domini membra persequitur, placere se per hoc Domino suspicatur. Unde et eisdem struthionis ovis Veritas dicit: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo (Joan. XVI, 2).* Quia ergo dum crudelitate ad persequendum Synagoga ducitur, hoc se agere impulsu divini timoris arbitratur, recte subjungitur:

IBID.---*Frustra laboravit, nullo timore cogente.*

40. *Sic saeviens obsequium praestare Deo credit.*---In labore quippe illam persecutionis anhelare non timor, sed crudelitas coegit. Sed quia plerumque vitia, colore virtutum tincta, tanto nequiora sunt, quanto et esse vitia minime cognoscuntur, eo in persecutione synagoga durior exstitit, quo religiosiorem se fieri fidelium mortibus aestimavit; et idcirco quae ageret discernere omnino non potuit, quia lumen sibi intelligentiae per superbiae objectionem clausit. Unde et bene subditur:

VERS. 17.---*Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.*

41. *Intelligentiae lumen per superbiam amisit.* Districtum quippe est occultae retributionis examen, et quia sciens humilitatem perdidit, etiam veritatis intelligentiam nesciens amisit. Valde autem minora sunt vulnera quae in Redemptoris adventu fidelibus intulit, quam ea quibus sanctam Ecclesiam adhuc per adventum Antichristi ferire contendit. Ad illud namque se tempus praeparat, ut vitam fidelium coacervatis viribus premat. Unde et apte subditur:

CAPUT XXIII [*Vet. XVII*].

VERS. 18.---*Cum tempus fuerit, in altum alas erigit; deridet equitem et ascensorem ejus.*

42. *Synagoga prius contra Deum clam, postea palam erecta.* --In altum struthio alas erigit, quando suo conditori Synagoga non ut antea formidando, sed aperte jam repugnando contradicit. In membra quippe diaboli transiens, et mendacii hominem Deum credens, contra fideles tanto in altum extollitur, quanto et Dei corpus se esse gloriatur. Quae quia non solum humanitatem Domini, sed ipsam etiam divinitatem despicit, non tantum equitem, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam custodita unitate personae valet intelligi, quia Verbum Dei tunc equitem ascendit, quando animatam carnem sibi intra uterum Virginis condidit. Tunc equitem ascendit, quando humanam animam propriae carni praesidentem, divino cultui semetipsum creando subjugavit. Carnem quippe divinitas anima mediante suscepit, et per hoc totum simul equitem tenuit, quia in semetipso non solum illam quae

regebatur, sed hanc etiam quae regebat astrinxit. Judaea igitur, per adventum superbientis Antichristi laqueo seductionis capta, quia Redemptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit, **1015** deridet equitem, quia vero ejus in omnibus divinitati contradicit, deridet nihilominus et ascensorem. Sed Redemptor noster unus idemque et eques, et equitis est ascensor; et cum in mundum venit, fortes contra mundum praedicatores exhibuit; et cum in mundi termino Antichristi fallaciam tolerat, virtutem pro se certantibus subministrat; ut cum antiquus hostis in illa sua citius finienda libertate laxatur, fideles nostri tanto majores vires accipiant, quanto contra adversarium solutum pugnant. Unde hic cum struthio alas elevare, ascensorem et equitem deridere describitur, illico fortium praedicatorum memoria subrogatur, et dicitur:

CAPUT XXIV [*Vet XVIII*].

VERS. 19.---*Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?*

43. *Equi nomine multa in Scriptura sacra significantur: lubrici; dignitas temporalis; praesens saeculum, cujus extrema premit coluber Antichristus. Praeparatio rectae intentionis; sancti praedicatores.*---In Scriptura sacra equi nomine aliquando lubrica vita pravorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipsum praesens saeculum,

aliquando praeparatio rectae intentionis, aliquando sanctus praedicator exprimitur.

Equi enim nomine lubrica pravorum vita signatur, sicut scriptum est: *Nolite fieri sicut equus et mulus* (**Psal. XXXI, 9**). Et sicut per prophetam alium dicitur: *Equi amatores, et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (**Jerem. V, 8**).

Equi nomine dignitas temporalis accipitur, Salomone attestante, qui ait: *Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram* (**Eccle. X, 7**). Omnis quippe qui peccat servus est peccati, et servi in equis sunt cum peccatores praesentis vitae dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* (**Psal. LXXV, 7**); id est, in morte animae mentis oculos a veritatis luce clauserunt, qui in praesentis vitae honore confisi sunt.

Equi nomine hoc ipsum praesens saeculum designatur, sicut Jacob voce dicitur: *Fiat Dan coluber in via cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (**Genes. XLIX, 17**). Quo in testimonio quid equus significet melius ostendimus, si et ea quae circumstant paulo subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan et coluber asseritur et mordens. Unde et non immerito dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castrametatus est (**Num. II, 25**); illum scilicet signans, qui in corde suo dixerat: *Sedebo in monte testamenti,*

in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isai. XIV, 13). De quo et per prophetam dicitur: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus (Jerem. VIII, 16).* Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur. Κέρατα enim Graece *cornua* Latine dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur, quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferae praedicationis armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiores esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in praesentis vitae latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur; **1016** sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese ad praecepti coelestis angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidae persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, et in persecutionis angore, post beneficia fictae dulcedinis, exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema saeculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro (Genes. XLIX, 17).* Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, et non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur (**Act. IX, 4**). In faciem enim cadere est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easque poenitendo deflere. Retro vero quo non videtur, cadere, est ex hac vita repente decedere, et ad quae supplicia ducatur ignorare. Et quia Judaea erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce

conversus est, dicens: *Salutare tuum expectabo, Domine* (**Genes. XLIX, 18**); id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum.

Equi nomine praeparatio rectae intentionis accipitur, sicut scriptum est: *Equus paratur in diem belli, sed Dominus salutem tribuit* (**Prov. XXI, 31**), quia contra tentationem quidem se animus praeparat, sed nisi adjuvetur, salubriter non decertat.

Equi nomine sanctus quisque praedicator accipitur, propheta attestante, qui ait: *Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas* (**Habac. III, 15**). Quietae quippe aquae jacuerunt, quia humanae mentes diu vitiorum suorum torpore sopitae sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis praedicatoribus, omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit. Hoc itaque loco equi nomine sanctus praedicator accipitur, cum beato Job dicitur: [*Vet. XIX, Rec. XI.*] *Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?*

44. *Praedicator tanquam equus habeat a Deo fortitudinem, ut recte agat; et hinnitum, ut optime doceat.* ---Sed quid est quod huic equo Dominus se prius dare fortitudinem, et postmodum collo ejus hinnitum circumdare asserit? Hinnitu enim vox praedicationis exprimitur. Verus autem quisque praedicator ante fortitudinem, et postmodum hinnitum accipit, quia cum in se prius vitia exstinxerit, tunc pro erundiendis aliis ad vocem praedicationis venit. Equus iste habet fortitudinem, quia adversa constanter tolerat. Habet hinnitum, quia ad superna blandiens vocat. Huic equo Dominus et fortitudinem

et hinnitum se dare testatur, quia in praedicatore ejus nisi et vita et sermo convenerint, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Non enim multum prodest si sublimis vitae operatione suffultus sit, si tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare quod sentit. Vel quid prodest bene loquendo alios accendere, si semetipsum indicat male vivendo torpuisse? Quia ergo in praedicatore necesse est ut ad perfectionem **1017** utraque conveniant, equo suo Dominus et cum actionis fortitudine hinnitum vocis et cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Et notandum cur hinnitus, qui interius nimirum per guttur ducitur, equi collo circumdari, id est quasi per gyrum trahi exterius, dicatur, quia videlicet praedicationis vox de internis emanat, sed extra circumdat. Nam quo alios ad bene vivendum suscitatur, eo ad bene agendum et opera praedicantis ligatur, ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus circumducitur, quia ne ad perversa opera prodeat, suis vocibus etiam vita praedicantis obsidetur. Hinc est enim quod potenter dimicantibus in munere torques datur, ut quia signa virtutum gestant, majora semper exerceant, et debilitatis crimen incurrere metuant, dum in semetipsis jam fortitudinis est praemium, quod ostentant. Unde recte in laude sapientiae auditori cuilibet per Salomonem dicitur: *Coronam gratiarum accipies capiti tuo, et torquem auream collo tuo (Prov. I, 9)*. Sequitur:

CAPUT XXV [*Rec. XII*].

VERS. 20.---*Nunquid suscitabis eum quasi locustas?*

45. *Per locustas quae debeant intelligi. Judaicus populus. Saltus quosdam dedit, et in terram statim cecidit.*--- Locustarum nomine aliquando Judaicus populus, aliquando conversa gentilitas, aliquando adulantium lingua, aliquando vero per comparisonem resurrectio dominica, vel praedicatorum vita signatur.

Quia enim Judaeorum populum locustae expriment, vita Joannis signat, de quo scriptum est: *Locustas et mel silvestre edebat (Matth. III, 4)*. Joannes quippe eum quem prophetiae auctoritate pronuntiat, etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum, quem praevenit. Qui nimirum in redemptionem nostram veniens, quia infructuosae gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel silvestre edit. Quia vero Judaeorum plebem in suo corpore ex parte convertit, in cibo locustas accepit. Ipsos namque locustae significant subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant cum praecepta Domini se implere promitterent; sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera haec se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locustarum saltum: *Omnia verba quae locutus est Dominus, et faciemus et audiemus (Exod. XXIV, 3)*. Videamus autem quomodo citius ad terram ruunt: *Utinam mortui essemus in Aegypto, et non in hac vasta solitudine. Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam (Num. XIV, 3)*. Locustae ergo erant, quia habebant saltum per vocem, et casum per actionem.

[Vet. XX.] 46. *Gentiles locustis significati, et adulantium linguae quae bonorum operum fructus devastant.*--- Locustarum quoque nomine gentilitas designatur, Salomone attestante, qui ait: *Florebit amygdalus, impinguabitur*

locusta, dissipabitur capparitis (Eccle. XII, 5). Amygdalus quippe florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore amygdali nisi sanctae Ecclesiae primordia designantur? quae in praedicatoribus suis primitivos virtutum flores aperuit, et ad inferenda poma bonorum operum, venturos sanctos, quasi arbusta sequentia praevenit. In qua mox locusta impinguata est, quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiae coelestis infusa. Capparitis dissipatur, quia cum gratiam fidei vocata gentilitas attigit, Iudaea, in sua sterilitate remanens, bene vivendi ordinem amisit. Hinc rursum per eundem Salomonem dicitur: *Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas* (Prov. XXX, 27), quia videlicet derelicta gentilitas aliena dudum a divino regimine exstitit, sed tamen ordinata postmodum contra adversantes spiritus ad fidei bellum processit.

47. Locustae vocabulo lingua adulantis exprimitur: quod exhibitae coelitus Aegyptiae plagae testantur, quae exigentibus meritis corporaliter semel illatae sunt; sed quae mala pravas mentes quotidie feriant, spiritualiter signaverunt. Scriptum namque est: *Ventus urens levabat locustas, quae ascenderunt super universam terram Aegypti, operueruntque universam faciem terrae, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terrae, et quidquid pomorum in arboribus fuit* (Exod. X, 13, 14). His enim Aegyptus plagis affecta est, in quibus, exteriori percussione commota, dolensque, perpenderet quae devastationis damna interius negligens toleraret, ut dum foris perire minima, sed amplius dilecta cerneret, per eorum speciem quae intus pertulerat graviora sentiret. Quid autem per significationem locustae portendunt, quae plus quam caetera minima quaeque animantia humanis frugibus

nocent, nisi linguas adulantium, quae terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, haec immoderatus laudando corrumpunt? Fructus quippe Aegyptiorum est operatio cenodoxorum; quam locustae exterminant, dum adulantes linguae ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam vero locustae comedunt, quando adultores quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorundam jam quasi fortium et opera enervant.

48. *Locusta significat etiam Christi resurrectionem, et praedicatores, qui modo ad contemplativam vitam saliant, modo resiliunt.*---Locustae nomine per comparisonem Redemptoris nostri resurrectio designatur. [*Vet. XXI.*] Unde et voce ejus per Prophetam dicitur: *Excussus sum sicut locusta* (**Psal. CVIII, 23**). Teneri enim se a persecutoribus usque ad mortem pertulit; sed sicut locusta excussus est, quia ab eorum manibus saltu subitae resurrectionis evolavit.

49. Quod referri quoque ad praedicatorum numerum potest. In ipsis quippe sicut locusta excussus est, quia Judaea in sua persecutione saeviente, dum per diversa fugiunt, quasi quosdam recessionis suae saltus dederunt. Quia vero ille praedicator ad perfectionis culmen erigitur, qui non activa solummodo, sed etiam contemplativa vita solidatur, recte ipsa praedicatorum perfectio locustis exprimitur, quae quoties se in aera attollere conantur, primum se cruribus impellentes sublevant, et postmodum alis volant. Ita nimirum sunt sancti viri, qui dum superna appetunt, primum quidem activae vitae bonis operibus innituntur, et tunc demum se ad sublimia per contemplationis saltum volando suspendunt. Crura figunt, et

alas exerunt, quia recte agendo se stabiliunt, et ad alta vivendo sublevantur. Qui in hac vita positi, diu in divina contemplatione manere non possunt, sed, quasi locustarum more, a saltu quem dederant in pedibus suis se excipiunt, dum post contemplationum sublimia ad necessaria activae vitae opera revertuntur, nec tamen in eadem vita activa remanere contenti sunt. Sed dum ad contemplationem desideranter exsiliunt, quasi rursus aera volantes **1019** petunt; vitamque suam quasi locustae ascendentes descendentesque peragunt, dum sine cessatione semper et summa videre ambiunt, et ad semetipsos naturae corruptibilis pondere revolvuntur.

50. *In pace Ecclesiae humiles, in persecutione fortes et erecti.*---Est adhuc aliud quod locustae simile sanctis praedicatoribus gerunt. Matutinis namque horis, id est teporis tempore vix a terra se sublevant; cum vero aestus exarserit, tanto altius, quanto alacrius volant. Sanctus autem quisque praedicator dum quieta fidei tempora conspicit, humilis ac despectus aspicitur, et locustae more quasi vix a terra sublevatur. Si autem persecutionis ardor incaleat, corde coelestibus inhaerens, mox quantae sit sublimitatis ostendit; et pulsatus alis in altum rapitur, qui quietus in imis torpuisse videbatur. De hoc ergo equo, id est praedicatore suo, beato Job Dominus dicit: *Nunquid suscitabis eum quasi locustas?* Subaudis ut ego, qui eo illum ad altiora excitando sublevo, quo graviore persecutionis aestu excruciarī permitto, ut tunc in illo robustior virtus evigilet, cum se ei ardentior infidelium crudelitas illidit.

Sed cum multa exterius sanctus praedicator patitur, cum dira persequentium vexatione cruciatur, quis intueri valet quid est quod intus conspicit, qui tot sua exterius damna non sentit?

Nisi enim essent mira quae salubriter intus pascere, ea procul dubio quae admoventur exterius usque ad cor tormenta pervenirent. Sed in arce spei se animus sublevari, et idcirco objectae obsidionis jacula minime formidat. Unde et hoc loco Dominus, ut ostendat equus iste quam suavia jam de internis odoretur, cum tot adversa in exterioribus patitur, recte subjungit:

CAPUT XXVI.

IBID.---*Gloria narium ejus terror.*

51. *Cum tot exterius adversa patiuntur, mira interius de aeterna beatitudine odorantur.*---In Scriptura sacra vocabulo narium aliquando fatuitas, aliquando antiqui hostis instigatio, aliquando vero praescientia solet intelligi. Naribus namque fatuitas designatur, sicut jam superius Salomone attestante docuimus qui ait: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua* (**Prov. XI, 22**). Narium nomine exhalantes insidiae atque instigatio antiqui hostis accipitur, quod in hoc eodem libro de illo Dominus attestatur, dicens: *De naribus ejus procedit fumus* (**Job. XLI, 11**). Ac si dicat: De perversa instigatione illius in humanis cordibus caligo nequissimae cogitationis surgit, per quam videntium oculi tenebescunt. Naribus quoque praescientia designatur, sicut per prophetam dicitur: *Quiescite ab homine, cujus spiritus est in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse* (**Isai. II, 22**). Saepe enim id quod non videmus odore comprehendimus, ita ut nonnullae res etiam cum longe jaceant fragrantia nobis suae qualitatis

innotescant, dumque per nares spiritum ducimus, plerumque aliqua et invisa praescimus. Redemptoris ergo nostri spiritus esse in ejus naribus dicitur, ut videlicet scientia illius esse in praescientia designetur, quia quaecunque se scire in natura humanitatis innotuit, haec nimirum ante saecula ex divinitate praescivit. Qui unde spiritum in naribus **1020** habuerit, mox per prophetam subjunxit, dicens: *Quia excelsus reputatus est ipse (Isai. II, 22)*. Ac si diceret: In inferioribus ventura desuper praescivit, quia ad ima de coelestibus venit. Sancti etiam viri, quia ab illo audita crediderunt, ipsi quoque jam ventura praesciunt; dumque ejus fideliter praeceptis inserviunt, adventum illius spe certa praestolantur. Unde et hoc loco equi hujus naribus, praedicatoris sancti praescientia ac praestolatio designatur. Dum enim venire extremum judicium, ostendi coelestem patriam, persolvi justis praemia appetit, quasi per nares spiritum de futuris trahit.

52. *Unde gloriatur justus, terretur peccator.*---Sed gloria narium ejus terror est, quia visionem districti judicis, quam justus vehementer exspectat, injustus venire formidat. Iste namque labores suos considerans, mercedem retributionis quaerit; et causae suae meritum sciens, praesentiam judicis expetit, eumque ut veniat in flamma ignis, dans vindictam impiis, et contemplationis suae speciem in retributionem deferens piis, summo ardore concupiscit. Ille vero qui injustitiae suae meminit, venire in judicium perhorrescit, actusque suos examinari metuit, quia damnari se, si examinentur, novit. Gloria ergo narium ejus terror est, quia justus inde gloriatur, unde peccator addicitur. Videamus equum quomodo de his quae adhuc non videt jam per nares spiritum trahit, videamus quanta gloria attollitur cum jam

ventura praestolatur. Ecce labores suos intuens praedicator egregius dicit: *Ego jam delibor, et tempus meae resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiae quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (II Tim. IV, 6, 7, 8).* Ubi et apte subjungit: *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus (Ibid., 8).* Ac si dicat: Sed et omnibus qui sibi de bona operatione sunt conscii. Adventum enim judicis non diligunt, nisi qui in causa sua se habere justitiae meritum sciunt. Quia igitur unde gloriatur justus, inde terretur injustus, dicatur recte *Gloria narium ejus terror.* Sed sanctus iste praedicator, dum venturam gloriam praestolatur, dum venire ante faciem judicis nititur, dumque a laboris sui adhuc mercede differtur, in hac vita interim positus quid agat audiamus. Sequitur:

CAPUT XXVII [*Rec. XIII*].

VERS. 21.---*Terram ungula fodit.*

53. *Praedicatoris officium est, in auditoribus et in scripto terrenas cogitationes effodere.*---Solet in equi ungula laboris fortitudo cognosci. Quid ergo per ungulam nisi in praedicatore sancto virtutum perfectio designatur? Qua videlicet ungula terram fodit, cum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes ejicit. Ungula terram fodit, quia auditorum corda a saecularibus curis evacuat, cum doctor bonus contemni saeculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audientium qua ostensae virtutis ungula fodiat.

Ipsa namque discipulis dicit: *Haec cogitate, quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite, et Deus pacis erit vobiscum* (**Philip. IV, 8, 9, 10**). Et rursum: *Imitatores mei estote, fratres, sicut et ego Christi* (**Ibid., III, 17**). Qui igitur exemplo sui operis alios corrigit, nimirum ungula **1021** terram fodit. [*Vet. XXII.*] Habemus aliud quod adhuc subtilius de hujus ungulae effossione tractemus. Sancti enim viri quamvis intento mentis oculo in superna evigilent, quamvis cuncta quae in ima praeterfluunt pede rigidi contemptus calcent; ex corruptione tamen terrenae carnis, cui adhuc illigati sunt, plerumque cogitationum pulverem in corde patiuntur. Cumque foris aliis ad appetenda coelestia persuadent, semetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutunt, ne qua immorante in se diu infima cogitatione polluantur. Equus ergo iste ungula terram fodit cum praedicator quisque inquisitione forti terrenas in se cogitationes discutit. Equus ungula terram fodit quando is cui jam Dominus praesidet quae sibi moles congeritur ex vetusta cogitatione considerat, seque ab illa flendo evacuare non cessat. Unde bene et Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur (**Genes. XXVI**). Quo videlicet exemplo discimus ut in hac peregrinationis aerumna positi, cogitationumstrarum profunda penetremus; et quousque nobis verae intelligentiae aqua respondeat, nequaquam nostrae inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos allophyli insidiantes replent (**Ibid.**), quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Unde semper meus evacuanda est, incessanterque fodienda: ne si indiscussa relinquitur, usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra

cumuletur. Hinc ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode parietem* (**Ezech. VIII, 8**); id est, cordis duritiam crebris perscrutationum ictibus rumpe. Hinc ad Isaiam Dominus dicit: *Ingredere in petram, abscondere fossa humo, a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus* (**Isai. II, 10**). Petram quippe ingredimur, cum cordis nostri duritiam penetramus; atque a facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes ab ira districti judicis in humilitate nostrae mentis celamur. Quo enim plus terra fodiendo projicitur, eo pavementum semper inferius demonstratur. Unde et nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nosmetipsos abscondamur, humilior invenimus.

54. *De imminente judicii die S. Gregorii sententia.* ---Ecce enim quia divini judicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet; tantoque magis necesse est ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum? Quo enim quis latere potest eum qui ubique est? Sed ecce petram ingredi, fossa humo occultari praecipimur, ut videlicet cordis nostri duritiam dirumpentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore rerum visibilium apud nosmetipsos in corde subtrahimur, ut cum pravae cogitationis terra ejicitur, mens apud semetipsam tanto tutius quanto et humilior abscondatur (**Deut. XXIII, 12**). Hinc Israelitico populo per Moysen a Domino jubetur, ut cum egreditur ad requisita naturae, mittat paxillum in balteo, et fossa humo abscondat quae egesta fuerint. Naturae enim corruptibilis pondere gravati, a mentis nostrae utero quaedam cogitationum superflua quasi ventris gravamina erumpunt. Sed portare

paxillum sub balteo debemus, ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, **1022** acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostrae poenitentiae dolore confodiat, et hoc quod a nobis fetidum erumpit abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostrae superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos, per compunctionis suae stimulum celatur. Quia igitur sancti viri quaecunque inutilia cogitant reprehendere ac dijudicare non cessant, de equo suo Dominus dicat: *Terram ungula fodit*, id est quidquid in mente sua terrenum versari conspicit, hoc nimirum superductae poenitentiae duris percussionibus rumpit. Cum vero se interius districta subtilitate dijudicant, jam nihil est quod exterius pertimescant. Tanto enim minus ad mala praesentia trepidant, quanto semetipsos plenius bonis venturis parant. Unde et subditur:

CAPUT XXVIII [*Vet. XXIII, Rec. XIV*].

Ibid.---*Exsultat audacter, in occursum pergit armatis.*

55. *Sanctum virum nec adversa dejiciunt, nec prospera corrumpunt. Apostolorum inter flagella exsultatio, in primis Pauli. Haeretici potestatum saecularium patrocinium ambiunt. Infractae virtutis est rerum terrenarum contemptus.*---*Exsultat audacter, quia sic adversis non frangitur, sicut nec prosperis elevatur. Adversa namque non dejiciunt, quem prospera nulla corrumpunt. Equus itaque iste et fortis et sub freno est. Ne ergo prematur adversis, habet vim fortitudinis;*

ne elevetur prosperis, habet pondus desuper insidentis. Decurrunt quippe tempora, sed idcirco justum trahere non valent, quia levare non possunt. Illos nimirum trahunt, quos levant; irata dejiciunt, quos blanda sustollunt. Vir autem bene Deo subditus scit inter transeuntia stare, scit inter lapsus decurrentium temporum mentis gressum figere, scit nec ad subjecta se erigere, nec ad objecta trepidare. Plerumque autem quia exerceri se utilius contritionis suae laboribus novit, in adversis hilaescit, quae dum constanter pro veritate patitur, augeri sibi virtutis meritum laetatur. Hinc est quod tunc apostolos exsultasse legimus, cum pro Christo illos contigit flagella tolerasse, sicut scriptum est: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (**Act. V, 41**). Hinc Paulus cum duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quod se afflictum insinuat, etiam jucundatum demonstrat, dicens: *Nam cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra* (**II Cor. VII, 5**). Ac si aperte diceret quia spiritus requiem habuit dum per profectum animae persecutionum supplicia caro toleravit. Contra hunc itaque equum ab adversariis sanctae Ecclesiae parantur gladii de dolore poenarum, parantur arma de patrociniis saecularium potestatum. Solent namque haeretici potentum mundi defensionibus, quasi quibusdam armis, se tegere; solent omnes infideles praedicationem fidei excitatis etiam saeculi potestatibus impugnare. Sed equus Dei exsultat audacter, et exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem quaerit, potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsius quoque vitae praesentis desiderium per mentis excessum calcat. Hinc per Salomonem dicitur: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit* (**Prov. XII,**

21). Hinc in eo rursum scriptum est: *Justus quasi leo confidens absque terrore erit* (**Prov. XXVIII, 1**). In occurso bestiarum idcirco leo non trepidat, quia praevalere se omnibus non ignorat. Unde justus viri securitas recte leoni comparatur, quia contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suae confidentiam redit; **1023** et scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitatus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora, quae et nolenti subtrahuntur, appetit sua se sponte extraneo timori substernit. Infracta autem virtus est concupiscentiae terrenae contemptus, quia et in alto mens ponitur, cum a rebus infimis spei suae iudicio sublevatur, atque a cunctis adversantibus tanto minus attingitur quanto in supernis sita tutius munitur.

56. *Justus adversantibus intrepidus occurrit.*---Equus itaque iste non solum contra se venientes minime metuit, sed eis etiam in occursum pergit. Unde bene hic additur: *In occursum pergit armatis*. Plerumque enim quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad aeternae vitae desiderium animus exarsit, si jam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione justitiae nosmetipsos objicere, et perversis ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quaerimur, obviare. Nam cum justitiam, quam nos amamus, in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiam si venerari videantur. Quia ergo vir sanctus pravis ac male agentibus sese etiam cum non quaeritur opponit, recte de equo Dei dicitur: *In occursum pergit armatis*.

57. *S. Pauli exemplum.*---Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum

fervor accenderat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rap ebat. Scriptum quippe est: *Repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum; et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapti Caio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli (Act. XIX, 28, 29).* Atque mox subditur: *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem et de Asiae principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum (Ibid., 30, 31).* In quibus profecto verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos et discipulos charitatis frena tenuissent.

58. *Declinandum tamen aliquando prudenter periculum, si ex illo periculo modicus tantum fructus speretur. Hoc Paulus exemplo docuit.*---Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri fervoris debemus, quid est quod idem praedicator egregius de semetipso fatetur, dicens: *Damasci praepositus gentis Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, et per fenestram in sporta demissus sum per murum, et sic effugi manus ejus (II Cor. XI, 32, 33)?* Quid est quod equus iste modo sponte armatorum cuneos impetit, et modo se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit, nisi hoc, quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam et constanter aliquando appetere, et prudenter aliquando declinare? [*Vet. XXIV.*] Necesse quippe est ut per omne quod agimus in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris aestimemus; et cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinet, dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum

pondus laboris vincat. Cum vero sub **1024** sequenti quantitate fructuum mensura laboris aut aequatur, aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde praedicator sanctus, cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confligere, quia et semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, et aut nullis se ibi aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, et pugnaturum felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit; et idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quaesivit. Ubi autem subjuganda regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit; sicut ipse cum Jerosolymam pergeret, eumque discipuli, passione illius per prophetiam praescita, prohiberent, sibimetipsi attestatur, dicens: *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu (Act. XXI, 13). Neque enim facio animam meam pretiosiore quam me (Ibid., XX, 24)*. Qui igitur hic hostiles cuneos etiam praescita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit.

59. *Cavendum ne timore potius quam cauta dispensatione fugiamus.*---Qua in re pensandum est quia ille labores quosdam per dispensationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo majores alios fortiter tolerat. Nam saepe ab hominibus timor debilis cauta dispensatio vocatur; et quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feriuntur. Unde necesse est ut in causa Dei, cum res dispensationis agitur, metus cordis subtilissima libratione pensetur, ne per infirmitatem timor subrepat, et sese per dispensationis imaginem rationem confingat, ne culpa se

prudentiam nominet; jamque nec ad poenitentiam animus redeat, quando hoc quod inique perpetrat virtutem vocat. Restat igitur ut in dubiis quisque deprehensus, cum quaelibet sibi adversitas imminet, prius intra semetipsum contra formidinem et praecipitationem pugnet, quatenus nec formidolose se subtrahat, nec praecipitanter opponat. Valde enim praeceps est qui semper se adversis objicit, et valde pavidus qui semper abscondit.

60. *Peritus dux hosti exercitum nec semper admovet, nec semper subducit.*---Sed haec melius in bellis spiritalibus discimus, si formam exercitii a corporalibus bellis trahamus. Non enim ille dux sapiens est, qui semper contra hostiles cuneos exercitum praeceps admovet; neque ille dux fortis, qui semper hunc ab hostis facie cavendo subducit. Scire namque dux debet modo ab hostili impetu exercitum caute subtrahere, modo hostem circumfusus cornibus coarctare. Quod nimirum sollicite perfecti praedicatores exhibent, cum modo persecutionis rabiem declinantes, noverunt sapienter sed non enerviter cedere; modo autem persecutionis impetum contemnentes, noverunt ei fortiter, sed non praecipitanter obviare. Quia autem sanctus vir, cum congruum cernit, ictibus pectus objicit, et venientia jacula vel moriens retundit, recte dicitur: *In occursum pergit armatis*. De quo adhuc bene subditur:

CAPUT XXIX.

VERS. 22.---*Contemnit pavorem, nec cedit gladio.*

1025 61. *Paulus pavorem omnem, omnem hostilem impetum despexit.*---Videamus quomodo pavorem despiciat, qui ipsos adversariorum gladios enumerans calcit. Ait enim: *Quis nos separabit a charitate Dei? tribulatio an angustia, an fames, an persecutio (Rom. VIII, 35)?* In pavore autem ventura poena metuitur, in gladio vero jam dolor de praesenti percussione sentitur. Quia ergo vir sanctus ventura adversa non metuit, pavorem despicit; quia vero nec superveniente percussione vincitur, nequaquam gladiis cedit. Contra hunc itaque equum tot sunt gladii hostium, quot genera persecutionum; quae cuncta obvians superat, quia amore vitae sese ad interitum parat. Sed quia tam robustissimum pectus quomodo se jaculis opponat audivimus, nunc quid ab adversariis agatur audiamus. Sequitur:

CAPUT XXX.

VERS. 23.---*Super ipsum sonabit pharetra.*

62. *Victi hostes ad dolos, sed incassum confugiunt.* ---In Scriptura sacra pharetrae nomine aliquando justum Dei occultumque consilium, aliquando vero clandestina pravorum machinatio designatur. Per pharetram justum Dei occultumque consilium exprimitur, sicut idem beatus Job superiore parte testatur, dicens: *Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me (Job. XXX, 11).* Id est, occultum suum consilium detexit, et publica me percussione vulneravit. Sicut enim in pharetra sagittae, sic in occulto Dei consilio latent sententiae; et quasi ex pharetra sagitta educitur, quando ex

occulto consilio apertam Deus sententiam jaculatur. Pharetrae quoque nomine pravorum machinatio designatur, sicut per prophetam dicitur: *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (Psal. X, 3).* [Vet. XXV.] Iniqui enim cum dolos quos bonis excogitant secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant, et in hac praesentis vitae caligine, velut in obscuro, rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula et sentiri per vulnus possunt, et tamen venientia deprehendi non possunt. Igitur quia equus Dei nulla adversitate terretur, eique quo magis obviatur, eo vi intentionis suae super armatos hostes ferventior ducitur, persecutores ejus, qui se etiam ferientes vinci sentiunt, turbati ad consilium revertuntur, dolos praeparant, et velut ex longinquo mittendo vulnera occultant. Unde nunc recte dicitur: (Rec. XV.) *Super ipsum sonabit pharetra;* ut eum ex absconsa machinatione longe feriant, cui apertis congressionibus inaniter appropinquant. Haec tunc super equum Dei pharetra sonuerat, cum quadraginta viri qui in ejus mortem conjuraverant educi de carcere Paulum quaerebant (Act. XXIII, 16), ut consiliorum suorum ictibus quasi clam sagittarum dolo interficerent quem congressione persecutionis publicae superare nequaquam possent. Pharetra ergo sonuit, quia occultae machinationis ad Paulum causa pervenit.

63. *Artes suas aliquando occultant, aliquando, ut incutiant terrorem, ostendant.*---Quamvis si vigilanter quaerimus, adhuc in pharetrae sonitu aliquid subtilius invenimus. Saepe enim adversarii consilia contra bonos ineunt, pravis inventionibus innituntur, ad excogitandos dolos se conferunt, sed tamen qui eosdem dolos prodere bonis debeant, ipsi

instituunt, latenter ipsi transmittunt, ut credulis suppliciorum praeparatio dum quasi furtim innotescitur, amplius timeatur, et audientis animum plus suspecta vulnera quam percepta perturbent. In pharetra enim sagittae **1026** dum latent et sonant mortem etiam non visae denuntiant. Pharetra ergo contra equum sonitum reddit, cum contra praedicatorem sanctum occulta pravorum machinatio consilium suum, quod fraudulenter operit, fraudulentius innotescit, ut praemissis minis quasi ex sonitu pharetrae terreat, cum praedicator Dei apertas contumelias velut cominus ferientia jacula non formidat. Cum vero eisdem minis minime terretur, mox persecutorum crudelitas ad supplicia manifesta perducitur. Unde bene postquam dictum est: *Super ipsum sonabit pharetra*, illico additur:

CAPUT XXXI.

IBID.--- *Vibrabit hasta.*

64. *A minis ad aperta supplicia prorumpunt.*--- Contra praedicatorem Dei post pharetrae sonitum hasta vibratur, quando post terrores exhibitos e vicino jam feriens aperta poena producit. Praedicatores autem sancti, cum pro defensione fidei supplicia subeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere et inter verbera non desistunt; et cum patienter vulnera suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas praedicationis reddunt. Unde nonnunquam agitur ut ipsi qui in persecutione saeviunt non tam doleant quod cor praedicatoris non emolliunt quam quod per ejus verba etiam alios amittant.

Quia igitur eum feriendo non superant, ne fortasse et alii qui illum audiunt se derelinquant, mox contra loquentis verba scutum responsionis parant. Unde cum diceret: *Vibrabit hasta*, recte subjungit:

IBID.---*Et clypeus.*

65. *Rationes quas opponant, etiam quaerunt.*--- Persecutor enim saeviens postquam praedicatoris corpus supplicio percutit, auditorum cor quasi clypeo verbis suae disputationis munit. Vir igitur sanctus ut feriri debeat, hasta vibratur; sed ne audiri possit, clypeus opponitur. Habent namque defensores Dei in praelio sagittas suas quas eo citius in auditorum corda injiciunt, quo illas de spiritali arcu, id est de intima cordis tensione dstringunt. His quippe se in bello fidei Paulus armaverat, cum dicebat: *Laboro usque ad vincula quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum (II Tim. II, 9)*. Ac si diceret: Hasta quidem suppliciorum ferior, sed tamen verborum sagittas emittere non desisto. Vulnera crudelitatis accipio, sed cor infidelium vera loquendo transfigo. Dicatur ergo: *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus*. Contra equum quippe Dei, quia pravorum consilia perstrepunt, pharetra sonat, quia aperta poena exquiritur, hasta vibratur; quia vero ei etiam disputatione resistitur, clypeus antefertur. Sed nunquid a fervore suo per ista compescitur? Vir enim sanctus quo maiore persecutione premitur, eo ad praedicandam veritatem acrius instigatur; et cum patienter persecutores tolerat, ardentem ad se auditores trahere festinat. Unde et bene adhuc de equo Dei subditur:

CAPUT XXXII.

VERS. 24.---*Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem.*

66. *Despectis illorum conatibus, pius praedicator peccatorum conversioni semper insudat.*---Primo namque peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (**Genes. III, 19**). Tubae autem clangunt, cum hujus saeculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Quia igitur praedicator zelo sancti Spiritus inflammatus, vel inter supplicia positus, quoslibet peccatores ad se trahere non desistit, fervens **1027** procul dubio terram sorbet, quia vero persecutorum minas minime formidat, clangorem tubae sonare non reputat. Tuba enim, quae discrimen belli denuntiat, quid est aliud quam vox saecularium potestatum, quae contempta resistantibus mortis certamen parat?

67. *Exemplum Apostolorum, praesertim S. Pauli.*---Haec a principibus sacerdotum tuba sonuerat, cum flagellatos apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est: *Caesis denuntiaverunt, ne loquerentur in nomine Jesu* (**Act. V, 40**). Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubae non terreat. Ait Petrus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (**Ibid., 29**). Qui aliis quoque persequentibus dicit: *Non enim possumus quae vidimus et audivimus, non loqui* (**Act. IV, 20**). Equus ergo Dei clangorem tubae non metuit, quia praedicator egregius despectis potestatibus saeculi, nullos minarum sonitus pertimescit.

68. Videamus alium equum Dei quomodo terram sorbeat, quomodo nullus eum tubae terror attingat (**Act. XIV, 18, 19, 20, 21**). Scriptum est: *Supervenerunt quidam ab Antiochia et Iconio Judaei, et persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, aestimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postero die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystrum et Iconium et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum.* Perpendamus ergo quae hunc possent equum minae compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen a veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest; velut exstinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illaesus praedicator invenitur. O quam fortis huic viro inest infirmitas! o quam victrix poena! o quam dominatrix patientia! Ad agendum repulsione provocatur, ad praedicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem poena refovetur. Quae ergo hunc adversitas superet, quem poena fovet? Sed equus iste Dei et pharetrae sagittas despicit, quia malitiae consilia contemnit; vibratam hastam superat, quia et contra apertae persecutionis vulnera pectus firmat; oppositum clypeum rumpit, quia disputationem resistentium ratiocinando subigit; terram sorbet, quia peccatores in suum corpus exhortando convertit; clangorem buccinae sonare non reputat, quia vocem quamlibet terribilis prohibitionis calcat. Minus est autem quod dicitur, quia fortis perseverat in laboribus, adhuc, quod majus est, exultat in adversis. Unde sequitur:

CAPUT XXXIII [*Rec. XVI*].

VERS. 25.---*Ubi audierit buccinam, dicit Vah.*

69. *Sancti, imminente certamine, licet mortis metu concutiantur, de futuro tamen praemio gaudent.*--- Quibus profecto verbis et illud ostenditur, quod hoc loco a Domino de equo irrationabili nil dicatur. Neque enim vah dicere brutum animal potest; sed dum asseritur dicere quod omnino dicere non valet, innuitur quem designet. Vah quippe sermo exsultationis est. Equus ergo, audita buccina, vah dicit, quia fortis quisque praedicator cum certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exsultat; nec terretur pugnae periculo, quia victoriae laetatur triumpho. **1028** Equo itaque est vah dicere, praedicatorem sanctum de ventura passione gaudere. [*Vet. XXVI.*] Sed si praedicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino laetus quaerit, quid est quod ipsi fortissimo praedicatori, qui ex robusto corde virtutem traxit in nomine, Petro Veritas dixit: *Cum senueris, extends manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis* (**Joan. XXI, 12**). Quomodo de passione gaudet, qui, cinctus ab alio, ire quo ducitur non volet? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione et mortis metu qualitur, et tamen de venturo regni praemio laetatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit, quia et in morte considerat quod tolerans paveat, et in fructu mortis aspicit quod appetens quaerat.

70. *Paulus amat quod refugit, fugere videtur quod amat.*--- Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat. Ait enim: *Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (Philip. I, 23).* Et, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Ibid., 21).* Et tamen dicit: *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita (II Cor. V, 4).* Ecce et mori desiderat, et tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum laetificat, ipsa nihilominus ad praesens poena perturbat; et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine moerore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, et palpitat et festinat, tremit et saevit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur; ita vir sanctus, cum passioni se propinquare conspicit, et naturae suae infirmitate concutitur, et spei suae soliditate roboratur; et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat, exsultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire; et idcirco confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit; et gaudens metuit, et metuens gaudet, quia scit quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc quod interjacet cum labore transcendat. Sic nos, cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod taedet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, moerore turbatus hilaescit. Dicatur ergo: *Ubi audierit buccinam, dicit Vah,* quia praedicator fortis cognito certaminis nuntio, etsi ut homo ad vim persecutionis trepidat, per spei tamen certitudinem ad praemium remunerationis

exsultat. Sed nequaquam ad hoc passionis bellum inconcussus existeret, nisi eandem passionem intenta cogitatione meditando praeveniret. Malum namque quod consilio praevenitur, decertanti contra se animo ex ratione subjicitur, quia tanto quisque minus adversitate vincitur, quanto contra illam praesciendo paratus invenitur. Saepe enim grave timoris pondus usu levigatur, saepe mors ipsa sicut inopinata perturbat, ita deliberatione praeventa laetificat. Unde et recte de hoc equo subjungitur:

IBID.---**1029** *Procul odoratur bellum.*

71. *Ad reportandam victoriam certamen praevideatur.* ---Ac si apertius dicatur: Idcirco quodlibet certamen exsuperat, quia mentem certamini ante certamen parat. Bellum quippe procul odorari est adversa quaeque longe adhuc posita cogitando praenosceret, ne fortasse valeant improvisa superare. Hoc bellum procul odorari discipulos Paulus admonebat, cum diceret: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate (II Cor. XIII, 5).* Ac si aperte praeciperet, dicens: Persecutionum certamina ad mentem reducite, et cordis vestri intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis invenite. Hoc bellum sancti viri procul odorantur, quando et in pace universalis Ecclesiae positi, vel haereticorum bella, vel imminetia ab infidelibus persecutionum tormenta conspiciunt. Qui dum recte vivunt, saepe pro bonis mala recipiunt, detractorum contumelias aequanimiter ferunt, ut si persecutionis occasio suppetat, tanto illos fortiores aperti hostes inveniant, quanto eos et intra Ecclesiam falsorum fratrum jacula non expugnant. Nam qui a statu patientiae ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est quia contra manifestae persecutionis gladios

non subsistit. Quia ergo vir Dei exercitatus praesentibus contra ventura, et exercitatus minimis contra majora nititur, recte de equo Dei dictum est, quod bellum procul odoratur. Sequitur:

CAPUT XXXIV.

IBID.---*Exhortationem ducum, et ululatum exercitus.*

72. *Subodorandum quid auctores errorum, quid turba ipsis subdita possint insanire.*---Duces adversae partis sunt erroris auctores, de quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est contentio super principes eorum, et seduxerunt eos vana eorum, et errare fecit eos in invio, et non in via (Psal. CVI, 40).* De quibus per semetipsam Veritas dicit: *Caecus si caeco ducatum praebet, ambo in foveam cadunt (Matth. XV, 14).* Hos autem duces exercitus sequitur pravorum scilicet turba, quae iniquis eorum praeceptionibus famulatur. Notandum quoque quod duces exhortari, exercitum vero dicit ululare, quia videlicet hi qui infidelibus vel haereticis praesunt prava quae teneri praecipiunt quasi ex ratione persuadent. Turba vero eis subdita, quia sine iudicio eorum voces sequitur, dum per confusionis insaniam perstrepat, bestiali mente ululare perhibetur. Lupis quippe proprie ululatus convenit. Et quia catervae reproborum contra vitam moresque fidelium sola rapacitate inhiant, quasi per ululatum clamant. [*Vet. XXVII.*] Equus ergo Dei exhortationem ducum et ululatum exercitus procul odoratur, dum sanctus quisque praedicator longe ante considerat quid vel auctores errorum contra electos valeant

praecipere, vel turba eis subdita quam possit immaniter insanire. Hanc exhortationem ducum odorabatur Paulus, cum diceret: *Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (**Rom. XVI, 18**). Hunc ululatum exercitus odorabatur, dicens: *Intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos* (**Act. XX, 29**). Exhortationem ducum odoratus est Petrus, cum de quibusdam discipulos admoneret, dicens: *In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur* (**II Pet. II, 3**). Ululatum quoque exercitus odorabatur, cum praemitteret, dicens: **1030** *Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur* (**Ibid., 2**).

[*Rec. XVII.*] 73. *Fidelibus accommodantur, quae de praedicatoribus et doctoribus sunt dicta.*---Igitur quia sanctus quisque praedicator atque in persecutionis bello dux fidei, qualem se possit exhibere narravimus, nunc sub hujus equi specie unumquemque Christi militem describamus, ut et qui ad praedicationis culmen necdum se pervenisse considerat, hac tamen voce dominica, si jam bene vivere coeperit, expressum se esse cognoscat, quatenus hinc colligat quantum Deo notus sit, si ad majora pervenerit, quem signanter Deus eloqui nec in minimis praetermittit. Singula itaque quae de equo dicta sunt repentes, intimemus quomodo miles Dei a primaeva conversatione proficiat, quomodo a minimis ad majora succrescat, vel quibus gradibus ab infimis ad superna perveniat. Dicatur ergo:

CAPUT XXXV.

VERS. 19.---*Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?*

74. *Militem Dei primum armet fides.*---Unicuique animae, cui Dominus misericorditer praesidet, ante omnia fidei fortitudinem praebet, de qua Petrus ait: *Adversarius vester diabolus, sicut leo rugiens, circuit quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide (I Pet. V, 8).* Huic autem fortitudini hinnitus jungitur, dum fit quod scriptum est: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. X, 10).* Sequitur:

CAPUT XXXVI [*Vet. XXVIII*].

VERS. 20.---*Nunquid suscitabis eum quasi locustas?*

75. *Dei erga incipientes indulgentia.*---Unusquisque qui Deum sequitur, in ipso suo exordio ut locusta suscitatur, quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus terrae inhaeret, in quibusdam tamen expansis alis sese in aera suspendit. Conversionum quippe initia, bonis moribus malisque permista sunt, dum et nova jam per intentionem agitur, et vetus adhuc vita ex usu retinetur. Tanto autem minus permistis interim malis laedimur, quanto contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos jam culpa vindicat, cujus pravo usui nostra sollicite mens resultat. Minus itaque nobis inchoantibus terrena opera officiunt, quia in nobis diutius demorari prohibentur. Proinde quoniam in ipso nostrae conversionis initio infirma quaedam pie de nobis Dominus tolerat, ut nos quandoque ad coelestia ex perfectione

perducat, quasi locustas nos in exordio suscitāt, quia etsi in volatu virtutis sublevat, non tamen de terreni operis casu desperat. Sequitur:

CAPUT XXXVII.

IBID.---*Gloria narium ejus terror.*

76. *Inchoantes inter spem et metum positi, propter certamina carnis, quam idcirco fortiter edomant.*---Pro eo quod non visa res odore deprehenditur, non immerito narium nomine spei nostrae cogitationes exprimuntur, quibus venturum judicium, quod etsi oculis adhuc non cernimus, jam tamen sperando praevidemus. Omnis autem qui bene vivere incipit, audiens quod per extremum judicium justī ad regnum vocentur, hilarescit; sed quia quaedam mala adhuc ex reliquiis sibi inesse considerat, hoc ipsum judicium, de quo exsultare inchoat, appropinquare formidat. Vitam quippe suam bonis malisque permistam conspicit, et cogitationes suas aliquo modo spe et timore **1031** confundit. Nam cum audit quae sint regni gaudia, mox mentem laetitia sublevat; et rursum cum respicit quae sint gehennae tormenta, mox mentem formido perturbat. Bene ergo gloria narium ejus terror dicitur, quia inter spem et metum positus, dum futurum judicium mente conspicit, hoc ipsum timet unde gloriatur. Ipsa ei sua gloria terror est, quia inchoatis jam bonis, spe de judicio laetus est; et necdum finitis omnibus malis, perfecte securus non est. Sed inter haec sollicite ad mentem revertitur, et procellas tantae formidinis renuens, seque in solius pacis

tranquillitate disponens, totis viribus a districto iudice inveniri liber conatur. Servile quippe aestimat dominicam praesentiam formidare; ac ne conspectum patris metuat, illa agit per quae se filium recognoscat. Discit ergo iudicem tota exspectatione diligere, atque, ut ita dixerim, timendo renuit timere. Oriri autem cordi formidinem pro carnali actione considerat, et idcirco ante omnia carnem forti edomatione castigat. Unde postquam dictum est: *Gloria narium ejus terror*, recte subjungitur:

CAPUT XXXVIII.

VERS. 21.---*Terram ungula fodit.*

77. Ungula namque terram fodere est districta abstinencia carnem edomare. Quo autem plus caro premitur, eo de coelesti spe animus securius laetatur. Unde effossa terra apte subnectitur: *Exsultat audacter*. Quia enim valenter reprimit quod impugnat, audacter exsultat de his quae in aeterna pace desiderat; tantoque mens melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. Unde recte per Salomonem dicitur: *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea aedifices domum tuam (Prov. XXIV, 27)*. Ille quippe bene mentis domum aedificat, qui prius agrum corporis a spinis vitiorum purgat, ne si desideriorum sentes in carnis agro proficiant, intus tota virtutum fabrica fame boni operis crescente destruat. In ipso autem quisque belli certamine positus, tanto subtilius fraudem hostium conspicit, quanto et districtius corpus proprium quasi quemdam hostium

aditutorem premit. Unde et post contritionem corporis, post laetitiam cordis recte subjungitur:

CAPUT XXXIX.

IBID.---*In occursum pergit armatis.*

78. *Hostis insidias et dolos explorant inchoantes, et in alienis etiam cordibus praeveniunt.*---Hostes armati sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti. Qui cum suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt, et quasi sub quibusdam armis se contegunt, ne in sua malitia a nobis nudi videantur. Quibus armatis hostibus in occursum pergimus, quando eorum insidias longe praevidemus. Effossa igitur terra, armatis hostibus in occursum pergere, est, edomita carnis superbia, dolos immundorum spirituum mirabiliter explorare. Effossa terra armatis hostibus in occursum pergere, est devicta carnali nequitia contra spiritalia vitia certamen subire. Nam qui adhuc secum enerviter pugnat, frustra contra se bella extra posita suscitatur. Qui enim semetipsum carnalibus subjugat, quomodo spiritalibus vitiis resultat? Aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui adhuc apud semetipsum domestico libidinis bello succumbit.

[*Vet. XXIX.*] 79. Vel certe armatis hostibus in occursum pergimus, quando per exhortationis studium eorum insidias et in alieno corde praevenimus. Quasi enim **1032** ex loco in quo

fuius ad locum alium obviam hostibus venimus, quando, nostra cura ordinate postposita, accessum immundorum spirituum a proximi mente prohibemus. Unde fit plerumque ut hostes callidi militem Dei jam de intestino bello victorem tanto de semetipso terribilius tentent, quanto illum contra se et in alieno corde praevalere fortiter vident; ut dum illum ad se tuendum revocant, aliena corda liberius quae exhortatione ejus protegebantur invadant. Cumque cum superare non possint, saltem occupare conantur; quatenus dum miles Dei de semetipso concutitur, non ipse, sed is quem defendere consueverat perimatur. Sed mens in Deum immobiliter fixa tentationum spicula despicit, nec cujuslibet terroris jacula pertimescit. Supernae enim gratiae fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suae curat, ut aliena non deserat. Unde et bene de hoc equo subjungitur:

CAPUT XL.

VERS. 22.---*Contemnit pavorem, nec cedit gladio.*

80. *Minas hostis contemnunt inchoantes.*---Contemnit pavorem, quia nullius tentationis formidine ad hoc usque terretur ut taceat. Nec cedit gladio, quia etsi violenta illum tentatio percutit, a cura tamen proximi non repellit. Unde et Paulus exemplum nobis invictae conversationis insinuans, et quos ab hoste gladios suscipiat dicit, et quomodo eisdem gladiis non cedat ostendit. Omni enim jam carnalis operis pugna superata, carnalis tentationis gladium ab hoste suscepit, qui dicebat: *Video aliam legem in membris meis*

repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis (Rom. VII, 23). Sed eidem gladio quem in se vicerat etiam in aliis non cedebat, cum profecto proximis diceret: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus (Rom. VI, 12). Et rursum: Mortificate membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam (Coloss. III, 5). Gravis illum tentationum gladius feriebat, de quibus ipse ait: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judaeis quinquies quadragenas una minus accepi; ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui (II Cor. XI, 23), et caetera, quae ipse tolerare potuit, et nos enumerare lassamur. Sed quomodo eidem gladio in proximi dilectione non cedat, post multa ipse subjungit: Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum (Ibid., 28). Equus ergo Dei gladio percutitur, nec tamen percussione eadem a cursu prohibetur, dum fortis spiritualis certaminis miles et ipse vulnera ab hoste suscipit, et tamen ad salutem alios stringit. Sed erga tam durum coelestis militis pectus antiquus hostis tanto acutiora spicula perquirat, quanto se despici robustius conspiciat. Unde et sequitur:

CAPUT XLI [*Vet. XXX*].

VERS. 23.---*Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus.*

81. *Saepe qui aliis regendis praesunt, gravioribus a diabolo tentationibus exercentur: modo aperta vi, modo fraude et dolo, aliquando vi simul et dolo.*--- Quia enim videt sanctae mentis studium contra se et aliis prodesse, multiplicata hanc satagit tentatione confodere. Unde saepe contingit ut hi qui regendis aliis praesunt tentationum certamina fortiora patiantur, quatenus corporalium more bellorum dum dux ipse ad fugam vertitur, resistentis exercitus constipata unanimitas sine labore **1033** dissipetur. Hostis itaque callidus contra coelestem militem diversa percussionum vulnera exquirens, modo ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat, modo ante ejus faciem hastam vibrat, quia videlicet vitia et alia sub virtutum specie contegit, et alia ut sunt aperta ejus oculis opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conspicit, illic fraudis velamina non requirit. Ubi autem sibi resistere fortem considerat, illic contra vires procul dubio dolos parat. Nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt, aperte speciem corporis quae concupisci valeat ejus obtutibus objicit. Si autem fortasse validum contra avaritiam cernit, importune ejus cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit, ut dum mens ad provisionis curam quasi pie flectitur, seducta furtim in rerum ambitu inique rapiatur. Equum ergo Dei sagitta per insidias impetit, quando ei hostis callidus sub virtute vitium abscondit. Hasta autem cominus vulnerat, cum manifesta nequitia etiam scientem tentat.

82. Saepe vero coelesti militi uno eodemque tempore utrumque ab hoste objicitur, ut in qualibet una percussione perimatur. Dolosus namque adversarius simul ferire nititur, et aperte saeviens, et in insidiis latens, ut dum de occulto sagitta metuitur, minus ante faciem hasta timeatur; vel dum ante

faciem hastae resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. Saepe enim tentationem proponit libidinis, et subito fraudulentius cessans, elationem suggerit de servata castitate. Et sunt nonnulli qui dum multos ex castitatis arce in elationis foveam cecidisse conspiciunt, vitae suae custodiam negligentes, in immunditiam libidinis demerguntur. Sunt vero e diverso nonnulli qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Quasi ergo aperte feriens hasta est culpa de vitio, et quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta est culpa de virtute. Sed equus Dei et ante faciem hastam superat cum libidinem calcat, et a latere sagittam circumspicit cum in castitatis munditia se ab elatione custodit. Unde et bene inter utraque certanti per Salomonem dicitur: *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris* (**Prov. III, 26**). Pes namque in anteriora tendit. Anteriora autem non videt, qui ea quae sunt a latere conspicit. Rursumque qui pedis custodiam praevidens anteriora cernit, circumspeditionem lateris deserit. Dum vero ante faciem positae virtutis aliquid agimus, quasi quo pes debeat poni praevidemus; sed dum ex virtute eadem furtim culpa suboritur, quasi dum in anteriora respicitur, ad sagittam latus nudatur. Saepe vero dum suborientem culpam metuimus, virtutem quae agenda est declinamus; et quasi dum latus circumspicitur, nequaquam cernitur pes in anteriora quomodo ponatur. Bene ergo dicitur: *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris*, quia miles Dei divinae gratiae clypeo protectus, et quae ex latere possint prodire circumspiciendo considerat, et gressum ante faciem ferre proficiendo non cessat. Cui fraudulentus hostis invidens, quia per pharetram et hastam nequaquam se praevalere conspicit, clypeum opponit, ut si resistentis

pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam objectionibus proficientis iter intercludat. **1034** Quasdam namque difficultates ipsis ejus conatibus objicit; et cum superare non valet, vel resistit. Sed quid contra tot argumenta bellorum equus Dei agat audiamus:

CAPUT XLII.

VERS. 24.---*Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem.*

83. *Utrique, per sanctum fervorem et proficiendi curam resistitur.*---Contra equum clangor tubae insonat, quando electi mentem in eo quod agit fortiter e vicino quaedam posita culpa terribiliter tentat. Sed fervens et fremens sorbet terram, quia nimio ardore semetipsum discutit; et quidquid in se terrenum reperit, quotidie proficiendo consumit. Et clangorem tubae sonare non reputat, quia consideratione forti omne vitium quod de virtutis gloria nascitur sollicitus declinat. Sonare enim clangorem tubae reputaret, si fortasse propter aliud quod prave suboritur alia agere recta metueret. Quia ergo ad agenda fortia ante insonantia tentamenta non trepidat, in fervore suo positus clangorem tubae minime formidat. Saepe autem dum prosperari se virtutibus conspicit, ne ipsa illum virtutum prosperitas eleve, pulsari se tentationibus gaudet. Unde et apte subjungitur:

CAPUT XLIII.

VERS. 25.---*Ubi audierit buccinam, dicit Vah.*

84. *Quia multos diuturna pax inertes reddit, sancti tentari gaudent.*---Multos enim pejus sua felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddidit; eoque illos inopinatus hostis gravius perculit, quo longo quietis usu negligentes invenit. Unde sancti viri cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis supernae moderamine exerceri se etiam tentationibus exsultant, quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humiliter agnoscunt. Equus ergo, audita buccina, vah dicit, quia videlicet praeliator Dei, cum vim tentationis incumbere conspicit, utilitatem supernae dispensationis considerans, ex ipsa validius adversitate confidit. Cujus adversitatis certamina idcirco illum non superant, quia nunquam improvisa tentant. Longe quippe praenotat ex unaquaque re, cujus vitii pugna succrescat. Unde et sequitur:

CAPUT XLIV.

IBID.---*Procul odoratur bellum.*

85. *Nulla eos improvisa tentant; unde nec superant.* --- Bellum namque procul odorari est ex causis praecedentibus quae vitiorum pugnae subsequantur agnoscere. Quia enim,

sicut jam saepe dictum est, odore res non visa cognoscitur, bellum procul odorari est, sicut flatu narium, sic provisione cogitationum, nequitas latentes indagare. De quo odoratu Dominus recte in Ecclesiae suae laudibus dicit: *Nasus tuus sicut turris, quae est in Libano* (**Cant. VII, 4**). Per nasum quoque odores fetoresque discernimus. Et quid per nasum, nisi sanctorum provida discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiae turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum provida discretio dum sollicite circumquaque conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa deprehendit, eamque quo vigilanter praenotat, eo fortiter declinat. Hinc Habacuc ait: *Super custodiam meam stabo* (**Habac. II, 1**). [*Vet. XXXI.*] Hinc uniuscujusque electi animam Jeremias admonens, dicit: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines* (**Jerem. XXXI, 21**). Speculam quippe sibi statuere est ventura vitiorum certamina ex alta consideratione praenosceret. Sibi quoque electi mens amaritudines ponit, quando **1035** et in virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit.

86. *Primo curandum ne mala faciamus, secundo ne bona incaute. Plerumque ex bonis mala nascuntur.*---Primo autem ne mala quaelibet, secundo vero loco considerat ne bona incaute faciat; et postquam prava subegerit, ipsa etiam sibi subicere recta contendit, ne si mentis dominium transeant, in clationis culpam vertantur. Quia enim, sicut superius dictum est, plerumque ex bonis per incuriae vitium mala nascuntur, vigilantia studio contemplatur quomodo ex doctrina arrogantia, ex justitia crudelitas, ex pietate remissio,

ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cumque bona haec agit, quod hi contra se hostes per haec exsurgere valeant conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinae studiis elaborat, mentem sollicite contra certamen arrogantiae praeparat. Cum culpas delinquentium juste ulcisci desiderat, sagacissime evitat ne modum iustitiae crudelitas vindictae transcendat. Cum pietate frenare se nititur, solerter prospicit ne qua disciplinae dissolutione vincatur. Cum se recti zeli stimulis excitat, summopere providet ne plus quam necesse est irae se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilanter observat ne torpore frigescat. Quia ergo spiritalis militis cogitatione omne vitium prius quam subrepere possit aspicitur, recte de equo Dei dicitur: *Procul odoratur bellum*. Perpendit etiam quae turba iniquitatum proruat, si mala ad se ingredi vel pauca permittat. Unde et sequitur:

CAPUT XLV.

IBID.---*Exhortationem ducum, et ululatum exercitus.*

87. *Exercitus diaboli dux superbia, cujus soboles, septem principalia vitia.*---Tentantia quippe vitia, quae invisibili contra nos praelio regnanti super se superbiae militant, alia more ducum praeceunt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpaes omnes pari accessu cor occupant. Sed dum majores et paucae neglectam mentem praeveniunt, minores et innumerae ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia cum devictum plene cor ceperit, mox

illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunae vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter, ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua, Scriptura attestante, dicitur: *Initium omnis peccati est superbia* (**Eccli. X, 15**). Primae autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiae vitiis nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spiritale liberationis praelium spiritu septiformis gratiae plenus venit.

88. *Singula vitia capitalia suum habent exercitum.*---Sed habent contra nos haec singula exercitum suum. Nam de inani gloria inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciae, discordiae, et novitatum praesumptiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversus proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, blasphemiae proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, vagatio mentis **1036** erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentiae, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror autem vel desperatio futuri

generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequenter exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt.

89. *Unumquodque vitium oritur ex altero.*---Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiae soboles inanis est gloria, quae dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quanto in erno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur; et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositae actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens quo se inordinate concutit, eo addicendo confundit: et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens moeror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dum confusum cor bonum laetitiae in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quaerit; et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. Post haec vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies et luxuria, supersunt. Sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur.

[*Vet. XXXII.*] 90. *Fallacia argumenta, quibus capitalia vitia mentem decipere moliuntur.*---Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima vitia deceptae menti

quasi sub quadam ratione se inserunt, sed innumera quae sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortati, cum dicit: Debes majora appetere, ut quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas et multis prodesse. Invidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: In quo illo vel illo minor es? cur ergo eis vel aequalis, vel superior non es? Quanta vales quae illi non valent? Non ergo tibi aut superiores esse, aut etiam aequales debent. Ira etiam devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Quae erga te aguntur aequanimiter ferri non possunt, imo haec patienter tolerare peccatum est, quia etsi non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Tristitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Perpende cum quo moerore omnes intuendi sunt qui in tanto contra te amaritudinis **1037** felle vertuntur. Avaritia quoque devictum animum quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Valde sine culpa est, quod quaedam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis sed egere pertimescis; et quod male alius retinet, ipse melius expendis. Ventrīs quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Ad esum Deus omnia munda condidit, et qui satiari cibo respuit, quid aliud quam muneri concesso contradicit? Luxuria quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum quid te sequatur ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes, quia quam citius pertranseat nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nolle, in ipso humani generis exordio masculum et feminam

non fecisset (**Genes. I, 27**). Haec est ducum exhortatio, quae dum incaute ad secretum cordis admittitur, familiariter iniqua persuadet. Quam videlicet exercitus ululans sequitur, quia infelix anima semel a principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in insaniam vertitur, ferali jam immanitate vastatur.

91. *Quid, ne vitia noceant, agendum.*---Sed miles Dei, quia solerter praevidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur, quia mala praeuntia, quid menti persuadere valeant, dum cogitatione sollicita respicit, exhortationem ducum naris sagacitate deprehendit. Et quia a longe praesciendo subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi ululatum exercitus odorando cognoscit.

Igitur quia vel praedicatorem Dei, vel quemlibet spiritualis certaminis militem descriptum equi narratione cognovimus, nunc eundem iterum in avis significatione videamus, ut qui per equum didicimus ejus fortitudinem, etiam per avem discamus illius contemplationem. Quia enim per descriptam equi magnitudinem audivimus quantum contra certamina vitiorum vir sanctus per patientiam tolerat, nunc per avium speciem cognoscamus quantum per contemplationem volat. Sequitur:

CAPUT XLVI [*Rec. XVIII*].

VERS. 26.---*Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad Austrum?*

92. *Gratia Dei veterem hominem exspoliamus. De accipitre quaedam notatu digna.*---Quia per annos singulos pennam veterem accipiter nova nascente projiciat, ac sine intermissione plumescat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumae tempus dicitur, quo in nido vestitur, quia tunc nimirum adhuc videlicet pullus ad Austrum alas expandere non valet, sed illa annua pluma describitur, quae laxata veteri penna renovatur. Et quidem domesticis accipitribus quo melius plumescere debeant humida ac tepentia loca requiruntur. Agrestibus vero moris est ut flante Austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest, alis contra radios solis extensis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt, sicque apertis poris vel veteres exsiliunt, vel novae succrescunt. Quid est ergo accipitrem in Austro plumescere, nisi quod unusquisque **1038** sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalescit, et, usum vetustae conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit? Quod Paulus admonet, dicens: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum (Coloss. III, 9).* Et rursum: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem (II Cor. IV, 16).* Vetustam autem pennam projicere est inveterata studia dolosae actionis amittere, et novam pennam sumere est mitem ac simplicem bene vivendo sensum tenere. Penna namque veteris conversationis gravat, et pluma novae immutationis sublevat, ut ad volatum tanto leviolem quanto noviolem reddat.

[*Vet. XXXIII.*] 93. *Ad hanc renovationem necessaria confessio.*---Et bene ait: *Expandit alas suas ad Austrum.* Alas

quippe nostras ad Austrum expandere est per adventum sancti Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire, ut jam non libeat defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, cum ad Austrum alas expanderit, quia tunc unusquisque se virtutum pennis induit, cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim vetera fatendo non detegit, novae vitae opera minime producit, qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat. Ipsa namque compunctionis vis poros cordis aperit, et plumas virtutum fundit; cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. Dicatur ergo beato Job: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* id est, Nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, ut flante sancto Spiritu, cogitationum alas expandat, quatenus pondera vetustae conversationis abjiciat, et virtutum plumas in usum novi volatus sumat? Ut hinc videlicet colligat quia vigilantiam sensus in semetipso ex se non habet, qui hanc ex se conferre aliis nequaquam valet. Potest etiam per hunc accipitrem renovata gentilitas designari, ac si beato Job aperte diceretur: Futuras virtutum plumas in gentilitate respice, et vetustas superbiae pennas amitte. Sequitur:

CAPUT XLVII [*Rec. XIX*].

VERS. 27.---*Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum sibi?*

94. *Quid aquilae nomine Scriptura sacra significet. Insidiatores spiritus, potestatem terrenam, subtilem sanctorum intelligentiam, vel Christi ascensionem.*--- In Scriptura sacra vocabulo aquilae aliquando maligni spiritus raptores animarum, aliquando praesentis saeculi potestates, aliquando vero vel subtilissimae sanctorum intelligentiae, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, et mox summa repetens designatur.

Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur, Jeremia attestante, qui ait: *Velociores sunt persecutores nostri aquilis coeli (Thren. IV, 19).* Persecutores enim nostri aquilis coeli velociores sunt, cum tanta contra nos maligni homines faciunt, ut ipsas etiam aereas potestates inventionibus malitiae praeire videantur.

Aquilae etiam vocabulo potestas terrena figuratur. Unde per Ezechielem prophetam dicitur: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem 1039 frondium ejus evulsit (Ezech. XVII, 3).* Qua videlicet aquila quis alius quam Nabuchodonosor rex Babyloniae designatur? Quae pro immensitate exercitus magnarum alarum, pro diuturnitate temporum longo membrorum ductu, pro multis vero divitiis plena plumis, pro innumera autem terrenae gloriae compositione plena varietate describitur. Qui venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit, quia Judaeae celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi medullam cedri abstulit; et dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit.

Subtilem sanctorum intelligentiam, vel Christi ascensionem. Aquila fixis oculis solem intuetur.---Aquilae vocabulo vel subtilis sanctorum intelligentia, vel volatus dominicae ascensionis exprimitur. Unde idem propheta dum sub animalium specie evangelistas quatuor se vidisse describeret (**Ezech. X, 1**), in eis sibi hominis, leonis, bovis, et aquilae faciem apparuisse testatur, quartum procul dubio animal Joannem per aquilam designans, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbum videndo penetravit. Cui nimirum propheticae sententiae ipse quoque Joannes in revelatione sua de semetipso non dissonat, dicens: *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, quartum animal simile aquilae volanti* (**Apoc. IV, 7**). Et quamvis singula ad unumquemque evangelistam recte conveniant, dum alius humanae nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens, quasi ortum solem aquila aspectat, possunt tamen haec quatuor animalia ipsum suum caput, cuius sunt membra, signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit, et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; et leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptae mortis vinculum rupit; et ad extremum aquila, quia ad coelum, de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad coelos ascendendo vocatus est. [*Vet. XXXIV.*] Sed hoc loco aquilae nomine subtilis sanctorum intelligentia et sublimis eorum contemplatio figuratur. Cunctarum quippe avium visum acies aquilae superat, ita ut solis radius fixos in se ejus oculos nulla lucis suae coruscatione reverberans claudat. Ad praeceptum

ergo Dei elevatur aquila, dum jussionibus divinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita. Quae et in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens, spe jam de coelestibus nutritur. In arduis nidum ponit, quia habitationem mentis suae in abjecta et infima conversatione non construit. Hinc est quod Cinaeo Balaam prophetante dicitur: *Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum* (Num. XXIV, 21). Cinaeus namque possessor interpretatur. Et qui sunt qui praesentia possident, nisi hi qui ingenio sapientiae saecularis callent? Qui in hoc veraciter robustum sibi habitaculum construunt, si per humilitatem parvuli apud semetipsos facti, in Christi sublimitate nutriantur; 1040 si semetipsos infirmos sentiant, et in excelsa humilitate cogniti Redemptoris fovendam mentis fiduciam ponant; si ima non appetant, si omne quod praeterit cordis volatu transcendant.

95. *Paulus aquilae similis.*---Videamus aquilam nidum spei sibi in arduis construentem. Ait: *Nostra conversatio in coelis est* (Philip. III, 20). Et rursum: *Qui conresuscitavit et consedere nos fecit in coelestibus* (Ephes. II, 6). In arduis habet nidum, quia profecto in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanae in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in coelestibus testaretur. Sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat.

96. *Electi terrena omnia despiciunt.*---Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt praesentis vitae iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad

alta pervenisse, quatenus cuncta quae praeterfluunt sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet amore aeternitatis calcent. Hinc est enim quod sequenti se animae per prophetam Dominus dicit: *Sustollam te super altitudines terrae* (**Isai. LVIII, 14**). Quasi quaedam namque inferiora terrae sunt, damna, contumeliae, egestas, abjectio, quae ipsi quoque amatores saeculi dum per latae viae planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terrae sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor, et sublimitas dignitatum; quae quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta aestimat, quo magna putat. At si semel cor in coelestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur quae alta videbantur. Nam sicut qui in montem conscendit eo paulisper caetera subterjacentia despicit, quo ad altiora gressum amplius tendit, ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam praesentis vitae gloriam esse deprehendit, super terrae altitudines elevatur; et quod prius in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit. Quae ergo illic Dominus facturum se esse pollicetur, dicens: *Sustollam te super altitudines terrae* (**Ibid.**), haec apud beatum Job solum sese facere posse testatur, dicens: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et ponet in arduis nidum sibi?* Ac si diceret: Ut ad meum, qui quod exterius praecipio hoc intrinsecus gratia occultae largitatis inspiro. Sequitur:

CAPUT XLVIII.

VERS. 28.---*In petris manet.*

97. *In petris, hoc est in sanctorum patrum celsitudine et constantia nidum ponunt.*---In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur quis alius quam Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait: *Petra autem erat Christus (I Cor. X, 4).* Cum vero petrae pluraliter appellantur, membra ejus, videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt exprimuntur. Quos nimirum Petrus apostolus lapides vocat, dicens: *Vos tanquam lapides vivi, coaedificamini domus spirituales (I Pet. II, 5).* Ista itaque aquila, quae ad veri solis radios cordis oculos erexit, in petris manere dicitur, quia in dictis antiquorum et fortium patrum mentis statione collocatur. Eorum quippe vitam quos in **1041** via Dei praeisse conspicit ad memoriam reducit, atque in celsitudine illorum fortitudinis studendo nidum sibi construit sanctae meditationis. Cumque eorum acta dictaque tacite cogitat, cum praesentis vitae gloriam in comparatione aeternae excellentiae quam sit abjecta considerat, quasi sub se esse ima terrarum in petris residens observat.

[*Vet. XXXV.*] 98. *Petrarum nomine coeli potestates designantur.*---Possunt etiam petrae sublimes virtutum coelestium potestates intelligi, quas non jam quasi more arborum huc atque illuc ventus nostrae mutabilitatis inclinat, quia velut petrae in arduis sitae ab omni motu mutabilitatis alienae sunt, et ad soliditatem fixae celsitudinis ipsa cui inhaerent aeternitate duruerunt. Vir itaque sanctus, cum terrena despicit, more se aquilae ab altiora suspendit, et per contemplationis spiritum sublevatus perennem angelorum gloriam praestolatur, atque in hoc mundo hospes, illa appetendo quae aspicit, jam in sublimibus figitur. Recte ergo

dicitur: *In petris manet*, id est intentione cordis inter illas coelestes virtutes residet, quae et per aeternitatis suae fortitudinem tanta jam soliditate fixae sunt, ut in nullo culpae latere mutabilitatis varietate flectantur. Unde et apte sequitur:

CAPUT XLIX.

IBID.---*Et in praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.*

99. *In Christo restaurata sunt omnia, quae in coelis et quae in terris.*---Qui enim sunt alii praerupti silices, nisi illi fortissimi angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis angelis diabolo remanserunt? Praerupti enim sunt, quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem praerupti. Hanc praeruptionem restituere Mediator venit ut redempto humano genere illa angelica damna sarciret, et mensuram coelestis patriae locupletius fortasse cumularet. Propter hanc praeruptionem de Patre dicitur: *Proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt in ipso (Ephes. I, 9, 10).* In ipso quippe restaurantur ea quae in terra sunt, dum peccatores ad justitiam convertuntur. In ipso restaurantur ea quae in coelis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt unde apostatae angeli superbiendo ceciderunt. Quod vero ait: *Inaccessis rupibus*, nimirum qui praerupti silices, ipsi sunt inaccessae rupes. Cordi enim peccatorum hominum valde inaccessa est

claritas angelorum, quia quo ad pulchra corporalia cecidit, eo a spiritali specie oculos clausit. Sed quisquis ita contemplatione rapitur, ut per divinam gratiam sublevatus, intentionem suam jam angelorum choris interserat, et fixus in sublimibus, ab omni se infima actione suspendat, non ei sufficit gloriam angelicae claritatis aspicere, nisi eum etiam qui est super angelos valeat videre. Sola namque ejus visio vera mentis nostrae refectio est. Unde cum dixisset hanc aquilam in petris manere, et in praeruptis silicibus atque inaccessis rupibus commorari, illico subdidit:

CAPUT L [*Rec. XX*].

VERS. 29.---*Inde contemplatur escam.*

100. *Dei visio mentis nostrae cibus.*---Id est, ex illis choris angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernae majestatis, **1042** qua non visa adhuc esurit, qua tandem visa satiatur. Scriptum quippe est: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur (Isai. 53, 11)*. Et rursum: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (Matth. V, 6)*. Quis vero mentis nostrae cibus sit, indicatur aperte cum dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Ibid., 8)*. Et quia, interpositione corruptibilis carnis gravati, Deum sicut est videre non possumus, recte subjungitur:

CAPUT LI.

IBID.---*Oculi ejus de longe prospiciunt.*

101. *Deum hic, nonnisi de longe prospicimus.*---Quantumlibet enim in hac vita positus quisque profecerit, necdum Deum per speciem, sed per aenigma et speculum videt. E vicino autem cum respicimus, verius cernimus; cum vero longius aciem tendimus, sub incerto visu caligamus. Quia igitur sancti viri in altam se contemplationem erigunt, et tamen Deum, sicut est, videre non possunt, bene de hac aquila dicitur: *Oculi ejus de longe prospiciunt.* Ac si diceret: Intentionis aciem fortiter tendunt, sed necdum propinquum aspiciunt, cujus claritatis magnitudinem penetrare nequaquam possunt. A luce enim incorruptibili caligo nos nostrae corruptionis obscurat; cumque et videri aliquatenus potest, et tamen videri lux ipsa, sicut est, non potest, quam longe sit indicat. Quam si mens utcunque non cerneret, nec quia longe esset videret. Si autem perfecte jam cerneret, profecto hanc quasi per caliginem non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec rursum omnino non cernitur, recte dictum est, quia a longe Deus videtur.

102. *Isaiae hac de re testimonium. Activae vitae gradibus ad contemplationis culmen ascenditur.*---Libet ad medium Isaiae verba deducere, atque haec et illa quam uno spiritu proferantur indicare. Qui cum activae vitae virtutes exprimeret, dicens: *Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum (Isai. XXXIII, 15),* illico ab ejusdem activae vitae gradibus ad quae

contemplationis culmina ascendatur adjunxit, dicens: *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquae ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe (Ibid., 16)*. In excelsis namque habitare est cor in coelestibus ponere. Et munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum fortium patrum praecepta et exempla respicimus atque ab infima cogitatione separamur. Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum mente choris castrisque coelestibus jungimur, et insidiantes malignos spiritus stantes in arce cordis quasi subterpositos expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur, quia in supernis erecta intentio, aeternitatis contemplatione reficitur. Aquae enim nostrae fideles sunt, quia doctrina Dei quod hic per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia namque hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. Aquae nostrae fideles sunt, quia verba vitae quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt, quia Redemptor noster in judicio et a reprobis **1043** homo videbitur, sed ad divinitatis ejus intuendam celsitudinem soli qui electi sunt sublevantur. Quasi enim quamdam foeditatem Regis videre est solam servilem formam in qua ab iniquis despectus est cernere. Sed ab electis in decore suo Rex cernitur, quia ultra semetipsos rapti, in ipso divinitatis fulgore oculos cordis figunt. Et quia quandiu in hac vita sunt, illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt, recte adjungitur: *Cernent terram de longe (Ibid., 17)*. Quod ergo hic ait: *Elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum sibi*, hoc illic dicitur: *In excelsis habitabit*. Quod hic dicitur: *In petris manet, et in praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus*, hoc illic subjicitur: *Munimenta*

saxorum sublimitas ejus. Quod rursus hic subinfertur: Inde contemplatur escam, hoc illic quoque subditur: Panis ei datus est, aquae ejus fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi ejus. Et quod hic subjungitur: Oculi ejus de longe prospiciunt, hoc illic apte subjicitur: Cernent terram de longe.

[*Vet. XXXVI.*] 103. *Paulus quam sublimis aquila.*--- Consideremus quam sublimis aquila fuerit Paulus, qui usque ad tertium coelum volavit (**II Cor. XII, 2**), sed tamen in hac vita positus e longinquo adhuc Deum prospicit, qui ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem (I Cor. XIII, 12).* Et rursum: *Ego me non arbitror comprehendisse (Philip. III, 13).* Sed quamvis aeterna valde minus quam sunt ipse conspiciat, quamvis ea se cognoscere perfecte non posse cognoscat, infirmis tamen auditoribus ea ipsa infundere praedicando non potest, quae videre saltem per speculum et imaginem potest. De semetipso quippe tanquam de alio loquitur, dicens: *Audivit arcana verba, quae non licet homini loqui (II Cor. XII, 4).* Interna ergo quamvis minima et extrema videantur, fortibus tamen praedicatoribus summa sunt, infirmis vero auditoribus incapabilia. Unde et praedicatores sancti, cum auditores suos divinitatis verbum capere non posse conspiciunt, ad sola incarnationis dominicae verba descendunt. Unde bene hic, dum sublevata in arduis aquila longe videre dicitur, illico subinfertur:

CAPUT LII [*Rec. XXI*].

VERS. 30.---*Pulli ejus lambunt sanguinem.*

104. *Passionis Christi meditatione pasci debemus.*---Ac si aperte diceretur: Ipsa quidem divinitatis contemplatione pascitur, sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere est passionis Dominicae infirma venerari. Hinc est quod idem Paulus, qui, sicut paulo ante jam diximus, ad tertii coeli secreta volaverat, discipulis dicebat: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2).* Ac si aperte haec aquila diceret: Ego quidem escam meam divinitatis ejus potentiam de longe prospicio, sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per praedicationem suam tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocet, quid aliud quam sanguinem pullis praebet? Quia vero uniuscujusque sancti praedicatoris anima corruptione carnis exuta ad eum mox ducitur, qui pro nobis sponte sua in mortem cecidit, et de morte surrexit, apte de hac aquila subditur:

CAPUT LIII.

IBID.---*Et ubicunque cadaver fuerit, statim adest.*

105. *Christus in coelis regnans electos ad se colligit.* --- Cadaver quippe a casu dicitur. Et non immerito **1044** corpus Domini propter casum mortis cadaver vocatur. [*Rec. XXII.*]

Quod autem hic de hac aquila dicitur: *Ubicunque cadaver fuerit, statim adest* (**Matth. XXIV, 28**), hoc de egredientibus animabus fieri Veritas spopondit, dicens: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*. Ac si aperte dicat: Qui coelesti sedi incarnatus Redemptor vester praesideo, electorum quoque animas cum carne solvero, ad coelestia sublevabo.

[*Vet. XXXVII.*] 106. *Omnis peccator cadaver; ad quod advolant aquilae, pii videlicet praedicatores peccatorum salutem esurientes. Haec volatus Pauli orbem peragrantis causa.*---Sed hoc quod de hac aquila dicitur: *Ubicunque fuerit cadaver statim adest*, intelligi et aliter potest. Omnis enim qui in peccati mortem ceciderit, non inconvenienter poterit cadaver vocari. Quasi exanimis namque jacet, qui justitiae vivificantem spiritum non habet. Quia ergo sanctus quisque praedicator ubi peccatores esse considerat, illuc anxie pervolat, ut in peccati morte jacentibus lucem vivificationis ostendat, bene de hac aquila dicitur: *Ubicunque cadaver fuerit, statim adest*. Id est, illuc tendit, ubi utilitatem praedicationis prospicit, ut ex eo quod jam spiritaliter vivit, aliis in morte sua jacentibus prosit, quos corripiendo quasi edit, sed ab iniquitate ad innocentiam permutando in sua membra quasi edendo convertit. Ecce ipse, quem ad testimonium jam saepe deduximus, Paulus cum nunc Judaeam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus, aeternae vitae gratiam nuntiaret, quid se aliud quam esse aquilam demonstrabat; quae velociter omnia transvolans, ubicunque jacens cadaver quaerebat, ut dum voluntatem Dei lucratis peccatoribus faceret, quasi escam suam in cadavere

reperiret? Esca quippe justorum est conversio perversorum, de qua dicitur: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam (Joan. VI, 27)*. Auditis itaque tot sanctorum virtutibus, beatus Job obstupuisse intelligitur, et sub admirationis terrore siluisse. Nam sequitur:

CAPUT LIV [*Rec. XXIII*].

VERS. 31, 32.---*Adjecit Dominus, et locutus est ad Job: Nunquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit? Utique qui arguit Deum debet et respondere illi.*

107. *Pia et moderata Dei ad Job increpatio.*---Vir sanctus tanta hac distractione flagelli non aestimavit augeri sibi merita, sed vitia resecari. Quae quia in se nulla cognovit, percussum injuste se credidit, et percutientem prorsus arguere est de percussione murmurare. Considerans autem Dominus quod ea quae protulit non ex tumore superbiae, sed ex qualitate collegerat vitae, pie illum increpat dicens: *Nunquid qui contendit cum Deo tam facile conquiescit? Utique qui arguit Deum debet et respondere illi.* Ac si apertius diceret: Qui tanta de tua actione locutus es, cur audita sanctorum vita siluisti? Me enim fuit arguere, de percussione mea an fuerit justa dubitare. Et bona quidem tua veraciter protulisti, sed haec quod tenderent flagella nescisti, quia etsi non habes jam quod corrigas, habes adhuc tamen quo crescas. In quantam vero virtutis arcem quam plurimos sublevem, me ecce narrante cognovisti. Ipse considerabas tuam, sed aliorum celsitudinem nesciebas. Auditis igitur aliorum virtutibus, si quid vales,

responde de tuis. Scimus autem quod cordis sui oculum per elationis tenebras exstinguit, qui, cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. **1045** At contra magno humilitatis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea quae ipse fecerit facta foris et ab aliis conspicit, eum qui de singularitate intus erumpere nititur superbiae tumorem premit. Hinc est quod voce Dei ad Eliam solum se aestimantem dicitur: *Reliqui mihi septem millia virorum qui* **1046** *non curvaverunt genua ante Baal (III Reg. XIX, 18)*, ut dum non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quae ei de singularitate surgere poterat, evitare posset. Beatus itaque Job nihil perverse egisse reprehenditur, sed de aliorum etiam bene gestis docetur, ut dum se aequales et alios habere considerat, ei qui singulariter summus est, se humiliter subdat.

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS. *Duobus ultimis versiculis capitis XXXIX explicatis, quatuor supra decem priores cap. XL exponuntur; multaque tum de infinita Dei potentia, tum de Satanae noxiis in homines consiliis docentur.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Sancti, unde digniores efficiuntur, inde sibi magis videntur indigni.*---Sancti viri quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt, quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat inveniunt; et tanto magis foris sibi deformes apparent, quanto nimis pulchrum est quod intus vident. Unusquisque enim sibi, dum tactu veri luminis illustratur, ostenditur; et unde agnoscit quid est justitia, inde eruditur, ut videat quid est culpa. Hinc est quod saepe mens nostra quamvis frigida in conversationis humanae actione torpescat, quamvis in quibusdam delinquat et nesciat, quamvis peccata quaedam quasi nulla perpendat; cum tamen ad appetenda sublimia orationis compunctione se erigit, ipso suae compunctionis oculo excitata ad circumspiciendam se post fletum vigilantior redit. Nam cum neglectam se deserit, et noxio tepore torpescit, vel otiosa verba, vel inutiles cogitationes minoris esse reatus omnimodo credit. At si, igne compunctionis incalescens, a tepore suo, tacta subito afflatu contemplationis, evigilet, illa quae levia paulo ante credidit mox ut gravia ac mortifera perhorrescit. Cuncta enim vel in minimis noxia, quasi atrocissima refugit, quia videlicet per conceptionem spiritus grvida, introire ad se jam inania nulla permittit. Ex eo enim quod intus conspicit, quam sint horrenda haec quae exterius perstrepunt sentit; et quanto amplius sublevata profecerit, tanto magis refugit infima, in quibus prostrata defecit. Nihil quippe eam nisi id quod interius viderat pascit; atque eo gravius tolerat quidquid se ei extrinsecus ingerit, quo illud non est quod intrinsecus vidit, sed ex his interioribus quae raptim videre potuit, ad exteriora quae tolerat iudicandi regulam sumit. Super se enim rapitur dum sublimia contemplatur; et semetipsam jam liberius excedendo conspiciens, quidquid ei

ex seipsa sub seipsa remanet, subtilius comprehendit. Ex qua re miro modo agitur, ut, sicut superius dictum est, unde dignior efficitur, inde sibimet indigna videatur, et tunc rectitudini se longe esse sentiat, cum appropinquat. Unde Salomon ait: *Cuncta tentavi in sapientia, et dixi: Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me* (**Eccle. VII, 24**). Quaesita enim sapientia longe recedere dicitur, quia appropinquanti altior videtur. Qui vero hanc nequaquam quaerunt, tanto se ei propinquos aestimant, quanto et ejus rectitudinis regulam ignorant, quia siti in tenebris mirari lucis claritatem nesciunt, quam nunquam viderunt; cumque in formam ejus pulchritudinis non tenduntur, in semetipsis libenter quotidie deformiores fiunt. Nam quisquis ejus radiis tangitur, sua illi manifestius tortitudo monstratur; et eo verius invenit quantum flectatur in vitio, quo, sagacius summa considerans, conspicit quantum distat a recto. Unde beatus Job humanum genus virtutibus transiens, amicos loquendo superavit; sed loquente Deo, sublimius eruditus, semetipsum cognoscendo reticuit. Illos namque injuste loquentes subdidit, sed ad verba locutionis intimae reum se juste cognovit. Et quidem cur flagellatus sit nescit, sed tamen cur flagella veneratus non sit, silendo redarguit. Divina enim judicia cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda, quia et cum causas rerum conditor in flagello non aperit, eo justas indicat, quo se eas facere qui summe justus est demonstrat. Vir ergo sanctus, et prius de locutione, et post de silentio reprehensus, quid de semetipso sentiat innotescat. Ait enim:

CAPUT II.

CAP. XXXIX, VERS. 34.---*Qui leviter locutus sum, respondere quid possum?*

2. *De verbo otioso ne sancti quidem excusari possunt. Sed linguae culpas vitae meritis tegere curant.*---Ac si dicat: Sermonem meum defenderem, si hunc cum rationis pondere protulissem. At postquam lingua levitate usa convincitur, quid restat nisi ut conticendo refrenetur? Sequitur:

IBID.---*Manum meam ponam super os meum.*

Usu sacri eloquii in manu operatio, in ore locutio solet intelligi. Manum ergo super os ponere est virtute boni operis culpas tegere incautae locutionis. Quis vero inveniri potest qui, quamlibet perfectus sit, de otioso tamen sermone non peccet? Jacobo attestante, qui ait: *Nolite plures magistri fieri, in multis enim offendimus omnes (Jacob. III, 1).* Et rursum: *Linguam nullus hominum domare potest (Ibid. 8).* Cujus culpas redarguens per semetipsam Veritas, dicit: *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo 1047 rationem in die judicii (Matth. XII, 36).* Sed sancti viri ante Dei oculos student culpas linguae tegere meritis vitae, student bonorum operum pondere premere immoderata verborum. Unde in sancta Ecclesia manus super os ponitur, dum in electis ejus quotidie otiosae locutionis vitium bonae actionis virtute operitur. Scriptum namque est: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. XXXI, 1).* Sed rursum cum scriptum sit: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus (Hebr. IV, 13),* quomodo tegi possunt quae ejus oculis

cui cuncta nuda sunt abscondi nequaquam possunt? Sed quia hoc quod tegimus, inferius ponimus, atque hoc unde tegimus nimirum superducimus, ut quod est subterpositum tegamus, tegere peccata dicimur quae quasi subterponimus dum abdicamus, eisque aliud superducimus, dum bonae actionis opus ad hoc post eligimus ut praeferamus. Qui ergo priora mala deserit, et bona posterius facit, per hoc quod addit, transactam nequitiam tegit, cui boni operis merita superducit. Beatus igitur Job sanctae Ecclesiae typum tenens, et in verbis suis sua allegans, nostra designans, dicat ex se, dicat ex nobis: *Manum meam ponam super os meum*; id est, hoc quod districto iudici de sermone meo in me displicuisse considero, ante ejus oculos sub velamine recti operis abscondo. Sequitur:

CAPUT III.

VERS. 35.---*Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; et alterum, quibus ultra non addam.*

3. *Job Deo increpanti humiliter se peccasse confitetur.*---Si transacta beati Job verba discutimus, nihil eum nequiter dixisse reperimus. Si vero dicta ejus, quae cum veritate ac libertate prolata sunt, in aliquod superbiae vitium flectimus, duo jam solummodo non erunt, quia multa erunt. Sed quia loqui nostrum est hominibus occultum sensum verbis aperire, loqui vero nostrum ad divinas aures est motum mentis etiam expressione actionis ostendere, beatus Job ad libram se subtilissimi examinis pensans, locutione sua secundo se

deliquisse confitetur. Unum enim loqui illicite est res flagello dignas agere, aliud loqui est etiam de flagello murmurare. Qui ergo ante increpationem dominicam in omni opere hominibus praelatus fuit ipsa in altum increpatione proficiens, et minus se rectum prius in opere, et minus se patientem post in verberare agnovit. Unde semetipsum redarguit, dicens: *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; et alterum, quibus ultra non addam.* Ac si dicat: Rectum me quidem inter homines credidi: sed, te loquente, et ante flagella pravum, et post flagella me rigidum inveni. *Quibus ultra non addam*, quia jam quanto nunc te loquentem subtilius intelligo, tanto meipsum humiliter investigo.

[*Vet. II, Rec. IV.*] 4. *Poenitentiae objectum sunt bona neglecta, et mala perpetrata. Activa vita multorum est, contemplativa paucorum.*---Et quia beatus Job sanctae Ecclesiae typum tenet, possunt electis omnibus haec ejus verba congruere, qui cognoscentes Dominum, in uno et alio deliquisse se sentiunt, quia se intelligunt vel in cogitatione et opere, vel in Dei ac proximi neglecta dilectione peccasse. Quibus se promittunt ultra nil addere, quia per conversionis gratiam curant poenitendo quotidie etiam transacta purgare. Per hoc tamen quod beatus Job de duobus se poenitendo redarguit, liquido ostendit quod **1048** peccator omnis in poenitentia duplicem habere gemitum debet, nimirum quia et bonum quod oportuit non fecit, et malum quod non oportuit fecit. Hinc est enim quod per Moysen de eo qui juramentum protulit, ut vel male quid vel beneficeret, et hoc ipsum oblivione transcendit, dicitur: *Offerat agnam de gregibus sive capram, orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel*

duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum (Levit. v. 6, 7, 8). Juramentum namque proferre est voto nos divinae servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostrae vovemus, male ad praesens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantulumcunque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus sive capra praecipitur. Quid enim per agnam nisi activae vitae innocentia, quid per capram, quae in summis saepe extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplativa vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non impluisse, ad sacrificium Dei sese studiosius debet vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur, quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. Et cum haec agimus quae multos agere et egisse conspiciamus, quasi agnam de gregibus damus. Sed cum offerentis virtus ad agnam capramque non sufficit, in remedium poenitentis adjungitur, ut duo pulli columbarum, vel duo turtures offerantur. Scimus quia columbarum pulli vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos, vel duos turtures, nisi duplex poenitentiae nostrae gemitus designatur, ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus, quia et recta non fecimus, et prava operati sumus? Unde et unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum jubetur. Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus; de altero vero holocaustum facimus, cum pro eo quod bona negleximus, nosmetipsos

funditus succedentes, igne doloris ardemus. Quia igitur duplex in poenitentia gemitus debetur, beatus Job divinae vocis increpatione proficiens, atque in sua reprehensione succrescens, dixisse se unum et alterum poenitens fatetur, ac si aperte dicat: Et erga bona per negligentiam torpui, et ad mala per audaciam prorupi:

CAP. XL, VERS. 1, 2.---*Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et indica mihi.*

[*Vet. III, Rec. V.*] Quid sit Dominum de turbine respondere, quid beatum Job lumbos accingere, quid interrogare Dei, quid hominis indicare, primo jam Domini sermone tractatum est (**Sup. lib. XXVIII, n. 1 et seq.**). Quia ergo lectoris taedio parcimus, curamus summopere ne dicta replicemus. Sequitur:

CAPUT IV.

VERS. 3.---*Nunquid irritum facies iudicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris?*

1049 5. *Job juste correptus, ut occultis Dei iudiciis etiam nesciens subderetur.*---Quisquis contra Domini flagella semetipsum defendere nititur, flagellantis iudicium evacuare conatur. Nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quam injustitiam ferientis accusat? Beatum itaque Job non idcirco flagella coelestia percusserunt, ut in eo culpas exstinguerent, sed potius ut merita augerent, quatenus qui

tranquillitatis tempore in tanta sanctitate claruerat, et ex percussione patesceret quae in eo etiam patientiae virtus latebat. Qui quidem culpam suam inter flagella non inueniens, nec tamen flagella eadem causam sibi esse augendi meriti deprehendens, injuste se feriri credidit, cum quid in se debuisset corrigi non invenit. Sed ne ipsa innocentia in tumorem elationis infletur, divina voce corripitur, et mens ejus ab iniquitate libera, sed verberibus pressa, ad judicia occulta revocatur, ut superna sententia, etsi non est cognita, non tamen credatur injusta; sed eo saltem justum credat omne quod patitur, quo nimirum constat quia Deo auctore patiatur. Magna enim satisfactio percussionis est voluntas justa conditoris. Quae cum injustum facere nihil solet, justa agnoscitur etiam si latet. Nam cum pro injustitiae peccato percutimur, si in percussione nostra divinae voluntati jungimur, mox a nostra injustitia ipsa conjunctione liberamur. Quisquis enim jam percussione tolerat, sed adhuc causas percussionis ignorat, si justum credens hoc ipsum contra se judicium amplectitur, eo ipso ab injustitia sua jam correctus est, quo percussum se juste gratulatur. In vindicta enim sua Deo se socians, sese contra se erigit; et magna est jam justitia, quod voluntati judicis concordat in poena, cui discrepavit in culpa. Vir igitur sanctus, quia in nulla Deo culpa discrepaverat, quasi cum difficultate ei inter supplicia concordabat. Neque enim credidit quod flagella quae solent vitia extinguere in illo sola merita augerent. Unde nunc juste corripitur, ut occultis judiciis et nesciens subderetur, eique dicitur: *Nunquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me ut tu justificeris?* Ac si aperte diceretur: Tua quidem bene acta consideras, sed mea occulta judicia ignoras. Si ergo ex tuis meritis contra mea flagella

disputas, quid aliud quam me de injustitia addicere te justificando festinas? Sequitur:

CAPUT V [*Vet. IV, Rec. VI*].

VERS. 4.---*Si habes brachium sicut Deus, et si voce similitonas.*

6. *Contemplata Dei sanctitate, ad humilitatem provocantur etiam sanctiores.*---Quia humanum genus beatus Job meritis transcendebat, eum pius conditor et eruditor ad considerandam similitudinem suae magnitudinis provocat, ut cognita tanta dissimilitudine, in humilitate se premat.

7. *Deus, etsi corporis expers, cum rebus corporeis comparatur. Anthropomorphitarum haeresis. Deo cur oculi et scapulae tribuantur. Recordari quo sensu dicitur. Quid Dei alae.*---Sed cum in Deo vox et brachium dicitur, cavendum summopere est, ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In Anthropomorphitarum namque haeresim cadere est, eum qui incircumscripte implet et circumplectitur omnia intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, usque ad nostra se humiliat, atque ut alta insinuet, humilibus condescendit, quatenus parvulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exsurgat incognita, atque **1050** ab eo qui longe super ipsum est quaedam juxta se audiens, quasi quibusdam ad illum passibus moveatur. Unde fit ut per Scripturam suam aliquando a corporibus hominum, aliquando a mentibus, aliquando vero ab avibus, aliquando etiam ab insensatis rebus quasdam longe

dissimiles in se similitudines trahat. Plerumque enim a corporibus hominum in se similitudinem trahit, sicut de eo propheta ad Israelitas dicit: *Qui tetigit vos, tangit pupillam oculi ejus* (**Zach. II, 8**). Et sicut de eo rursum speranti homini per Prophetam dicitur: *In scapulis suis obumbrabit tibi* (**Psal. XC, 4**). Constat nimirum quod in natura sua nec oculum Deus, nec scapulas habeat, sed quia nos per oculum cernimus, in scapulis vero onera sustinemus. Deus quod omnia videt, oculum habere perhibetur; quod vero nos tolerat, atque eo ipso quo tolerat servat, obumbrare nobis in scapulis dicitur. Ait enim: *In scapulis suis obumbravit tibi*. Ac si diceret peccatori homini, et post peccatum veniam deprecanti: Ea pietate Dominus te protegit, qua te pietate toleravit. Obumbrat enim in scapulis suis, quia dum portat, defendit. [*Vet. V.*] Aliquando vero a mentibus in se similitudinem trahit, sicut per prophetam ad Israel dicit: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam* (**Jerem. II, 2**). Et rursum per sponsae comparisonem loquens ait: *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (**Isai. XLIX, 15**). Quis enim nesciat quia Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione sarcitur? Sed dum aliqua deserens praetermittit, more mentium oblivisci dicitur; et cum post longum tempus quae voluerit visitat, nostrae mutabilitatis consuetudine recordatus vocatur. Quo enim pacto divinitatis ejus vim oblivio dissipat, cui ipsa quoque laudabilis memoria essentialiter non concordat? Nulla namque nisi aut praeterita, aut absentia recordantur. Quomodo ergo Deus praeteritorum reminiscitur, cum ipsa quae in semetipsis praetereunt ejus nutui semper praesentia assistunt? Aut quomodo absentium recordatur, dum omne quod est per hoc illi praesto est, quod in ipso est? Quod si ei praesto non esset, omnino non esset; nam non

existentia videndo creat, existentia videndo continet. Quidquid ergo creator non videt, essentia subsistendi caret. Aliquando autem ab avibus in illum similitudo trahitur, sicut per Moysen dicitur: *Expandit alas suas, et assumpsit eos* (**Deut. XXXII, 11**). Et propheta ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (**Psal. XVI, 9**). Quia enim nos parvulos dum protegit nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more avium super nos alas tendit. Aliquando etiam insensatis rebus, propter infirmitatem nostram alta condescensione se comparat, sicut per prophetam dicit: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plastrum onustum feno* (**Amos. II, 13**). Quia enim fenum est vita carnalium, sicut scriptum est: *Omnis caro fenum* (**Isai. XL, 6**), in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustrum fenum se portare testatur. Cui sub feni onere stridere est pondera et iniquitates peccantium cum querela tolerare. Cum ergo longe dissimiles in se similitudines trahat, solerter intuendum est quod quaedam talia aliquando dicantur in Deo propter **1051** effectum operis, aliquando autem ad indicandam ejus substantiam majestatis. Nam cum in Deo oculus, scapulae, pes atque alae nominantur, effectus quidem operationis ostenditur. Cum vero manus, brachium, dextera vel vox in Deo dicitur, per haec vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe est et manus et dextera, de cujus ascensione per Moysen Pater loquitur, dicens: *Tollam in coelum manum meam, et jurabo per dexteram meam* (**Deut. XXXII, 40**). Ipse brachium, de quo propheta ait: *Et brachium Domini cui revelatum est*. (**Isai. LIII, 1**)? Ipse vox, quia eum Pater gignendo dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (**Psal. II, 7**). Et de quo scriptum est: *In principio erat.*

Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1). Per hoc Verbum fecisse Patrem omnia David asserit, dicens: *Dixit, et facta sunt (Psal. XXXII, 9).* Deum ergo brachium babere est operantem Filium gignere, voce tonare est consubstantialem sibi Filium mundo terribiliter demonstrare. Beato igitur Job cum dicit Dominus: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas,* mira dispensatione pietatis eum dum increpat exaltat, quia eum quem sua comparatione superat superiorem cunctis demonstrat. Cui in hac propositione subjungit:

CAPUT VI [*Rec. VII*].

VERS. 5.---*Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.*

8. *Angeli et Ecclesia, Dei decor et ornamentum sunt.*--- Subaudis, ut ego. Ipse enim sibi circumdat decorem, de quo scriptum est: *Dominus regnavit, decorem induit (Psal. XCII, 1).* Ipse apud nos in sublime erigitur, cum nostris mentibus in natura sua esse impenetrabilis demonstratur. Ipse vero gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. Ipse speciosis induitur vestibus, quia sanctorum angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumpsit, et velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet non habentem rugam, aut maculam (**Ephes. V, 27**). Unde ei per prophetam dicitur: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento (Psal. CIII, 2).* Hic quippe confessionem

induit, illic decorem, quia quos hic per poenitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiae ostendet. Luce ergo sicut vestimento amictus est, quia sanctis omnibus, quibus dictum est: *Vos estis lux mundi* (**Matth. V, 14**), in illa aeterna gloria vestietur. Unde et per Evangelium dicitur, quia, transfigurato in monte Domino vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix (**Matth. XVII, 2**). In qua transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimae gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernae claritatis culmine sancti omnes ei luce justitiae fulgentes adhaerebunt. [*Vet. VI.*] Sed quia speciosarum vestium nomine justos sibi quomodo adjungat insinuat, injustos etiam quomodo a se disjungat ostendit. Sequitur:

CAPUT VII.

VERS. 6.---*Disperge superbos in furore tuo.*

9. *Deus tranquille irascitur.*---Subaudis ut ego, qui eos et tranquillitatis tempore unitos contra me tolero, et districtus quandoque veniens, in meo eos furore dispergo. Sed inter haec solerter intuendum est quod gravis perfidiae error admittitur, si fortasse quis aestimet quod in illa divinitatis substantia furor et tranquillitas varietur. Creator namque omnium eo summe immortalis est, quo creaturae more mutabilis **1052** non est. Hinc de illo per Jacobum dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (**Jac. I, 17**). Hinc rursum scriptum est: *Tu autem, Domine, cum tranquillitate*

judicas (Sap. XII, 18). Hinc propheta ait: Deserta facta est terra a facie irae columbae, a facie furoris Domini (Jerem. XXV, 38). Quod enim iram columbae praedixerat, hoc furorem Domini subjunxit. Columba namque valde simplex est animal; et quia in Deum nulla furoris inaequalitas serpit, furorem Domini iram columbae nominavit. Ut enim divinae districtiois vim imperturbabilem demonstraret, et iram dixit, et columbae, ac si apertius diceret: Districtum iudicium inconcussus exerit, qui permanens mansuetus injustos punit. Unde et in extremo iudicio, in semetipso incommutabilis manens, nulla vicissitudine ac mutabilitate variatur, sed tamen electis ac reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia et tranquillus justis, et iratus apparebit injustis. Teste enim conscientia intra semetipsos deferunt, unde eorum mentes aequae unum respiciant, sed non aequaliter modificentur, quia et istis eum benignum ostendit anteacta justitia, et illis terribilem culpa. Quorum pavorem quis explicet, cum contigerit miseris et intra se culpas cernere, et ante se iudicem justum videre? Hoc nimirum quotidie in usu vitae praesentis agitur, ut de qualitate venturi iudicis mortalium corda doceantur. Nam cum duo ad iudicium pergunt, alius innocentiae sibi conscius, alius culpa, ante prolatam sententiam adhuc tacentem iudicem utrique conspiciunt, et tamen culpa debitor gravem contra se iram hoc ipsum iudicis silentium suspicatur. Quam iram sibi non denuntiat perturbatio iudicis, sed recordatio pravitatis, quia etsi adhuc foris reum sententia non clamat, intus tamen graviter conscientia accusat. At contra justitiae amicus decernentis vultum conspicit, sed intus de testimonio bonae recordationis hilaescit, et quo apud se quod metuat non habet, eo omne quod erga semetipsum est blandum videt. Hoc

itaque loco furor Domini dicitur non perturbatio divinae substantiae, sed super peccatores male sibi conscios examinatio justae vindictae. Quamvis enim eum tranquillum in iudicio videant, tamen quia feriendos se ab illo non dubitant, eum in suis motibus perturbatum putant. Sequitur:

CAPUT VIII.

IBID.---*Et respiciens omnem arrogantem humilia.*

10. *Omnis arrogans aut poenitendo cognoscit culpam, aut pereundo percipit poenam.*---Ac si dicat ut ego. Apte autem ad vindictae ordinem arrogantibus superborum culpa praeponitur, quia nimirum non superbia de arrogantia, sed generatur arrogantia de superbia. Duobus autem modis a Domino peccator unusquisque respicitur, cum aut a peccato convertitur, aut ex peccato punitur. De respectu enim conversionis dicitur: *Quia respexit Dominus Petrum, et recordatus Petrus verbi Jesu flevit amare (Luc. XXII, 61).* De respectu ultionis rursus dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (Psal. XXXIII, 17).* Utrisque autem modis in humilitate arrogans sternitur, quia aut poenitendo cognoscit culpam, aut pereundo percipit poenam:

CAPUT IX [*Vet. VII*].

VERS. 7.---*Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo.*

1053 11. *Superbi dum elevatur dejectio.*---Subaudis ut ego. Superbi enim ex respectu Domini confunduntur, aut hic de pietate cognoscentes et damnantes crimina, aut illic supplicia de justitia sentientes. Impiorum vero locus ipsa superbia est, quia cum scriptum sit: *Initium omnis peccati superbia* (**Eccli. X, 15**), unde oritur impietas, ibi continetur, quamvis nec quidquam a superbia distat impietas. Valde enim superbire est impia de auctore sentire. Impius ergo in loco suo conteritur, quia ipsa superbia qua elevatur opprimitur; cumque, efferendo se in cogitationibus erigit, lumen sibi justitiae quod invenire debuisset abscondit. Saepe autem dum contra Deum falsa gloria exterius proficit, vera miseria interius inanescit. Unde Propheta ait: *Dejecisti eos dum allevarentur* (**Psal. LXXII, 18**). Non enim ait: Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed dum allevarentur, quia hoc ipsum sit superbis interius dejici, quod eis falsa contingit gloria exterius elevari. Ordinante enim divino iudicio, non eis hic aliud culpa est, atque aliud poena, sed sua illis in poenam vertitur culpa, ut elatis fastu superbiae hoc ipsum sit vere intus cadere quod foris ostenditur profecisse. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 8.---*Absconde eos in pulvere, simul et facies eorum demerge in foveam.*

12. *Deus corda superborum, terrenis negotiis et desideriis opprimi permittit.*---Ac si dicat ut ego. Superbos enim atque impios justo iudicio Dominus in pulvere abscondit, quia eorum corda ipsis quae, despecto amore creatoris, eligunt terrenis opprimi negotiis permittit. Unde et illorum vitam cum in extremo iudicio discutit, tanquam sibi absconditam non agnoscit, dicens: *Nescio qui estis (Luc. XIII, 27)*. Vita pravorum sub pulvere absconditur, quia abjectis et infimis desideriis gravatur. Quisquis enim adhuc ea quae mundi sunt appetit, quasi ante faciem veri luminis non apparet, quia nimirum sub pulvere terrenae cogitationis latet. Hunc pravarum cogitationum pulverem oppressa mens tolerat, quem ventus nequissimae tentationis apportat. [*Vet. VIII.*] Hinc est enim quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie per prophetam dicitur: *Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non reversatur (Osee. VII, 8)*. Ex natura quippe bene condita est nobis intentio, quae surgat in Deum; sed ex conversatione nequiter assueta inest voluptas, quae praesens premat in saeculum. Panis autem subcinericius ex ea parte est mundior, quam inferius occultat, atque ex ea parte sordidior, qua desuper cinerem tolerat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisset quaerere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit, et cum curas saeculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur autem panis subcinericius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, et intentionem bonam, quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari renuit, cum mens, amore curarum saecularium pressa, molem superpositi cineris abjicere negligit, dumque assurgere in

intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subter premit.

13. *Dum superbiendo altiora petunt, ad inferiora retruduntur.*---Apte autem subjungitur: *Simul et facies eorum demerge in foveam.* Ac si dicat, Ut ego. Justo namque iudicio superbiorum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum sese ultra homines erigentem inferius dejicit. Ima enim **1054** respicit, cujus facies foveam attendit. Et bene de superbis dicitur quod eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetunt; et quo magis extollendo se erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Terrenam quippe gloriam quaerunt, et infima sunt quae prospiciunt, dum superbiendo alta sectantur. Unde miro et diverso modo res agitur, ut humiles coelum petant, dum se inferius dejiciunt; superbi infima appetant, dum despiciendo caeteros quasi in altioribus extolluntur. Isti se, dum despiciunt, coelestibus junguntur; illi, dum se erigunt, a superioribus dividuntur, atque, ut ita dixerim, illi se elevantes deprimunt, isti deprimentes elevant. Et bene de superbientibus per Psalmistam dicitur: *Humiliat autem peccatores usque ad terram (Psal. CXLVI, 6)*, quia ea quae infra sunt ambientes, dum extollendo se erigunt, amisso coelo quid aliud quam terram petunt? Quibus hoc ipsum jam in imis cecidisse est relictis superioribus ima quaesisse. Recte ergo eorum facies in foveam demergi perhibentur, quia sequentes infima, ad inferni barathrum tendunt. Justo enim iudicio agitur, ut quos hic voluntaria aversio excaecat, illic ab intuitu veri luminis digna supplicii fovea abscondat. Igitur quia vir sanctus tanto divinae potentiae terrore discussus est, ut ei diceretur: *Si habes brachium ut Deus, et si voce simili*

tonas, disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia, et caetera quae Deus quidem facere, sed homo vix sufficit audire, cuncta haec qua Dominus intentione praemiserit, fine subdita conclusionis ostendit, dicens:

CAPUT XI [*Vet. IX, Rec. VIII*].

VERS. 9.---*Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.*

14. *Pelagianorum error suis viribus salvari posse confidentium.*---Ac si aperte diceret: Si potes terribilia haec facere, ipse quae protuli, tibi et non mihi deuto bona omnia quae fecisti. Si vero peccantes alios respiciendo non potes perdere, liquet quod a reatu nequitiae tua te non vales virtute liberare. Ecce divina voce ad beatum Job dicitur quod sua dextera non salvetur, et tamen nonnulli hominum, qui ab hujus viri viribus longe sunt, despecto Dei adjutorio, sua se fortitudine salvari posse confidunt. Pro quibus quid deprecari aliud debemus, nisi ut si jam dona bonorum operum perceperunt, hoc quoque donum accipiant, ut a quo haec acceperint discant? Quia autem praemissis verbis Dominus potentiam suae magnitudinis intulit, nunc in subsequentibus nequitiam antiqui hostis ostendit, ut bonus famulus et, auditis prius virtutibus Domini, sciret quantum diligeret, et, cognita post calliditate diaboli, disceret quantum timeret. Unde bene per prophetam dicitur: *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus (ocutus est, quis non prophetabit (Amos III, 8)?* Postquam enim virtus ei sui conditoris innotuit, nequaquam

illum vires adversarii latere debuerunt, ut eo magis defensori suo se humiliter subderet quo hostis sui nequicias subtilius agnovisset, protectoremque suum tanto ardentius quaereret, quanto terribiliorem hostem cognosceret quem vitaret. Certum quippe est quia minus diligit ereptorem suum qui minus intelligit periculum quod evasit, et vile solatium deputat defensoris qui virtutem adversarii debilem putat. Unde bene ereptionem suam Domino tribuens propheta dicebat: *Diligam te, Domine, virtus mea* (Psal. XVII, 1), aperte videlicet dicens: Eo te magis diligo, quo infirmitatem **1055** propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco. Hinc rursum ait: *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te* (Psal. XVI, 7), quia tunc nimirum misericordiae Domini mirae apud nosmetipsos qui eripimur fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula quae evasimus, agnoscuntur.

15. *Vires fraudes quae hostis nostri describuntur.*---Et quia sermone praecedenti Dominus beato Job mira opera sanctorum sequentium patefecit, ut his auditis disceret de virtutum suarum culmine quam humilia sentire debuisset, nunc ei cum quo hoste bellum gerat ostenditur, et vires fraudesque illius subtilius indicantur, ut qui ad colloquium auctoris sui perductus est, argumenta adversarii aperte cognoscat. Verbis enim sequentibus fideli famulo Dominus cunctas hostis callidi machinationes insinuat, omne quod opprimendo rapit, omne quod insidiando circumvolat, omne quod minando terret, omne quod suadendo blanditur, omne quod desperando frangit, omne quod promittendo decipit. Cuncta ergo tergiversationis ejus certamina exorditur, dicens:

CAPUT XII [*Vet. X, Rec. IX*].

VERS. 10.---*Ecce Behemoth, quem feci tecum.*

16. *Omnia creata sunt simul secundum substantiam, non secundum speciem.*---Quem sub Behemoth nomine nisi antiquum hostem insinuat, qui interpretatus ex Hebraea voce, in Latina lingua animal sonat? Cujus inferius, dum malitia subditur, patenter persona monstratur. Sed cum de Deo scriptum sit quia fecit omnia simul (**Eccli. XVIII, 1**), cur hoc animal cum homine fecisse se indicat, dum cuncta quia simul fecerit constat? Rursum quaerendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante distincte creata describat (**Genes. I, 32**). Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est, et quod simul exstitit per substantiam materiae non simul apparuit per speciem formae. Cum enim simul factum coelum terraque describitur, simul spiritalia atque corporalia, simul quidquid de coelo oritur, simul factum quidquid de terra producitur indicatur. Sol quippe, luna et sidera quarto die in coelo facta perhibentur, sed quod quarto die processit in specie primo die in coeli substantia exstitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, et tertio arbusta condita, et cuncta terrae virentia describuntur; sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa de qua ortum est terrae substantia conditum fuit. Hinc est quod Moyses distincte per dies singulos condita omnia retulit, et tamen simul omnia creata

subjunxit, dicens: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creatae sunt in die quo fecit Dominus coelum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis* (**Genes. II, 4, 5**). Qui enim diversis diebus creatum coelum et terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat, ut liquido ostenderet quod creatura omnis simul per substantiam exstitit, quamvis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam fecit eos* (**Genes. I, 27**). Necdum enim Eva facta describitur, et jam homo masculus et femina perhibetur. Sed quia ex Adae latere **1056** procul dubio femina erat processura, in illo jam computatur per substantiam, a quo fuerat producenda per formam. Considerare tamen haec et in minimis possumus, ut ex minimis majora pensemus. Herba namque cum creatur, necdum in illa fructus, necdum fructus sui semen ostenditur. Inest vero ei etiam cum non apparet fructus et semen, quia nimirum simul sunt in radicis substantia quae non simul prodeunt per temporis incrementa.

17. *Quo sensu angelus et homo simul creati. Angelus desertor peccando dona gratiae amisit, non naturae. Duo Manichaeorum principia rejiciuntur.*---Sed quia haec simul creata per substantiam dicimus, quae prodire alia ex aliis invenimus, quo pacto cum beato Job Behemoth creatus asseritur, cum neque una sit substantia angeli et hominis, neque homo ex angelo, neque angelus ex homine proferatur? Si vero propter hoc factus Behemoth cum beato Job dicitur, quod creatura omnis ab auctore, qui in actione sua nequaquam temporis protelatione distenditur, simul condita

non dubitatur, cur de Behemoth specialiter dicitur quod commune cum creaturis omnibus generaliter habetur? Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul angelum factum hominemque cognoscimus, simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione rationis; simul per acceptam imaginem sapientiae, et non simul per conjunctam substantiam formae. Scriptum namque de homine est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (**Genes. I, 26**). Et per Ezechielem ad Satan dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei faisti* (**Ezech. XXVIII, 12**). In cuncta igitur creatura, homo et angelus simul conditus exstitit quia ab omni creatura irrationali distinctus processit. Quia ergo in cuncta conditione rerum nullum rationale animal nisi angelus et homo est, quidquid ratione uti non potest, cum homine factum non est. Dicatur itaque homini, dicatur de angelo, qui etsi potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturae rationalis non amisit: *Ecce Behemoth, quem feci tecum*. Ut dum homo eum qui in ratione secum factus est, periisse considerat, vicinum sibi casum superbiae ex ipsa propinqui sui perditione pertimescat. In his autem verbis solerter intuendum est quod aperte voce dominica nefarium Manichaei dogma reprehenditur, qui dum duo principia loquitur, tenebrarum gentem non factam asserere conatur. Quomodo enim non facta gens nequissima dicitur, dum Behemoth istum, videlicet auctorem nequitiae per naturam bene conditum se Dominus fecisse testatur? Sed quia Behemoth iste, cum quo sit factus audivimus, perditus quid agat audiamus. Sequitur:

CAPUT XIII [*Rec. X*].

IBID.---*Fenum sicut bos comedet.*

18. *Diabolus mundam spiritualium vitam labefactare potissimum cupit.*---Si prophetarum sollicite verba discutimus, haec et illa uno spiritu prolata reperimus. Isaias namque cum cerneret vitam peccantium ab antiquo et insatiabile hoste devorari, ait: *Leo sicut bos comedet paleas* (**Isai. XI, 7**). Quid autem feni plearumque nomine nisi carnalium vita signatur? De qua per prophetam dicitur: *Omnis caro fenum* (**Isai. XL, 6**). Qui ergo hic Behemoth, illic leo; qui hic fenum, illic paleae nominantur. Sed perscrutari mens nititur cur iste vel apud Isaiam leo, vel hic dominica voce Behemoth, in comestione feni vel paleae, utroque **1057** loco, non equo, sed bovi comparetur. Quod tamen citius agnoscimus, si in utrisque animalibus quae sit nutrimentorum distantia perpendamus. Equi namque fenum quamlibet sordidum comedunt, aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves autem aquam quamlibet sordidam bibunt, sed feno non nisi mundo vescuntur. Quid est ergo quod bovi, qui mundo pabulo pascitur, Behemoth iste comparatur, nisi hoc quod de isto antiquo hoste per prophetam alium dicitur: *Esca ejus electa* (**Habac. I, 16**)? Neque enim se eos gaudet rapere, quos pravis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntarie jacere. Fenum ergo comedere sicut bos appetit, quia suggestionis suae dente conterere mundam vitam spiritualium quaerit.

19. *Multi videntur electi, et non sunt.*---Sed quaerendum video quomodo Behemoth iste, fenum sicut bos comedens, vitam spiritualium consumere dicitur, cum, sicut supra dictum est,

feni nomine vita carnalium designatur. Esca quoque ejus electa jam non erit, si fenum comedens carnalem rapit. Sed ad haec citius occurrit, quia nonnulli hominum et apud Deum fenum sunt, et apud homines sanctitatis nomine censentur, cum et ante humanos oculos aliud ostendit vita, et ante divina judicia aliud intendit conscientia. Ii itaque apud humana judicia electi sunt, sed apud subtile Domini examen fenum. An ante divinos oculos Saul fenum non erat, de quo Samuel propheta populo dicebat: *Certe videtis quem elegit Dominus* (**I Reg. X, 24**); et de quo paulo superius dicitur: *Electus et bonus*? Quem enim peccans populus meruit, et apud Deum reprobus exstitit, et tamen causarum ordine electus et bonus fuit. [*Vet. XI.*] Quia multi fenum, sunt, et electos se ex humana aestimatione suspicantur, bene per Salomonem dicitur: *Vidi impios sepultos, qui etiam dum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum* (**Eccle. VIII, 10**). Quia multi fenum sunt, sed tamen sanctitatis favore vallantur, bene quidam sapiens indicat, dicens: *Transi, hospes, et orna mensam* (**Eccli. XXIX, 33**). Transeundo namque hospes ornare mensam dicitur, quia si ad altare Dei quis positus, per bona opera gloriam propriam quaerit, et de ostentatione sanctitatis ejus laus altaris extenditur, et ipse tamen apud Deum in numero civium non habetur. Aliis ejus opinio proficit, et tamen a Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decoravit, quia stare ad sacra noluit qui per omne quod agere studuit ad humanas laudes mente decurrit. Quia ergo nonnulli mundam quidem vitam per studium ducunt, sed ex illa intus placere non appetunt, recte et esca ejus electa dicitur, et tamen fenum sicut bos comedere Behemoth iste perhibetur. Quasi enim ante os Behemoth istius

mundum fenum in terra atque in infimis jacet, cum et vita quasi innocens per mandatorum custodiam agitur, et tamen inter actionem quae bona ostenditur cor ad appetenda sublimia non elevatur. Quid itaque utilitatis agit qui in se munditiam vitae custodit, si per intentionem infimam in ore Behemoth hujus inveniendum se in terra derelinquit? Quia igitur omnipotens Deus quid hostis noster agat insinuat, nunc quomodo praevaleat innotescat, ut calliditatis ejus nequitia quo apertius cognoscitur, eo facilius **1058** superetur. Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. XI*].

VERS. 11.---*Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.*

20. *Diabolus per luxuriam utrique hominum sexui plerumque dominatur.*---Seminaria coitus viris in lumbis esse, inesse autem feminis in umbilico perhibetur. Hinc est enim quod Veritas discipulis dicit: *Sint lumbi vestri praecincti* (**Luc. XII, 35**). Hinc Petrus, cum luxuriam a corde restringeret, admonebat, dicens: *Succincti lumbos mentis vestrae* (**I Pet. I, 13**). Hinc Paulus cum per Abrahae sacrificium Melchisedech tempore Levi sacerdotium diceret decimatum, ubi tunc in Abrahae corpore Levi lateret ostendens, ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat* (**Hebr. VII, 10**). Quia vero seminarium luxuriae feminis in umbiculo continetur propheta testatur, qui, sub specie feminae prostitutae, Judaeae petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est praecisus umbilicus*

tuus (Ezech. XVI, 4). In die quippe ortus umbilicum praecidere est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est male inchoata corrigere, et semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judaea reprehenditur, quae dum in Deo nata est, impraecisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuriae non abscidit. Quia igitur potestate diaboli utriusque generis sexus valde ex luxuriae infirmitate substernitur, et fortitudo ejus in lumbis contra masculos, et virtus illius contra feminas in umbilico perhibetur.

[*Vet. XII.*] 21. *Spiritus superbiam sequi solet carnis corruptio.*---Sed cur cum Behemoth istum fenum comedere intulit, prima deceptionis ejus argumenta luxuriae damna subjunxit, nisi quod liquido omnibus patet quia postquam semel hominis spiritum superbia ceperit, mox se ad corruptionem carnis extendit? Quod in ipsis quoque hominibus primis agnoscimus, qui, dum post perpetratam superbiam pudenda membra contegunt, patenter indicarunt quia postquam apud semetipsos intus arripere alta conati sunt, mox in carne foris erubescenda pertulerunt (**Genes. III, 7**). Behemoth itaque iste insatiabiliter saeviens, et devorare totum simul hominem quaerens, modo in superbiam mentem erigit, modo carnem luxuriae voluptate corrumpit. Bene autem nequaquam fortitudo ejus in lumbis vel umbilico eorum dicitur qui prosternuntur, sed, *fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus*. Ac si aperte diceretur: Fortitudo ejus in lumbis suis, et virtus illius in umbilico ventris sui, quia nimirum ejus proprie corpus fiunt, qui, suggestionum turpium blandimentis decepti, ei per luxuriae fluxa succumbunt. Sequitur:

CAPUT XV [*Rec. XII*].

VERS. 12.---*Stringit caudam suam quasi cedrum.*

22. *Diabolus divina potestate ligatus, olim solvetur, et per Antichristum multa signa faciet.*---Multa in his suppetunt, quae instruendis moribus proferantur; sed prius Behemoth istius violenta discutimus, ut post subtilius astuta detegamus. In Scriptura sacra cedri nomine aliquando alta excellentia gloriae coelestis exprimitur, aliquando autem pravorum rigida elatio designatur. Cedri nomine coelestis gloriae celsitudo exprimitur, sicut Psalmista testatur: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (**Psal. XCI, 13**). Cedri rursus nomine superba pravorum potentia designatur, sicut per eundem Prophetam dicitur: *Vox Domini confringentis cedros* (**Psal. XXVIII, 5**). Quid autem cauda Behemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur; cum nimirum vas proprium illum perditum hominem **1059** ingreditur, qui specialiter Antichristus nuncupatur? Qui quoniam modo honoribus saeculi, modo signis et prodigiis fictae sanctitatis in tumorem potentiae elevari permittitur, recte voce Dominica cauda illius cedro comparatur. Sicut enim cedrus arbusta caetera in altum crescendo deserit, ita tunc Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum et honoris culmine, et signorum potestate transcendet. Spiritus quippe in illo est qui, in sublimibus conditus, potentiam naturae suae non perdidit vel dejectus. Cujus idcirco virtus nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinae fortitudinis ligatur. Unde per Joannem dicitur: *Vidi angelum descendentem de*

coelo, habentem clavem abyssi, et calenam magnam in manu sua; et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super eum (Apoc. XX, 1, 2, 3). Ligatus quippe missus in abyssum perhibetur, quia reclusus in pravorum cordibus, potentia divinae dispensationis astringitur, ne in quantum nocere valet effrenetur, ut quamvis per eos occulte saeviat, ad violentas tamen rapinas superbiae non erumpat. Sed illic quomodo in mundi fine sit solvendus intimatur, cum dicitur: *Et postquam consummati fuerint mille anni, solvetur satan de carcere suo, et exhibit, et seducet gentes (Ibid., 7).* Millenario namque numero universum pro perfectione sua hoc quantumlibet sit Ecclesiae sanctae tempus exprimitur. Quo peracto, antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute, laxatur.

23. *Saeviet, sed ad breve tempus.*---Quem quamvis saevitia ad crudelitatem dilatet, superna tamen misericordia dierum brevitate coangustat. Hinc enim Veritas per semetipsam dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet (Matth. XXIV, 21).* Hinc rursum ait: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro (Ibid., 22).* Quia enim et superbos nos et infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit misericorditer breviatos dicit, profecto et ut superbiam terreat de adversitate temporis, et infirmitatem refoveat de brevitate dierum.

[Vet. XIII.] 24. *Ex signis quae faciet plus metuendus, quam ex poenis quas martyribus intulit.*---Sed considerandum valde est, cum Behemoth iste caudam suam sicut cedrum sublevat,

in quo tunc atrocior quam nunc se exerit surgat. Quae enim poenarum genera novimus, quae non jam vires martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improvise ictu immersus jugulo gladius stravit, alios crucis patibulum affixit, in quo et mors provocata repellitur, et repulsa provocatur. Alios hirsutis serra dentibus attrivit, alios armata ferro insulcans ungula carpsit, alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit, alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit, alios effossa terra viventes operuit, alios in altum demersos in mortem praecipitium fregit, alios in se projectos aqua replendo absorbuit, alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Cum igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est quod in his tormentis **1060** tunc atrocius crescat, nisi hoc quod in Evangelio Veritas per semetipsam dicit: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia; ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi (Matth. XXIV, 24)?* Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur; tunc autem Behemoth hujus satellites, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quae erit humanae mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante ejus oculos tortor miracula facit. Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat signis coruscat? Dicatur igitur recte: *Stringit caudam suam quasi cedrum*, quia nimirum et altus tunc erit veneratione prodigii, et durus crudelitate tormenti

[Vet. XIV.] 25. *Antichristus alios mentitis virtutibus decipiet, alios vi superabit.*---Non enim sola tunc potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur. Unde et per David

dicitur: *Insidiatur in occulto, quasi leo in cubili suo (Psal. IX, 30, vel Psal. X, 9)*. Ad apertam namque potentiam suffecisset ut leo esset, etiamsi insidians non fuisset; rursumque ad occultas versutias suffecisset, ut insidians subriperet, etiam si leo non esset. Sed quia hic antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, saevire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine et fraude et virtute laxetur, virtute per potentiam, fraude per signa. Recte ergo et leo et insidians dicitur: insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem saecularem. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, saecularem potentiam ostentat; ut vero justos etiam fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis. De hac cauda Behemoth istius sub draconis specie per Joannem dicitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram (Apoc. XII, 4)*. Coelum namque est Ecclesia quae in hac nocte vitae praesentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejecit, quia illa Satanae extremitas, per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de coelo in terram cadere est relictis nonnullos spe coelestium, illo duce, ad ambitum gloriae saecularis inhiare.

26. *Per Antiochum praesignatus est.*---Hinc Daniel sub Antiochi specie contra hanc draconis caudam loquitur, dicens: *Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis magnificatus est, et ab eo abstulit jure sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra jure sacrificium,*

propter peccata; et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur (Dan. VIII, 10-12). De fortitudine quippe et de stellis dejicit, cum nonnullos et luce justitiae resplendentes, et virtute operis robustos frangit. Qui usque ad principem fortitudinis magnificatur, quia contra ipsum auctorem virtutis extollitur. Juge sacrificium tollit, quia studium conversationis Ecclesiae in eis quos ceperit interrumpit. Robur vero ei propter peccata contra juge sacrificium datur, quia nisi percuntium merita **1061** exigent, eos qui recti credebantur, obtinere adversarius nequaquam posset. Veritas in terra prosternitur, quia fides tunc rerum coelestium ad desiderium vitae temporalis inclinatur. Et faciet, et prosperabitur, quia tunc non solum in reproborum mentibus, sed etiam in electorum corporibus crudelitate inaestimabili, sine qualibet objectione grassabitur. Hinc rursum per Danielelem dicitur: *Consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo ejus, sed non in suis viribus (Dan. VIII, 23).* Illius namque hominis fortitudo non suis viribus roboratur, quia Satanae virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursum ait: *Interficiet robustos et populum sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus (Ibid., 24, 25).* Robustos namque interficit, cum eos qui mente invicti sunt corporaliter vincit. Vel certe robustos et populum sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cum eos qui robusti ac sancti credebantur ad nutum suae voluntatis trahit. In cujus manu dolus dirigitur, quia in illo fraus per opus adjuvatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit; nam quidquid mendax lingua simulat, hoc quasi verum esse manus operis ostentat.

27. *Daniel et Paulus de Antichristo eadem docent.*---Hinc rursum dicit: *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur (Ibid., 25).* Hinc Paulus ait: *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (II Thess. II, 4).* Hinc rursum ait. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Quod enim per Danielelem dictum est: *Contra Principem principum consurget (Dan. VIII, 25),* hoc per Paulum dicitur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Et quod per Danielelem subjungitur: *Sine manu conteretur (Ibid., 25),* hoc per Paulum exprimitur: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui (II Thess. II, 8).* Sine manu quippe conteretur, quia non angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu aeterna morte ferietur. De hujus Behemoth elatione item per Paulum dicitur: *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (Ibid., 4).* De quo Daniel cum quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adjunxit: *Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia (Dan. VII, 8).* Undecimum quippe hujus bestiae cornu esse describitur, quia regni ejus potentia iniquitate roboratur. [*Vet. XV.*] Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perversa agit, praecepta decalogi transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt (**Exod. XXVI, 7**). Hinc per undecimum Psalmum dicitur: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus (Psal. XI, 1).* Hinc in undenario numero remanere Apostolos Petrus metuens, Matthiam duodecimum, sorte

missa, requisivit (**Act. I, 26**). Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, impleri apostolorum numerum tam festine duodenario non curaret. Quia ergo per undenarium transgressio exprimitur, hujus bestiae cornu undecimo ipse auctor transgressionis indicatur. Quod videlicet parvulum oritur, quia **1062** purus homo generatur: sed immaniter crescit, quia usque ad conjunctam sibi vim angelicae fortitudinis proficit. Quod tria cornua quae ei ante faciem sunt evellit, quia ditioni suae regna totidem quae sibi vicina sum subigit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis, sed os ingentia loquitur, quia in illo humana quidem forma cernitur, sed verbis suis ultra homines elevatur. Quod ergo per Paulum dicitur: *Extollens se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, hoc Daniel propheta testatur, dicens: *Os loquens ingentia* (**II Thess. II, 4**). Quod vero illum vel Daniel ingentia loqui, vel Paulus perhibet supra cultum Deitatis extolli, hoc est quod apud beatum Job divino eloquio cedro comparatur. More enim cedri ab alta nititur, dum in omni fastu fallaciae, et virtutis robore et culminis elatione prosperatur. Bene autem stringere caudam dicitur, quia tota ejus virtus in uno illo damnato homine congesta densatur, ut tanto per illum fortia ac mira faciat, quanto illum collectis suis viribus instigat. Sed quia quale sit iniquorum caput audivimus, nunc huic capiti quae membra adhaereant agnoscamus. Sequitur:

CAPUT XVI [*Rec. XIII*].

VERS. 12.---*Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.*

28. *Praedicatorum diaboli argumenta perplexa. Antichristi testes multi jam sunt.*---Tot iste Behemoth testes habet quot iniquitatis suae praedicatores possidet. An ejus testes non sunt, qui pravis persuasionibus corda hominum, vinulenta erroris sui semina fundendo, corrumpunt? Apte autem dicitur quod testiculorum ejus nervi perplexi sunt, quia videlicet praedicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut recta esse simulent quae perversa suadent, ut allegationum implicatio, quasi nervorum perplexitas, etsi videri possit, solvi non possit. Nervos ejus testiculi perplexos habent, quia acumina praedicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque autem cum verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt. Neque enim ad se bonos persuasione sua traherent, si se et in actionibus perversos exhiberent. Sed quia testes sunt hujus belluae, et perplexis nervis illigantur, et rectos se ostentant ut lateant, et perversa praedicant ut corrumpant, ipsum nimirum suum caput imitantes, qui quasi leo in insidiis et saevit per potentiam terreni culminis, et blanditur per speciem sanctitatis. Sed haec bellua utinam tunc solum talia ageret, et nunc quoque ad corrumpenda fidelium viscera hos luxuriae testiculos non haberet! Neque enim malum sola locutione oris infunditur, sed pejus et a pluribus operis exemplo propinatur. Quam multi enim Antichristum non viderunt, sed tamen testiculi ejus sunt, quia corda innocentium actionis suae exemplo corrumpunt. Quisquis namque in superbia extollitur, quisquis avaritiae desideriis cruciatur, quisquis luxuriae voluptatibus solvitur, quisquis injustae atque immoderatae irae flagris igitur, quid aliud quam Antichristi testis est? Qui dum se libenter ejus usibus implicat, exemplo suo aliis erroris fetus ministrat. Iste prava agit, ille prava agentibus

adhaeret, et non solum non obviat, sed etiam favet. Quid ergo aliud quam Antichristi testis est, qui perdita auctoritate promissae Deo fidei, testimonium praestat errori? Quos tamen si quis redarguat, mox se **1063** sub quodam velamine defensionis occultant, quia videlicet eorum nervi perplexi sunt et male impliciti, corruptione solvi nequaquam possunt. Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. XVI, Rec. XIV*].

VERS. 13.---*Ossa ejus velut fistulae aeris.*

29. *Qui sint Antichristi ossa.*---In corpore ossa sunt quae continent membra, et quae continentur. Habet ergo carnes haec bellua, habet et ossa, quia et iniqui sunt alii, qui tamen ab aliis in errore retinentur, et nequiores alii, qui in errore et alios retinent. Quid itaque aliud ossa Antichristi quam quoslibet in ejus corpore valentiores accipimus? in quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota ejus corporis compago subsistit. Multi namque in hoc mundo divites videntur, qui dum rebus opibusque subnixi sunt, quasi ex fortitudine solidantur; sed largiendo haec ipsa quibus fulti sunt, ad suum alios errorem trahunt. Modo nonnullos ut pravi fiant donis illiciunt, modo nonnullos ut pravi permaneant muneribus astringuat. Quid itaque hi nisi Antichristi ossa sunt, qui dum malos continendo multiplicant, in ejus corpore carnes portant? Hi nonnunquam in decipiendis auditoribus exhibent linguae dulcedinem, quia et spinae proferunt flores; et apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod

pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscet, et potestate quidem admirandi videri appetunt, sed fallendi arte per remissa colloquia quasi humilitet substernuntur, et per sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negant.

30. *Cur fistulis aeris comparantur.*---Unde et recte ossa Behemoth istius aeris fistulis comparantur, quia nimirum, more metalli insensibilis, sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt, quod elate vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens (I Cor. XIII, 1).* Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut aes aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba quae ipse facit. [*Vet. XVII.*] Sunt vero nonnulli in hujus belluae corpore non honorus claibri, non divitiis fulti, non virtutum specie decorati, non scientia calliditatis periti, sed tamen videri quales non sunt ambiunt, et idcirco contra bonorum vitam nequiores fiunt, de quibus et sequitur:

CAPUT XVIII [*Rec. XV*]

IBID.---*Cartilago illius, quasi laminae ferreae.*

31. *Qui in Antichristi corpore debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt.*---Cartilago namque ossis quidem

speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet. Quid est ergo quod cartilago ejus laminis ferreis comparatur, nisi quod hi qui in illo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt? Ferro quippe caetera metalla conciduntur, et cartilago ejus ferro similis dicitur, quia hi qui in ejus corpore ad ostensionem virtutum non sufficiunt contra necem fidelium acrius accenduntur. Quia enim cum eo se facere signa et prodigia non posse considerant, fideles se illi per crudelitatem probant; et pro eo quod innocentium corda corrumpere persuadendo non possunt, multiplicius caeteris bonorum corpora se extinguere gloriantur. Bene ergo dicitur: **1064** *Cartilago ejus ut laminae ferreae*, quia in ejus corpore quod infirmius quisque crediderit, hoc est quod nequius incidit. Qui recte non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur, quia dum se circumquaque in crudelitate dilatare ambiunt, quasi in ferri se laminas extendunt.

[*Rec. XVI.*] 32. Libet arctiori inquisitionis manu haec eadem verba conditoris, quae jam videntur discussa, distinguere, atque uberiores intelligentiae fructus instruendis moribus apportare. Nam quia antiquus hostis quid per assumptum hominem contra homines agat audivimus, superest ut nunc quid in hominibus etiam per semetipsum sine homine moliatur exploremus. Ecce enim dicitur:

CAPUT XIX.

VERS. 12.---*Stringit caudam suam quasi cedrum.*

33. *Prima diaboli suggestio tenera est et facile conteritur. Sed postea robur ejus fit intolerabile. Peccatum tribus modis admittitur.*---Prima quidem serpentis suggestio mollis ac tenera est, et facile virtutis pede conterenda, sed si haec invalescere negligenter admittitur, eique ad cor aditus licenter praebetur, tanta se virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens, usque ad intolerabile robur excrescat. Caudam itaque quasi cedrum stringere dicitur, quia semel ejus in corde recepta tentatio, in cunctis quae subsequenter intulerit velut ex jure dominatur. Hujus ergo Behemoth caput herba est, cauda cedrus, quia ex prima quidem suggestione blandiens substernitur, sed per usum vehementer invalescens, succrescente tentationis fine, roboratur. Superabile namque est omne quod initio suggerit, sed inde sequitur, quod vinci vix possit. Prius enim quasi consulens blanda ad animum loquitur; sed cum semel dentem delectationis infixerit, violenta post consuetudine pene insolubiliter innodatur. Unde et bene stringere caudam dicitur. Dente enim vulnerat, cauda ligat, quia suggestionem prima percutit, sed percussam mentem, ne evadere valeat, invalescente fine tentationis, astringit. Quia enim peccatum tribus modis admittitur, cum videlicet serpentis suggestionem, carnis delectationem, spiritus consensione perpetratur, Behemoth iste, prius illicita suggerens, linguam exerit; post, ad delectationem pertrahens, dentem figit; ad extremum vero, per consensionem possidens, caudam stringit. Hinc est enim quod nonnulli peccata longo usu perpetrata in semetipsis ipsi reprehendunt, atque haec ex judicio fugiunt, sed vitare opere nec decertantes possunt, quia dum Behemoth istius caput non conterunt, plerumque cauda et nolentes ligantur. Quae contra eos cedri more induruit, quia a blanda voluptate exordii usque ad violentiam retentionis

excrevit. Dicatur ergo: *Stringit caudam suam quasi cedrum*, ut tanto quisque debeat initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse.

[*Vet. XVIII.*] 34. *Diabolus cum vitae finis imminet, tunc graviores tentationes suggerit.*---Sciendum quoque est quod plerumque eis quos ceperit tunc graviores culpas ingerit, cum praesentis vitae termino illos propinquare cognoscit; et quo se consummaturum tentationem considerat, eo eis iniquitatum pondera graviora coacervat. Behemoth igitur caudam suam quasi cedrum stringit, quia quos per prava initia ceperit, ad finem deteriores reddit, ut tentamenta ejus quo citius cessatura sunt, eo valentius compleantur. Quia enim suis poenis eorum satagit aequare supplicium, **1065** in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum. Plerumque vero Behemoth iste jam cor male subditum possidet, sed tamen divina illum gratia repellit, et manus misericordiae ejicit, quem ad se captiva voluntas introduxit. Cumque a corde expellitur, acriores infigere iniquitatum stimulos conatur, ut eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata sentiat, quos etiam possessa nesciebat. Quod bene in Evangelio exprimitur, cum exire ab homine immundus spiritus Domino jubente narratur. Nam cum daemoniacus puer fuisset oblatus, scriptum est: *Comminatus est Jesus spiritui immundo, dicens: Surde et mute spiritus, ego tibi praecipio, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum. Et exclamans, et multum discerpens eum, exivit ab eo (Marc. IX, 24).* Ecce eum non discerpserat cum tenebat, exiens discerpserat, quia nimirum tunc pejus cogitationes mentis dilaniat, cum jam egressui divina virtute compulsus appropinquat. Et quem mutus possederat, cum clamoribus deserebat, quia plerumque cum possidet, minora

tentamenta irrogat; cum vero de corde pellitur, acriori infestatione perturbat. Bene itaque dicitur: *Stringit caudam suam quasi cedrum*, quia et cor possidens semper in malitia ex posterioribus crescit, et cor deserens vehementioribus cogitationum stimulis percutit. [*Rec. XVII.*] Adhuc autem Behemoth istius mira pietate conditoris astutiora argumenta panduntur, cum subditur:

CAPUT XX.

IBID.---*Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.*

36. *Peccata ita implicata sunt, ut dum unum vitatur, fere semper labamur in aliud. Tribus ordinibus constat Ecclesia.*---*Nervi testiculorum ejus sunt pestifera argumenta machinationum (Dist. 13, can. 2).* Per ipsa quippe calliditatis suae vires erigit, et fluxa mortalium corda corrumpit. Testiculi ejus sunt suggestiones pravae, quibus in mentis corruptione fervescit, atque in construprata anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum testiculorum nervi perplexi sunt, quia suggestionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur, ut plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non evadant; et culpam faciant dum vitant, ac nequaquam se ab una valeant solvere, nisi in alia consentiant ligari. [*Vet. XIX.*] Quod melius ostendimus, si qua ex conversatione hominum illigationis hujus exempla proferamus. Quia vero in tribus ordinibus sancta Ecclesia constat, conjugatorum videlicet, continentium, atque

rectorum; unde et Ezechiel tres viros liberatos vidit, videlicet Noe, Daniel, et Job (**Ezech. XIV, 14, seq.**); et in Evangelio Dominus dum alios in agro, alios in lecto, atque esse in molendino alios perhibet (**Luc. XVII, 34, 35**), tres procul dubio in Ecclesia ordines ostendit; liquido satisfacimus, si singula ex singulis exquiramus.

36. *Tentationes saeculo militantium.*---Ecce enim quidam dum mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi vitam ducenti quod secreta illius omni silentio contegat se jurejurando constringit; sed is cui juratum est adulterium perpetrare cognoscitur, ita ut etiam maritum adulterae occidere conetur. Is autem qui jusjurandum praebuit ad mentem revertitur, et **1066** diversis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silendo, adulterii simul et homicidii particeps fiat; et prodere trepidat, ne reatu se perjurii obstringat. Perplexis ergo testiculorum nervis ligatus est, quia in quamlibet partem declinet, metuit ne a transgressionis contagio liber non sit.

37. *Deo servire per obedientiam ambientium, praelatorum.*--
-Alius cuncta quae mundi sunt deserens, atque per omnia frangere proprias voluntates quaerens, alieno se subdere regimini appetit, sed eum qui sibi apud Deum praeesse debeat minus cauta inquisitione discernit. Cui fortasse is qui sine judicio eligitur, cum praeesse jam coeperit, agi quae Dei sunt prohibet, quae mundi sunt jubet. Pensans itaque subditus vel quae sit culpa inobedientiae, vel quod contagium saecularis vitae, et obedire trepidat, et non obedire formidat, ne aut obediens Deum in suis praeceptis deserat, aut rursum non obediens Deum in electo priore contemnat; et aut, illicitis obtemperans, hoc quod pro Deo appetit contra Deum exerceat,

aut rursum, non obtemperans, eum quem suum iudicem quaesierat suo iudicio supponat. Aperte ergo iste per indiscretionis suae vitium perplexis testiculorum nervis astringitur, quia aut obtemperans, aut certe non obtemperans, in culpa transgressionis ligatur. Studebat proprias voluntates frangere, et curat eas etiam contempto priore solidare. Decrevit mundum funditus relinquere, et ad mundi curas vel ex aliena voluntate compellitur redire. Perplexi itaque nervi sunt, cum sic nos argumenta hostis illigant, ut culparum nodi quo quaeruntur solvi, durius astringant.

38. Alius pensare pondus honoris ecclesiastici negligens, ad locum regiminis praemiis ascendit. Sed quia omne quod hic eminet plus moeroribus afficitur quam honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur, ad memoriam culpa revocatur, doletque se ad laborem cum culpa pervenisse, et quam sit iniquum quod admiserit ex ipsa fractus difficultate agnoscit. Reum igitur se cum impensis praemiis agnoscens, vult adeptae sublimitatis locum deserere, sed timet ne gravius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse; vult suscepti gregis curam gerere, sed formidat ne deterior culpa sit regimina pastoralis gratiae empti possidere. Per honoris ergo ambitum ligatum culpa hinc inde se conspicit. Esse quippe sine reatu criminis neutrum videt, si aut susceptus semel grex relinquatur, aut rursum sacra actio saeculariter empti teneatur. Undique metuit, et suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine non digne lugeat, quod non etiam deserens emendat; aut certe regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione committat. Quia ergo Behemoth iste ita inexplicabilibus nodis ligat, ut plerumque mens in dubium

adducta, unde se a culpa solvere nititur, inde in culpa arctius astringatur, recte dicitur. *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* Argumenta namque machinationum ejus quasi quo laxantur **1067** ut relinquant, eo magis implicantur ut teneant.

[*Vet. XX.*] 39. *Ubi nullus evadendi sine peccato patet aditus, quid agendum. Conjugatorum concubitus pro explenda libidine culpa non expers.*---Est tamen quod ad destruendas ejus versutias utiliter fiat, ut dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia et qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam praecipitat, ubi brevior murus invenitur. Et Paulus dum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat (I Cor. VII, 2).* Et quia tunc solum conjuges in admistione sine culpa sunt cum non pro explenda libidine, sed pro suspicienda prole miscentur, ut hoc etiam quod concesserat sine culpa, quamvis minima, non esse monstraret, illico adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium (Ibid., 6).* Non enim est sine vitio quod ignoscitur, et non praecipitur. Peccatum profecto vidit, quod posse indulgere praevidit. Sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Itaque plerumque nervorum Behemoth istius perplexitas solvitur dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur. Sequitur:

CAPUT XXI.

VERS. 13.---*Ossa ejus sicut fistulae aeris.*

40. *Quantum ex astutis diaboli consiliis periculum immineat.* --Quid per ossa Behemoth istius, nisi consilia designantur? Nam sicut in ossibus positio corporis roburque subsistit, ita in fraudulentis consiliis tota se ejus malitia erigit. Neque enim vi quempiam premit, sed calliditate pestiferae persuasionis interficit. Et rursum, sicut ossa quae irrigant medullae confortant, ita ejus consilia per spiritalis naturae potentiam infusa ingenii subtilitas roborat. Hoc vero testiculi ejus ab ossibus, id est suggestiones a consiliis, distant, quod per illas aperte noxia inserit, per haec autem quasi ex bono consulens ad culpam trahit, per illas pugnando superat, per haec velut consulendo supplantat. Unde et bene ejus ossa, id est haec eadem consilia, aeris fistulis comparantur. Aeris quippe listulae sonoris aptari cantibus solent, quae admotae auribus dum blandum carmen subtiliter concinunt, interiora mentis in exteriora delectationis trahunt; et dum dulce est quod auribus sonant, virilitatem cordis in voluptatis fluxu debilitant. Cumque auditus ad delectationem trahitur, sensus a statu suae fortitudinis enervatur. Ita quoque astuta ejus consilia dum quasi blanda provisione consulunt, cor a forti intentione invertunt; et dum dulcia resonant, ad noxia inclinant. Quasi ergo aeris fistulae sunt, quae dum libenter audiuntur, ab interna intentione animum in exterioris vitae delectationem dejiciunt. Hoc enim Behemoth iste magnopere ad exsequendam deceptionem satagit, ut dum perversitatis suae consilium quasi utile ostendit, suaviter valeat sonare quod dicit, quatenus et ostensa utilitate mentem mulceat, et absconsa iniquitate corrumpat.

[Vet. XXI.] 41. *Exemplis palam fit. Qua arte divitiis acquirendis insudare suadeat.*---Quae apertius in cunctis ostendimus, si pauca breviter consiliorum ejus argumenta pandamus. Ecce enim quidam rebus contentus propriis, decrevit nullis mundi hujus occupationibus implicari, valde formidans quietis suae commoda perdere, et valde despiciens cum peccatis lucra cumulare. **1068** Ad hunc hostis callidus veniens, ut intentionem bonae devotionis subruat, quasi utilitatis consilium subministrat, dicens: Ea quidem quae habes, in praesenti sufficiunt, sed his deficientibus quid acturus es? Si enim post haec nulla providentur, adsunt quae ad praesens impendenda sunt filiis, sed tamen paranda sunt quae servantur. Deesse potest citius etiam quod adest, si sollicitudo provida cesset parare quod deest. An non et terrena potest actio peragi, et tamen in actione culpa declinari, quatenus et exteriora stipendia praebeat, et tamen internam rectitudinem non inflectat? Haec interim blandiens insinuat, et seorsum jam in negotio terreno quod providet peccati laqueos occultat. Ossa itaque ejus sicut fistulae aeris sunt, quia perniciose ejus consilia auditori suo consulentis vocis suavitate blandiuntur.

42. *Et mundo nuntium remittere meditantem avertat.* ---Alius quoque non solum decrevit terrena commoda non quaerere, sed etiam cunctis quae possidet renuntiare ut in discipulatu coelestis magisterii tanto se liberior exerceat, quanto et expeditior redditus, ea quae possidentem premere poterant deserens calcat. Hujus cor hostis insidians occulta suggestionem alloquitur, dicens: Unde haec temeritatis tantae surrexit audacia, ut credere audeas quod omnia relinquendo subsistas? Aliter te creator condidit, atque aliter tu teipsum disponis;

valentiolem te robustiolemque faceret, si sequiste sua vestigia cum inopiae necessitate voluisset. An non plerique et terrena patrimonia nequaquam deserunt, et tamen ex his per misericordiae opera supernae sortis bona aeterna mercantur? Haec blandiens suggerit, seorsum vero in eisdem rebus quas retinere admonet ante retinentis oculos delectationes pestiferas decipiens apponit, quatenus seductum cor ad blandimenta exteriora pertrahat, in intima perfectionis vota pervertat. Ossa itaque ejus sicut fistulae aeris sunt, quia dolosa ejus consilia dum blandum ex exterioribus sonum reddunt, perniciosum dispendium de interioribus ingerunt.

43. *Maxime si ad monasticae perfectionis culmen tendat.* --- Alius, relictis omnibus quae exterius possederat, ut ordinem sublimioris discipulatus apprehendat, etiam intimas frangere voluntates parat, ut rectoribus se alterius voluntatibus subdens, non solum pravis desideriis, sed ad perfectionis cumulum etiam in bonis votis sibimetipsi renuntiet, et cuncta quae sibi agenda sunt ex alieno arbitrio observet. Hunc hostis callidus tanto mollius alloquitur, quanto ab excelsiori loco dejicere ardentius conatur, moxque virulenta suggestionem blandiens, dicit: O quanta per te ipsum miranda agere poteris, si nequaquam te iudicio alterius subdis! Cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? Cur intentionis tuae bonum, dum ultra quam necesse est extendere niteris, frangis? Quae enim dum voluntate propria usus es, perversa perpetrasti? Qui ergo tibi plene ad bene vivendum sufficis, alienum super te iudicium cur requiris? Haec blandiens intimat, seorsum vero in voluntatibus ejus propriis exercendae superbiae causas parat; et dum laudat cor de intestina rectitudine, investigat callide ubi subruat in pravitate.

Ossa itaque ejus sicut fistulae aeris sunt, quia clandestina ejus consilia unde quasi animum blanda delectant, **1069** inde perniciose a recta intentione dissipant.

44. *Quomodo ab officiis charitatis avocare student.*---Alius fractis plene voluntatibus suis, multa jam vetusti hominis vitia et mutatione vitae, et lamentatione poenitentiae correxit; et tanto majori zelo contra aliena peccata accenditur, quanto sibimetipsi funditus mortuus, iniquitatibus propriis non tenetur. Hunc hostis callidus, quia zelo justitiae etiam caeteris prodesse cognoscit, quasi prospera consulentibus verbis impetit, dicens: Quid te ad aliena curanda dilatas? Utinam tua considerare convalescas. An non perpendis quia cum ad aliena extenderis, erga ea curanda quae tua sunt minor inveniris? Et quid prodest alieni vulneris cruorem tergere, et putredinem proprii negligendo dilatare? Haec dum quasi consulens dicit, zelum charitatis adimit, et omne bonum quod prodire ex charitate poterat, gladio subintroducti torporis exstinguit. Si enim proximos sicut nosmetipsos diligere praecipimur (**Matth. XIX, 19; XXII, 39**), dignum est ut sic eorum zelo contra vitia, sicut et nostro, flagremus. Quia igitur dum suaviter consulit, mentem ab intentione propria alienam reddit, recte dicitur: *Ossa ejus sicut fistulae aeris*. Quando enim per fraudulenta consilia audientis animo blandum sonat, quasi cum fistula aeris cantat, ut unde mulcet, inde decipiat [*Vet. XXII*]. Sed Behemoth iste valde mollius certamen movet, quando se in insidiis sub praetextu infirmitatis exercet. Tunc autem duriores tentationes excitat, quando ante tentati oculos iniquitatis laqueos sub specie virtutis occultat. Unde et recte subjungitur:

CAPUT XXII.

VERS. 13.---*Cartilago ejus quasi laminae ferreae.*

45. *Duriores tentationes excitat cum laqueos sub specie virtutis occultat.*---Quid enim per cartilaginem, nisi simulatio ejus accipitur? Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem. Et sunt nonnulla vitia quae ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitatis prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tanta se arte palliat, ut plerumque ante deceptae mentis oculos culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi expectet praemia, unde dignus est aeterna invenire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et justitia putatur, atque immoderata ira justis zeli meritum creditur; et cum a distortis moribus peccantes dirigi caute debeant, violenta inflexione franguntur. Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas habetur; et dum plus quam decet delinquentibus temporaliter parcitur, ad aeterna supplicia crudeliter reservantur. Nonnunquam effusio misericordia creditur, et dum male servare culpa sit, pejus spargi quod acceptum est non timetur. Nonnunquam tenacia parcitas putatur, et cum grave sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere. Saepe malorum pertinacia constantia dicitur, et dum mens a pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Saepe inconstantia quasi tractabilitas habetur, et quo quisque fidem integram nulli servat, eo amicum se hominibus aestimat. Aliquando timor incompetens humilitas creditur, et cum temporali formidine pressus quisque a defensione

veritatis tacet, arbitratur quod juxta Dei ordinem humilem se potioribus exhibeat. **1070** Aliquando vocis superbia veri libertas aestimatur, et cum per elationem veritati contradicatur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur. Plerumque pigritia quasi continentia quietis attenditur, et cum gravis culpa sit recta studiose non agere, magnae virtutis meritum creditur a prava tantum actione cessare. Plerumque inquietudo spiritus, vigilans sollicitudo nominatur; et cum quietem quisque non tolerat, agendo quae appetit, virtutis debitae implere se exercitium putat. Saepe ad ea quae agenda sunt incauta praecipitatio laudandi studii fervor creditur; et cum desideratum bonum intempestiva actione corrumpitur, eo agi melius quo celerius aestimatur. Saepe accelerandi boni tarditas consilium putatur; et cum exspectatur ut ex retractatione proficiat, hoc insidians mora supplantat [*Vet. XXIII*]. Igitur cum culpa velut virtus aspicitur, necessario pensandum est quia tanto tardius mens vitium suum deserit, quanto hoc quod perpetrat, non erubescit; et tanto mens tardius vitium deserit, quanto, per virtutis speciem decepta, praemiorum etiam de eo retributionem quaerit. Facile autem culpa corrigitur quae et erubescitur quia esse culpa sentitur. Quia itaque error cum virtus creditur difficilius emendatur, recte dicitur: *Cartilago ejus quasi laminae ferreae*. Behemoth enim iste qui sub praetextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, eo in culpa mentem durius tenet.

46. *Qui viam sanctitatis appetunt, aliquando in errorem lapsi, tardius emendantur. Frigidis mentibus frigidiores fiunt.*--- Hinc est quod nonnunquam hi qui viam sanctitatis appetunt in errorem lapsi tardius emendantur. Rectum quippe aestimant

esse quod agunt, et sicut excolendae virtuti, sic vitio perseverantiam jungunt. Rectum existimant quod agunt, et idcirco suo iudicio enixius serviunt. Unde bene Jeremias cum diceret: *Candidiores Nazaraei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores; denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis*, illico adjunxit: *Adhaesit culis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum* (**Thren. IV, 7**). Quid enim Nazaraeorum nomine, nisi abstinentium et continentium vita signatur, quae nive et lacte nitidior dicitur? Nix enim ex aqua congelascit quae desuper venit, lac autem ex carne exprimitur quae in inferioribus nutritur. Quid ergo per nivem nisi candor vitae coelestis, quid per lac nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui coelestem vitam tenuerunt, multi qui terrena bene dispensaverunt, superari videantur, et candidiores nive, et nitidiores lacte referuntur. Qui etiam, quia per fervorem spiritus, antiquorum ac fortium patrum nonnunquam vincere vitam videntur, recte subjungitur: *Rubicundiores ebore antiquo*. Dum enim ruboris nomen imprimitur, sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia saepe ante humanos oculos nonnullis praecedentibus patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut totum simul ostendatur, adjungitur: *Sapphiro pulchriores*. Aetherei quippe coloris est sapphirus. Et quia praecedentes multos, atque ad superna tendentes per coelestem conversationem **1071** videntur vincere, narrantur sapphiro pulchriores exstitisse. Sed plerumque dum virtutum copia etiam plus quam expedit prosperatur, in quamdam sui

fiduciam mens adducitur, et decepta praesumptione propria, repente peccato subripiante fuscatur; unde recte subjungitur: *Denigrata est super carbones facies eorum*. Nigri enim post candorem fiunt, quia, amissa Dei justitia, cum de se praesumunt, in ea etiam quae non intelligunt, peccata dilabuntur; et quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione, praeferuntur. Nonnunquam enim dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis*. Platea quippe sermonis Graeci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanae menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (**Matth. VII, 13**). Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, et quaquaversum impulsus arbitrii duxerit se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum iudicio se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant quando frangendo voluntates proprias in angusto se calle retinebant. Et bene additur: *Adhaesit cutis eorum ossibus*. Quid in osse nisi duritia fortitudinis, quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhaerere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quae faciunt, sed, elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt, et quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde et recte adjungitur: *Aruit et facta est quasi lignum*. Culpa quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur. Quam recte aridam asserit, quia nulla sui cogitatione viridescit. Quod ergo apud

Jeremiam per infirmitatem cutis, hoc apud beatum Job per fragilitatem dicitur cartilago; et quod illic ossa per duritiam, hoc hic laminae ferreae esse memorantur. [*Vet. XXIV.*] Sed Behemoth iste, qui per membra sua extremo tempore contra electos Dei tanta se arte iniquitatis exercet, qui etiam per semetipsum ad decipiendas mentes in tanta insidiarum tergiversatione se exhibet, cujus naturae, cujus sit conditionis audiamus. Neque enim tam mira vel in maligna operatione posset, si non ex magna conditione subsisteret. Unde et mox mira pietate Dominus, ac si causas tantae astutiae tantaeque fortitudinis redderet, adjunxit, dicens:

CAPUT XXIII [*Rec. XVIII*].

VERS 14.---*Ipse est principium viarum Dei.*

47. *Prima et nobilior creatura fuit angelus qui cecidit.*---
Velut si aperte diceret: Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam conditor primum fecit. Quid enim vias Dei, nisi ejus actiones accipimus. De quibus per prophetam dicit: *Non enim sunt viae meae sicut viae vestrae (Isai. LV, 8).* Et principium viarum Dei Behemoth dicitur (**De poenit., dist. 2, c. 44**), quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Hujus primatus eminentiam conspicit propheta cum dicit: *Cedri 1072 non fuerunt altiores illo in paradiso Dei; abietes non adaequaverunt summitatem ejus; platani non fuerunt aequae frondibus illius; omne lignum paradisi Dei non est*

assimilatum illi et pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus (Ezech. XXXI, 8, 9). Qui namque accipi in cedris, abietibus et platanis possunt, nisi illa virtutum coelestium procerae celsitudinis agmina in aeternae laetitiae viriditate plantata? Quae quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec praelata sunt, nec aequata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur, quia praelatum caeteris legionibus, tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rursum per eundem prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti (Ezech. XXVIII, 12, 13).* Multa enim de ejus magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit (**Genes. I, 27**), angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa.

[*Vet. XXV*]. 48. *Ejus primatus in novem angelorum ordines. Cherub quid significet.*---Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans idem propheta, subjungit: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius et topazius et jaspis, chrysolithus, onyx, et berillus, sapphirus, carbunculus*

et smaragdus (Ezech. XXVIII, 13). Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per ipsa sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim, et seraphim, aperta narratione memorantur, quantae sint supernorum civium distinctiones ostenditur. Quibus tamen Behemoth iste opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornatum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit: *Aurum opus decoris tui et foramina tua in die qua conditus es, praeparata sunt (Ibid., 13).* Aurum opus decoris ejus exstitit, quia sapientiae claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, et nequaquam a se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis suae foramina praeparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus. Qua si repleti voluisset, stantibus angelis tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhaerere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem prae buisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento, ut diximus, regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, **1073** sed per superbiae vitium charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem caeteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati, penetrante se invicem charitate ligati sunt, atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus principatus celsitudinem adhuc idem propheta intuens, adjungit: *Tu cherub extentus et protegens in*

monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti (Ezech. XXVIII, 14). Cherub quippe plenitudo scientiae interpretatur; et idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloria conditionis exstitit. Quem bene extentum ac protegentem dicit. Omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suae caeterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extentus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic cherub, quod illic protegens dicitur, hoc hic voce dominica Behemoth iste viarum Dei principium vocatur.

[*Vet. XXVI.*] 49. *Ex angeli casu discat homo non superbire.--*
-De quo idcirco tam mira in quibus fuit et quae amisit insinuat ut terrore homini ostendat quid ipse si superbiat de elationis suae culpa passurus sit, si feriendo illi parcere noluit quem creando in gloriam tantae claritatis elevavit. Consideret ergo homo quid elatus in terra mereatur, si et praelatus angelis angelus in coelo prosternitur. Unde et bene per prophetam dicitur: *Inebriatus est in coelo gladius meus (Isai. XXXIV, 5).* Ac si aperte diceret: Qua ira feriam superbos terrae perpendite, si ipsos etiam quos in coelo juxta me condidi pro elationis vitio percutere non peperci? Tot itaque hostis antiqui virtutibus auditis, tanta conditionis ejus magnitudine cognita, quis non immensa formidine corruat? quis non desperationis percussione succumbat? Sed quia elationem

nostram ostensa hostis nostri potentia reprimat, etiam infirmitatem nostram Dominus patefacta gratiae suae dispensatione fovet. Unde cum eum principium viarum suarum diceret, illico adjunxit:

CAPUT XXIV [*Rec. XIX*].

IBID.---*Qui fecit eum, applicavit gladium ejus.*

50. *Angeli apostatae potentiam Deus coercet.*---Gladius quippe Behemoth istius ipsa nocendi malitia est Sed ab eo a quo bonus per naturam factus est, ejus gladius applicatur, quia ejus malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire tantum mentes hominum quantum appetit permittatur. Quia ergo hostis noster et multum potest, et minus percutit, ejus gladium pietas conditoris astringit, ut replicatus intra ejus conscientiam lateat, et ultra quam desuper juste disponitur, sese in mortes hominum ejus malitia non extendat. Quod igitur ad multa fortiter praevallet, hoc de principio magnae conditionis potest, quod vero a quibusdam vincitur, ejus nimirum gladius ab auctore replicatur. **1074** Iste namque Behemoth, qui principium viarum Dei est, cum contra sanctum virum licentiam tentationis accepit, gentes movit, greges abstulit, ignem de coelo deposuit, perturbato aere ventos excitavit, domum concutiens subruit, convivantes filios exstinxit, uxoris mentem in dolo pravae suasionis exercuit, mariti carnem inflictis vulneribus confodit (**Job. I, 13, seq.**); sed ejus gladius a conditore replicatur, cum dicitur: *Animam illius serva* (**Ibid., II, 6**). Qui

replicato gladio quantae sit infirmitatis, evangelista testante describitur, quia nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus invadere bruta animalia nisi jussus praesumpsit, dicens: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* (**Matth. VIII, 31**). Malitiae quippe ejus gladius quam sit replicatus ostenditur, cui si potestas summa licentiam non praeberet, nec grassari in porcorum gregem valeret. Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat quod non jussus contingere nec porcos praesumat?

51. *Arii haeresis confutatur.*---Notandum quoque est quod dum viarum Dei principium Behemoth dicitur, vesanum dogma Arii aperta ratione dissipatur. Facturam quippe Dei Filium fatetur, et ecce. Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo ut Arius aut non factum Filium praedicet, aut eum post Behemoth conditum stultus putet. Quia vero omne quod applicatur in semetipsum reducit, recte applicatus Behemoth gladius dicitur. In semetipsam namque se ejus malitia decoquit, cum ad votum suum sese contra electorum vitam prohibita non exercet. Multos autem exigentibus meritis ferire permittitur, ut cum Deum deserunt, damnato hosti famulentur. Ab electis vero eo valentius vincitur, quo soli auctori omnium humiliter substernuntur. Quia igitur per hoc quod viarum Dei principium dicitur, per hoc quod permittente Domino valde intolerabilis demonstratur, aperte cognoscimus cum quanto hoste pugnemus. Superest igitur ut unusquisque nostrum tanto se plenius auctori subjiciat, quanto contra se verius violentas adversarii vires pensat. Quid namque nos nisi pulvis sumus? Quid vero ille, nisi unus ex coelestibus spiritibus, et, quod

adhuc majus est, summus? Quid ergo de propria virtute audeat, quando contra angelorum principem pulvis pugnat? Sed quia supernorum spirituum conditor terrenum corpus assumpsit, recte jam superbientem angelum humilis pulvis vincit. Inhaerendo quippe verae fortitudini vires accipit, quas transfuga spiritus, cum semetipsum sequitur, amisit. Et dignum est ut vincatur a pulvere, qui fortem se credidit deserto creatore; ut superatus inveniatur, quia defecit elatus. Valde autem anhelat saeviens, quod cum ipsum ima cruciant, homo ad summa conscendat; quod in illa celsitudine subvecta caro permanet, a qua tantus ipse spiritus sine fine projectus jacet. Sed loca mentium mutavit ordo meritorum. Sic sic superbia meruit dejici, sic humilitas exaltari, quatenus et coelestis spiritus erigendo se tartarum toleret, et terra humilis sine termino super coelos regnet.

LIBER TRIGESIMUS TERTIUS. *Expositionem
versus decimi quinti et reliquorum
capitis XL, nec non duodecim priorum
cap. XLI exhibet, ubi variae daemonis artes
deteguntur, doceturque praedestinatio gratuita,
et cum libero arbitrio conciliatur.*

1075 [*Vet. et Rec. I.*] *1. Superbi diabolo familiariter serviunt.* --Antiquo hosti, qui sub Behemoth nomine dominica voce describitur, superbi quique tanto familiariter serviunt, quanto

hujus vitae successibus apud semetipsos altius intumescunt. His namque cum gloria augetur elatio, cum elatione vero additur cura, huc illucque animus tenditur, quia et desideria cum rebus crescunt. Cumque cogitationes innumeras quasi agri fenum proferunt, eisdem cogitationibus velut desiderato pabulo Behemoth istius famem pascunt. Unde nunc recte dicitur:

CAPUT PRIMUM.

VERS. 15.---*Huic montes herbas ferunt*

2. *Quid mons, quidve montes in sacra Scriptura significant.*--
-In Scriptura sacra cum numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus, aliquando sancta Ecclesia, aliquando testamentum Dei, aliquando apostata angelus, aliquando quilibet haereticus designatur. Cum vero montes plurali numero nominantur, aliquando celsitudo apostolorum atque prophetarum, aliquando vero saecularium potestatum tumor exprimitur. Mons namque Dominum designat, sicut scriptum est: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium (Isai. II, 2)*. Mons quippe est in vertice montium incarnatus Dominus, transcendens celsitudinem prophetarum. Rursum per montem sancta designatur Ecclesia, sicut scriptum est: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion (Psal. CXXIV, 1)*. Sion namque speculatio dicitur, per quam scilicet speculationem contemplans Deum Ecclesia figuratur. Rursum per montem

testamentum Dei exprimitur, sicut Habacuc ait: *Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso* (**Habac. III, 3**). Qui enim venturum se per testamenti sui paginas spondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia spissis allego-riarum obscuritatibus opacatur. Rursum per montem angelus apostata designatur, sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste praedicatoribus dicitur: *Super montem caliginosum levate signum* (**Isai. XIII, 2**). Praedicatores quippe sancti super caliginosum montem signum elevant, quando contra Satanae superbiam, qui saepe sub nebula simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant. Rursum per montem haereticus quilibet exprimitur, sicut ex voce Ecclesiae Psalmista ait: *In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, Transmigre in montem sicut passer* (**Psal. X, 1**)? Cum enim fidei animae unitate relicta, in tumenti doctrina confidere haeretici praedicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur. Rursum per montes apostolorum atque prophetarum celsitudo designatur, sicut scriptum est: *Justitia tua sicut montes Dei* (**Psal. XXXV, 7**). Et voce Pauli dicitur: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (**II Cor. V, 21**). Vel sicut iterum vore sperantis Ecclesiae Psalmista ait: *Levavi 1076 oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (**Psal. CXX, 1**). Rursum per montes saecularium potestatum tumor exprimitur, de quibus Psalmista ait: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (**Psal. XCVI, 5**), quia multi qui prius alta rigiditate tumuerant. Deo in carne apparente, magno sunt per poenitentiam timore liquefacti. Vel sicut idem Propheta iterum dicit: *Ascendant montes, et*

descendunt campi (**Psal. CIII, 8**). Plerique enim persecutores Domini superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur. Qui montes ascendunt per tumorem potentiae, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpaе.

[*Vet. II.*] 3. *Elati male operando daemones alunt*.---Sed quia nonnulli in elationis suae altitudine remanent, et ad divina obsequia flecti humiliter dedignantur, eo quod juxta desiderium antiqui hostis prava cogitare ac perpetrare non desinunt, recte hoc loco de Behemoth dicitur: *Huic montes ferunt herbas*. Elati namque saeculi huic Behemoth herbas ferunt, quia ex eo illum reficiunt, quod nequiter operantur, Huic Behemoth herbas ferunt, quia suas illi offerunt fluxas et lubricas voluptates. *Erunt enim*, ait Apostolus, *homines seipsos amantes* (**II Tim. III, 2**). Quorum descriptionem complexus est, dicens: *Voluptatum amatores magis quam Dei* (**Ibid., 4**). Quae est ergo herba montium, nisi voluptas fluxa, quae ex corde gignitur superborum? Qui nisi Deum superbiendo contemnerent, nequaquam tot lubrica lasciviendo perpetrarent. Quibus nimirum herbis iste Behemoth pascitur, quia in eis poenam aeternae mortis esuriens, eorum perditis moribus satiatur. Superbi enim hujus saeculi, etsi quando supernae dispensationis ordine praepediti, ab expletione pravorum operum cessant, prava tamen in cogitatione multiplicant, modo ut se potentiores caeteris, rebus et honoribus ostendant, modo ut eandem suam potentiam in studio alienae laesionis exerceant, modo ut, lubricis motibus ducti, per levia se facta voluptatesque dissolvant. Qui dum rebus divinitus acceptis nequaquam recta, sed prava semper agere cogitant, quid aliud

faciunt, nisi suis contra Deum donis pugnant? Quia igitur Behemoth iste in superborum mentibus sua semper desideria recognoscit, quasi herbas in montibus invenit, quibus refectum suae malitiae ventrem tendit. Bene autem subditur:

CAPUT II [*Rec. II*].

IBID.---*Omnes bestiae agri ludent ibi.*

4. *Ludus daemonum est humanas mentes de vitio in vitium rotare.*---Quid per bestias nisi immundi spiritus, quid per agrum nisi praesens saeculum designatur? Unde de ipso malignorum spirituum principe contra Ephraim dicitur: *Bestia agri scindet eos (Osee XIII, 8)*. Vel sicut Isaias ait: *Et mala bestia non ascendet per eam (Isai. XXXV, 9)*. Quia autem agri nomine mundus accipiatur, dominicus per Evangelium sermo testatur, qui ait: *Ager autem est mundus (Matth. XIII, 38)*. Agri ergo bestiae in herbis montium ludent, **1077** quia projecta de superioribus in hoc mundo daemonia pravis superborum operibus delectantur. Bestiae in herbis ludent cum reprobi spiritus humana corda in illicitas cogitationes pertrahunt. An non immundis spiritibus ludere est mentes hominum ad imaginem Dei conditas, modo ficta promissione decipere, modo vacuis terroribus irridere, modo eis transitoria gaudia quasi mansura imprimere, modo mansuras poenas quasi transitorias levigare? Harum procul dubio bestiarum illusionem pertimuerat, qui dicebat: *Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideant me inimici mei (Psal. XXIV, 2)*. Quia igitur superborum cor ad

omne vitium sternitur, ut cuilibet maligno spiritui irruenti prava cogitatione praeparetur, recte de herbis montium dicitur: *Omnes bestiae agri ludent ibi*. Pro eo enim quod superbi quique nullum malum cogitando praetereunt, nulla est agri bestia, quae non horum montium herbis satietur. Nam etsi quando carnis luxuriam fugiunt, interioris luxuriae vitium de ipsa castitate gloriando committunt. Si quando nil avare exterius rapiunt, nequaquam ab illecebra avaritiae mundi sunt, quia etsi res nullas ambiunt, favore tamen hominum laudem de continentia rapere conantur. Huic ergo Behemoth montes herbas ferunt, et omnes bestiae agri ludent ibi, quia in superbiorum corde quilibet malignus spiritus tanto latius pascitur, quanto et omne vitium de superbia generatur. [*Vet. III.*] Sed quia audivimus quid iste Behemoth comedat, nunc audiamus necesse est ubi Interim per pravam suum desiderium requiescat. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 16.---*Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.*

5. *Quid per umbram Scriptura intelligat.*---Obumbratio in sacro eloquio aliquando incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium a fervore carnalium cogitationum, unde appellatione umbrae ex superna protectione hoc ipsum refrigerium cordis insinuari solet. Aliquando vero umbra, recedente charitate, torpor frigidae mentis accipitur. Nam quod dominica incarnatio servata veritate historiae,

obumbrationis appellatione signetur, angelicus sermo testatur, qui ad Mariam ait: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (**Luc. I, 35**). Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen et corpus, virtus ei Altissimi obumbravit, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione omne in se refrigerium mentis accepit. Rursum per umbram ex superna protectione refrigerium cordis exprimitur, sicut Psalmista ait: *Sub umbra alarum tuarum protege me* (**Psal. XVI, 9**). Vel sicut sponsa in Canticis canticorum adventum sponsi praestolata praenuntiat, dicens: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi* (**Cant. II, 3**). Ac si dicat: Ab aestu desideriorum carnalium sub adventus illius protectione quievi. Rursum per umbram recedente charitate, torpor frigidae mentis exprimitur, sicut de peccante homine scriptum est, quia secutus est umbram (**Genes. III**). Calorem enim charitatis fugiens, veritatis solem homo deseruit, et sub umbra se interni frigoris abscondit. Unde et voce ejusdem Veritatis dicitur: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum* (**Matth. XXIV, 12**). Unde 1078 primus homo post culpam inter arbores paradisi ad auram post meridiem absconsus invenitur (**Genes. III, 8**). Quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, jam sub peccati umbra quasi sub frigore aurae torpebat.

6. *Satanas in his quos frigidos facit, facile quasi sub umbra requiescit. In illis securus jacet.*---Iste igitur Behemoth quia in illis quasi quamdam requiem invenit, quos a veri solis ardore subtrahendo frigidos facit, sub umbra dormire perhibetur. Nonnunquam vero per umbram, si tamen cum adjectione mortis ponatur, vel mors carnis exprimitur, vel quilibet reprobis, qui antiqui hostis tenebras studio pravae

operationis imitantur. Unde voce martyrum per Psalmistam dicitur: *Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis* (**Psal. XLIII, 20**). Umbra enim mortis electos Dei operit, cum mors carnis, quae imago mortis aeternae est, ab hac eos vita disjungit, quia sicut illa animam a Deo, ita haec ab anima separat corpus. Vel certe umbra eos mortis operit, quia de antiquo hoste scriptum est: *Nomen illi mors* (**Apoc. VI, 8**). Umbra ergo mortis sunt omnes reprobi, quia illius nequitiam elationis imitantur; ejusque imaginem quasi umbram exprimunt, dum ejus in se malitiae similitudinem trahunt. Qui electos Dei operiunt, dum contra illos in atrocitate persecutionis temporaliter conualescunt. Hoc autem loco umbra nequitiae torpor accipitur, in qua iste Behemoth dormit, quia contra corda charitate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus jacet. Dormire enim in sanctorum mentibus non potest, quia et si quando se in eis ad breve momentum collocat, ipse eum desideriorum coelestium aestus fatigat, et quasi toties ut recedat pungitur, quoties ab eis amore intimo ad aeterna suspiratur. Tanta eum voces excitant, quanta ex illorum mentibus sanctae cogitationes ad coelum clamant. Unde fit ut bonarum actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat malitiae umbram quaerat. Quae ubi ab illo inveniatur ostenditur, cum protinus subinfertur: *In secreto calami*.

[*Vet. IV.*] 7. *Calami et arundinis variae significationes in sacra Scriptura.*---In sacro eloquio calami vel arundinis appellatione aliquando verbum manens, aliquando doctorum peritia, aliquando mobilitas mentis, aliquando nitor gloriae temporalis accipitur. Per calamum quippe Verbi aeternitas

designatur, cum voce Patris per Psalmistam dicitur: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis* (**Psal. XLIV, 2**). Quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet, lingua Patris scribae calamus dicitur, quia ab eo est Verbum illi coaeternum, ac sine transitu generatum. Rursum per calamum scriptorum doctrina exprimitur, sicut de sancta Ecclesia propheta pollicetur, dicens: *In cubilibus in quibus dracones prius habitabant, orietur viror calami et junci* (**Isai. XXXV, 7**). Qua nimirum sententia, sicut in hoc opere longe superius diximus (**Sup. lib. XXIX, n. 51**), per calamum exprimitur doctrina scribentium, per juncum viriditas auditorum. Rursum per calamum, seu certe arundinem, mentis mobilitas designatur, sicut Judaeorum turbis in Joannis laude a Domino dicitur: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam* (**Matth. XI, 7**)? ut videlicet **1079** subintelligatur non. Joannes quippe arundo vento agitata non erat, quia ejus mentem Spiritu sancto solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat. Rursum per calamum vel arundinem nitor gloriae temporalis exprimitur, sicut de justis per Sapientiam dicitur: *Fulgebunt justi, et tanquam scintillae in arundinetu discurrent* (**Sap. III, 7**). Arundinetum namque vitam saecularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. Unde et Judaeorum regnum calamo comparatur, cum per prophetam apparente in veritate carnis Domino dicitur: *Calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non exstinguet* (**Isai. XLII, 3**). Quid enim calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, et regnum ejus alienigena possidebat,

apte hoc idem regnum calamum quassatum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, et linum fumigans non exstinxit, quia Judaeae regnum, quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii perculit, sed cum patientiae longanimitate toleravit.

8. *Mentes saecularium gloriae temporali deditae, arundini similes.*---Hoc ergo loco quid aliud appellatione calami, nisi mentes saecularium temporali gloriae deditae designantur? Qui tanto apud semetipsos intus inanescunt, quanto alti et nitidi exterius ostenduntur, quia dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus sunt quidem per fatuitatem vacui, sed foris per speciem et ostentationem pulchri; sed quanto ab eis exterior gloria studiosius quaeritur, tanto eorum corda gravioribus cogitationum stimulis agitantur. Unde recte nunc Behemoth iste in secreto calami dormire perhibetur, quia quorum studia ad appetitum temporalis nitoris atque altitudinis commovet, eorum corda tacitus tenet; et quasi ipse ibi quietus dormit, ubi eos quos possidet quiescere non permittit. Dum enim excedere caeteros bonorum altitudine ambiunt, dum more calami per nitorem exterioris munditiae justorum speciem, quasi solidarum arborum corticem, vincunt, in hoc quod ipsi interius vacui remanent, locum Behemoth isti, ubi apud se requiescere debeat, praebent. [*Vet. V.*] Unde et in Evangelio Dominus dicit quod spiritus exiens

qui in locis aridis et inaquosis requiem non invenit, quia domum quam reliquerat vacuum scopisque mundatam reperit, hanc multiplicior intravit (**Matth. XII, 43, seq.**). Quia enim fluxa fit terra quae infunditur, loca arentia atque inaquosa sunt corda justorum, quae per disciplinae fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiae humore siccantur. Unde hic quoque adhuc ubi Behemoth iste dormiat, demonstratur, cum protinus subditur: *In locis humentibus.*

1080 9. *Carnales homines locis humidis similes. Diabolus hominibus per elationem vel per luxuriam dominatur.*---Loca enim humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiae, quia replet, fluidas facit. In quibus Behemoth iste iniquitatis suae vestigia tanto altius imprimit, quanto in eisdem mentibus pertransitus illius quasi in fluxa terra descendit. Loca quippe humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida terra non labitur, fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitae praesentis faciunt, qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. In his itaque locis humentibus Behemoth dormit, quia in reproborum hominum lubrica operatione requiescit. Nonnulli vero loca humentia, membra genitalia suspicantur. Quod si ita est, quid aperte aliud locis humentibus nisi luxuria designatur, ut et per calamum gloria superbiae, et per loca humentia luxuria corporis exprimatur? Duo quippe haec sunt vitia, quae humano generi immaniter dominantur, unum videlicet spiritus, atque aliud carnis. Elatio namque spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hostis humanum genus vel per elationem praecipue, vel per luxuriam premens, in secreto calami atque in locis humentibus dormit, quia hominem damnatum sub ditione suae dominationis aut per

elationem spiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam vero in utroque possidet, quia cum eos superbiae spiritus elevat, a tumore suae altitudinis nec verecundia corruptionis inclinatur. Sed nunquid contra hos intra sanctam Ecclesiam incessanter quotidie virtutum magistri non vigilant? Nunquid redarguere voluptates infimas, et suadere gaudia patriae coelestis cessant? Sed pravorum mentes tanto obstinatius summa non audiunt, quanto arctius infimis inhaeserunt. Quibus neque hoc sufficit, ut ipsi pereant, sed adhuc, quod est deterius, cum quoslibet argui emendarique conspiciunt, justorum increpationibus obviant, ne saltem alii corrigantur. Unde et bene subditur:

CAPUT IV [*Rec. IV*].

VERS. 17.---*Protegent umbrae umbram ejus.*

10. *Umbrae sunt diaboli peccatores qui se invicem protegent. Crimen dum defenditur, augetur.*---Umbrae quippe sunt diaboli, omnes iniqui: qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem umbrae ejus sunt pluraliter reprobi, ita singulariter umbra ejus est unusquisque peccator. Sed dum doctrinae justorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, umbrae Behemoth istius umbram ejus protegent, quia peccatores quique in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem defendunt. Umbrae umbram ejus protegent, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur. Quod hoc nimirum

studio faciunt, ne dum culpa in qua et ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Se igitur tegunt dum alios protegunt, quia suam vitam inde praevident impeti, unde alios considerant libera correptione confundi. Sicque fit ut summa criminum dum defenditur augeatur, et uniuscujusque nequitia eo sit ad perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Scelera quippe peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu in nulla tolerantur. Sed **1031** tales quique seu extra, seu intra sanctam Ecclesiam esse videantur, tanto se apertiores Dei hostes exhibent, quanto majores sunt patroni vitiorum. Contra illum quippe suis defensionibus pugnant, cui ea displicent, quae defendendo multiplicant. Quod factum bene per prophetam Dominus sub Babylonis specie redarguit, dicens: *Oriuntur in domibus ejus spinae et urticae, et paliurus in munitionibus ejus* (**Isai. XXXIV, 13**). Quid namque per urticas nisi cogitationum prurigines, quid vero per spinas nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis urticae et spinae pullulant, quia in confusione mentis reprobae et desideria cogitationum surgunt quae exasperant, et operum peccata quae pungunt. Sed haec agentes habent etiam nequiores alios defensores suos. Unde illic apte protinus subdidit: *Et paliurus in munitionibus ejus*. Paliurus quippe tanta spinarum circumdatione densescit, ut prae asperitate tangi vix possit. Intus igitur urtica et spina nascitur, sed utrumque hoc exterius per paliurum munitur, quia videlicet minores iniqui mala quaelibet faciunt, sed ea nequissimi majores tuentur. Unde bene et hic dicitur: *Protegunt umbrae umbram ejus*. Dum enim malum pejor vindicat, quasi umbra umbram, ne a veritatis lumine irradietur, obscurat. Sequitur:

CAPUT V [*Vet. VI, Rec. V*].

IBID.---*Circumdabunt eum salices torrentis.*

11. *Mali salicibus similes: virent quidem, sed fructum non ferunt.*---Infructuosae quidem arbores sunt salices; sed tamen tantae viriditatis sunt, ut arescere vel abscissae radicitus et projectae vix possint. Unde in sacro eloquio salicum nomine aliquando pro viriditate boni, aliquando pro sterilitate, reprobi designantur. Nisi enim electorum vitam per constantiam suae viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctae Ecclesiae filiis propheta dixisset: *Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta praeterfluentes aquas (Isai. XLIV, 4)*. Sanctae enim Ecclesiae filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, et multiplici numerositate, et perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta praeterfluentes aquas germinare perhibentur, quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii, quae temporaliter percurrit. Et rursum nisi per sterilitatem salicum vita peccantium signaretur, nequaquam ex voce praedicantium contra Babyloniam Psalmista dixisset: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra (Psal. CXXXVI, 2)*. Babylonis quippe medio inesse salices describuntur, quia nimirum infructuosi quique, atque ab amore patriae coelestis alieni, totis visceribus cordis in hac saeculi confusione radicanantur. Unde et praedicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia cum infructuosas ac reprobas mentes aspiciunt, vim suae

praedicationis non exhibent, sed potius lugentes silent. Quid etiam per torrentem, nisi hujus mortalis vitae cursus exprimitur? De quo rursum per Prophetam dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (**Psal. CIX, 7**), quia videlicet Redemptor noster mortalis vitae poenam in quodam transitu attigit, et idcirco diu eidem morti cui sponte succubuit non inhaesit. Unde die tertia hoc quod moriendo posuerat resurgendo caput elevavit. **1082** Quid est ergo quod de Behemoth isto dicitur: *Circumdabunt eum salices torrentis*, nisi quod amatores vitae mortalis a bonis actibus quasi a fructibus alieni, tanto illi arctius inhaerent, quanto eos largius delectatio transitoriae voluptatis infundit? Hos enim quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitae carnalis inebriat. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in foliis viridescunt, quia ea quae gravia ad dicendum non sunt, aliquando honestatis verba proferunt, sed nullum vitae pondus ex bonis operibus ostendunt. Bene igitur dicitur: *Circumdabunt eum salices torrentis*, quia infructuosi quique dum amor vitae temporalis inserviunt, antiquo hosti perversis moribus familiariter obsequuntur. [*Vet. VII.*] Sed quia quid ei a suis clientibus impendatur audivimus, nunc etiam quid in illis agat ipse audiamus. Sequitur:

CAPUT VI [*Rec. VI*].

VERS. 18. *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.*

12. *Satanas homines pene omnes absorbit ante Redemptorem; et post, non paucos deglutit.*---Quid enim hoc loco fluvii nomine nisi humani generis decursio designatur, quae velut a fontis sui origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit? Qui autem signantur appellatione Jordanis, nisi qui jam imbuti sunt sacramento baptismatis? Quia enim Redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, ejus nomine debent omnes baptizati exprimi, in quo hoc ipsum contigit sacramentum baptismatis inchoari. Quia igitur Behemoth iste a mundi origine exortum, vix paucis electis evadentibus, humanum genus in ima defluens usque ad redemptionis tempora quasi quemdam in se fluvium traxit, bene nunc dicitur: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur.* Quia vero et post Mediatoris adventum quosdam qui recte vivere negligunt etiam fideles rapit, recte subjungitur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Ac si aperte diceretur: Ante Redemptorem mundi mundum non miratus absorbit, sed, quod est gravius, etiam post Redemptoris adventum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt deglutire se posse confidit. Alios namque sub Christianitatis nomine positos devorat, quia in ipso eos fidei errore supplantat. Alios a rectitudine fidei nequaquam deviat, sed ad usum pravae operationis inclinat. Alios quantum vult in operatione immunditiae inflectere non valet, sed apud semetipsos intus in studio intentionis intorquet, ut dum a charitate mentem dividunt, rectum non sit quidquid extrinsecus operentur. Et fidem tenent, sed vitam fidei non tenent, quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde quae agunt prava sunt, etiam si sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo, hinc est quod voce Veritatis dicitur: *Non omnis*

qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum (**Matth. VII, 21**). Hinc rursum ait: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quae dico* (**Luc. VI, 46**)? Hinc Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (**Tit. I, 16**). Hinc Joannes dicit: *Qui dicit se Deum nosse, et mandata ejus non custodit, mendax est* (**I Joan. II, 4**). Hinc est quod de ipsa sua prima plebe Dominus conqueritur, dicens: *Populus hic labiis* **1083** *me honorat, cor autem eorum longe est a me* (**Marc. VII, 6, ex Isai. XXIX, 13**). Hinc etiam Psalmista ait: *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei* (**Psal. LXXVII, 36**). Sed minime mirum fuit quod Behemoth iste ante lavacri undam, ante sacramenta coelestia, ante corpoream praesentiam Redemptoris, humani generis fluvium hiato profundae persuasionis absorbit; sed hoc valde mirum, hoc valde terribile est, quia multos aperto ore etiam post cognitionem Redemptoris suscipit, post lavacri undam polluit, post sacramenta coelestia ad inferni profundum rapit. Dicatur ergo, dicatur terribiliter voce Veritatis: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*. Neque enim pro magno diabolus habuit, quod infideles tulit; sed toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Nemo igitur sibi fidem sine operibus sufficere posse confidat, cum scimus quod scriptum sit: *Fides sine operibus mortua est* (**Jac. II, 20**). Nullus Behemoth morsum ex sola confessione fidei plene evasisse se existimet, quia jam quidem fluvium absorbit, sed adhuc Jordanem sitit; et toties in os illius Jordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit. Os quidem ejus jam fide nos sublevante fugimus, sed magno studio curandum est, ne in hoc lubrica operatione dilabamur. Si ambulandi

cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur, quia via quidem fidei ad coelestem patriam proficit, sed offendentes minime perducit.

[*Vet. VIII.*] 13. *Iis praesertim qui sanitate praestant, insidiatur. Qui nisi summam vigilantiam adhibeant, pejus de alto ruunt.*---Habemus adhuc quod hac in re subtilius perpendamus. Hi enim quos per Jordanem diximus exprimi, possunt per fluvium designari. Qui enim fidem jam veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, recte fluvius dici possunt, quia videlicet deorsum fluunt. Jordanis vero Hebraeo vocabulo descensio eorum dicitur. Et sunt nonnulli qui viam veritatis appetentes semetipsos abjiciunt, atque a vitae veteris elatione descendunt; cumque aeterna cupiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam sua derelinquunt, et non solum in eo gloriam non quaerunt, sed hanc cum se obtulerit, etiam contemnunt. Hinc est enim quod voce Veritatis dicitur: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* (**Luc. IX, 23**). Semetipsum enim abnegat, qui, calcato typho superbiae, ante Dei oculos esse se a se alienum demonstrat. Hinc Psalmista ait: *Memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim* (**Psal. XLI, 7**), Jordanis quippe, ut dixi, descensio, Hermoniim autem anathema, id est alienatio, interpretatur. De terra igitur Jordanis et Hermoniim Dei reminiscitur, qui in eo quod semetipsum dejicit, atque a se alienus existit, ad conditoris sui memoriam revocatur. Sed antiquus hostis hoc pro magno non habet, quod sub jure suae tyrannidis terrena quaerentes tenet. Propheta quippe attestante cognovimus quia *esca ejus electa* (**Habac. I, 16**). Neque enim 1084 mirum deputat, si eos absorbeat, quos superbia

erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluvium, et non mirabitur, quia pro magno non aestimat cum eos devorat, qui per ipsa suae vitae studia deorsum currunt; sed illos magnopere rapere nititur, quos, despectis terrenis studiis, jungi jam coelestibus contemplatur. [*Vet. IX.*] Unde absorpto fluvio recte subjungitur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*, quia illos insidiando rapere appetit, quos pro amore supernae patriae a praesentis vitae gloria semetipsos dejicere agnoscit. Nonnulli quippe mundum deserunt, honorum transeuntium vana derelinquunt, et, ima humilitatis appetentes, humanae conversationis morem bene vivendo transcendunt; atque in tanta studiorum arce proficiunt, ut signorum jam virtutes operentur; sed quia semetipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriae telo percussi, pejus de alto ruunt. Hinc est enim quod aeternus judex, qui occulta cordis examinat, ejusdem ruinae casum praenuntians intentat, cum dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem, nescio qui estis* (**Matth. VII, 22, 23**). Hinc etiam per prophetam dicitur: *Vocavit Dominus judicium ad ignem et devoravit abyssum multam, et comedet partem domus Domini* (**Amos. VII, 4**). Judicium quippe ad ignem vocatur, cum justitiae sententia ad poenam jam aeternae concremationis ostenditur. Et multam abyssum devorat, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quae nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars

autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur. Qui ergo hic Jordanis, ipsi illic pars domus Domini vocantur. Antiquus ergo hostis habet fiduciam quod in os ejus et Jordanis influat, quia nonnunquam calliditatis suae insidiis eos etiam qui jam electi putantur necat. [*Vet. X.*] Sed cujus cordis duritiam non ista Domini verba perturbent? cujus mentis constantia non ab intimis cogitationum radicibus quatiatur, cum hostis noster tantae esse contra nos fortitudinis demonstratur? Nullumne erit consolationis adjutorium? Erit certe, nam subditur:

CAPUT VII [*Rec. VII*].

VERS. 19.---*In oculis ejus quasi hamo capiet eum.*

14. *Diabolus Christum deglutire cupiens, quasi hamo captus est.*---Notandum valde est quod Scripturae suae verba misericorditer temperans Deus, modo nos asperis incitationibus terret, modo blandis consolationibus refovet, et terrorem fomentis miscet, et fomenta terrori, ut dum circa nos utrumque mira magisterii arte temperatur, nec desperate inveniamur territi, nec incaute securi. Nam cum Behemoth astutas insidias, **1085** atque effrenatas vires multiplicibus sententiis indicasset, protinus unigeniti Filii sui Redemptoris nostri commendat adventum, et quo ab illo ordine Behemoth iste sit perimendus insinuat, ut quia cor nostrum narrata illius virtute perculerat, moerorem nostrum citius indicata ejus perditione relevaret. Igitur postquam

dixit: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*, ipsum illico dominicae incarnationis adventum annuntiat, dicens: *In oculis ejus quasi hamo capiet eum*. Quis nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim provocat, ut aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetit, nos quos quasi juste tenebat amisit. In hamo ergo ejus incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas quae ad se devorantem duceret, ibi divinitas quae perforaret, ibi aperta infirmitas quae provocaret, ibi occulta virtus quae raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit unde devoravit. Et quidem Behemoth iste Filium Dei incarnatum noverat, sed redemptionis nostrae ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat, sed omnino quod idem Redemptor noster illum moriendo transfigeret nesciebat. Unde et bene dicitur: *In oculis ejus quasi hamo capiet eum*. In oculis quippe habere dicimus quod coram nobis positum videmus. Antiquus vero hostis humani generis Redemptorem ante se positum vidit, quem, cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: *Quid nobis et tibi, Flii Dei? venisti ante tempus torquere nos* (**Matth. VIII, 29**). In oculis itaque suis hamo captus est, quia et novit, et momordit; et cognovit prius quem pertimesceret, et tamen post non timuit, cum in illo quasi escam propriam, mortem carnis esuriret. [*Vet. XI.*] Igitur quia

caput nostrum per se quid fecit audivimus, nunc per membra sua quid faciat audiamus. Sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VIII*].

IBID.---*Et in sudibus perforabit nares ejus.*

15. *Sagacissimas ejus insidias detegendo, sancti veluti sude nares ipsius perforant.*---Quid aliud sudes, id est palos accipimus, qui videlicet exacuuntur ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia? Quae hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transfigunt. Per nares vero odor trahitur, et deducto flatu hoc agitur, ut res etiam quae longe est posita cognoscatur. Naribus ergo Behemoth callidae ejus insidiae designantur, per quas sagacissime nititur et occulta cordis nostri bona cognoscere et haec pessima persuasionem dissipare. In sudibus itaque Dominus nares ejus perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat. Saepe autem bonorum vias tanta insidians arte circumvolat, ut per ea quae ab eis bene gesta cognoverit, ad malitiam aditum quaerat. Nam unde alium largiri quid conspicit, inde alium in discordiae flamma succendit; et cum hunc respicit misereri, illi persuadet irasci, ut dum bonum quasi non communiter **1086** factum insinuat, concordem animum a bono gratiae communis abscindat. Quia enim justorum mentes ad mala suadendo non valet frangere, bonis satagit actibus inter eas mala seminare. Sed sancti viri has ejus insidias tanto celerius vincunt, quanto et subtilius deprehendunt. Quod

melius ostendimus, si unum e multis assertoribus veritatis in testimonium Paulum vocemus, sub quo quidam Corinthius dum incesti facinus perpetrasset, cum doctor egregius in carnis interitum ad satisfactionem poenitentiae Satanae tradidit, et in diem Domini salvum ejus spiritum reservavit (**I Cor. V, 5**). Magna quippe arte magisterii ipsi est traditus coactus in poenam cui sponte est substratus in culpa, ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiae, ipse flagellum fieret disciplinae. Qua tamen bene gesta poenitentia, dum cognovisset Corinthios super eum jam misericorditer motos, ait: *Cui aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* (**II Cor. II, 10**). Communionis vero gratiam cogitans ait: *Cui aliquid donastis, et ego*. Ac si diceret: A bono vestro non dissentio, meum sit quidquid ipsi fecistis. Atque mox subdidit: *Et ego si quid donavi, propter vos*. Ac si diceret: Vestris actibus bonum addidi, quidquid propter vos misericorditer feci. Vestra ergo est utilitas bonitas mea, mea est utilitas bonitas vestra. Qui ipsam mox compagem cordium, in qua sic tenetur, adjungens subdidit: *In persona Christi*. Cui velut si dicere praesumamus: Quare te ita caute discipulis copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente conformas? illico subjunxit: *Ut non circumveniamur a satana* (**Ibid., 11**). Cujus sagaces insidias quam acuto sensu transfigat insinuat subdens: *Non enim ignoramus cogitationes ejus*. Ac si verbis aliis dicat: Acutae auctore Domino sudes sumus, et nares Behemoth istius subtiliter circumspiciendo penetramus, ne hoc quod bene mens inchoat, ipse in malitiae finem vertat.

[Vet. XII.] 16. *Christi divinitatem explorans, ejus verbis in naso confixus est et captus.*---Possunt per sudes acuta ipsius per carnem manifestatae sapientiae verba signari, ut quia naribus odor trahitur, per Behemoth nares illa antiqui hostis exploratio figuretur. Qui cum Deum incarnatum esse dubitaret, hoc expetitis miraculis voluit tentando cognoscere, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (**Matth. IV, 3**). Quia ergo signorum indiciis odorem divinitatis ejus cognoscere concupivit, quasi flatum naribus traxit. Sed dum ei protinus respondetur: *Non in pane solo vivit homo. Et: Non tentabis Dominum Deum tuum* (**Ibid., 4, 7**), quia sententiarum suarum acuminibus indagationem antiqui hostis veritas perculit, quasi nares ejus sudibus perforavit. Sed quia Behemoth iste per varia fraudum argumenta distenditur, adhuc adjuncto et alio nomine notatur: nam subditur:

CAPUT IX [*Rec. IX*].

VERS. 20.---*An extrahere poteris Leviathan hamo?*

17. *Divinitas in carne velut hamus in esca satanam transfixit.*--Leviathan quippe additamentum eorum dicitur. Quorum videlicet, nisi hominum? quibus semel culpam praevaricationis intulit, et hanc usque ad aeternam mortem quotidie pessimis suggestionibus extendit. Quibus dum reatum fenore peccati multiplicat, poenas procul dubio sine cessatione coacervat. Potest quoque Leviathan etiam per irrisionem vocari. Primo quippe homini persuasionem callida **1087** divinitatem additurum se perhibuit, sed

immortalitatem tulit (**Genes. III, 5**). Additamentum ergo hominum per irrisionem dici potest, quibus dum hoc quod non erant se addere spopondit, etiam hoc quod erant fallendo subtrahit. Sed Leviathan iste hamo captus est, quia in Redemptore nostro dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo et esca carnis patuit, quam devorator appeteret, et divinitas passionis tempore latuit, quae necaret. In hac quippe aquarum abyssu, id est in hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam pene omnium vorans, huc illucque aperto ore cetus iste ferebatur, sed ad mortem ceti istius hamus in hac aquarum profunditate caliginosa mira est dispositione suspensus. Hujus hami linea illa est per Evangelium antiquorum patrum propago memorata. Nam cum dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob* (**Matth. I, 2**); cumque caeteri successores interposito Joseph nomine usque ad Mariam virginem desponsatam describuntur, quasi quaedam linea torquetur, in cuius extremo incarnatus Dominus, id est hamus iste ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste cetus appeteret, sed eo per satellitum suorum saevitiam morso, mordendi vires ulterius non haberet. Ne ergo iste humanis mortibus cetus insidians quos vellet ultra devoraret, hamus hic raptoris fauces tenuit, et sese mordentem momordit. Incarnationem igitur unigeniti Filii fidei famulo indicans Deus, ait: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* Subaudis ut ego, qui ad raptoris mortem incarnatum unigenitum Filium mitto, in quo dum mortalis caro conspicitur, et immortalitatis potentia non videtur, quasi hamus quidam inde devorantem perimit unde acumen potentiae quo transfigat occultat. Sequitur:

CAPUT X.

IBID.---*Et fune ligabis linguam ejus.*

18. *Ejus linguam Dominus ligavit, dum silere coegit errores.*--Subaudis ut ego. Scriptura enim sacra fune aliquando dimensionum sortes, aliquando peccata, aliquando fidem designare consuevit. Nam propter haereditarias dimensionum sortes dicitur: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris; etenim haereditas mea praeclara est mihi (Psal. XV, 6)*. Funes quippe in praeclaris cadunt, dum per humilitatem vitae sortes nos patriae melioris excipiunt. Rursum quia fune peccata signantur, per prophetam dicitur: *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis (Isai. V, 18)*. Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Funes peccatorum circumplexi sunt me (Psal. CXVIII, 61)*. Quia enim funis addendo torquetur ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde saepe, dum defenditur, multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur, Salomone attestante, qui ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur (Eccle. IV, 12)*, quia fides videlicet, quae de cognitione Trinitatis ab ore praedicantium textitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur. Hoc itaque loco funis nomine sive peccatum, sive fidem nil obstat intelligi. [*Vet. XIII.*] Incarnatus etenim Dominus noster fune Leviathan linguam ligavit, **1088** quia in similitudine carnis peccati apparuit, et omnia errorum ejus praedicamenta damnavit (**Rom. VIII, 3**). Unde Paulo attestante dicitur: *Et de peccato damnavit*

peccatum (Ibid.). Fune linguam ligavit, quia per similitudinem carnis peccati ab electorum suorum cordibus cuncta ejus fallaciae argumenta destruxit. Ecce enim apparente in carne Domino, Leviathan lingua ligata est, quia ejus veritate cognita, illae falsitatis doctrinae tacuerunt.

19. *Academici et Mathematici refelluntur.*---Ubi enim nunc est Academicorum error, qui certe conantur astruere certum nil esse, qui impudenti fronte assertionibus suis fidem ab auditoribus exigunt, cum vera esse nulla testantur? Ubi Mathematicorum superstitio qui, dum signorum cursus suspiciunt, vitas hominum in siderum momenta suspendunt? Quorum aperte doctrinam saepe geminorum nativitas dissipat, qui cum uno eodemque momento horae prodeant, non in una conversationis qualitate perdurant. Ubi tot praedicamenta falsitatis, quae enumerare fugimus, ne ab exponendi ordine longe recedamus? Sed cuncta jam erroris doctrina conticuit, quia Leviathan linguam Dominus incarnationis suae fune constrinxit. Unde bene etiam per prophetam dicitur: *Et desolabit Dominus linguam maris Aegyptii (Isai. XI, 15).* Lingua quippe maris est scientia doctrinae saecularis. Bene autem mare Aegyptium dicitur, quia peccati obscuritate fuscatur. Linguam ergo maris Aegyptii Dominus desolavit, quia hujus mundi falsam sapientiam per carnem se ostendendo destruxit. Fune ergo Leviathan lingua constringitur, quia per similitudinem carnis peccati ligata est praedicatio vetusti peccatoris.

20. *Disseminata sanctissimae Trinitatis fide scientia saecularis tacuit.*---Si autem fides fune signatur, isdem nobis iterum intellectus innuitur, quia dum per praedicatores sanctos in mundo fides Trinitatis innotuit, contra electorum

mentes erumpere mundi doctrina cessavit. Unde bene Domino per prophetam dicitur: *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan* (**Psal. LXXIII, 15**). Ethan quippe interpretatur fortis. Et quis est hic fortis, nisi de quo per Evangelium Dominus dicit: *Nemo potest vasa fortis ingressus domum diripere, nisi prius fortem alliget* (**Marc. III, 27**)? Fontes itaque et torrentes Dominus dirupit, dum in apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis aperuit. De quibus rursum per prophetam alium dicitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (**Isai. XII, 3**). Ad eorum quippe doctrinam sitientes pergimus, ut veritatis plenas cordium nostrorum lagunculas reportemus. Sed emanantibus suis fontibus Ethan fluvios exsiccavit, dum doctrinam fortis et maligni spiritus ostenso radio suae veritatis arefecit. Leviathan ergo lingua fune stringitur, quia, extensa fide Trinitatis, errorum praedicamenta siluerunt. Sed quia jam se aperte extollere non valet, huc illucque circumiens per insidias mordet. [*Vet. XIV.*] Mira autem misericordia contra hunc pro nobis Dominus vigilat, atque eum et in hoc quod fraudibus molitur expugnat. Unde subditur:

CAPUT XI [*Rec. X*].

VERS. 21.---*Nunquid pones circulum in naribus ejus?*

21. *Circulus in naribus diaboli divinae virtutis omnipotentia.* --Sicut per nares insidiae, ita per circulum divinae virtutis omnipotentia designatur. Quae cum apprehendi nos

tentationibus prohibet, miris ordinibus **1089** antiqui hostis insidias circumplectens tenet. Circulus ergo ei in naribus ponitur, dum circumducta protectionis supernae fortitudine, ejus sagacitas retinetur, ne contra infirmitatem hominum tantum praevaleat, quantum perditionis argumenta latenter explorat. Potest etiam circuli nomine occulti iudicii adiutorium designari, quod in hujus Behemoth naribus ponitur, cum a callida sua crudelitate refrenatur. Unde bene per prophetam, cum ab Israelitarum laesione prohibetur, regi Babyloniae dicitur: *Ponam circulum in naribus tuis* (**Isai. XXXVII, 29**). Ac si aperte diceretur: Cogitando insidias suspiras; sed explere quod appetis non valendo omnipotentiae meae circulum in naribus portas, ut cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas. Quod vero hoc loco circulum, hoc et Scriptura sacra per Joannem in Apocalypsi falcem vocat. Ait enim: *Vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam* (**Apoc. XIV, 14**). Potestas enim divini iudicii, quia undique stringit, circulus dicitur; et quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cedit. Et quia potestas superni iudicii nullatenus evitatur, intra ipsam quippe sumus, quo libet fugere conemur, recte cum venturus iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cum potenter ad omnia obviat, incidendo circumdat. Esse se intra iudicii falcem Propheta vidit, cum diceret: *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero ad infernum ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (**Psal. CXXXVIII, 8, 9, 10**). Intra quamdam falcem se vidit, cum ex

nullo sibi loco patere fugae aditum posse cognovit, dicens: *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* (Psal. LXXIV, 7); subaudis patet via fugiendi, atque mox ipsam supernae potentiae omnimodam comprehensionem subdens, ait: *Quoniam Deus judex est*. Ac si diceret: Fugiendi via undique deest, quia ille judicat qui ubique est. Divina itaque judicia sicut signantur falce, quia circumvallantia incidunt, ita exprimuntur circulo, quia undique stringunt. In Leviathan itaque naribus a Domino circulus ponitur, quia judicii ejus potentia in insidiis suis ne quantum vult praevaleat coarctatur. Dicatur ergo: *Nunquid pones circulum in naribus ejus?* Subaudis ut ego, qui astutas ejus insidias omnipotenti judicio constringo, ut nec tantum tentet quantum appetit, nec tantum capiat quantum tentat. Sequitur:

CAPUT XII.

IBID.---*Aut armilla perforabis maxillam ejus?*

22. *Haec plurimos quos devoravit, ab ejus faucibus extrahit.*--Ab intellectu circuli armilla non discrepat, quia ipsa hoc quoque ubi ponitur ambiendo constringit. Sed quia armilla latius tenditur, per armillam occulti ejus judicii erga nos protectio impensor designatur. Armilla ergo Dominus maxillam Leviathan istius perforat, quia ineffabili misericordiae suae potentia sic malitiae antiqui hostis obviat, ut aliquando eos etiam quos jam cepit amittat; et quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam

redeunt. Quis enim ore illius semel raptus maxillam ejus evaderet, **1090** si perforata non esset? An non in ore Petrum tenuit, cum negavit (**Matth. XXVI, 71**)? An non in ore David tenuit, cum in tantam se luxuriae voraginem mersit (**II Reg. XI, 4**)? Sed cum ad vitam uterque per poenitentiam rediit, Leviathan iste eos aliquo modo quasi per maxillae suae foramina amisit. Per foramen ergo maxillae ab ejus ore subtracti sunt qui post perpetrationem tantae nequitiae poenitendo redierunt. Quis autem hominum Leviathan istius os evadat, ut nulla illicita committat? Sed hinc cognoscimus quantum redemptori humani generis debitores sumus, qui non solum nos in os Leviathan ire prohibuit, sed ab ore etiam redire concessit; qui spem peccatori non abstulit, quia maxillam ejus, ut evadendi viam tribueret, perforavit, ut saltem post morsum fugiat, qui incautus prius morderi nequaquam metuebat. Ubique ergo nobis occurrit superna medicina, quia et dedit homini praecepta ne peccet, et tamen peccandi dedit remedia, ne desperet. Unde cavendum summopere est ne quis delectatione peccati Leviathan istius ore rapiatur, et tamen, si raptus fuerit, non desperet, quia si peccatum perfecte lugeat, adhuc foramen in maxilla ejus invenit, per quod evadat. Jam dentibus teritur, sed adhuc si evadendi via quaeritur, in maxilla ejus foramen invenitur. Habet etiam captus quo exeat, qui praevidere noluit ne caperetur. Quisquis ergo nondum captus est, maxillam ejus fugiat; quisquis vero jam captus est, in maxilla foramen quaerat. Pius enim ac justus est conditor noster.

[*Vet. XV.*] 23. *Ante culpam justitia Dei metuenda; post culpam speranda misericordia. Ruina majorum sit cautela minorum.* --Sed nemo dicat: Quia pius est, venialiter pecco. Et nemo qui

peccaverit dicat: Quia justus est, de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur, sed perpetrare quisque timeat quod si digne deflere possit ignorat. Ante culpam ergo justitiam metuat, post culpam tamen de pietate praesumat; neque ita justitiam timeat, ut nulla spei consolatione convalescat; neque ita confidat de misericordia, ut adhibere vulneribus suis dignae poenitentiae negligat medicinam; sed quem praesumit sibi pie parcere, semper etiam cogitet et districte judicare. Sub pietate itaque ejus spes peccatoris gaudeat, sed sub distictione illius poenitentis correctio contremiscat. Spes igitur praesumptionis nostrae habeat etiam morsum timoris, ut ad corrigenda peccata justitia judicantis terreat, quem ad fiduciam veniae gratia parcentis invitat. Hinc enim per quemdam sapientem dicitur: *Ne dixeris, Miserationes Domini multae sunt, peccatorum meorum non memorabitur* (**Eccli. V, 6**). Pietatem namque ejus protinus, et justitiam subdit, dicens: *Misericordia enim et ira ab illo* (**Ibid., 7**). Divina itaque clementia maxillam Behemoth istius perforans, ubique humano generi et misericorditer et potenter occurrit, quia nec libero admonitionem praecavendi tacuit, nec capto remedium fugiendi subtrahit. Ad hoc quippe in Scriptura sacra virorum talium, id est David et Petri, peccata sunt indita, ut cautela minorum sit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic et poenitentia insinuatur et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente, nemo superbiat. De lapsu etiam suo David surgente, **1091** nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo humiles levat. Unam namque rem gestam retulit, et diverso modo superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles

vero ad spei fiduciam revocavit. O inaestimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, et premendo tumentia exsiccat, et sublevando arentia infundit! De majorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit.

24. *Incassum sperat misericordiam, qui justitiam non timet.*--
-Sic quippe semper, sic nos divinae dispensationis misericordia et superbientes reprimit, et ne ad desperationem corruamus fulcit. [*Vet. XVI, Rec. XI.*] Unde etiam per Moysen admonet, dicens: *Non accipies loco pignoris superiorem, aut inferiorem molam (Deut. XXIV, 6).* Accipere namque aliquando dicimus auferre. Unde et aves illae quae sunt rapiendis avibus avidae, accipitres vocantur. Unde Paulus apostolus dicit: *Sustinetis enim si quis devorat, si quis accipit (II Cor., XI, 20).* Ac si diceret, Si quis rapit. Pignus vero debitoris est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum a peccatore jam peccati confessio tenetur. Superior autem et inferior mola est spes et timor. Spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior et inferior ita sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debet spes et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur, quia qui peccatori praedicat, tanta dispensatione componere praedicationem debet, ut nec derelicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe, in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior aut inferior tollitur, si per praedicantis linguam in peccatoris pectore aut timor a spe, aut spes a timore dividatur.

25. Cur Deus electos a carnalibus vitiis illaesos non custodit. Superbia majus peccatum quam luxuria. Homo de medicamento vulnus facit, Deus de vulnere medicamentum.--

-Sed quia, exigente causa, David ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur, cur eos omnipotens Deus, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque spiritalium culmen assumpsit, illaesos a corporalibus vitiis non custodit. Unde quia satisfieri citius credimus, breviter respondemus. Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum in superbiae vitium cadunt, sed tamen quo ceciderint, non cognoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, quia jam interius dominatur, etiam exterius saevire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare; sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpae latentis erubescant; et tunc etiam majora corrigunt, cum prostrati in minimis gravius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatus nonnunquam Behemoth iste de culpa ad culpam trahit, et **1092** dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit, atque unde vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet intra munitum gratiae sinum quanto Deus favore misericordiae nos continet. Ecce qui de virtute se extollit per vitium ad humilitatem redit. [*Vet. XVI.*] Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed, ut ita dixerim,

medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? et quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum, ille vitiorum illecebras assumit in artem virtutum, et salutis statum percutit ut servet, ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes haereamus. Sed inter haec sciendum est quod plerique hominum, quo in multis corruunt, arctius ligantur; cumque eos Behemoth iste ex uno vitio percutit ut concidant, ex alio quoque illigat ne resurgant. Consideret itaque homo cum quo hoste bellum gerat; et si jam se in aliquo deliquisse perpendit, saltem ad culpam pertrahi ex culpa pertimescat, ut studiose vitentur vulnera, quibus frequenter interficit, quia valde rarum est, quod hostis noster electorum saluti etiam vulneribus servit.

26. Tentatio aliquando meritorum est custodia. Diabolus tentando sanctos ad regnum servat invitus.---Maxilla tamen Behemoth istius perforata intelligi et aliter potest, ut in ore tenere dicatur non quos jam perfecte peccato implicavit, sed quos adhuc peccati persuasionibus tentat, quatenus ei quemlibet mandere sit de peccati eum delectatione tentare. Mandendum quidem, sed non deglutiendum acceperat Paulum, quando illum post tot revelationum sublimia stimulis carnis agitabat (**II Cor. XII, 7**). Tunc ergo cum contra illum licentiam tentationis accepit, in maxilla eum tenuit, sed perforata. Qui vero elatus perire poterat, tentatus est ne periret. Tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit, quia Leviathan iste fatigando eum in afflictione contrivit, sed non in culpa capiendo devoravit.

Elatos autem in sanctitate viros non amitteret, nisi tentaret. Sancti quippe non essent, qui de sanctitatis gloria superbirent, et tanto sub ejus jure caderent, quanto se in suis virtutibus elevarent. Sed miro dispensationis ordine dum tentantur humiliantur, dum humiliantur ejus esse jam desinunt. Bene ergo maxilla Behemoth istius perforata dicitur, quia electos Dei unde conterit, inde amittit; unde tentat ut perdat, agit inde ne pereant. Antiquus itaque hostis, occultis Dei dispensationibus serviens, sanctorum animas ad interitum tentat volens, sed ad regnum tentando servat invitus. Maxilla ergo ejus perforata est, quia eos quos tentando, id est mandendo conterit, quasi cum deglutit amittit. Quod quia non humana sed divina providentia agitur, ut utilitati justorum ipsa vetusti adversarii astutia suffragetur, quatenus cum electos tentat, eos magis tentando custodiat, bene ad beatum Job dicitur: *Aut armilla perforabis maxillam ejus?* Subaudis ut ego, qui provide cuncta disponens, electos meos inde robustius in integritate custodio, unde eos per maxillam Leviathan istius labefactari aliquo modo ab integritate permitto. Sequitur:

CAPUT XIII [*Vet. XVIII, Rec. XII*].

VERS. 22.---*Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*

1093 27. *Satanas sive per se, sive per membra sua, nimirum reprobos, Christo preces adhibuit.*---Subaudis ut mihi. Si enim ad personam Filii haec verba referantur, incarnato ei

mollia loquebatur cum diceret: *Scio quia sis sanctus Dei (Luc. IV, 34)*. Ad quem Leviathan iste multiplicavit preces, cum per subditam sibi legionem dixit: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum (Matth. VIII, 31)*. Quamvis intelligi potest apertius, quia ad Dominum preces multiplicat, cum extremi die judicii iniqui qui ejus corpus sunt sibi parci deprecantur, cum membra ejus, videlicet reprobi, sero clamantes dicunt: *Domine, Domine, aperi nobis (Luc. XIII, 25)*. Quibus protinus dicitur: *Nescio vos unde sitis*. Tunc etiam Domino per membra sua mollia loquetur, quando multi ex ejus corpore dicturi sunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus (Matth. VII, 22)*? Mollia quidem deprecantes dicunt, cum ejus nomine replicant quae fecerunt, sed duro corde illa cum facerent, in suam laudem rapuerunt. Unde mox audiunt: *Nescio qui estis (Ibid., 23)*. Sequitur:

CAPUT XIV [*Rec. XIII*].

VERS. 23.---*Nunquid feriet tecum pactum?* Subaudis ut mecum: *Et accipies eum servum sempiternum*.

28. *Sanctos tentans eorum utilitati servit, ac Dei voluntati*.--- Subaudis ut ego. Sed valde solerter intuendum est quod pactum cum Domino Leviathan iste feriat, ut sempiternus ab eo servus habeatur. In pacto enim, discordantium partium voluntas impletur, ut ad votum suum quaeque perveniat, et jurgia desiderato fine concludat. Antiquus itaque hostis a

sinceritate divinae innocentiae malitiae suae face succensus discordat, sed ab ejus judicio etiam discordando non discrepat; nam viros justos semper malevole tentare appetit, sed tamen hoc Dominus vel misericorditer fieri, vel juste permittit. Haec ipsa ergo tentationis licentia pactum vocatur, in qua et desiderium tentatoris agitur, et tamen per eam miro modo voluntas justis dispensatoris impletur. Erudiendos enim, sicut nuper diximus, electos suos Dominus saepe tentatori subjicit, sicut post paradisi claustra, post tertii coeli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Satanae angelus datus est (**II Cor. XII, 7**). Sed, ut praefati sumus, ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati a perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde saevire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei. Et bene ex hoc pacto quod cum Domino ferire dicitur, servus accipi perhibetur, quia inde obtemperat nutibus supernae gratiae, unde exercet iram nequissimae voluntatis suae. [*Vet. XIX.*] Servus ergo ex pacto est, qui dum voluntatem suam implere permittitur, a superni consilii voluntate ligatur, ut electos Dei, sicut dictum est, volens tentet, et tentando nesciens probet.

29. Reproborum poena Dei electorumque gloriae famulatur. --Sed quia tandiu in hac vita electorum usibus servit, quandiu malitiae suae nequitiam tentationibus exercere potuerit, hoc autem in loco a Domino non solum ex pacto servus, sed sempiternus servus accipi dicitur, investigare compellimur quomodo et post praesentis vitae terminum servire eum in perpetuum Domino demonstremus. Neque enim tunc justos coelesti felicitate pollentes adhuc tentare permittitur, cum ante eorum oculos aeternis gehennae ignibus mancipatur, quia

nequaquam **1094** in illa superna patria tentationibus erudiendi sunt, in qua jam pro tentationum laboribus remunerantur. Sed tunc Leviathan iste cum suo corpore, reprobis videlicet omnibus, flammis ultricibus traditur, quibus sine fine crucietur. Quos scilicet cruciatus dum justi conspiciunt, in Dei laudibus crescunt, quia et in se cernunt bonum quo remunerati sunt, et in illis inspiciunt supplicium quod evaserunt. Ita enim tunc pulchra erit universitas, dum et gehenna juste cruciat impios, et aeterna felicitas juste remunerat pios. Sicut enim niger color in pictura substernitur, ut superjectus albus vel rubeus pulchrior ostendatur, ita tunc etiam malos bene ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia beatorum, ostensis ante eorum oculos suppliciis reproborum. Et quamvis illud ex visione dominica eorum gaudium non sit quod crescat, magis tamen auctori suo esse se debitores sentiunt, quando et bonum cernunt quod juste remunerati percipiunt, et malum quod misericorditer adjuti vicerunt. [Rec. XIV] Igitur si utilitati justorum et hic tentatio Leviathan istius, et illic damnatio proficit, sempiternus servus est dum Dei laudibus nesciens servit, et illic poena ejus justa, et hic voluntas injusta. Sequitur:

CAPUT XV [*Vet. XX*].

VERS. 24.---*Nunquid illudes ei quasi avi?*

30. *Diabolus animal quadrupes per actionis immundae fatuitatem; draco per nocendi malitiam; avis per elationem.*-

--Quid est quod adversarius noster prius Behemoth,

postmodum Leviathan dicitur, nunc vero avi in perditionis suae illusionem comparatur? Behemoth, quippe, ut diximus, bellua interpretatur, quae quadrupes ostenditur, dum sicut bos fenum comedere perhibetur. Leviathan vero, quia hamo capitur, procul dubio serpens in aquis innotescitur. Nunc vero ad avis similitudinem ducitur, cum dicitur: *Nunquid illudes ei quasi avi?* Cur ergo bellua, vel jumentum, cur draco, cur avis appelletur, indagemus. Citius enim nomina ejus agnoscimus, si tergiversationis illius astutiam subtiliter exploremus. De coelo quippe ad terram venit, et ad spem coelestium nulla jam respiratione se erigit. Irrationale ergo et quadrupes animal est per actionis immundae fatuitatem, draco per nocendi malitiam, avis per subtilis naturae levitatem. Quia enim hoc quod contra se agit ignorat, bruto sensu bellua est; quia malitiose nobis nocere appetit, draco est; quia vero de naturae suae subtilitate superbe extollitur, avis est. Rursum, quia in hoc quod inique agit ad utilitatem nostram divina virtute possidetur, jumentum est; quia vero latenter mordet, serpens est; quia autem nonnunquam per indomitam superbiam se etiam lucis angelum simulat, avis est. Humanum etenim genus quamvis inexplicabili iniquitatis arte lacescat, tribus tamen vitiis valde tentat, ut videlicet alios sibi per luxuriam, alios per malitiam, alios per superbiam subdat.

31. *Secundum varias illas formas, varie tentat. Satanae escam ostendit Christus, laqueum abscondit.*---Non ergo immerito in eo quod agere nititur ex ipso suarum actionum nomine vocatur, cum jumentum, draco, vel avis dicitur. In eis quippe quos ad stultitiam luxuriae excitat, jumentum est; in eis quos ad nocendi malitiam inflamat, draco est; in eis autem quos in fastum superbiae quasi alta sapientes elevat, avis est; in illis

vero quos pariter in luxuria et superbia et malitia polluit, jumentum, **1095** draco, simul et avis existit. Per tot namque ad deceptorum cor se species intulit, in quot eos nequitas implicavit. Multarum igitur rerum nomine vocatur, quia ante deceptorum mentes in varias formarum species vertitur. Cum enim hunc per carnis luxuriam tentat, et tamen minime superat, mutata suggestionem cor illius in malitiam inflamat. Quia ergo ad eum venire bellua non valuit, draco venit. Illum veneno malitiae corrumpere non valet, sed tamen bona sua ejus oculis opponit, et cor illius in superbiam extollit. Huic ergo ut draco subrepere non valuit, sed tamen adducto phantasmate inanis gloriae, coram cogitationis ejus obtutibus quasi avis volavit. Quae nimirum avis tanto contra nos immanius extollitur, quanto nulla naturae suae infirmitate praepeditur. Quia enim carnis morte non premitur, et Redemptorem nostrum carne mortalem vidit, altiori fastu elationis intumuit; sed ubi contra auctorem suum penna se superbiae extulit, ibi laqueum suae mortis invenit. Nam ea ejus carnis morte prostratus est, quam expetiit elatus; et inde pertulit laqueum, unde quasi escam suae malitiae mortem justit concupivit. [*Vet. XXI.*] Dicatur ergo: *Nunquid illudes ei quasi avi?* Quasi avi quippe Dominus illusit, dum ei in passione unigeniti Filii sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Vidit enim quod ore perciperet, sed non vidit quod gutture teneret. Nam quamvis eum fuerat ipse confessus Filium Dei, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judaeorum persequentium animos concitavit (**Matth. VIII, 29**). Sed in ipso traditionis ejus tempore tarde jam cognovisse intelligitur, quod ipse illa ejus morte puniretur. Unde et Pilati conjugem somniis terruit, ut vir illius a justit persecutione cessaret (**Matth. XXVII, 19**). Sed res interna

dispensatione disposita nulla valuit machinatione refragari. Expediebat namque ut peccatorum mortem juste morientium solveret mors justi injuste morientis. Quod quia Leviathan iste usque ad tempus passionis illius ignoravit, quasi more avis illusus, divinitatis ejus laqueum pertulit, dum humanitatis ejus escam momordit. Sequitur:

CAPUT XVI [*Rec. XV*].

IBID.---*Aut ligabis eum ancillis tuis.*

32. *Christus infirma mundi eligens, diaboli fortitudinem debellavit. Domus sapientiae Christi corpus, et Ecclesia. Ad praedicandum Evangelium soli assumpti sunt qui per se non essent idonei.*---Subaudis ut ego. In servis etsi despecta est conditio, virilitas viget; in ancillis autem cum conditione pariter sexus jacet. Bene ergo Dominus Leviathan istum non servis, sed ancillis suis ligare se asserit, quia ad nostram redemptionem veniens, et suos contra mundi superbiam praedicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit. Ancillis ergo suis Leviathan hujus fortitudinem Dominus ligavit, quia attestante Paulo: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (I Cor. I, 27)*. Unde bene per Salomonem dicitur: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et moenia civitatis (Prov. IX, 1, 2, 3)*. Sapientia quippe domum sibi condidit, cum unigenitus Dei Filius in semetipso

intra uterum Virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit. Sic quippe corpus Unigeniti domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur; ita vero, ut unus idemque Dei atque hominis filius ipse sit qui **1096** inhabitat, ipse qui inhabitatur. Quod tamen recte et aliter accipitur, si domus sapientiae Ecclesia vocetur. Quae septem sibi columnas excidit, quia ab amore praesentis saeculi disjunctas ad portandam ejusdem Ecclesiae fabricam mentes praedicantium erexit. Quae pro eo quod perfectionis virtute subnixae sunt, septenario numero designantur. Immolavit victimas, quia vitam praedicantium mactari in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis et humanitatis suae nobis pariter arcana praedicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturae sacrae nobis pabula aperiendo praeparavit. Ancillas etiam suas misit, quae ad arcem nos atque civitatis moenia vocarent, quia praedicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritalis patriae aedificia superna colligerent. Unde in Evangelio Dominus Nathanaelem laudat (**Joan. I, 47**), nec tamen in sorte praedicantium numerat, quia ad praedicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil habebant, ut tanto solidius veritatis esse cognosceretur quod agerent, quanto et aperte cerneretur quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Ut ergo mira potentia per praedicatorum linguas claresceret, prius mirabilius actum est ut eorundem praedicantium meritum nullum esset. Ancillas ergo Dominus misit, et Leviathan hujus fortitudinem ligavit, quia infirmos praedicatores mundo exhibuit, et potentes quosque, qui ejus corpus fuerant, sub terroris sui vinculo restrinxit. Et in semetipso Leviathan iste ancillis ligatur, cum infirmis praedicantibus, veritatis clarescente lumine, contra electorum

mentes antiquus hostis non quantum vult saevire permittitur; sed ne sub infidelitatis captivitate cunctos quos appetit teneat, signis et virtutibus coarctatur. Ipse ergo per se hoc fortiter facit, qui contra contra illum vires non fortibus tribuit. Sed quia quos contra eum Dominus mittat insinuat, nunc etiam quid ipsi agant qui mittuntur, adjungit. Sequitur:

CAPUT XVII [*Vet. XXII, Rec. XVI*].

VERS. 25.---*Concident eum amici, dividunt illum negotiatores.*

33. *Diaboli membra conciduntur, cum ab ejus corpore peccatores separantur Christo sociandi. Praedicatores sunt negotiatores.*---Leviathan iste toties conciditur, quoties divini verbi gladio sua ab illo membra separantur. Iniqui enim cum verbum veritatis audiunt, et, sancto timore percussi, ab antiqui se hostis imitatione suspendunt, ipse in corpore suo dividitur, cui hi qui prave inhaeserant subtrahuntur. Ipsos vero amicos nominat, quos superius ancillas vocat; ipsos etiam negotiatores appellat, quos amicos dixerat. Sancti etenim praedicatores prius ancillae sunt per formidinem, post amici per fidem, ad extremum quoque negotiatores per actionem. Ipsis quippe infirmantibus dicitur: *Nolite timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (Luc. XII, 32).* Ipsis rursum convalescentibus dicitur: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (Joan. XV, 15).* Ipsis ad extremum in negotii operationem pergentibus jubetur: *Euntes in mundum*

universum, praedicate Evangelium omni creaturae (**Marc. XVI, 15**). In praedicatione quippe fidei quasi quoddam negotium geritur, dum verbum datur, et fides ab auditoribus sumitur. Quasi quoddam negotium faciunt, qui praedicationem praerogant, et a populis fidem reportant. Fidem impartiunt, et eorum sanctam protinus vitam sumunt. Si enim justorum **1097** praedicatio negotium non fuisset, profecto Psalmista non diceret: *Sumite psalmum, et date tympanum* (**Psal. LXXX, 2**). In tympano etenim corium siccatur ut sonet. Quid est ergo dicere: *Sumite psalmum, et date tympanum*, nisi accipite spiritale canticum cordis, et reddite temporalem macerationem corporis? Si superna praedicatio negotium non fuisset, nequaquam sub typo fortis mulieris Salomon de sancta Ecclesia diceret: *Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo* (**Prov. XXXI, 24**). Quid enim signatur per lintheum sindonis, nisi subtilis intextio sanctae praedicationis? In qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium spe superna refovetur. Unde et Petro animalia in lintheo demonstrantur (**Act. X, 11**), quia peccatorum animae misericorditer aggregatae, in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem Ecclesia fecit, et vendidit, quia fidem quam credendo texuerat loquendo dedit, et ab infidelibus vitam rectae conversationis accepit. Quae et Chananaeo cingulum tradidit, quia per vigorem demonstratae justitiae, fluxa opera gentilitatis astrinxit, ut hoc quod praecipitur vivendo teneatur: *Sint lumbi vestri praecincti* (**Luc. XII, 35**). Praedicatores ergo suos Dominus quaerendo ancillas invenit, permutando amicos facit, ditando negotiatores exhibet. Qui enim mundi prius minas infirmi timuerunt, post ad cognoscenda divina consilia ascendunt. Ditati autem virtutibus, usque ad exercendum fidei negotium

perducuntur, ut Leviathan istius membra increpando atque suadendo tanto severius incidant, quanto et amici facti amoris veritatis semetipsos verius copulant, atque ab eo peccantium animas tanto celerius subtrahant, quanto negotiatores idonei effecti in semetipsis amplissimas apothecas virtutum monstrant. Quia enim per praedicatores Dei valde laudabiliter a Leviathan isto res possessa dividitur, veritatis vox per prophetam pollicetur, dicens: *Et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (Jerem. XV, 19)*. Pretiosum quippe a vili separat, qui humanas mentes a reproba antiqui hostis imitatione disjungit. Recte os Dei dicitur, quia per eum procul dubio eloquia divina formantur. Sequitur:

CAPUT XVIII [*Rec. XVII*].

VERS. 26. *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius?*

34. *In Ecclesiae sagena prius capti piscatores, deinde per eos rhetores et philosophi.*---Quid per sagenas vel gurgustium piscium nisi ecclesiae fidelium, quae unam Ecclesiam catholicam faciunt, designatur? Unde in Evangelio scriptum est: *Simile est regnum coelorum sagnetis missis in mare, et ex omni genere piscium congreganti (Matth. XIII, 47)*. Regnum coelorum scilicet vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam haec ipsa in Domino per coelestem conversationem regnat. Quae recte etiam sagnetis missis in mare comparatur, ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc gentilitatis saeculum, nullum

respuit; sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, et fatuos cum sapientibus cepit. In pelle vero Leviathan istius, stultos ejus corporis, in capite autem prudentes accipimus. Vel certe pelle, quae est exterius, subditi ad haec extrema servientes, capite autem praepositi, designantur. Et bene Dominus, servato ordine, has sagenas vel gurgustium piscium, id est **1098** Ecclesiam suam, et vota fidelium prius se pelle ejus et postmodum capite asserit impleturum, quia, sicut superius diximus (**Sup., c. 16 hujus lib., n. 32**), prius elegit infirma, ut post confunderet fortia. Elegit quippe stulta mundi, ut confunderet sapientes (**I Cor. I, 27**). Prius namque collegit indoctos, et postmodum philosophos; et non per oratores docuit piscatores, sed mira potentia per piscatores subegit oratores. Dicit ergo: *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius*. Subaudis, ut ego, qui intra Ecclesiam fidelium prius quasi pellem diaboli extremos atque infimos colligo, et postmodum caput illius, id est prudentes mihi adversarios, subdo. Sequitur: *Pones super eum manum tuam?* Id est ut ego, qui forti illum potentia reprimens, non plus quam expediat saevire permitto, ejusque saevitiam quantum permisero in electorum meorum utilitatem retorqueo. Vel certe manum super eum ponere est virtutis potestate superare. Beato igitur Job per interrogationem dicitur:

VERS. 27.---*Pones super eum manum tuam?*

[*Vet. XXIII.*] Ac si aperte diceretur? Nunquid virtute illum propria reprimis? Unde et apte mox subditur:

CAPUT XIX.

IBID.---*Memento belli, nec ultra addas loqui.*

35. *Quam alta dispensatione Deus famulos suos vel minis, vel etiam flagellis premit.*---Alta dispensatio judiciorum Dei idcirco saepe bene merentes famulos vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibusdam superimpositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat, quia mira potentia praevidet quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent. Dum ergo eos foris tolerandis flagellis vel oneribus occupat, a suscipiendis intus tentationum jaculis occultat. Moris quippe medicinalis est, ut saepe fervorem viscerum in pruriginem cutis trahat, et plerumque inde interius curat, unde exterius sauciat. Ita nonnunquam divinae dispensationis medicamine agitur ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, et flagellorum sectionibus repellatur ea quae occupare mentem poterat interior putredo vitiorum; et tamen saepe dum patentis culpa sibi homines conscii non sunt, et aut doloribus cruciantur, aut laboribus deprimuntur, contra justum atque omnipotentem judicem in querelam prosiliunt, scilicet minus intuentes contra quam fortem adversarium bellum gerunt. Cujus si intolerabiles vires sollicite attenderent, nequaquam de his quae exterius tolerant murmurarent.

36. *Haec gravia non videntur, si bella occulti adversarii graviora ponderemus. Non patris flagellum sed hostis gladium formidemus.*---Sed ideo videntur nobis haec gravia, quia bella occulti adversari nolumus pensare graviora. A quibus plerumque bellis, ut diximus, dum flagellamur,

defendimur, dum affligimur, occultamur. Caro enim nostra prius quam resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo moerore afficitur, in tentationibus effrenatur. Quis autem nesciat quod multo melius sit ardere flamma febrium quam igne vitiorum? Et tamen cum febre corripimur, quia vitiorum aestum qui occupare nos poterat considerare negligimus, de percussione murmuramus. Quis nesciat quod multo melius sit duris in servitio hominibus subjici, quam blandientibus **1099** daemoniacis spiritibus subdi? Et tamen cum alto Dei judicio jugo humanae conditionis atterimur, in querelam prosilimus, nimirum quia minus attendimus quod si nos nulla conditio servitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus pejus libera deserviret. Ideo ergo haec quae toleramus, gravia credimus, quia bella hostis callidi, quam sint contra nos dura atque intolerabilia non videmus. Menti enim nostrae omne pondus vilesceret, si ea quae se opprimere poterant, occulti adversarii bella pensaret. Quid enim si omnipotens Deus onera quae patimur sublevet, sed tamen sua nobis adjutoria subtrahat, et inter Leviathan istius nos tentamenta derelinquat? Saeviente tanto hoste quo ibimus, si nullis auctoris nostri protectionibus defendamur? Quia ergo beatus Job culpaе sibi conscius non erat, et dura tamen flagella tolerabat, ne fortasse in vitio murmurationis excedat, memoretur quod timeat, et dicatur ei: *Memento belli, nec ultra addes loqui.* [Rec. XVIII.] Ac si ei aperte diceretur: Si occulti hostis contra te bellum consideras, quidquid a me pateris, non accusas. Si impetentem te adversarii gladium prospicis, flagellum patris nullatenus perhorrescis. Vides enim quali flagello te ferio, sed intueri negligis a quanto te hoste flagellando liberum servo. *Memento ergo belli, nec ultra addas loqui*, id est, tanto te ad disciplinam patris exhibe

tacitum, quanto te prospicis ad bella hostis infirmum. Dum ergo me corripiente percuteris, ut aequanimiter feras, hostem tuum ad memoriam revoca, et durum non aestimes omne quod pateris, dum externis cruciatibus ab interna passione liberaris. Quia autem Leviathan iste de divina misericordia falsa sibi promissione blanditur, postquam terrorem fortitudinis ejus intulit, et beati Job animum in ejus circumspectione commovit, dicens: *Memento belli, nec ultra addas loqui*; ut irremissibilem reatum ejus ostenderet, illico adjunxit:

CAPUT XX [*Vet. XXIV, Rec. XIX*].

VERS. 28.--- *Ecce spes ejus frustrabitur eum.*

37. *Diaboli et reproborum omnium aeterna damnatio, praesentibus omnibus electis publicanda.*---Quod sic de eo debet intelligi, ut referri etiam ad illius corpus possit, quia iniqui omnes qui distractionem justitiae divinae non metuunt, incassum sibi de misericordia blandiuntur. Moxque ad consolationem nostram rediens, extremi judicii futurum ejus interitum praenuntiat, dicens:

Et videntibus cunctis praecipitabitur.

Cunctis enim videntibus praecipitabitur, quia aeterno tunc judice terribiliter apparonte, astantibus legionibus angelorum, assistente cuncto ministerio coelestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua crudelis et fortis in medium captiva deducitur, et cum suo

corpore, id est cum reprobis omnibus, aeternis gehennae incendiis mancipatur, cum dicitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* (Matth. XXV, 41). O quale erit illud spectaculum, quando haec immanissima bestia electorum oculis ostendetur, quae hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur! Sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut et nunc per ejus gratiam a pugnantibus non visa vincatur, et tunc a laetis victoribus jam captiva videatur. **1100** Tunc autem justi divino adjutorio quantum debitores sunt plenius recognoscunt, quando tam fortem bestiam viderint quam nunc infirmi vicerunt, et in hostis sui immanitate conspiciunt quantum debeant gratiae defensoris sui. Redeunt enim de hoc praelio tunc milites nostri virtutum trophaea referentes; et receptis corporibus, cum jam in illo judicio coelestis regni introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile aestiment quod evaserunt. Bene ergo dicitur: *Et videntibus cunctis praecipitabitur*, quia visa mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet. Sed audientes ista, ac si protinus quereremur, Domino dicentes: Domine, qui Leviathan istum tantae esse fortitudinis non ignoras, eum in certamine infirmitatis nostrae cur suscitās? illico adjunxit:

CAP. XLI, VERS. 1.---*Non quasi crudelis suscitabo eum.*

[*Vet. XXV, Rec. XX.*] Et velut si mox a nobis causa rationis quaereretur. Quomodo non eum quasi crudelis suscitās, quem scimus quia tantos invadere et devorare permittis? statim subdidit, dicens:

CAPUT XXI.

VERS. 1, 2.---*Quis enim resistere potest vultui meo? et quis ante dedit mihi, ut reddam ei?*

38. *Gratia Dei gratuita.*---Quibus duobus versibus et virtutem suae potentiae, et omne pondos rationis explevit. Nam propter potentiam dixit: *Quis enim resistere potest vultui meo?* Et propter rationem subdidit: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Ac si diceret: Non eum quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine et electos meos potenter eripio, et rursum reprobos non injuste, sed rationabiliter damno; id est, et eos quos benigne eligo eripere mirabiliter possum, et eos quos respuo non injuste derelinquo. Nemo quippe ut divina illum gratia subsequatur prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando praevenimus, ubi est quod Propheta ait: *Misericordia ejus praeveniet me* (**Psal. LVIII, 11**). Si quid nos bonae operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Apostolus dicit: *Gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus* (**Ephes. II, 8**)? Si nostra dilectio Deum praevenit, ubi est quod Joannes apostolus dicit: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos* (**I Joan. IV, 10**)? Ubi est quod per Osee Dominus dicit: *Diligam eos spontanee* (**Oseae XIV, 5**)? Si sine ejus munere nostra virtute Deum sequimur, ubi est quod per Evangelium Veritas protestatur, dicens: *Sine me nihil potestis facere* (**Joan. XV, 5**)? Ubi est quod ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (**Ibid. VI, 43**)? Ubi est quod iterum

dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (Ibid. XV, 16)?* Si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando praevenimus, ubi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, ut omnis de se humanae mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cum dicit: *Non quia sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. III, 5)?* Nemo ergo Deum meritis praevenit, ut tenere eum quasi debitorem possit; sed miro modo aequus omnibus conditor, et quosdam praelegit, et quosdam in suis pravis moribus juste derelinquit.

1101 39. *Nec electis pietas sine justitia, nec reprobis justitia sine misericordia exhibetur.*---Nec tamen electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit; nec rursum reprobis justitiam sine misericordia exercet, quia hic aequanimiter tolerat quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo et electi praevenientem se gratiam sequuntur, et reprobis iuxta quod merentur accipiunt, et de misericordia inveniunt electi quod laudent, et de justitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Ac si aperte diceretur: Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam coelestis patriae praemia aeterna percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur.

[*Vet. XXVI.*] 40. *Bonum quod agimus et Dei est, et nostrum.*--Bonum quippe quod agimus, et Dei est, et nostrum: Dei per praevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeternum

agimus? Rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod ejus munere praevenimur; et rursum, quia non immerito retributionem quaerimus, scimus quod obsequente libero arbitrio bona elegimus quae ageremus. Sequitur: *Omnia quae sub coelo sunt mea sunt*. Omnibus liquet quod non solum ea quae sub coelo sunt, sed ipsa quoque quae super coelos condita coelestia vocantur ejus voluntati serviunt a quo se creata esse meminerunt. Cur ergo tantummodo de inferioribus loquens ait.

CAPUT XXII.

IBID.---*Omnia quae sub coelo sunt, mea sunt?*

41. *Omnia Deo serviunt*.---Sed quia de Leviathan loquitur, qui jam non in aetherei coeli sede continetur, cuncta quae sub coelo sunt asserit sua esse, ut eum quoque qui de coelo cecidit, suae doceat potestati servire, ac si diceret: Leviathan iste beatitudinem quidem meam perdidit, sed dominium non evasit, quia et ipsae mihi potestates inserviunt quae mihi pravis actionibus adversantur. Sequitur:

VERS. 3.---*Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis*.

[Rec. XXI.] 42. *Qua ratione diabolus dicitur Deum deprecari*.---Quis hoc, quod legisse se nequaquam novit, existimet, quia culparum suarum diabolus sit veniam petiturus? Sed ille fortasse homo, quem Leviathan iste in

mundi termino vas sibi proprium facit , *quem*, attestante Paulo, *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (**II Thess. II, 8**), territus tantae majestatis praesentia, quia exercere vires suas non valet, ad preces inclinatur. Quod tamen de ejus corpore, id est iniquis omnibus intelligi aptius potest, qui sero ad petitionum verba veniunt, quia nunc exsequi facta contemnunt. Unde per Evangelium Veritas dicit: *Novissime veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis* (**Matth. XXV, 11**). Quibus illico respondetur: *Amen dico vobis, nescio vos* (**Ibid., 12**). Sed cum verba potentia ad deprecandum componere dicitur, urget magis ut quod de ejus corpore in futuro diximus in hoc tempore sentiamus.

[*Vet. XXVII.*] **1102** 43. *Irritae sunt preces quas pia vita non sequitur. Nonnullis in usum negotiationis vertitur oratio. Veram orationem efficiunt amari gemitus, non verba composita.*---Sunt namque intra sanctam Ecclesiam nonnulli, qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent; nam promissa coelestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt. Hi nonnunquam etiam lacrymas in oratione percipiunt, sed cum post orationis tempora eorum mentem superbia pulsaverit, illico in fastu elationis intumescunt; cum avaritia instigat, mox per incendia avidae cogitationis exaestuant; cum luxuria tentaverit, illicitis protinus desideriis anhelant; cum ira suaserit, mox mansuetudinem mentis flamma insaniae concremat. Ut ergo diximus, et fletus in prece percipiunt, et tamen, expletis precibus, cum vitiorum suggestionem pulsantur, nequaquam pro aeterni regni desiderio se flevisse mensinerunt. Quod aperte de se Balaam innotuit, qui justorum tabernacula

conspiciens, ait: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (**Num. XXIII, 10**). Sed cum compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium praebeuit; et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit. Virtutis igitur pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Quo contra bene de Anna flente perhibetur: *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati* (**I Reg. I, 18**), quia videlicet mens ejus nequaquam post preces inepta laetitia lasciviendo perdidit, quod orationis suae tempore gemituum rigore exquisivit. Nonnullis vero in usum negotiationis vertitur labor orationis. De quibus in Evangelio Veritas dicit: *Devorant domos viduarum sub obtentu prolixae orationis. Hi accipient prolixius judicium* (**Marc. XII, 40**). Quia ergo iniquorum petitionibus qui Leviathan istius corpus sunt nullo modo parcitur, cum eorum preces opere destruuntur, recte nunc dicitur: *Non parcam ei verbis potentibus et ad deprecandum compositis*. Quamvis et per hoc quod verba potentia et ad deprecandum composita referuntur, aperte inanitas orationis ostenditur. Veraciter namque orare, est amarus in compunctione gemitus, et non composita verba resonare. [*Vet. XXVIII.*] Sed quia antiquus hostis quo districtius frangitur, eo nequius per multiplicia argumenta dilatatur, cujus tamen insidias Dominus quanto subtilius occultari considerat, tanto nobis misericordius manifestat, recte subjungitur:

CAPUT XXIV [*Rec. XXII*].

VERS. 14.---*Quis revelabit faciem indumenti?*

44. *Satan aliter religiosas mentes, aliter mundo deditas tentat.*---Leviathan iste aliter religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat; nam pravis mala quae desiderant aperte objicit, bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit. Illis velut familiaribus suis iniquum se manifestius insinuat; istis vero velut extraneis cujusdam quasi honestatis praetextu se palliat, ut mala quae eis publice non valet, tecta bonae actionis velamine subintromittat. Unde et membra ejus saepe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonae actionis habitum sumunt; et prava quidem se opere exhibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi omnino non possent; sed sumunt aliquid de visione bonorum, **1103** ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permistum sumant etiam virus quod vitant. Unde quosdam Paulus apostolus intuens sub praedicationis velamine ventris studio servientes, ait: *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (**II Cor. XI, 14**). Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiae? Hanc transfigurationem Josue timuit, quando videns angelum, cujus esset partis inquisivit, dicens: *Noster es, an adversariorum* (**Josue V, 13**)? ut videlicet si adversae virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab illusionem resiliret. Quia ergo Leviathan iste in eo quod iniquitatis opus molitur, saepe specie sanctitatis induitur; et quia nisi per divinam gratiam simulationis ejus detegi indumenta non possunt, bene dicitur: *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* Subaudis nisi ego, qui servorum meorum mentibus gratiam subtilissimae discretionis inspiro, ut revelata malitia faciem ejus nudam

videant, quam coopertam ille sub habitu sanctitatis occultat. Et quia aliquando fidelium mentes corrumpere ostensione sua, aliquando suggestionem conatur (agit enim modo opere, modo persuasionem), recte subjungitur:

CAPUT XXV.

IBID.---*Et in medium oris ejus quis intrabit?*

45. *Deus electis calliditatem ejus revelat.*---Subaudis nisi ego, qui per discretas electorum mentes suggestionum ejus verba dicuto, et non ita haec esse ut sonuerunt manifesto. Bonum namque videntur promittere, sed ad perditum finem trahunt. In medium igitur oris ejus intrare est calliditatis ejus verba penetrare, ut nequaquam pensetur quid resonant, sed quo intendant. Intrare Adam in medium oris ejus noluit, quando intentionem persuasionis illius caute pensare neglexit; divinitatem quippe se per illum accipere credidit, et immortalitatem amisit (**Genes. III**). Unde ergo ab intellectu verborum ejus incaute exterius stetit, inde se ori illius devorandum funditus praebeuit. Sequitur:

CAPUT XXVI. [*Rec. XXIII*].

VERS. 5.---*Portas vultus ejus quis aperiet?*

46. *Portae Leviathan pseudopraedicatores appellantur. Has Dominus aperit, magistros errorum manifestando.*---Portae

vultus ejus sunt iniqui doctores, qui idcirco portae vultus ejus vocati sunt, quia per ipsos quisque ingreditur, ut Leviathan iste quasi in potestatis suae principatu videatur. Sicut enim Scriptura sacra sanctos viros portas Sion vocare consuevit (Sion quippe speculatio interpretatur, et non immerito praedicatores sanctos portas Sion dicimus, quia per eorum vitam atque doctrinam abscondita supernae contemplationis intramus), ita etiam portis Leviathan istius errorum magistri signantur, quorum dum praedicatio perversa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Sed portae istae ante oculos hominum plerumque ad introducendum quidem apertae sunt, sed tamen ad deprehendendum clausae, quia recta in specie exhibent, sed opere prava persuadent. Ad deprehendendum ergo clausae sunt, quia ne intrinsecus cognosci valeant, exteriori simulatione muniuntur. Quas tamen mira potentia Dominus aperit, quia electis suis hypocritarum mentes comprehensibiles facit. *Portas ergo vultus ejus quis aperiet?* Subaudis nisi ego, qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos **1104** perspicua cognitione manifesto. Et quia Antichristus veniens ipsas etiam summas hujus saeculi potestates obtinebit, qui duplici errore saeviens conatur ad se corda hominum et missis praedicatoribus trahere, et commotis potestatibus inclinare, bene de Leviathan isto Dominus subdidit, dicens:

CAPUT XXVII [*Vet. XXIX*].

IBID.---*Per gyrum dentium ejus formido.*

47. *Dentes Leviathan iidem falsi doctores.*---Mutato namque nomine, hos ejus dentes insinuare aliter voluit, quos superius portas vocavit. Perversi enim praedicatores portae ejus sunt, quia ingressum perditionis aperiunt. Dentes ejus sunt, quia eos quos in errore capiunt, a veritatis soliditate confringunt. Sicut enim sanctae Ecclesiae dentes accipimus eos qui praedicationibus suis peccantium duritiam conterunt, unde ei per Salomonem dicitur: *Dentes tui sicut greges detonsarum ascendentium de lavacro (Cant. IV, 2)*; qui non immerito detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes, in lavacro baptismatis conversationis pristinae vellera vetusta posuerunt; ita etiam dentibus Leviathan istius errorum magistri figurantur, quia reproborum vitam mordendo dilaniant, et eos a veritatis integritate subductos in sacrificio falsitatis mactant. Quorum quidem praedicatio facile despici ab auditoribus poterat, sed hanc ante humana judicia adjunctus saecularium potestatum terror exaltat.

48. *Muniunt illos saeculi potestates. Alii verbis, alii gladiis saeviunt. Insidiae Antichristi ex falsis miraculis.*---Recte ergo dicitur: *Per gyrum dentium ejus formido*, id est, iniquos praedicatores Antichristi perversae hujus saeculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student saeviendo terrere. Per gyrum ergo dentium ejus formido est, ac si aperte diceretur: Idcirco isti perversi praedicatores aliquos suadentes conterunt, quia circa ipsos sunt alii qui infirmorum mentes terrentes affligunt. Quale itaque illud tempus persecutionis apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem alii verbis saepiunt, alii gladiis? Quis enim etiam infirmus Leviathan istius dentes non despiceret, si non eos per circuitum potestatum

saecularium terror muniret? Sed duplici contra eos calliditate agitur, quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur. Quae utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Joannis Apocalypsi brevi est sententia comprehensa, qua dicitur: *Potestas equorum in ore et in caudis eorum erat* (**Apoc. IX, 19**). In ore namque doctorum, scientia; in cauda vero, saecularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quae retro est, hujus saeculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus apostolus dicit: *Unum autem, quae retro sunt oblitus, ad ea quae ante sunt extentus* (**Philip. III, 13**). Retro enim est omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est nequissimis praedicatoribus, ubique carnali impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo praedicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea se quae retro sunt exaltant. Et quia ipsi apparere despicabiles possunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur. Unde hic quoque **1105** non immerito per gyrum dentium ejus formido inesse describitur, quia multis terroribus agitur, ut in perversis eorum praedicationibus etsi non veritatis sententia, certe temporalis potentia timeatur. Unde bene eundem Antichristum Psalmista descripsit, dicens: *Sub lingua ejus labor et dolor, sedet in insidiis cum divitibus in occultis* (**Psal. IX, 28**). Propter enim perversa dogmata sub lingua ejus labor et dolor est; propter miraculorum vero speciem sedet in insidiis; propter saecularis autem potestatis gloriam, cum divitibus in occultis. Quia enim simul et miraculorum fraude et terrena potestate utitur, et in occultis et cum divitibus sedere perhibetur:

CAPUT XXVIII [*Rec. XXIV*].

VERS. 6.---*Corpus illius quasi scuta fusilia.*

49. *Mali corripientibus scutum excusationis opponunt.*---

Sacra Scriptura scuti nomine aliquando uti in parte prospera, aliquando in adversa consuevit. Nam saepe scuti defensio pro divina protectione ponitur, nonnunquam vero pro humana repugnatione memoratur. Pro divina enim protectione ponitur, sicut per Psalmistam dicitur: *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos (Psal. V, 13)*. Scuto nos Dominus coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat. Rursum pro humana repugnatione per eundem Prophetam scutum ponitur sicut alibi ait: *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium et bellum (Psal. LXXV, 4)*. In cornibus quippe elatio superborum, in arcu vero insidiae longe ferientium, in scuto autem obstinata duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello vero ipsa contra Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium, superposito jugo humilitatis, edomantur. Hinc rursum per eundem Psalmistam dicitur: *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni (Psal. XLV, 10)*. Arcum enim Dominus conterit, cum occulta insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea quae contra se erecta fuerant patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes, ad poenitentiae et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit. [*Vet. XXX.*] Quod vero in hoc loco corpus

Leviathan istius scutis fusilibus comparatur, perscrutandum nobis innuitur, quia durum quidem, sed tamen cum labitur, fragile solet esse vas omne quod fusile est. Scuta ergo si sunt fusilia, in suscipienda sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quidem ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissolvunt. Corpus ergo Leviathan istius, id est omnes iniqui, quia per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba praedicationis audiunt, nulla correptionis jacula se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbae defensionis opponunt. Nam cum talium quisque de reatu suae iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adiutorio suae defensionis opponat. Nulla igitur veritatis sagitta penetratur, quia verba sanctae correptionis in scuto excipit superbae defensionis. Unde bene de Judaeis contra praecepta Domini superba se defensione tuentibus per Jeremiam dicitur; *Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum (Thren. III, 64).* **1106** Moxque eandem vicem expressius subdidit dicens: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum (Ibid., 65).* Labor quippe Domini apparens inter homines passibilis ejus humanitas fuit, quam Judaei superbe sapientes dum cernerent, despexerunt; eumque immortalem credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cumque ejus humilitatem conspicerent, superbiae fastibus obdurati, summa cura moliti sunt, ne eorum mentes sancta praedicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit illis scutum cordis laborem suum, quia recto judicio inde illos contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis infirmitate laboravit. Repulerunt quippe a se verba praedicantium, quia dedignati

sunt in Domino infirma passionum. Laborem igitur Domini contra eundem Dominum scutum cordis habuerunt, quia superba sapientibus eo despectus apparuit, quo propter eos humilis fuit.

[*Vet. XXXI.*] 50. *Hoc scuto usi Adam et Eva.*---Hoc scutum, sicut jam superius diximus, primus ille peccator tenuit, qui, requirente Domino cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam retulit, sed a muliere quam Dominus dederat se accepisse respondit (**Genes. III, 12**); ut quasi reatum suum oblique in auctorem relideret, qui ei mulierem dederat quae talia persuaderet. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus replicavit, dicens: *Serpens decepit me, et comedi* (**Ibid., 13**), ut ipsa quoque reatum suum oblique in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens vero jam non requiritur, quia nec ejus poenitentia quaerebatur. Hi autem quorum poenitentia quaesita est, scutum nequissimae defensionis contra justissimae correptionis verba protulerunt (**Genes. III**). Unde nunc usque in usum peccantium trahitur, ut culpa cum arguitur defendatur; et unde finire reatus debuit, inde cumuletur. Bene ergo dicitur: *Corpus illius quasi scuta fusilia*, quia omnes iniqui, ne ad se corripientium verba perveniant, quasi contra adversariorum jacula scuta defensionum parant. Quod videlicet ejus corpus adhuc nobis expressus detegit, dum subjungit:

CAPUT XXIX.

IBID.---*Compactum squamis se prementibus.*

51. *Squamis tecti reprobi jaculis veritatis resistunt.*---Fertur quia draconis corpus squamis tegitur, ne citius jaculatione penetretur. Ita corpus omne diaboli, id est multitudo reproborum, cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur, et quasi quasdam defensionis squamas objicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit quam deflere, quasi squamis tegitur, dum a sanctis praedicatoribus gladio verbi jaculatur. Squamas habet, et idcirco ad ejus praecordia transeundi viam verbi sagitta non habet. Duritiam enim carnali repellitur, ne spiritalis ei gladius infigatur.

52. *His squamis obduratum cor Sauli, gratiae sagittis patuit.*--Carnali sapientia contra Deum Saulus obduruerat, quando cor ejus nulla praedicationis Evangelicae sagitta nulla penetrabat. Sed postquam forti coelitus increpatione jaculatus, et superno respectu caecatus est (lumen quippe ut acciperet amisit), ad Ananiam veniens illuminatur. In qua **1107** illuminatione quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est: *Ceciderunt quasi squamae ab oculis ejus (Act. IX, 18).* Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, et idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbae repugnationes ejus victae sunt, defensionum ejus squamae ceciderunt. Quae quidem sub Ananiae manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante jam sub dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cum enim altae invectionis jaculo confossus jaceret, humili jam et penetrato corde requirebat, dicens: *Domine, quid me vis facere (Act. XI, 6)?* Repulsis videlicet squamis, jam ad cordis

viscera veritatis sagitta pervenerat, quando, deposita elatione superbiae, eum quem impugnauerat, Dominum confitens, et quid ageret nesciens, requirebat. Intueri libet ubi est saevus ille persecutor, ubi lupus rapax. [*Vet. XXXII.*] Ecce in ovem jam versus est, qui percunctatur pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quod cum diceret: *Quis es, Domine* (**Act. XXII, 8**)? non ei a Domino respondetur: Ego sum unigenitus Patris, ego principium, ego Verbum ante saecula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, et ejus humanitatis infirma despexerat, de coelo hoc quod contempserat audivit: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* (**Ibid., 8**). Ac si diceret: Hoc a me audi de superioribus, quod in me de inferioribus despicias. Auctorem coeli venisse despexeras in terram, ex terra ergo hominem cognosce de coelo, ut tanto in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quanto et haec perducta in coelestibus ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc astruo quod ante saecula Deus sum; sed illud a me audis quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit *Jesus*, adhuc in expressionem terrenae inhabitationis subdidit *Nazarenus*; velut si apertius diceretur: Humilitatis meae infirma suscipe, et tuae superbiae squamas amitte.

53. *In hypocritis duriores illae squamae. Malitiosae mentes hericiis similes.*---Sciendum tamen est quod istae defensionum squamae, quamvis pene omne humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter et callidorum hominum mentes premunt. Ipsi etenim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto se stultius videri ab hominibus peccatores erubescunt. Correpta itaque sanctitatis

simulatio, et malitia occulta deprehensa, squamas objicit defensionis, et veritatis gladium repellit. Unde bene per Prophetam contra Judaeam dicitur: *Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem, ibi habuit foveam hericius* (**Isai. XXXIV, 14, 15**). Per lamiam quippe hypocritae, per hericium vero malitiosi quique, qui diversis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia etenim humanam habere dicitur faciem, sed corpus bestiale. Sic et omnes hypocritae in prima facie quod ostendunt quasi ex ratione sanctitatis est; sed bestiale est corpus quod sequitur, quia valde iniqua sunt quae sub boni specie moliuntur. Hericii autem nomine malitosarum mentium defensio designatur, quia videlicet hericius cum apprehenditur ejus et caput cernitur, **1108** et pedes videntur, et corpus omne conspicitur; sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphaeram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit; et intra tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum sic malitiosae mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim hericii cernitur, quia quo initio peccator ad culpam accesserit videtur. Pedes hericii conspiciuntur, quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur; et tamen, adductis repente excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suae vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se pravum aliquid ostendit; et quasi sphaera in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quae jam cognoverat subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet, et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravae defensionis illusum, totum pariter ignorat. Foveam ergo hericius in reprobis habet, quia malitiosa mens sese intra se

colligens in tenebris defensionis abscondit. Sed in hoc quod se peccator excusat, in hoc quod caliginosis defensionibus fixum in se oculum corripientis obnubilat, divinus nobis sermo etiam quomodo a similibus fulciatur ostendit. Sequitur:

CAPUT XXX [*Vet. XXXIII*].

VERS. 7.---*Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.*

54. *Iniqui alterna se invicem defensione tuentur.*---Istae squamae peccantium, ne ab ore praedicantium aliquo vitae spiraculo penetrentur, et obduratae sunt et conjunctae. Quos enim similis reatus sociat, concordii pertinacia etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se invicem defensione tueantur. Sibi enim quisque metuit, dum admoneri vel corrigi alterum cernit; et idcirco contra corripientium verba unanimiter assurgit, quia se in altero protegit. Bene ergo dicitur: *Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas*, quia in iniquitatibus suis, dum vicissim superba se defensione protegent, sanctae exhortationis spiracula ad se nullatenus intrare permittunt. Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius subdidit, dicens:

CAPUT XXXI.

VERS. 8.---*Una alteri adhaerebunt, et tenentes se nequaquam separabuntur.*

55. *Qui divisi vix corrigi poterant, quomodo emendabuntur uniti?*---Qui enim divisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant, et tanto magis quotidie a cognitione justitiae separabiliores sunt, quanto a se invicem nulla increpatione separantur. Nam sicut esse noxium solet si unitas desit bonis, ita perniciosum est si non desit malis. Perversos quippe unitas corroborat, dum concordat; et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. De hac unitate reproborum per Sapientem dicitur: *Stuppa collecta, synagoga peccantium* (**Eccli. XXI, 10**). De hac Nahum propheta ait: *Sicut spinae invicem se complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium* (**Nahum I, 10**). Convivium namque reproborum est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum convivio pariter potant qui delectationis suae illecebris **1109** se concorditer debriant. Igitur quia membra Leviathan istius, id est iniquos omnes, quos Dei sermo squamarum compactionibus comparat, ad defensionem suam par culpa concordat, bene dicitur: *Una alteri adhaerebunt, et tenentes se nequaquam separabuntur.* Tenentes enim se separari nequeunt, quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt. Descripto itaque ejus corpore, ad caput sermo reducitur, et quid per semetipsum extremae persecutionis tempore antiquus hostis exerceat nuntiatur. Nam sequitur:

CAPUT XXXII [*Vet. XXXIV, Rec. XXV*].

VERS. 9.---*Sternutatio ejus splendor ignis.*

56. *Quanta commotio ex Antichristi signis et virtutibus immineat.*---Quod melius exponimus, si prius sternutatio quomodo agatur indagemus. In sternutatione quippe inflatio a pectore exsurgit, quae cum apertos ad emanandum poros non invenit, cerebrum tangit, et congesta per nares exiens, totum caput protinus concutit. In hoc itaque Leviathan corpore, id est sive in malignis spiritibus, sive in reprobis hominibus, qui illi per similitudinem iniquitatis inhaeserunt, quasi inflatio surgit a pectore, dum elatio se erigit ex praesentis saeculi potestate. Quae quasi ad emanandum poros non invenit, quia in hoc quod contra justos extollitur, disponente Deo, quantum appetit praevalere prohibetur. Exsurgens autem cerebrum tangit et concutit, quia collecta elatio Satanae sensum in fine mundi arctius percutit, et caput turbat, dum ipsum auctorem malignorum spirituum per eum qui Antichristus dicitur in persecutione fidelium vehementius excitat. Tunc congesta inflatio per ejus nares egreditur, quia tota superbiae ejus iniquitas apertis malitiae flatibus demonstratur. Quia ergo sternutatio caput maxime concutit, Leviathan istius sternutatio vocatur illa ejus extrema commotio qua damnatum hominem ingreditur, et per eum reprobis principatur. Qui tanta tunc virtute se commovet, ut membra Domini, si potest fieri, etiam electa perturbet; tantis signis et prodigiis utitur, ut miraculorum potentia quasi quodam ignis lumine resplendere videatur. Quia ergo commotum caput illius miraculis clarescere nititur, recte ejus sternutatio splendor ignis vocatur. In eo enim quod se ad persequendos justos

commovet, ante reproborum oculos signorum virtutibus lucet. Et quia ejus tyrannidi sapientes mundi adhaerent, eorumque consiliis omne quod pravum molitur exercet, recte subjungitur:

CAPUT XXXIII [*Vet. XXXV*].

IBID.---*Et oculi ejus ut palpebrae diluculi.*

57. *Oculi ejus, id est consilarii, cur palpebris diluculi comparantur.*---Per oculos quippe, qui, inhaerentes capiti, utilitati visionis inserviunt, non immerito ejus consilarii designantur, qui dum perversis machinationibus quae qualiter agenda sunt, praevident, malignis ejus operariis quasi ostensum pedibus iter praebent. Qui recte palpebris diluculi comparantur. Palpebras namque diluculi, extremas noctis horas accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum venturae lucis jam initia ostendit. Prudentes igitur saeculi, malitiae Antichristi perversis consiliis inhaerentes, quasi palpebrae sunt diluculi, quia fidem quam in Christo inveniunt quasi erroris noctem asserunt, et venerationem Antichristi verum esse mane pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere et veritatis lucem signis clarescentibus **1110** nuntiare, quia nec persuadere quae volunt possunt, nisi exhibere se meliora fateantur. Unde hic ipse coluber in paradiso primis hominibus loquens (**Genes. III, 5**), in eo quod se melius aliquid providere simulavit, quasi diluculi palpebras aperuit, quando in innocentibus mentibus humanitatis ignorantiam reprehendit, et scientiam divinitatis

promisit. Quasi ignorantiae enim tenebras repellebat, et aeternae scientiae divinum mane nuntiabat, dicens: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (Ibid.)*. Ita in illo tunc damnato homine veniens, ejus oculi palpebris diluculi comparantur, quia sapientes illius simplicitatem verae fidaei quasi transactae noctis tenebras respuunt, et ejus signa mendacia quasi exsurgentis solis radios ostendunt. Sed quia Leviathan iste non solum habet oculos qui malignis consiliis perversa provideant, sed os quoque ad pervertendas mentes hominum aperit, quoniam per praedicatores pravos ad diligendam erroris fallaciam auditorum corda succendit, apte subjungitur:

CAPUT XXXIV [*Rec. XXVI*].

VERS. 10.---*De ore ejus lampades procedunt.*

58. *Os Antichristi sunt ejus praedicatores.*---Qui enim provident oculi, qui autem praedicant os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem perfidiae accendunt; et unde quasi per sapientiam lucent, inde procul dubio per nequitiam concremant. Sed qualis ipsa sapientia eorum lux sit ostenditur, cum protinus subinfertur:

CAPUT XXXV [*Vet. XXXVI*].

IBID.---*Sicut taedae ignis accensae.*

59. *Ardent per malitiam, lucent per virtutis simulationem.*--- Ecce jam hypocrisis eorum aperte describitur quorum praedicatio taedarum lampadibus comparatur. Taeda enim cum accenditur odorem quidem suavem habet, sed lumen obscurum. Ita isti praedicatores Antichristi, quia sanctitatis sibi speciem arrogant, sed tamen opera iniquitatis exercent, quasi blandum quidem est quod redolent, sed nigrum quod lucent. Olent enim per simulationem justitiae, sed obscurum ardent per nequitiae perpetrationem. Quorum simulationis malitiam Joannes in Apocalypsi brevi descriptione comprehendit, dicens: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem duo cornua similia agni, et loquebatur ut draco (Apoc. XIII, 11).* Priorem quippe bestiam, id est Antichristum superiore jam descriptione narraverat; post quem etiam haec alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo praedicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere est de terrena gloria superbire. Quae habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisim sanctitatis eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem sibi inesse et sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco.* Ista ergo bestia, id est praedicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret; sed assumit agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Quod hic utrumque per taedarum lampades exprimitur, quia et obscurum ardent per effectum malitiae, et quasi suave redolent per simulationem vitae.

60. *Multi jam exstant Antichristi praedicatores. Eorum vita exploranda ut moneta. Antiquorum patrum institutis*

concordet.---Sed nequaquam aestimandum est quod tunc solum Antichristi praedicatores apparebunt, et nunc ab humanis deceptionibus desunt. Modo **1111** namque priusquam per semetipsum appareat, nonnulli illum vocibus, plerique autem moribus praedicant. An praedicatores simulationis illius non sunt, qui cum sacros Dei ordines obtinent, fugientem totis desideriis mundum tenent; qui virtutes esse ostendunt quae faciunt, sed vitium est omne quod agunt? [*Vet. XXXVII.*] Sed electorum mens quanto magis internae luci inhaeret, tanto subtilius quo modo virtutes a vitiis discernere debeat videt. Quid autem mirum est hoc nos spiritaliter agere quod quotidie corporaliter cernimus nummularios implere? Qui cum numisma percipiunt, prius qualitatem illius, post figuram, ad extremum vero pondus examinant, ne aut sub auri specie aes lateat, aut hoc quod veraciter aurum est monetae reprobae figura dehonestet; aut quod et aurum, et rectae figurae est, hoc non integrum pondus legivet. Cum igitur mira ignotorum hominum facta conspiciamus, residere ad mentis nostrae trutinam quasi solertes nummularii debemus, ut prius discretio aurum examinet, ne sub virtute se vitium occultet, et quod prava intentione agitur, recti visione pallietur. Cujus si intentionis qualitas approbatur, impressae mox formulae figura quaerenda est, si a probatis monetariis, id est ab antiquis patribus ducitur, et ab eorum vitae similitudine nullo errore vitiatur. Cum vero et per intentionem qualitas, et recta per exemplum figura cognoscitur, restat ut integrum ejus pondus exquiratur. Bonum quippe quod per signa et miracula coruscat, si perfectionis summam non habet, pensari sollicite per cautelam circumspectionis debet, ne dum imperfecta res quasi pro perfecta accipitur, in accipientis damnum

vertatur. Praedicatores itaque Antichristi quomodo veram numismatis qualitatem tenent, qui in his quae agunt intentionis rectae vim nesciunt, quia per haec non coelestem patriam, sed culmen gloriae temporalis exquirunt? Quomodo a monetae figura non discrepant, qui ab omni pietate justorum justos persequendo discordant? Quomodo in se integritatis pondus ostendunt, qui non solum humilitatis perfectionem nequaquam assecuti sunt, sed neque ipsam primam ejus januam contigerunt? Hinc ergo, hinc electi cognoscant quomodo eorum signa despiciant, quorum profecto actio omne quod a piis patribus gestum memoratur impugnat. Sed ipsi quoque electi dum tot signa conspiciunt, dum contemnentes vitam tanta ejus miracula perhorrescunt, quoddam dubietatis nubilum in corde patiuntur, quia dum se per prodigia illius malitia elevat, in istis aliquatenus visus certior caligat. Unde recte subditur:

CAPUT XXXVI [*Rec. XXVII*].

VERS. 11.---*De naribus ejus procedit fumus.*

61. *Visis Antichristi prodigiis, electi turbabuntur et titubabunt. Ut in errore plene capiantur fieri non potest.*--- Oculorum quippe acies fumo sauciatur. Fumus ergo de ejus naribus procedere dicitur, quia de miraculorum ejus insidiis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorum corde generatur. De Leviathan naribus fumus exit, quia ex ejus prodigiis mendacibus etiam bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. Tunc namque in electorum

cordibus conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobatur. Unde **1112** hoc quod jam supra protulimus veritatis ore per Evangelium dicitur: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (**Marc. XIII, 22**). Qua in re valde quaerendum est quomodo aut hi qui electi sunt induci in errorem possunt, aut cur *Si fieri potest* quasi ex dubietate subditur, cum quid faciendum sit Dominus omnia praesciens praestolatur. Sed quia electorum cor et trepida cogitatione concutitur, et tamen eorum constantia non movetur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est, dicens: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Quasi enim jam errare est in cogitatione titubare; sed protinus *Si fieri potest* subjungitur, quia procul dubio fieri non potest ut in errore plene electi capiantur. Bene autem in hac fumi caligine ipse etiam animorum fervor exprimitur cum protinus subinfertur:

CAPUT XXXVII.

IBID.---*Sicut ollae succensae atque ferventis.*

62. *Quanto tunc zelo aestuabunt. Quid diabolus fumo pestiferi halitus, in humanis cordibus operetur. Deus nisi a tranquillo corde cognosci non potest.*---Velut enim olla fervens est unaquaeque tunc anima, cogitationum suarum impetus quasi spumas ardentium undarum sustinens, quas et ignis zeli commovet, et ipsa temporalis oppressio more ollae intrinsecus clausas tenet. Unde Joannes quoque cum hujus bestiae signa

narraret, adjunxit: *Ita ut ignem faciat de coelo descendere* (Apoc. XIII, 13). Ignem quippe de coelo descendere est de coelestibus electorum animis sancti zeli flammam emanare. [Vet. XXXVIII.] Quia vero Leviathan iste alias non solum serpens, sed etiam regulus dicitur, pro eo quod immundis spiritibus, vel reprobis hominibus principatur, sicut Isaias ait: *De radice colubri egredietur regulus* (Isai. XIV, 29), inspiciendum nobis summopere est qualiter regulus perimat, ut, ex operatione reguli, hujus nobis malitia apertius innotescat. Regulus namque non morsu perimit, sed flatu consumit. Saepe quoque aerem flatu afficit, et quidquid vel positum longe contigerit sola narium inspiratione tabefacit.

63. Hinc, ergo, hinc pensare compellimur, per hoc quod de naribus ejus fumus procedere dicitur, etiam priusquam apertus appareat, quid quotidie in humanis cordibus fumo pestiferae exhalationis operetur. Quia enim, sicut et superius diximus, fumo oculorum acies infirmatur, non immerito de ejus naribus fumus procedere asseritur, cujus noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux interna videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit, quia in reproborum cordibus insidiarum suarum aspirationibus ex amore vitae temporalis aestum congerit multiplicium cogitationum. Et velut fumi globos multiplicat, quia inanissimas praesentis vitae curas in terrenorum hominum mente coacervat. Iste fumus ex ejus naribus prodiens aliquando ad tempus etiam electorum oculos tangit. Hunc namque intrinsecus fumum patiebatur Propheta, cum dixit: *Turbatus est prae ira oculus meus* (Psal. VI, 8). Hujus inundatione premebatur, dicens: *Cor meum conturbatum est in me, et lumen oculorum*

meorum non est mecum (Psal. XXXVII, 11). Fumus quippe iste obtundit aciem cordis, quia caliginis suae nubilo serenitatem intimae turbat quietis. **1113** Cognosci vero nisi tranquillo corde non potest Deus. Unde per eundem prophetam rursus dicitur: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus (Psal. XLV, 11).* Vacare autem mens non potest quae huius fumi inundationibus premitur, quia in ea terrenarum cogitationum volumina ex praesentis vitae amore glomerantur. Lumen ergo quietis internae hoc fumo amittitur, quia curarum prurigne cordis oculus dum confunditur tenebratur.

64. *Iste fumus aliter electorum mentes turbat, aliter reproborum oculos excaecat.*---Sed fumus iste aliter electorum animos turbat, aliter reproborum oculos excaecat. A bonorum quippe oculis spiritualium desideriorum flatu respergitur, ne praevalente misera cogitatione densetur. In reproborum vero mentibus quo se licentius per tetras cogitationes colligit, eo ab eis funditus veritatis lumen tollit. Fumus iste reproborum cordibus quot illicita desideria ingerit, quasi per tot ante illos globos intumescit.

[*Vet. XXXIX.*] 65. *In carnali anima, alii fumi concupiscentiae globi superius inanescunt, alii inferius surgunt. Vitia vitiis succedunt.*---Et certe fumi globos novimus, quia cum alii superius inanescunt, alii inferius surgunt; sic et in cogitatione carnali, etsi alia pravitatis desideria transeunt, alia succedunt. Saepe autem mens misera quid jam transierit videt, sed ubi adhuc retineatur non videt. Gaudet de quibusdam vitiis quod eis subjecta jam non sit, et praecavere ac gemere negligit, quia eorum vice successerunt alia, quibus fortasse nequius succumbit; sicque fit ut dum alia vitia transeunt, et semper alia

succedunt, ab hoc serpente cor reproborum sine intermissione teneatur. Unde bene per Joel prophetam dicitur: *Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrii, et flete (Joel. I, 4, 5)*. Quid enim per erucam, quae toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quae cor quod tenet, ita polluit, ut in superioris munditiae surgere amorem non possit. Quid per locustam quae saltibus evolat, nisi inanis gloria exprimitur, quae se vanis praesumptionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quae dum tangit incendit, nisi ira innuitur? Residuum ergo erucae locusta comedit, quia saepe cum luxuriae vitium a mente recesserit, inanis gloria succedit. Nam quia jam per amorem cordis non sternitur, quasi sanctam se ex castitate gloriatur. Et residuum locustae bruchus comedit, quia saepe cum inani gloriae, quae quasi ex sanctitate veniebat, resistitur, vel ventri vel quibuslibet ambitionis desideriis immoderatus indulgetur. Mens enim Dei nescia, tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanae laudis amore refrenatur. Residuum bruchi rubigo consumit, quia saepe dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, irae impatientia acrius dominatur; quae more rubiginis quasi exurendo messem comedit, quia virtutum fructus impatientiae flamma tabefacit. Cum ergo vitia vitiis succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit.

[*Vet. XL.*] 66. *Ebrii sunt qui mundi hujus amore turbati, mala quae patiuntur non sentiunt.*---Bene autem illic subditur: *Expergiscimini ebrii, et flete (Ibid.)*. Ebrii quippe

vocati sunt qui, mundi hujus amore confusi, mala non sentiunt quae patiuntur. Quid est ergo dicere: *Expergiscimini, ebrii, 1114 et flete (Joel. I, 5)*, nisi somnum vestrae insensibilitatis excutite, et, in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate? Per tot igitur globos de Leviathan naribus fumus surgit, per quot nimirum pestes frugem cordis reprobī occulta aspiratione consumit. Cujus adhuc fumi vim sollicite Dominus exprimit, cum illico subjungit: *Sicut ollae succensae atque ferventis*. Olla enim succenditur cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur. Olla autem fervet cum jam etiam per consensum in desideriis pravae persuasionis accenditur. Et tot undas quasi fervendo projicit, per quot se nequitias usque ad exteriora opera extendit. Hunc namque carnalis conscientiae, id est ollae fervorem, ex Leviathan fumo venientem propheta conspexerat, cum dicebat: *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis (Jerem. I, 13)*. Ab Aquilonis namque facie humani cordis olla succenditur, dum instigatione adversarii spiritus illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis (Isai. XIV, 13)*, mentem quam semel ceperit malignis persuasionis suae flatibus, quasi suppositis ignibus, accendit, quatenus, non contenta praesentibus, indesinenter per desideria aestuet, ut alia contemnenda appetat, alia adepta contemnat: ut modo suis compendiis inhiet, modo alienis commodis etiam cum proprio detrimento contradicat, modo carnis illecebris satisfaciāt, modo quasi in quodam culmine per cogitationis superbiam rapta, carnali cura postposita, totam se in typho elationis attollat. Quia ergo cor per varia desideria abducitur, quod instigationibus Leviathan

istius inflammatur, recte ejus fumus succensae et ferventi ollae similis esse perhibetur, quia per tot se fervores afflata ejus tentationibus conscientia erigit, per quot intra se cogitationes intumescit. Quod verbis aliis adhuc veritas apertius exsequitur, dum subjungitur:

CAPUT XXXVIII [*Rec. XXVIII*].

VERS. 12.---*Halitus ejus prunas ardere facit.*

67. *Carnalis mens, tanquam pruna flatu diaboli inflammata.* --Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat? Ardent enim cum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum urunt desideria quae quietum ac integrum esse animum non permittunt. Toties igitur Leviathan halitus prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiae, alias invidiae, alias luxuriae, alias avaritiae facibus inflammat. Superbiae quippe facem menti Evae supposuit, cum hanc ad contemnenda verba dominicae jussionis instigavit (**Genes. III, 5**). Invidiae quoque flamma Cain animum succendit, cum de accepto fratris sacrificio doluit, et per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit (**Genes. IV, 8**). Luxuriae facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut, usque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequeretur, conditoris reverentiae oblivisceretur (**III Reg. XI, 4**). Avaritiae quoque igne Achab animum concremavit, cum eum ad appetendam alienam

vineam impatientibus desideriis impulit, et per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit (**III Reg. XXI**). Tanto igitur Leviathan iste halitu in prunis flat, **1115** quanto annisu suggestionis occultae humanas mentes ad illicita inflamat. Unde et bene mox subditur:

CAPUT XXXIX [*Vet. XLI*]

IBID.---*Et flamma de ore ejus egreditur.*

68. *Per Antichristum ardentius saeviet. Non comburit nisi lignum, fenum, stipulam. Ejus flammam exstinguunt lacrymae.*---Flamma quippe oris ejus est ipsa instigatio occultae locutionis. Pravae enim suasionis verba ad uniuscujusque animum facit, sed flamma est quod de ejus ore egreditur, quia ardet in desideriis animus cum ejus suggestionibus instigatur. Haec quotidie suggerit, haec usque ad praesentis vitae terminum suggerere non desistit; sed tunc se nequius dilatat, cum per illum damnatum hominem veniens, in hujus mundi se gloria apertius ostentat. Tunc ab ejus naribus vastior fumus procedit, quia humana corda signorum ejus admirationibus territa amplior instigatio percutit. Tunc ejus halitus vehementius prunas ardere facit, quia reproborum mentes, quas jam calentes amore gloriae temporalis invenerit, **1116** suggestionis suae flatibus usque ad nequitiam exercendae crudelitatis incendit. Tunc de ore ejus flamma egreditur, quia quidquid per se, quidquid per praedicatores suos loquitur, ignis est quo infructuosa ligna concremantur. Igne autem terrenae concupiscentiae eorum

mens tangitur, qui nequaquam fieri pretiosa metalla concupiscunt. Qui ergo oris ejus non vult flamma affici, juxta doctoris veri sententiam, non lignum, fenum, stipula, sed aurum, argentum, et pretiosus lapis curet inveniri (**I Cor. III, 12**), quia tanto ignis suasionis illius amplius incendit, quanto se ei ad consentiendum molliorem quisque praeberit. Sed quia nulla ratione conceditur ut mens in hac corruptibili carne posita nequaquam suasionis illius ardore tangatur, restat ut malignis flatibus adusta, ad orationis opem se sine cessatione convertat. Flammam quippe suggestionum illius exstinguit citius unda lacrymarum.

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS. *Exponitur capitis XLI versus 13 cum reliquis, de diaboli praesertim superbia et saevissimis in sanctos Antichristi persecutionibus.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Senescente mundo, tribulationes cum temporibus crescunt. Diabolus tanto acrius saevit, quanto poenae consummationi est vicinior.*---Quia ex hoc mundo corpus gerimus, universitatis terminum ex ea qua nos sumus parte pensemus. Citius quippe qualis sit mundi finis agnoscimus, si sollicite aspicimus hoc quod de mundo gestamus. Aetas etenim nostra

per juveniles annos robustius viget, in senili autem tempore crebrescentibus morbis excoquitur; et dum diutius distenditur ut subsistat, moriendi vice quotidie deficit per momenta vivendi. Ita etiam mundi tempus dum venientibus annis augetur, crebrescentibus malis afficitur; et unde aetatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit. Tribulationes namque illi cum temporibus crescunt, et eo detrimenta vitae debilior tolerat, quo quasi ad vitam provector durat. Totis enim contra illum hostis antiquus viribus solvitur, qui quamvis jam nunc interiit pro eo quod supernae conditionis beatitudinem amisit, tunc tamen plenius exstinguitur, quando, et a tentandi licentia abstractus, aeternis incendiis religatur. Unde et extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur, quia tanto fit ferventior ad saevitiam, quanto se viciniorem sentit ad poenam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam nequissimae libertatis amittat, et quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur, sicut de illo voce angelica ad Joannem dicitur: *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (**Apoc. XII, 12**). Tunc ergo in magnae irae fervorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suae foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirat; tunc cervicem superbiae altius erigit, et per damnatum illum quem gestat hominem omne quod temporaliter praevalet nequiter ostendit. Unde et divina voce recte nunc dicitur:

CAPUT II [*Rec. II*].

VERS. 13.---*In collo ejus morabitur fortitudo.*

2. *Superbiae Antichristi accedet explendae nequitiae potestas.*---Quid enim collo Leviathan istus, nisi elationis extensio designatur? qua. contra Deum se erigens, cum simulatione sanctitatis etiam tumore potestatis extollitur. Quia enim per collum superbia exprimitur, Isaias propheta testatur, qui Jerusalem filias redarguit, dicens: *Ambulaverunt extento collo (Isai. III, 16)*. In collo ergo Leviathan istius fortitudo demorari dicitur, quia elationi illius etiam subjuncta potentia suffragatur. Nam quidquid tunc superbe extollitur, quidquid callide machinatur, etiam cum virtute potentiae saecularis exsequitur. Quod Daniel propheta intuens, ait: *Dolus in manu ejus dirigetur (Dan. VIII, 25)*. Dolus quippe in manu ejus est fraus in virtute, quia omne quod nequiter vult, hoc ad tempus exsequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate praepeditur. Hoc enim Leviathan iste vel vasa ejus habere crebro proprium solent, quod ad iniquitatis suae cumulum ea quae nequiter appetunt explere nequius possunt.

3. *Divini muneris est erga electos, quod cogitatum malum perpetrare nequeant.*---Nam cum fortasse infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miserae nullos effectus inveniunt. Cumque eorum votis valida contrarietas nascitur, plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur, et miro internae dispositionis ordine, per conversionem mutatio malae voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur. Hinc est enim quod, sub specie

uniuscujusque animae, de infirmante Judaea, atque in pravis itineribus gradiente, per prophetam Dominus dicit: *Ecce ego sepiam viam tuam 1117 spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quaeret eos, et non inveniens dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia mihi bene erat tunc magis quam nunc (Osee, II, 6)*. Spinis enim electorum viae sepiuntur, dum dolorem punitionis inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt. Quasi interposita maceria viis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animae amatores suos quaerunt, et non inveniunt, dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas quas appetunt hujus saeculi voluptates apprehendunt. Bene autem subditur quod ex ipsa difficultate mox dicat: *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (Matth. XII, 44)*. Prior quippe vir Dominus est, qui castam sibi animam sancti Spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in iis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi quem diligit morderi anima coeperit, tunc plenius intelligit quanto illi cum priore viro melius fuit.

4. *Quos voluntas prava pervertit, saepe corrigit adversitas.--*
-Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit. Unde et nimis timendum est ne sequantur prospera cum desiderantur injusta, quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis etiam prosperitate fulcitur. Leviathan itaque iste qui cum membris suis aeternis est cruciatibus deputatus, et dolus in manu ejus dirigitur, et in collo ejus fortitudo

demoratur, quia hoc quod temporaliter perversa contra bonos voluntate desiderat, perversiore facultate consummat, ut tanto ei de adversitate in praesenti nil obstet, quanto ei in posterum de prosperitate nihil remanet. Et quia omnis qui perversis moribus amicitiiis ejus innotescit prius veras mentis divitias amittit, apte subjungitur:

CAPUT III [*Vet. II, Rec. III*].

IBID.---*Et faciem ejus praecedet egestas.*

5. *Electorum paupertas est coelestes divitias amisisse.*---Per faciem quippe solet notitia designari. Unde scriptum est: *Et facies mea praecedet te* (**Exod. XXXIII, 14**), id est notitia ducatum praebabit. Sciendum vero est quod egestas in sacro eloquio aliter electorum ponitur, atque aliter reproborum. Egestas namque electorum est, cum verae divitiae coelestis patriae ad eorum animum redeunt, et in hoc aerumnoso praesentis vitae exsilio positi, pauperes se esse meminerunt. Illas quippe divitias sine cessatione suspirant, de quibus Paulus dicit: *Ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis* (**Ephes. I, 18**). Et quia adhuc eas nequaquam conspiciunt, studiose interim in aerumna istius paupertatis gemunt. Hanc procul dubio paupertatem Jeremias inspexerat, cum dicebat: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus* (**Thren. III, 1**). Virga enim indignationis Dei est percussio distractionis. Quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus, veras interni gaudii divitias amisit (**Genes.**

III, 24). Sed quia electi quique incessanter conspiciunt quod in praesentis vitae penuriam ab illa potestatis ingenitae facultate ceciderunt, bene dicitur: *Ego vir videns paupertatem meam* (**Thren. III, 1**). Quisquis enim haec adhuc visibilia appetit, peregrinationis suae malum **1118** non intelligit, et hoc ipsum quod patitur videre nescit. Hanc paupertatem David propheta intuens, ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea* (**Psal. XXX, 11**). In paupertate etenim virtus infirmari dicitur, quia lapsus in hac peregrinatione animus, et corruptionis suae molestiis reverberatus, hoc quod perdidit contemplari praepeditur.

6. *Hanc paupertatem reprobi nesciunt. Virtutum divitiis vacuantur, nec intelligunt.*---Sed hanc paupertatem reprobi considerare nesciunt, quia dum sequuntur ea quae conspiciunt, cogitare invisibilia negligunt quae perdiderunt. Unde et egestas eorum proprie dicitur, quia dum replentur vitiis, virtutum divitiis vacuantur. Quibus saepe evenit ut per elationis dementiam sublevati, dum nequaquam ruinae suae damna considerant, esse se etiam a bonis actionibus inopes non cognoscant. Unde voce angelica praedicatori Laodiceae dicitur: *Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus* (**Apoc. III, 17**). Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, caecusque et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet; caecus, quia nec paupertatem quam patitur videt; nudus, quia primam stolam perdidit, sed pejus, quia nec se perdidisse cognoscit. Quia ergo, ut diximus, egestas reproborum est defraudatio meritorum, recte de Leviathan dicitur: *Faciem ejus praecedet egestas*. Nemo

quippe cognitioni ejus jungitur, nisi prius virtutum divitiis denudetur. Prius enim bonas cogitationes subtrahit, et tunc eis apertio-rem notitiam suae iniquitatis infundit. Egestas ergo faciem illius praecedere dicitur, quia prius facultas virium perditur, ut quasi per familiaritatem postmodum ejus notitia cognoscatur. Vel certe quia multis ita fraudulenter subre-
pit, ut ab eis deprehendi nequaquam possit, et sic eorum virtutes evacuat, quatenus astutiae suae malitiam non ostendat, faciem ejus egestas praeire perhibetur, ac si aperte diceretur, quia cum insidians tentat, priusquam videatur exspoliat. Hinc est enim quod de Ephraim per prophetam dicitur: *Comederunt alieni robur ejus, et ipse ignoravit (Osee VII, 9)*. Alieni quippe intelligi apostatae angeli solent, qui robur comedunt, dum virtutem mentis pervertendo consumunt. Quod Ephraim et pertulit, et nescivit, quia in tentatione malignorum spirituum et robur animae perdidit, et hoc ipsum quia perdidit non intellexit. Leviathan ergo faciem egestas antecedit, quia negligentium mentes ante tentando spoli-
at, quam ejus insidias is qui tentatur agnoscat. Per hoc ergo quod dictum est: *In collo ejus morabitur fortitudo*, virtus violentiae ostenditur. Per hoc vero quod subditur: *Et faciem ejus praecedet egestas*; fraudis subtilitas designatur.

7. *Ante adventum Antichristi, virtutum signa Ecclesiae subtrahentur, aut pauca supererunt.*---Quamvis de eo quod ejus faciem egestatem praeire cognoscimus, suppetit aliud quod tamen tristius exponamus. Terribili quippe ordine dispositionis occultae, priusquam Leviathan iste in illo damnato homine quem assumit appareat, a sancta Ecclesia virtutum signa subtrahuntur. Nam prophetia absconditur,

curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiae virtus imminuitur, doctrinae verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quae quidem nequaquam superna dispensatio **1119** funditus subtrahit, sed non haec sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendit. Quod tamen mira dispensatione agitur, ut una ex re divina simul pietas et justitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia velut abjectior apparet, et bonorum praemium crescit, qui illam pro spe coelestium, et non propter praesentia signa venerantur, et malorum mens contra illam citius ostenditur, qui sequi quae promittit invisibilia negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Dum igitur humilitas fidelium multitudine et manifestatione signorum quasi destituitur, terribili occultae dispositionis examine inde bonis misericordia largior, unde malis justa ira cumulatur. Quia ergo Leviathan iste priusquam manifestus et conspicuus veniat ex magna parte in sancta Ecclesia signa virtutum cessant, recte nunc dicitur: *Faciem ejus praecedet egestas*. Ante enim a fidelibus miraculorum divitiae subtrahuntur, et tunc contra eos antiquus ille hostis per aperta prodigia ostenditur, ut quo ipse per signa extollitur, eo a fidelibus sine signis robustius laudabiliusque vincatur. Quamvis etiam fidelibus in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius, ut nostrorum aut pauca, aut nulla videantur. Quorum nimirum virtus omnibus signis fit potior, cum omne quod ab illo terribiliter fieri conspicit, per internae constantiae calcem premit. Sed malignus hostis tanto contra eos acriori immanitate se exhibet, quanto se despici etiam clarescentibus miraculis dolet. Totum ergo se in eorum interitum colligit, cunctosque reprobos in necem fidelium unanimi crudelitate conjungit, ut saevitiam suam tanto

robustius exerat, quanto et in eis quae perverse agere appetit, nulla sibi sui corporis membra discordant. Unde et recte dicitur:

CAPUT IV [*Rec. IV*].

VERS. 14.---*Membra carnum ejus cohaerentia sibi.*

8. *Reproborum cum Satana et inter se noxia concordia.*--- Carnes vero Leviathan istius sunt omnes reprobi, qui ad intellectum spiritalis patriae per desiderium non assurgunt. Membra vero sunt carnum hi qui eisdem perverse agentibus, et sese ad iniquitatem praecedentibus junguntur, sicut e contra per Paulum dominico corpori dicitur: *Vos estis corpus Christi, et membra de membro (I Cor. XII, 27)*. Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis pars ad totum, membrum vero membri est particula ad partem. Membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium; membrum vero est corporis totum hoc simul ad corpus universum. Sicut ergo in spiritali dominico corpore membra de membro dicimus eos qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur, ita in illa Leviathan istius reproba congregatione membra sunt carnum qui iniquo opere quibusdam se nequioribus junguntur. Sed quia hostis malignus sibi in perverso opere a primis usque ad extrema concordat, divinus sermo in eo membra carnum sibimet cohaerentia memorat. Sic namque perversa unanimiter sentiunt, ut nulla contra se vicissim disputatione dividantur. Nulla eos diversitatis altercatio tunc scindit, et idcirco contra

bonos vehementer praevalent, quia in malo se concorditer tenent. [*Vet. III.*] Sicut enim jam superius diximus (**Lib. XXXIII, num. 55**), 1120 ut perniciosum est si unitas desit bonis, ita perniciosius est si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum viam tanto durius praepedit quanto ei se per collectionem durior opponit.

9. *Hanc unitatem dissolvere licet, exemplo Pauli.*---Hanc unitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cum in medio Sadducaeorum Pharisaeorumque deprehensus dicebat: *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor* (**Act. XXIII, 6**). Qua nimirum voce percussa, protinus contra se vicissim audientium turba dissiluit. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis aperitur, quia quem turba persequentium unita constrinxerat, divisa laxabat. Eripiuntur ergo justi dum dividuntur injusti, et electorum vota ad perfectum perveniunt dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris Rubri scissione designatur (**Exod. XIV, 21, seq.**). Dum enim in duas partes unda dividitur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur, quia dum malorum unitas scinditur, bonae mentes ad hoc quod appetunt perducuntur. Si malorum unitas noxia non fuisset, nequaquam divina providentia superbientium linguas in tanta diversitate dissipasset (**Genes. XI, 8**). Si malorum unitas noxia non fuisset, de sanctae Ecclesiae hostibus Propheta non diceret: *Praecipita, Domine, et divide linguas eorum* (**Psal. LIV, 10**). Quia ergo Leviathan iste tunc contra electos Dei in suis viribus effrenatur, ad augmentum suae malitiae unitatem quoque in reprobis habere permittitur, ut tanto contra nos robustius vires suas exerat, quanto non solum nos ictu fortitudinis, sed etiam

mole adunationis impugnat. Sed quis contra ista sufficiat? Quae mens ad tantae elationis et compagis pondera non ab ipsa cogitationum radice contremiscat? Unde quia trepidare nos per infirmitatem conspicit, protinus divina clementia quid per semetipsam faciat? adjungit. Nam sequitur:

CAPUT V [*Rec. V*].

IBID.---*Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur.*

16. *Fulmine conterentur in judicio, justis illaesis et gaudentibus.*---Quid appellatione fulminum nisi tremendae illae extremi judicii sententiae designantur? Quae idcirco fulmina vocantur, quia nimirum eos quos feriunt in perpetuum incendunt. Fulmina namque super eum Paulus venire conspexerat, cum dicebat: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (**II Thess. II, 8**). Haec autem quae in eum mittuntur fulmina, ad locum alium non feruntur, quia justis gaudentibus, solos tunc reprobos feriunt. Nam post trituram vitae praesentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro inter triticum paleasque discernitur, ut nec in tritici horreum paleae transeant, nec in palearum ignem horrei grana delabantur. Illa ergo fulmina locum alium nequaquam tangunt, quia videlicet igne suo non grana, sed paleas incendunt. Sed quia Leviathan istum poena non corrigit, insinuat dum subjungit:

CAPUT VI [*Rec. VI*].

VERS. 15.---*Cor ejus indurabitur quasi lapis.*

11. *Satanae impenitentia. Incudi similis optime dicitur.*---
Cor enim antiqui hostis ut lapis indurabitur, quia nulla unquam conversionis poenitentia mollietur. Qui quia solis ictibus aeternae ultionis aptabitur, recte protinus subinfertur:

IBID.---*Et stringetur quasi malleatoris incus.*

1121 Incudem quippe malleator solis aptam percussionibus figit. Ad hoc namque incus statuitur, ut crebris ictibus feriat. Leviathan ergo ut malleatoris incus stringitur, quia inferni vinculis coarctabitur, ut aeterni supplicii continua percussione tundatur. Qui modo quoque percutitur, dum justi quique, illo in insidiis vigilante, sed doloribus tabescente, salvantur. In incude autem alia vasa formantur, ipsa vero tot percussionibus in vas aliud non transfertur. Recte ergo Leviathan iste incudi comparatus est, quia nos illo persequente componimur, ipse autem et semper percutitur, et in vas utile nunquam mutatur. Aeternae illum percussioni relinquimus, et nos, superni artificis manu in ejus tentatione percussi, per illum quasi vascula formata transimus. In ipso enim tundimur, sed ut ad usum domus supernae veniamus. Ipse vero quasi incus stringitur, quia etsi nunc tentando mundum circuit, in inferno tamen positus, jam sub ictu sententiae non vagatur. Sequitur:

CAPUT VII [*Rec. VII*].

VERS. 16.---*Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur.*

12. *Reprobis angelis cadentibus, territi sunt boni, et timore solidati.*---Scriptura sacra ita nonnunquam tempus praeteritum futurumque permiscet, ut aliquando futuro pro praeterito, aliquando vero utatur praeterito pro futuro. Futuro namque pro praeterito utitur cum Joanni mulier paritura masculum, qui regat gentes in virga ferrea, demonstratur (**Apoc. XII, 5**). Quod quia incarnato Domino veniente jam tunc factum fuerat, res gesta nuntiabatur. Rursum praeterito utitur pro futuro, sicut per Psalmistam Dominus loquitur, dicens: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (**Psal. XXI, 18**). Quibus videlicet verbis species dominicae passionis quasi jam transacta describitur, sed tamen adhuc longe post futura nuntiatur. Hoc ergo loco quo dicitur: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli*, nil obstat intelligi quia sub futuri temporis modo praeterita describuntur. Nec rectae intelligentiae sensum relinquimus, si credamus Leviathan isto ab arce beatitudinis cadente, in ruina ejus etiam electos angelos expavisse, ut cum istum ex illorum numero superbiae lapsus ejiceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. [*Vet. IV.*] Unde et sequitur: *Et territi purgabantur.*

13. *Qua ratione tunc purgati. Aliis cadentibus, caeteris datum ut cadere non possent.*---Purgati vero sunt, quia nimirum isto cum reprobis legionibus exeunte, soli in coelestibus sedibus qui beate in aeternum viverent remanserunt. Hujus itaque lapsus eos terruit et purgavit: terruit, ne conditorem suum superbe despicerent; purgavit vero, quia, excuntibus reprobis, actum est ut electi soli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam etiam bene uti mala actione reproborum, lapsum cadentium vertit in profectum manentium; et unde punita est culpa superbientium, inde humilibus angelis et inventa et solidata sunt augmenta meritorum. Istis namque cadentibus, illis in munere datum est ut cadere omnino non possent. Sancti enim angeli, dum in istis naturae suae damna conspiciunt, in seipsis jam cautius robustiusque consistunt. Unde fit, auctore omnium rerum Domino cuncta mirabiliter ordinante, ut illi electorum spirituum patriae etiam ruinae suae damna proficiant, dum inde **1122** firmitus constructa sit unde fuerat ex parte destructa.

14. *Sancti praedicatores angeli dicuntur.*---Sed quia saepe Scriptura sacra praedicatores Ecclesiae, pro eo quod gloriam patriae coelestis annuntiant, angelorum solet nomine designare, possumus hoc loco angelos sanctos praedicatores accipere. Hinc est enim quod Joannes in Apocalypsi, septem Ecclesiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est praedicatoribus populorum (**Apoc. I, 4**). Hinc propheta ait: *Et angeli pacis amare flebunt* (**Isai. XXXIII, 7**). Hinc rursum Malachias propheta ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem inquirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (**Malac. II, 7**). Hinc

Paulus ait: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria (I Tim. III, 16)*. Qui igitur dispensationis mysterium postquam apparuisse angelis dixit, praedicatum esse gentibus subdidit, profecto angelorum nomine praedicatores sanctos, id est veritatis nuntios designavit.

15. *Hi ex angelorum casu et poena terrentur, et purgantur.*--- Si ergo hoc quod dicitur: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur*, ad futurum tempus refertur, adveniente districto iudice, extrema hic istius Leviathan damnatio designatur, quia de hoc mundo per iram iudicii tollitur, qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur. Tanto autem hinc pondere terroris excutitur, ut sanctorum etiam praedicatorum fortitudo turbetur; *Cum enim sublatus fuerit, timebunt angeli*, quia cum iudicii turbine rapitur, hi qui in corporibus reperiri potuerint, immenso terrore concussi, etiam supernae patriae nuntii contremiscunt. Quamvis enim fortes jam atque perfecti sunt, adhuc tamen; quia in carne sunt positi, non possunt in tanti terroris turbine nulla formidine concuti. Sed cum Leviathan iste rapitur, cumque omnia in ejus interitu elementa quatiuntur, praedicatores sanctos, quos, ut dixi, adhuc in suis corporibus illud tempus iudicii invenerit, spes de regni propinquitate laetificat, et carnis infirmitas de irae ostensione perturbat. Erit ergo in eis aliquo modo tremor laetus, et timor securus, quia et coelesti regno se remunerari certi sunt, et per tanti turbinis metum pro carnis infirmitate contremiscunt.

16. *Justis tremantibus, quanta reproborum futura concussio.*---Consideremus ergo quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam justorum vita turbatur. Hi qui oderunt adventum judicis, quid facient, si terrorem tanti judicii etiam qui diligunt expavescunt? Et quia in sanctis praedicatoribus hoc pavore excoquitur, si qua eis inesse potuit levium rubigo vitiorum, postquam dixit: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli*, apte mox subdidit: *Et territi purgabuntur*. Sed quia haec de Leviathan istius fine cognovimus, interim priusquam pereat quid agat audiamus. Sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VIII*].

VERS. 17.---*Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.*

17. *Antichristus diaboli gladius recte appellatur.*---In Scriptura sacra aliquando per gladium sancta praedicatio, aliquando aeterna damnatio, aliquando tribulatio temporalis, aliquando antiqui hostis ira vel persuasio designatur. Gladius enim **1123** pro sancta praedicatione ponitur, sicut Paulus ait: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (**Ephes. VI, 17**). Gladii nomine aeterna damnatio designatur, sicut de praedicante haeretico scriptum est: *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gaudio erunt* (**Job. XXVII, 14**), quia quantalibet hic numerositate germinent, aeterna damnatione consumuntur. Gladius tribulatio temporalis accipitur, sicut Mariae de secuturis tribulationibus, dicitur: *Et tuam ipsius animam*

pertransibit gladius (Luc. II, 35). Rursum per gladium ira vel persuasio maligni hostis exprimitur, sicut Psalmista ait: *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno (Psal. CXLIII, 10).* Benignus quippe sanctae praedicationis est gladius, quo percutimur ut a culpa moriamur. Malignus vero est diabolicae persuasionis gladius, quo male quisque percutitur ut a vita rectitudinis exstinguatur. Antiqui ergo hostis est gladius, ille tunc damnatus homo, in usum ministerii ejus assumptus. Ipsum quippe per malitiam fraudis exacuit, et infirmorum corda transfigit. Hunc ergo Leviathan istius gladius apprehendit, cum eum suus damnatus homo suscepit. Si autem gladii nomine ejus ira signatur, recte non apprehendere gladium, sed a gladio apprehendi describitur. In tantam quippe tunc insaniam vertitur, ut dominari omnibus appetens, nequaquam suae irae dominetur. Nos namque cum iram in usu justitiae assumimus, gladium tenemus, quia eam sub aequitate judicii possidendo moderamur. Ille autem quia per abrupta furoris rapitur, non apprehendere gladium, sed a gladio apprehendi perhibetur. Non enim iram possidens tenet, sed ab ira saeviens tenetur.

[*Vet. V.*] 18. *Huic gladio cedere hastam et thoracem quo sensu dictum.*---Cunctis autem liquet quod hasta adversarium percutimus, thorace vero ab adversario munimur. Per hastam vulnera inferimus, per thoracem tegimur ne vulneremur. Quid igitur per hastam nisi praedicationis jaculum, quid per thoracem nisi fortitudo patientiae designatur? Leviathan ergo iste, quia per assumptum reprobum hominem in ira omnimodae crudelitatis effrenatur, apprehendi a gladio dicitur. Nam per ostensionem immensae tunc fortitudinis exhibet quidquid nequiter potest. Et neque hasta neque thorax

subsistere poterit, quia in Antichristum veniens, tantae virtutis apparebit, ut si supernum adjutorium desit, et praedicantium acumen obtundat, et longanimitatem patientium destruat. Nisi enim justorum vitam superna gratia solidet, non subsistit hasta, quia praedicatorum virtus frangitur; non subsistit thorax, quia constantium patientia dirupta penetratur. Unde et subditur:

CAPUT IX.

VERS. 18.---*Reputabit enim ut paleas ferrum, et quasi lignum putridum aes.*

19. *Saeviente Antichristo praedicatorum virtus et fortiorum constantia periclitabuntur.*---Quod superius hastam dixit, hoc inferius ferri appellatione replicavit; et quod thoracem protulit, hoc rursum aeris commemoratione signavit. Ferrum namque acuitur ut adversarius vulneretur, aes autem rubigine pene nulla consumitur. Ferro ergo praedicationis jacula, aere autem longanimitatis constantia designatur. Unde et sub Aser specie de sancta Ecclesia per Moysen dicitur: *Ferrum et aes calceamentum ejus* (**Deut. XXXIII, 25**). Calceamentum quippe in Scriptura sacra munimen praedicationis **1124** accipitur, sicut scriptum est: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis* (**Ephes. VI, 16**). Quia ergo per ferrum virtus, per aes autem perseverantia exprimitur, ferrum et aes calceamentum ejus dicitur, cum praedicatio ejus acumine simul et constantia munitur. Per ferrum enim mala adversantia penetrat, per aes autem bona

quae proposuit longanimiter servat. Cujus profecto perseverantiam illic apertius insinuat, dicens: *Sicut dies juventutis ejus, ita erit et senectus illius* (**Deut. XXXIII, 25**). [Rec. IX.] Sed Leviathan iste quando illum gladium quem sacra eloquia Antichristum vocant in exercitationem suae iniquitatis assumpserit, et ferrum velut paleas, et aes velut lignum putridum reputabit, quia nisi divina gratia protegat, et praedicantium vires velut paleas nequitiae suae igne consumet, et patientium constantiam quasi lignum putridum in pulverem rediget. Et acumen igitur ferri, et aeris fortitudo deficit, dum per violentiam virtutis illius et praedicationis sensus obtunditur, et patientiae longanimitas dissipatur.

20. *Et nisi Deus opem ferat, deficient.*---Nisi ergo electos suos opitulatio divina roboret, ubi tunc infirmi erunt, si fortes sicut paleae reputantur? Quid tunc Leviathan iste de paleis faciet, si ferrum quasi paleas aestimabit? Quid de putridis lignis acturus est, si quasi lignum putridum aeris fortitudinem solvet? Sed o quam multi, qui suis viribus ferrum se vel aes aestimant, in illo tunc tribulationis igne se paleas esse deprehendunt; et quam multi, qui per infirmitatem propriam se esse paleas metuunt, per divinum adjutorium fulti, in ferri atque aeris soliditate roborantur, ut contra adversarium suum tanto magis in Deo fortes sint, quanto de se amplius infirmos se esse meminerunt. Sed quanto altius Behemoth iste contra electos Dei per miracula erigitur, tanto contra eum sancti quique vehementius ad praedicationis se verba constringunt. Qui tamen ita reproborum mentes possidet, ut eas nulla confossus veritatis jaculatione relinquat. Unde et subditur:

IBID. 19.---*Non fugabit eum vir sagittarius.*

21. *A reproborum cordibus non fugat Satanam sancta praedicatio.*--- Quid enim sagittas, nisi verba praedicatorum accipimus? Quae dum voce bene viventium distinguuntur, audientium corda transfigunt. His sagittis sancta Ecclesia percussa fuerat, quae dicebat: *Vulnerata charitate ego sum (Cantic. II, 5)*. De his sagittis Psalmistae voce narratur: *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum (Psal. LXIII, 8)*, quia scilicet verba humilium penetraverunt animos superbiorum. De his sagittis venienti propugnatori dicitur: *Sagittae tuae acutae, potentissime, populi sub te cadent in corde (Psal. XLIV, 6)*. Vir itaque est sagittarius qui per sanctae intentionis arcum audientium cordibus verba rectae exhortationis infigit. Quia ergo Leviathan iste verba praedicantium despicit, et, cum reprobiorum mentes male suadendo momorderit, durus inter jacula omnimodo eas non relinquit, recte dicitur: *Non fugabit eum vir sagittarius*. Ac si aperte dicatur: A reprobiorum cordibus eum sancti praedicatoris sagitta non excutit, quia quisquis ab illo apprehenditur, verba jam praedicantium audire contemnit. Unde bene peccatis praecedentibus irascens, de his quos in manu antiqui hostis deserit, Dominus per prophetam dicit: *Immittam vobis serpentes regulos, 1125 quibus non est incantatio (Jerem. VIII, 17)*. Ac si diceret: Justo iudicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione praedicantium quasi incantantium sermone non valeant. Quia vero Leviathan iste a cordibus reprobiorum sanctae praedicationis spiculis non movetur, ipse etiam sanctorum virorum contemptus adjicitur, cum illico subinfertur:

CAPUT XI [*Vet. VI*].

IBID.---*In stipulam versi sunt ei lapides fundae.*

22. *Contra eum et Antichristum sanctorum robur videtur stipula. Nihil tamen contra eorum animam potest.*---Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Funda namque dum in gyrum mittitur, sic de illa lapides exeunt quibus adversariorum pectora feriantur; ita sancta Ecclesia dum volubilitate temporum per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tundantur. Unde ad prophetam de bonis doctoribus Dominus dicit: *Devorabunt, et subjicient lapidibus fundae (Zach. IX, 15)*. Sancti quippe doctores qui ad virtutem et alios instruunt, hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversionis immutant. Quos lapidibus fundae subjiciunt, quia dum fortes quosque in sancta Ecclesia viros instituunt, per eos adversariorum superbientium pectora dura confringunt. Unde et Goliath immanissimus saxo fundae moritur (**I Reg. XVII, 49**), quia singulari sanctae Ecclesiae lapide diabolica celsitudo superatur. Leviathan itaque iste quia, damnato illo homine assumpto, quoslibet fortes Ecclesiae velut infirmos despicit, eorumque vires temporaliter premit, recte nunc dicitur: *In stipulam versi sunt ei lapides fundae*. Ac si aperte diceretur: Sanctorum robur quasi in stipulae mollitiem redigit, quorum lingua prius pectus illius duris ictibus tutudit. Omnem quippe tunc fortitudinem suae iniquitatis exercens, quanto se ab eis vinci spiritaliter dolet, tanto atrocius contra eos corporaliter praevallet. Et quia nil se contra eorum spiritum praevalere considerat, in eorum carne crudelitatis suae omnia argumenta consummat. [*Vet. VII.*] Sed

quid mirum si humanas vires despicit, qui ipsa etiam superni in se iudicii aeterna tormenta contemnit? Unde et subditur:

CAPUT XII.

VERS. 20.---*Quasi stipulam aestimabit malleum.*

23. *Dei vindictam superbus contemnit.*---Ac si diceret: Etiam pondus ejus animadversionis despicit, quae se per supplicium desuper veniens ferit. In Scriptura enim sacra mallei nomine aliquando diabolus designatur, per quem nunc delinquentium culpaeferuntur; aliquando vero percussio coelestis accipitur, qua vel electi supernos ictus sentiunt, ut a pravis itineribus corrigantur, vel justa ira reprobos percutit, ut jam supplicia aeterna praeveniens, quid etiam in posterum mereantur ostendat. Nam quia appellatione mallei antiquus hostis exprimitur, propheta testatur, cum super eum vim extremi iudicii contemplatur, dicens: *Quomodo confractus est et contritus malleus universae terrae (Jerem. L, 23)?* Ac si dicerei: Eum per quem vascula sua Dominus in ministerii usum formanda percutit, quis perpendat quo turbine, veniente extremo iudicio, in aeterna damnatione confringit? Rursum per malleum percussio coelestis exprimitur, quod Salomone templum aedificante signatur, cum dicitur: *Domus autem cum aedificaretur, de lapidibus 1126 dolatis atque perfectis aedificata est, et malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum aedificaretur (III Reg. VI, 7).* Quid enim domus illa nisi sanctam Ecclesiam, quam in coelestibus Dominus inhabitat, figurabat? Ad cujus

aedificationem electorum animae, quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Quae cum aedificatur in coelis, nullus illic jam disciplinae malleus resonat, quia dolati atque perfecti illuc lapides ducimur, ut locis juxta meritum congruis disponamur. Hic enim foris tundimur, ut illuc sine reprehensione veniamus. Hic malleus, hic secucuris, hic omnia tusionum resonant ferramenta. In domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in aeterna patria omnes jam percussorum strepitus conticescunt. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligit. Nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foras severitatis sententia projicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt, quia nec quaelibet minima ultra jam flagella sentiuntur. Quia ergo per malleum desuper venientem coelestis pondus percussoris exprimitur, quid est quod Leviathan iste malleum despicit, nisi quod supernae animadversionis ictus formidare contemnit? Et quasi stipulam malleum deputat, quia ad justae irae se pondera velut contra terrores levissimos parat. Unde et adhuc expressius subditur:

CAPUT XIII [*Rec. XI*].

IBID.---*Et deridebit vibrantem hastam.*

24. *Futuri judicii comminationem irridet, inde factus crudelior.*---Contra Leviathan enim Dominus hastam vibrat, quia in ejus interitu districtam minatur sententiam. Hastam quippe vibrare est aeternam ei mortem ex districta animadversione praeparare. Sed apostata spiritus auctorem

vitae etiam cum sua morte despiciens, hastam vibrantem deridet, quia ex districto iudicio quidquid grave, quidquid horribile esse praevidet, pati non metuit; sed quo se aeterna tormenta non posse evadere conspicit, eo in exercenda nequitia durior assurgit. Quem cum plerique huius mundi sapientes in cunctis quae appetit tanta pertinacia, tanta fortitudine stringi considerant, corda sua ad famulatum ejus tyrannidis inclinant, et omne quod Deo largiente sapiunt, hoc contra eum ad servitium hostis illius inflectunt. Unde et recte subditur:

CAPUT XIV [*Rec. XII*].

IBID. 21.---*Sub ipso erunt radii solis.*

25. *Illi subduntur nonnulli, qui doctrina aut sanctitate in Ecclesia lucere videbantur.*---In Scriptura enim sacra cum figurate sol ponitur, aliquando Dominus, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestae visionis ostensio, aliquando autem intelligentia sapientium designatur. Per solem quippe Dominus figuratur, sicut Sapientiae libro perbibetur, quod omnes impii in extremi die iudicii cognita sua damnatione dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiae non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (**Sap. V, 6**). Ac si aperte dicant: Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde et Joannes ait: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus* (**Apoc. XII, 2**). In sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quae menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia,

quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur, quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit. Rursum sole persecutio designatur, sicut **1127** in Evangelio Veritas dicit, quod nata sine radicibus semina orto sole aruerunt (**Matth. XIII, 6**), quia videlicet verba vitae in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superveniente persecutionis ardore, siccantur. Rursum sole manifestae visionis ostensio designatur, sicut Propheta Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat, dicens: *In sole posuit tabernaculum suum* (**Psal. XVIII, 6**). Ac si diceret: Humanitatis assumptae sacramentum in lumine manifestae visionis ostendit. Et sicut eidem Prophetae divina voce per Nathan dicitur: *Tu fecisti in abscondito, ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis* (**II Reg. XII, 12**). Quid enim per conspectum solis, nisi cognitionem insinuat manifestae visionis? Rursum solis nomine, sapientium intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est: *Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi aestu afficere homines et igni* (**Apoc. XVI, 8**). Phialam videlicet in solem effundere est persecutionis supplicia viris sapientiae splendore fulgentibus irrogare: *Et datum est illi ut afficeret homines aestu et igni*, quia dum sapientes viri, cruciatibus victi, male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinae namque fortium augmenta praestant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientiae designatur, per comparisonem quoque a Salomone dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur* (**Eccli. XXVII, 12**). [*Vet. VIII.*] Hoc ergo loco quid per solis radios nisi acumina sapientium demonstrantur? Quia enim multi, qui in sancta Ecclesia luce

sapientiae resplendere videbantur, tunc vel persuasionibus capti, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, Leviathan istius seditioni subjiciuntur, recte dicitur: *Sub ipso erunt radii solis*. Ac si aperte diceretur: Hi qui intra sanctam Ecclesiam per acumina sapientiae quasi radios videbantur lucis aspergere, et per auctoritatem rectitudinis desuper resplendere, potestati Leviathan istius iniqua se operatione substernunt, ut non jam recta praedicando desuper luceant, sed ei perverse obsequendo famulentur. Solis ergo radii sub ipso sunt, cum nonnulli etiam docti viri sapientiae suae acumina non libere agendo sublevant, sed ad vestigia Leviathan istius et perversitate operis, et blandimento adulationis inclinant, ut intelligentia, quae illis sicut sol desuper fuit ex coelesti munere, antiqui hostis pedibus substernatur ex terrena cupiditate. Unde et nunc cum quisque sapientium atque doctorum pro commodo vel gloria vitae temporalis per adulationis lapsum terrenis se potestatibus prave agentibus subjicit, quasi sub vestigiis venientis Antichristi solis se radiis sternit. Et velut coeli lucem sibi Behemoth humiliat, dum per pestiferum assensum sapientium mentes calcit. Toties vero Leviathan istius pedibus se radii solis subdunt, quoties hi qui doctrinae videntur lumine resplendere, immoderato acumine prava in sacro eloquio sentiunt, perversisque sensibus ejus se erroribus substernunt, quia dum contra fidelia veritatis praedicamenta se erigunt, Leviathan istius vestigiis falsa sentiendo famulantur. Toties radii solis sub ipso sunt, quoties docti quippe, et intelligentiae luce **1128** pollentes, vel despectis caeteris in elatione se erigunt; vel summa quae sapiunt postponentes, sordidis carnis desideriis inquinantur; vel oblitii coelestium, terrena ambiunt; vel non reminiscentes

quia terra sunt, de cognitione coelestium inaniter gloriantur. Unde et recte ibi subjungitur:

CAPUT XV [*Rec. XIII*].

IBID.---*Sternet sibi aurum quasi lutum.*

26. *Quid significet aurum, in sacra Scriptura.*---Appellatione quippe auri in sacro eloquio aliquando divinitatis claritas, aliquando splendor supernae civitatis, aliquando charitas, aliquando nitor gloriae saecularis, aliquando pulchritudo sanctitatis accipitur. Auri enim nomine ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in Canticorum canticis sponsi species describitur: *Caput ejus aurum optimum (Cant. V, 11)*. Quia enim caput Christi Deus, nil vero est in metallis auro fulgentius, sponsi caput aurum dicitur, quia ejus humanitas ex divinitas suae nobis claritate principatur. Rursum auri nomine splendor supernae civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur, dicens: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo (Apoc. XXI, 18)*. Aurum namque ex quo illa civitas constat, simile vitro dicitur, ut et per aurum clara, et per vitrum perspicua designetur. Rursum auri nomine charitas intimatur, sicut Angelum quem sibi loqui idem Joannes aspexit (*Apoc. I, 13*), ad mamillas zona aurea cinctum vidit, quia nimirum supernorum civium pectora dum poenali jam nequaquam timori subjecta sunt, atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam vero auream circa mamillas habere, est

cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere. Rursum auri nomine, nitor gloriae temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon* (**Jerem. LI, 7**). Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quae calix aureus dicitur, quia dum pulchra esse temporalia ostendit, stultas mentes in sua concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva debriata est, de qua historia veritatis dicit, quia cum vetitum lignum concupisceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile et comedit (**Genes. III, 6**). Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internae rectitudinis subtrahit. Rursum auri nomine splendor sanctitatis accipitur, sicut Judaicum populum a splendore justitiae ad nequitiae tenebras commutatum Jeremias deplorat dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (**Thren. IV, 1**)? Sicut enim superius diximus, aurum obscuratur, cum subsequantibus iniquitatum tenebris, justitiae pulchritudo deseritur. Color optimus mutatur, cum splendor innocentiae in foeditatem vertitur culpae.

[*Vet. IX.*] 27. *Quid lutum.*---Luti quoque nomine, in sacro eloquio aliquando terrenarum rerum multiplicitas, aliquando sordidum sapiens iniqua doctrina, al quando desiderii carnalis illecebra designatur. Per lutum quippe terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc prophetam dicitur: *Vae ei qui multiplicat non sua! usquequo aggravat contra se* 1129 *densum lutum* (**Habac. II, 6**)? Denso enim se luto aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat. Rursum luti nomine doctrina

sordidum sapiens designatur, sicut per eundem prophetam Domino dicitur: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* (**Habac. III, 15**). Ac si diceret: Aperuisti iter praedicatoribus tuis inter doctrinas hujus saeculi sordida et terrena sapientes. Per lutum quoque desiderium sordidae voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait: *Eripe me de luto, ut non inhaeream* (**Psal. LXVIII, 15**). Luto quippe inhaerere, est sordidis desideriis concupiscentiae carnalis inquinari.

28. *Antiquus hostis aliis sub specie sanctitatis illudit, alios per foeda vitia inescat.*---Hoc ergo loco aurum claritas sanctitatis accipitur, lutum vero vel terrenarum rerum avaritiam, vel pravarum contagia doctrinarum, vel sordes carnalium voluptatum nil obstat intelligi. Quia enim multos Leviathan iste, qui intra sanctam Ecclesiam fulgore justitiae resplendere videbantur, tunc vel terrenarum rerum concupiscentia, vel errantis doctrinae contagio, vel carnalibus sibi voluptatibus subjicit, aurum sibi procul dubio quasi lutum sternit. Aurum enim quasi lutum sternere, est in quibusdam vitae munditiam per illicita desideria conculcare, ut hi etiam sordidis ejus vestigiis serviant, qui contra illum prius virtutum splendore rutilabant. Antiquus itaque hostis aliis tunc sub specie sanctitatis illudit, alios autem per foeda vitia vitae carnalis intercipit. Sed tunc per haec aperte grassabitur, nunc autem multorum cordibus occulte dominatur, sicut Paulus Apostolus dicit: *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis* (**II Thes. II, 6**). Toties igitur etiam nunc aurum sibi quasi lutum subjicit, quoties castitatem fidelium per carnis vitia sternit. Toties aurum velut lutum calcit, quoties sensum continentium per immunda desideria dissipat.

Quod tunc tanto vehementius peragit, quanto, suae perditae libertati commissus, hoc quod appetit, effrenatius perpetrat.

29. *Qui diabolo substernuntur, etsi aurum videantur, lutum sunt.*---Et fortasse quempiam moveat cur misericors Deus fieri ista permittat, ut Leviathan iste seu nunc per suggestiones callidas, sive tunc per damnatum illum quem replet hominem, vel solis radios, id est doctos quosque sapientesque subjiciat, vel aurum, hoc est viros sanctitatis claritate fulgentes, quasi lutum sibi vitiis coinquinando substernat. Sed citius respondemus quia aurum quod pravis ejus persuasionibus quasi lutum sterni potuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit (**De poenit., dist. 2, c. Citius**). Qui enim seduci quandoque non reversuri possunt, quasi habitam sanctitatem oculos hominum videntur amittere; sed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt. Saepe namque homo multis occulte peccatis involvitur, et in una aliqua virtute magnus videtur. Quae ipsa quoque virtus inanescens deficit, quia dum innotescit hominibus, procul dubio laudatur, ejusque laus inhianter appetitur. Unde fit ut et ipsa virtus ante Dei oculos virtus non sit, dum abscondit quod displicet, prodit quod placet. Quae itaque esse merita apud Deum possunt, quando et mala occulta sunt, et bona publica? Plerumque enim, sicut diximus, latet superbia, et castitas innotescit; atque ideo ostensa diu castitas circa vitae finem perditur, quia cooperta superbia usque ad finem incorrecta retinetur. Alius **1130** eleemosynis vacat, propria distribuit; sed tamen multis injustitiis servit, vel fortasse linguam in detractionibus exercet. Et fit plerumque ut is qui misericors fuerat juxta vitae suae terminum rapacitatis et crudelitatis stimulis inardescat. Quod valde justo judicio agitur, ut et

perdat ante homines unde hominibus placuit, qui hoc unde Deo displicuit, corrigere nunquam curavit. Alius patientiae studet; sed dum invidere aliis, et servare in corde malitiam non cavet, fit quandoque impatiens, qui diu latuit dolens. Hi itaque et per aliquid aurum sum, et per aliquid lutum sunt. Atque hoc aurum quasi lutum sternitur, quando occultis peccatis exigentibus, etiam virtus quae publice claruerat dissipatur. Sed operae pretium credimus si in his virtutem superni ordinis subtilius perpendamus

[*Vet. X.*] 30. *Deus occulta quorundam mala tolerat, ut quae in aperto faciunt bona, electis prosint.*---Saepe enim omnipotens Deus occulta quorundam mala tolerat, ut aperta eorum bona electorum suorum usibus profutura dispenset. Nam nonnulli mundum nequaquam funditus deserentes, non perseveraturi angustum iter arripiunt, sed ad quaerendam angustam viam exemplo suo eos qui perseveraturi sunt accendunt. Unde plerumque contingit ut ipsum hoc quod bene videntur vivere, non sibi, sed solis potius electis vivant, dum exemplis suis ad bene vivendi studia perseveraturos alios non perseveraturi provocant. Saepe enim quosdam videmus viam ingredi, ad locum propositum festinare, quos alii quia euntes conspiciunt sequuntur; eundemque locum pariter petunt. Sed fit plerumque ut, irruente aliquo implicationis articulo, post se redeant qui praeibant, et hi ad locum perveniant qui sequebantur. Ita nimirum sunt qui non perseveraturi viam sanctitatis arripiunt. Idcirco enim virtutis iter non perventuri inchoant, ut eis qui perventuri sunt qua gradientur ostendant. Quorum etiam casus, utilitate non modica, electorum profectibus servit, quia illorum lapsum dum conspiciunt, de suo statu contremiscunt; et ruina quae illos damnat istos

humiliat. Discunt enim in superni adjutorii protectione confidere, dum plerosque conspiciunt de suis viribus cecidisse. Quando ergo bene agere videntur reprobi, quasi planum iter electis sequentibus monstrant; quando vero in lapsum nequitiae corruunt, electis post se pergentibus quasi cavendam superbiae foveam ostendunt. Erat ergo Leviathan iste, et solis sibi radios subdat, atque aurum luti more subjiciat. Scit omnipotens Deus ad electorum suorum solatium bene uti malo reproborum, quando hi qui ad illum perventuri sunt, et suis ad eum meritis proficiunt, et saepe in eo quod superbe sapiunt, alienis lapsibus corriguntur. Sed si haec Leviathan iste agit in eis etiam quos claros aliqua virtus ostendit, quid de illis facturus est quorum mens vel ex parte aliqua sublevata a terrenis concupiscentiis non est? Quos tamen divinus sermo aperte exprimit, dum subjungit:

CAPUT XVI [*Rec. XIV*].

VERS. 22.---*Fervescere faciet quasi ollam profundum mare.*

31. *In ultima persecutione ira reproborum ebulliet in Sanctos.*---Quid per mare nisi vita saecularium, quid per profundum, nisi altae et abditae eorum cogitationes exprimuntur? Quod profundum mare Leviathan iste quasi ollam facit fervescere, quia nimirum constat, quod persecutionis extremae tempore contra electorum vitam studeat animos reproborum **1131** per flammam crudelitatis excitare. Tunc profundum mare quasi olla fervescit, cum

corda dilectorum saeculi valido ardore succendit, et quae hoc pacis tempore intra suam malitiam clausa latuerunt, tunc in aestum immanissimae persecutionis ebulliunt, ac per abruptam crudelitatis apertae licentiam ea quae diu presserant odia antiqui livoris exhalant. Quia autem pestifero errore persuasi, sic in istis famulantur Antichristo, ut tunc verius praebere se aestiment obsequium Christo, postquam dixit: *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare*, apte subjunxit:

CAPUT XXVII [*Vet. XI*]

IBID.--- *Ponet quasi cum unguenta bulliunt.*

32. *Qui Antichristo contra sanctos militabunt, obsequium Deo praestare credent.*---Unguenta quippe cum bulliunt, fragrantiam suavitatis reddunt. Quia ergo Leviathan iste ita seducet corda reproborum, ut quidquid agunt ex iniquitate perfidiae pro veritate rectae fidei se agere suspicentur, quasi bene eis olet id quod zelo religionis exercent. Unde in Evangelio discipulis Veritas dicit: *Ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo (Joan. XVI, 2)*. Igitur sicut olla fervet, dum crudeliter persequuntur; sed apud eos ipsa persecutio unguentorum fragrantiam redolet, dum mens eorum, vanis suspicionibus decepta, aestimat quia Deo obsequium persolvat. In Scriptura enim sacra unguentorum odoribus opinio solet signari virtutum. Unde sponsa in Canticis canticorum sponsum desiderans dicit: *In odore unguentorum tuorum currimus (Cant. I, 3)*. Et unde Paulus

apostolus virtutum laude fragrare se sciens, ait: *Christi bonus odor sumus Deo (II Cor. II, 15)*. Itaque quia Leviathan iste ministros illius perdit vasis sui in crudelitatis opera sub opinione laudis et praetextu vitututis intercipit, postquam dixit: *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare*, recte mox subdidit: *Ponet quasi cum unguenta bulliunt*. Quod enim per crudelitatis incendium mare fervet, hoc in eorundem iudicio qui excitantur falso nomine virtutis, ac si unguenta bulliant, ostendit, ut tanto atrociores ad crudelitatem fiant, quanto se etiam mereri praemia quasi pro zelo religionis existimant. Justumque hoc est divino iudicio, ut qui pietatatis vim perpendere et custodire negligunt, suspicionis suae odore fallantur. Unde et, ad illusionis augmentum, eos crudelia perpetrantes signa quoque ac prodigia subsequuntur, sicut et recte subiungitur:

CAPUT XVIII [*Vet. XII, Rec. XV*].

VERS. 23.---*Post eum lucebit semita.*

33. *Antichristi semita miraculis lucebit.*---Post Leviathan quippe semita lucere perhibetur, quia quaqua transit, admirationem nimiam ex miraculorum suorum claritate derelinquit; et sive per se, seu per ministros suos quolibet prodeat, mendacibus signis coruscat. Unde et hoc quod jam saepe protulimus in Evangelio Veritas dicit: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Marc. XIII, 22)*. Semita igitur post Leviathan lucet,

quia quorum corda penetrat, eorum opera prodigiis illustrat, ut nimirum tanto altius eorum mentes in erroris tenebris teneat, quanto per eos foris quasi potentius lucem de miraculis ostentat. Sed sunt nonnulli qui in memoria **1132** et verba prophetica, et Evangelica praecepta retinentes, sciant et falsa esse signa quae exhibet, et vera supplicia ad quae decipiens trahit. Horum corda Leviathan iste, quia sanctitatis ostentatione non intercipit, in alia se eis illusionem componit. Quosdam namque haec scientes, sed tamen praesentem vitam diligentes conspiciunt, quorum protinus mentibus ventura supplicia levigant, finienda quandoque districtiois iudicia asserit, et deceptos callide ad praesentes voluptates rapit. Unde et apte mox subditur:

CAPUT XIX [*Rec. XVI*].

IBID.---*Aestimabit abyssum quasi senescentem.*

34. *Poenarum aeternitatem non credunt reprobi, a diabolo in errorem inducti. Eorum falsis rationibus respondetur.*---Quod aeterna incomprehensibiliaque iudicia, abyssi soleant nomine designari, Psalmista testatur dicens: *Judicia tua abyssus multa* (**Psal. XXXV, 7**). Senectus vero aliquando pro finis propinquitate ponitur. Unde Apostolus ait: *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est* (**Hebr. VIII, 13**). Leviathan itaque iste aestimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de venturo iudicio quod quasi finiatur infundat. Abyssum namque senescere aestimat, qui terminari quandoque in suppliciis

supernam animadversionem putat. Igitur antiquus iste persuasor in membris suis, id est in mentibus iniquorum, futuras poenas levigat, quas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino correctionis extendat; et eo magis hic peccata non finiant, quo istic aestimant peccatorum supplicia finienda.

35. Sunt enim nunc etiam qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur. Quibus breviter respondemus: Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo et gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* (**Matth. XXV, 46**). Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At inquiunt: Ideo aeternam poenam peccantibus minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret, quia creaturae suae aeterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: Si falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertionem suam etiam electorum praemia remunerationesque confundunt? Quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur astruere verum non esse, quod Veritas de aeterno igne minata est, et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur praedicare fallacem?

36. *Aeternis poenis addici peccatores quam aequum sit.*---At inquiunt: Sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus, et quod non aeterno peccato commissum est, aeterno non debet puniri tormento. Quibus

citius respondemus quod recte dicerent, si judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare **1133** quam vivere; et ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare, cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quandiu valuit, habere noluit terminum criminis.

[*Vet. XIII.*] 37. *Justi videntes in malorum cruciatibus quae supplicia evaserint, ad Dei laudes excitantur.*---At inquiunt: Nullus justus crudelitatibus pascitur, et delinquens servus a justo domino idcirco caedi praecipitur, ut a nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo caeditur cum non ejus dominus cruciatibus delectatur. Iniqui autem gehennae ignibus traditi quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quod pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri, si non expiantur? Quibus citius respondemus quod omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes aeterno supplicio, e quidem sua iniquitate, puniuntur; et tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut justii omnes et in Deo videant gaudia quae percipiunt, et in istis respiciant supplicia quae evaserunt, ut tanto in aeternum magis divinae gratiae debitores se esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciunt quae ejus adjutorio vitare potuerunt.

38. *Cur sancti pro suis inimicis gehennae addictis amplius non orant.*---At inquiunt: Et ubi est quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orabunt, quibus utique dictum est: *Pro inimicis vestris orate (Matth. V, 44)?* Sed citius respondemus: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam poenitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: *Ut det illis Deus poenitentiam, et resipiscant piscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur, ad ipsius voluntatem (II Tim. II, 25, 26)?* Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando jam nullatenus possunt ad justitiae opera ab iniquitate commutari. Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus aeterno igne damnatis, quae nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo angelisque ejus aeterno supplicio deputatis. Quae nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, qui de eis utique quos aeterno deputatos supplicio jam noverunt ante illum judicis justis conspectum orationis suae meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justis mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando, ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiae vicinius atque arctius inhaerebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo judici inhaerent, vis distractionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius internae regulae subtilitate discordat.

Sed quia, suborto occasionis articulo, haec contra Origenistas breviter diximus, ad eum quem praetermisimus exponendi

ordinem recurramus. **1134** Postquam misericors Dominus callida machinamenta Leviathan istius indicavit, aperte praedicens omne quod electos exterius vehementer opprimit, omne quod interius suggestionem suam reprobis blandienter infundit, mox immanitatem virtutis illius breviter insinuans subdit:

CAPUT XX [*Vet. XIV, Rec. XVII*].

VERS. 24.---*Non est super terram potestas quae comparetur ei.*

39. *Diabolus, amissa felicitate, naturae tamen angelicae magnitudinem servavit.*---Potestas ejus super terram cunctis eminentior perhibetur, quia etsi actionis suae merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturae angelicae conditione transcendit. Quamvis enim internae felicitatis beatitudinem perdidit, naturae tamen suae magnitudinem non amisit, cujus adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorum dejectione subjaceat. Unde et eisdem sanctis contra hunc decertantibus eo retributionis suae meritum crescit, quo ille ab eis vincitur qui per naturae potentiam quasi jure se hominibus superesse gloriatur. Sequitur:

CAPUT XXI.

IBID.---*Qui factus est ut nullum timeret.*

40. *Primus angelus sic conditus, ut Deum caste timeret. Vinxit eum libertas quam appetiit.*---Sic quidem factus est per naturam, ut conditorem suum caste timere debuisset, timore videlicet sobrio et securo; non timore quem foras charitas mittit, sed timore, qui in saeculum saeculi permanet (**I Joan. IV, 18**), id est quem charitas gignit. Aliter enim timet conjugem uxor amans, aliter dominum ancilla peccans. Sic ergo fuerat iste conditus, quatenus timore laeto auctorem suum et amans metueret, et metuens amaret. Sed sua perversitate talis factus est, ut nullum timeret. Ei quippe a quo conditus fuerat subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversae libertatis appetit, ut et praeesset caeteris, et nulli subesset, dicens: *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo (Isai. XIV, 14).* Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim charitatem ejus imitari debuit, subditus ambiit ejus celsitudinem, et hoc quod imitari poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei qui veraciter celsus est, inhaerere voluisset. Celsus esset, si participatione verae celsitudinis contentus fuisset. Sed dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam. Relicto enim eo cui debuit inhaerere principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo qui vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit; et tanto magis infra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit. Nam quem exaltabat libera servitus, dejecit captiva libertas. Qua libertate nunc ut nullum timeat effrenatur, sed ipsa graviter effrenatione restringitur.

Superno enim iudicio cuncta mirabiliter ordinante, vinxit illum libertas quam appetiit, quia nunc omnimodo non timens omnibus suppliciis subjacet, qui elementis etiam superesse poterat, si unum quem debuit timere voluisset. Unum profecto timeret omnia possidens, qui nunc unum non timens omnia patitur.

41. *Dei timorem amisit. Quanto sui damno.*---Factus est ergo ut nullum timeret, nullum videlicet, **1135** quia nec Deum, sed neque hoc quod passurus est metuit. Cui nimirum felicius fuerat timendo vitare supplicia quam non timendo tolerare. Appetitum itaque celsitudinis vertit in rigorem mentis, ut jam per duritiam se male egisse non sentiat, qui praeesse per gloriam quaerebat. Nam quia jus quaesitae potestatis non obtinuit, quasi quoddam superbiae suae remedium insaniam insensibilitatis invenit; et quia provectu transgredi cuncta non potuit, despectu se contra cuncta praeparavit. [*Vet. XV.*] Cujus adhuc superbia studiose describitur, cum protinus subinfertur:

CAPUT XXII.

VERS. 25.---*Omne sublime videt.*

42. *Diaboli ejusque membrorum immensa superbia. Saul propter elationem reprobatus. Davidis in suprema dignitate humilitas.*---Id est, cunctos velut infra se positos quasi de sublimi respicit, quia dum per intentionem contra auctorem nititur, aestimare sibi quemlibet similem dedignatur. Quod apte etiam ejus membris congruit, quia omnes iniqui per

tumorem cordis elati cunctos quos cernunt superbiae fastu despiciunt; et si quando exterius venerantur, intus tamen in secreto cordis, ubi apud se sua aestimatione magni sunt, cunctorum sibi vitam meritumque postponunt, eosque infra se esse respiciunt, quia per elatam cogitationem cordis in cujusdam se altitudinis arce posuerunt. Quibus bene per prophetam dicitur: *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Isai. V, 21)*. Hinc etiam Paulus ait: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos (Rom. XII, 16)*. Hinc ad Saul divina increpatione dicitur: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel (I Reg. XV, 17)*. Parvulus quippe in oculis suis est, qui in eo quod semetipsum considerat, imparem se alienis meritis pensat. Nam quasi grandem se aspicit, quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extendit. Saul autem reprobus in bono quod coeperat non permansit, quia fastu susceptae potestatis intumuit. [*Vet. XVI.*] At contra, David semper de se humilia sentiens, ejusdemque Saul se comparationi postponens, postquam feriendi locum reperit, et pepercit eidem saevienti adversario, humili se professione prostravit, dicens: *Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum, et pulicem unum (I Reg. XXIV, 15)*? Et certe jam unctus in regem fuerat, jam exorante Samuele, et cornu super se oleum fundente didicerat quod eum divina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula possidenda servabat, et tamen persequenti adversario mente humili se substernebat, cui divino iudicio praelatum se esse noverat. Illi itaque se humiliter postponebat quo per electionis gratiam incomparabiliter se noverat esse meliorem. Discant ergo quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc quo loco apud Deum habeantur nesciunt, si sic se electi etiam illius

humiliant, quibus jam se per interna judicia antepositos deprehendunt.

43. *Humilitas electorum propria.*---Hoc autem proprium esse specimen electorum solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc namque ab eodem David dicitur: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam* (**Psal. CXXX, 2**). Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat, dicens: *Si quis est parvulus, veniat ad me* (**Prov. IX, 4**). **1136** Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Confiteor tibi, Domine pater coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (**Matth. XI, 25**). Hinc rursum Psalmista ait: *Custodiens parvulos Dominus* (**Ps. CXIV, 6**). Hinc magister gentium dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestri* (**I Thess. II, 7**). Hinc discipulos admonens, ait: *Superiores sibi invicem arbitrantes* (**Philip. II, 3**). Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cognovit putat, e diverso justus studet ut superiorem quemlibet proximum attendat. Ac ne dum se alii alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem, bene utramque partem admonuit, dicens: *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut in cogitationibus cordis et ego mihi illum praeferam, et vicissim ille me sibi, ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur.

44. *Hanc humilitatis formam reprobi non tenent, sed contemnunt.*---Sed hanc humilitatis formam reprobi, quia Leviathan hujus membra sunt, vel cognoscere, vel tenere contemnunt, quia etsi quando se humiles specie tenus ostendunt, humilitatis vim servare intrinsecus negligunt.

Quibus saepe accidit ut si quando unum quodlibet bonum vel minimum faciant, a malis suis omnibus respectum mentis protinus avertant, atque hoc quod vel extremum bonum fecerint, tota intentione semper inspiciant, et ex eo sese jam quasi sanctos aspiciant, obliti malorum omnium quae commiserunt, unius sui tantummodo boni memores, quod fortasse facere nec perfecte potuerunt, sicut evenire contra electis solet, ut cum multarum virtutum gratia polleant, unum eos vel tenuissimum vitium valde defatigans pulset, quatenus dum ex quadam parte sese infirmari considerant, de his virtutibus in quibus praevalet se minime extollant; dumque de infirmitate trepidant, hoc quoque ubi fortes sunt humiliter servant. Saepe ergo reprobi per hoc quod unum vel minimum bonum suum incaute conspiciunt, mala multa et gravia in quibus demersi sunt non agnoscunt. Et saepe electi per hoc quod ad tenuissimum malum suum infirmari trepidant, mira dispensatione agitur, ut magna bona ad quae provecti sunt, non amittant.

45. *Electos adjuvant mala, reprobis bona nocent. Bono male utitur reprobus, et bene malo probus.*--- Iusti itaque et occulti examinis mensura disponitur, ut et istos mala adjuvent, et illos bona gravent, dum et isti ad provectum boni utuntur levibus malis, et illi ad augmentum mali utuntur minimis bonis. Isti quippe inde perfectius in bono proficiunt, unde de malo tentantur; illi autem inde ad majus malum deficiunt, unde de bono gloriantur. Sic itaque male bono utitur reprobus, et bene malo utitur probus; sicut saepe contingit ut alius ex cibo salutifero inordinate sumpto pestem languoris incurrat; alius, veneno serpentis in medicamine ordinatae confectionis adhibito, languoris molestiam vincat. Ille ergo qui cibo

salutifero uti recte noluit, inde perniciose moritur, unde alii salubriter vivunt; iste autem qui veneno serpentis caute uti studuit, inde salubriter vivit, unde alii perniciose moriuntur. Venenum ergo serpentis **1137** non ipsam nequitiam, sed suggestionem nequitiae dicimus, qua nolentes saepe renitentesque tentamur. Quod tunc in medicamen vertitur cum mens virtutibus erecta conspectis contra se tentationibus humiliatur. Iniqui igitur atque ab approbatione interni examinis reprobi, quaelibet opera faciant, in quibuslibet virtutibus enitescant, humilitatis sensum penitus ignorant, quia nimirum Leviathan hujus membra sunt, de quo superna voce dicitur, [*Rec. XVIII.*] *Omne sublime videt*, quia non solum per semetipsum, sed per eorum quoque corda quos ceperit quasi de sublimi cunctos inferius despicit.

[*Vet. XVII.*] 46. *Superbia per oculos quasi per quasdam fenestras se ostendit.*---Notandum vero quod Leviathan iste, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur, quia videlicet cordis superbia cum exterius usque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, et quo se deprimunt, altius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quasdam se fenestras ostenderet, nequaquam Deo Psalmista dixisset: *Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis (Psal. XVII, 28)*. Nisi se superbia per oculos funderet, Salomon quoque de Judaeae elatione non diceret: *Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebrae ejus in altum subrectae (Prov. XXX, 13)*. Quia ergo per corporeum animal Leviathan iste signatur, et superbia usque ad corpus prodiens apertius oculis principatur, antiquus hostis quasi de sublimi omnes videre describitur. Sed quia multa ad

ostendendum humani generis inimicum prolata sunt, valde mens appetit, ut in fine locutionis dominicae, unum aliquid manifestius exprimatur, unde membra illius brevi nobis designatione monstrentur. Sequitur:

CAPUT XXIII.

IBID.---*Ipse est rex super universos filios superbiae.*

47. *Radix vitiorum et malorum omnium superbia.*---Ut Leviathan iste in cunctis quae superius dicta sunt caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Scriptum est namque: *Omnis peccati initium superbia* (**Eccli. X, 15**). Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem stravit. Eo etenim telo salutem nostrae immortalitatis impetiit, quo vitam suae beatitudinis exstinxit. Sed idcirco hanc Dominus fini suae locutionis inseruit, ut cum post mala omnia Leviathan istius superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quamvis etiam per hoc quod in imo ponitur vitiorum radix esse monstretur. Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi haec mentem in occulto constringeret. Haec est quae Leviathan istius sensum fervere sicut ollam facit. Unde et humanas mentes in quodam fervore insaniae concutit, sed per aperta opera

qualiter concussi animam evertat ostendit. Intus namque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere

[*Vet. XVIII.*] 48. *Non unam tantum virtutem, ut caetera vitia, sed omnes expugnat.*---Sed quia occasio de superbiae disputatione se praebuit, debemus hanc subtilius sollicitiusque discutere, atque ad humanas mentes quanta vel qualis veniat, **1138** et quibus qualiterve subripiat, demonstrare. Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinenciam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animae membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanae gloriae serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit; et quo ditiores quemque ceperit eo in dominio durior exsurgit, quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero ejus in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod, clauso cordis oculo, iudicii aequitatem perdit. Nam cuncta quae ab aliis vel bene geruntur displicent, et sola ei quae ipse vel prave egerit placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur quae ipse facit, quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriae cupiditatem, sibimetipsi favet per cogitationem, et cum se in cunctis transcendere caeteros aestimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam

per ostentationem locutionis effrenetur. Sed tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor* (**Dan. IV, 26**). Hinc per Danielelem dicitur: *In aula Babylonis deambulabat rex, responditque, et ait: Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae, in gloria decoris mei* (**Prov. XVI, 18**)? Sed hunc tumorem quam concita vindicta represserit, illico adjunxit, dicens: *Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de coelo ruit: Tibi dicitur, Nabochodonosor rex: Regnum transiet a te, et ab hominibus te ejicient, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua; fenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te* (**Ibid., 28**). Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia iudicis protinus usque ad sententiam erupit; tantoque hunc districtius perculit, quanto ejus se superbia immoderatus erexit; et quia enumerando bona dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur, audivit.

[*Vet. XIX.*] 49. *Alia ex saecularibus rebus, alia ex spiritualibus oritur elatio. Alia praelatorum superbia, alia subjectorum virtutum mater humilitas. Soli ruinae crescit quod aedificant superbi.*---Sciendum vero est quod ipsa haec de qua tractamus elatio alios ex rebus saecularibus, alios vero ex spiritalibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis et terrenis rebus, alter summis coelestibusque virtutibus; una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Nam cum is qui de terrena prius gloria superbiebat postmodum de sanctitate

extollitur, nequaquam cor ejus elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens, ut cognosci nequeat, vestem mutavit.

1139 50. Sciendum quoque est quod aliter haec praepositos atque aliter subditos tentat. Praelato namque in cogitationibus suggerit quia solo vitae merito super caeteros excrevit; et si qua ab eo bene aliquando gesta sunt, haec importune ejus animo objicit; et cum hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quo facilius suggesta persuadeat, ipsam ad testimonium potestatis traditae retributionem vocat, dicens quia nisi omnipotens Deus te his hominibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset; ejusque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos qui subjecti sunt ostendit, ita ut nullum jam quasi dignum respiciat cui aequanimiter loquatur. Unde et mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderamine reprehendit, tanto effrenatius se in iracundiam dilatat, quanto eos qui sibi commissi sunt esse sibimet indignos putat.

[*Vet. XX.*] 51. At contra cum subjectorum cor superbia instigat, hoc summopere nititur agere, ut sua acta considerare funditus negligant, et semper tacitis cogitationibus rectoris sui judices fiant; qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident. Unde et tanto atrocius pereunt, quanto a se oculos avertunt, quia in hujus vitae itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, nec tamen tantum ut tam noxiae in regimine personae traderentur. Et dum ejus facta despiciunt, dum praecepta contemnunt, ad tantam usque insaniam devolvuntur, ut Deum res humanas curare non aestiment, quia ei qui quasi jure reprehenditur esse

se commissos dolent. Sicque dum contra rectorem superbiunt, etiam contra judicia conditoris intumescunt; et dum pastoris sui vitam dijudicant, ipsam quoque sapientiam omnia disponentis impugnant. Saepe autem rectoris sui dictis proterve obviant, et eandem vocis superbiam libertatem vocant. Sic quippe elatio se quasi pro libertatis rectitudine objicit, sicut saepe se et timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, et tamen tacere se aestimant ex humilitate, ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, et tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem subditi proterva quae sentiunt nequaquam produnt; et hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquam ex sola amaritudine intimi rancoris obmutescunt. Qui, per dolorem mentis procacitatis suae verba subtrahentes, cum male loqui soleant, pejus tacent, quia cum peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando aspere agitur, saepe ad querelae vocem de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cum vero eos magistri sui blande praeveniunt, de hac ipsa humilitate qua praeventi sunt gravius indignantur, et tanto eorum mens vastius accenditur, quanto consideratius infirma judicatur. Hi nimirum, quia humilitatem, quae virtutum mater est, nesciunt, usum laboris sui perdunt, etiamsi qua bona sunt quae operari videantur, quia surgentis fabricae **1140** robusta celsitudo non figitur, quae nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinae crescit quod aedificant, quia ante molem fabricae humilitatis fundamina non procurant. Quos bene ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus.

52. *Imago superbi.*---Cunctis namque superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma; ab obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna; ad ea quae facere et debet et praevalet ignava, ad ea autem quae facere non debet nec praevalet parata. Haec in eo quod sponte non appetit nulla exhortatione flectitur, ad hoc autem quod latenter desiderat quaerit ut cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare.

[*Vet. XXI.*] 53. *Exhortatio ad humilitatem.*---Igitur quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex spiritualibus diximus, audiant illi: *Omnis caro fenum, et gloria ejus sicut flos feni (Isai. XL, 6).* Audiant et isti, quod quibusdam post miracula dicitur: *Nescio vos unde sitis, discedite a me, omnes operarii iniquitatis (Luc. XIII, 27).* Audiant illi: *Divitiae si affluent, nolite cor apponere (Psal. LXI, 11).* Audiant isti quia fatuae virgines, quae cum vacuis vasculis veniunt, ab internis nuptiis excluduntur (**Matth. XXV, 12**). Rursum, quia aliter tentari praelatos, atque aliter subditos praefati sumus, audiant illi quod per quemdam sapientem dicitur: *Ducem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex eis (Eccli. XXXII, 1).* Audiant isti: *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris (Hebr. XIII, 17).* Audiant illi, cum de accepta potestate gloriantur, hoc quod Abrahae voce ardenti diviti dicitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua (Luc.*

XVI, 25). Audiant isti, cum contra rectores suos in querelas prosiliunt, hoc quod murmuranti populo Moysi et Aaron vocibus respondetur: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus (Exod. XVI, 8)?* Audiant illi: *Turbabuntur in conspectu ejus patris orphanorum et judiciis viduarum (Psal. LXVII, 5).* Audiant isti qui contra contumaciam subditorum dicitur: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (Rom. XIII, 2).* Audiant simul omnes: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. IV, 6).* Audiant omnes: *Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum (Prov. XVI, 5, juxta text. Hebr. et LXX).* Audiant omnes: *Quid superbis, terra et cinis (Eccli. X, 9)?* Contra hujus languoris pestem audiamus cuncti quod magistra Veritas docet dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. XI, 29).*

[Vet. XXII.] 54. *Hominem superbum non esse, docet Deus humilis.*---Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostrae suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is qui sine aestimatione **1141** magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostrae superbia praebeuit diaboli, instrumentum redemptionis nostrae inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus.

55. *Quid mortis auctor doceat, quid vitae conditor.*---Sed melius et elationis causam detegimus, et fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis auctor, quid vitae conditor dicat. Ille namque ait: *In coelum ascendam* (**Isa. XIV, 13**); iste autem per Prophetam dicit: *Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit* (**Psal. LXXXVII, 4**). Ille dicit: *Supra astra coeli exaltabo solium meum* (**Isai. XVI, 13**); iste humano generi a paradisi sedibus expulso dicit: *Ecce venio cito, et habitabo in medio tui* (**Zach. II, 10**). Ille dicit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* (**Isai. XIV, 13**); iste dicit: *Ego sum vermis, et non homo, approbrium hominum, et abjectio plebis* (**Psal. XXI, 7**). Ille dicit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (**Isai. XIV, 14**); iste, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (**Philip. II, 6**); et per membra sua loquitur dicens: *Domine, quis similis tibi* (**Psal. XXXIV, 10**)? Ille per membra sua loquitur, dicens: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam* (**Exod. V, 2**). Iste per semetipsum dicit: *Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax; sed novi eum, et sermonem ejus servo* (**Joan. VIII, 55**). Ille dicit: *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (**Ezech. XXIX, 9**); iste dicit: *Non possum a meipso facere quidquam* (**Joan. V, 30**), et rursum: *Pater meus in me manens, ipse facit opera* (**Joan. XIV, 10**). Ille regna omnia ostendens, dicit: *Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa* (**Luc. IV, 6**); iste dicit: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre*

meo (**Matth. XX, 23**). Ille dicit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (**Genes. III, 5**); iste dicit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate* (**Act. I, 7**). Ille ut voluntas divina despici, et ut possit propria suaderi, dicit: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradisi* (**Genes. III, 1**)? Et paulo post: *Scit enim Deus, 1142 quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri* (**Ibid. 5**); iste dicit: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (**Joan. V, 30**). Ille per membra sua loquitur, dicens: *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra; coronemus nos rosis antequam marcescant, ubique relinquamus signa laetitiae nostrae* (**Sap. II, 8**); iste membris suis praenuntiat, dicens: *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit* (**Joan. XVI, 20**). Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet quam celsitudinis culmen appetere, cuncta aequalia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese et contra potentiam conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicitur: *Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt et locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt* (**Psal. LXXII, 6, 7, 8**); iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (**Joan. XII, 26**).

[*Vet. XXIII.*] 56. *Evidentissimum reprobationis signum, superbia; electionis, humilitas.*---Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod evidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas

electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cuius serviat potestate rectoris. Unde et per Evangelium dicitur: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (**Matth. VII, 16**). Ne igitur nos Leviathan istius membra vel mira faciendo fallerent, apertum signum Dominus quo deprehendi valeant demonstravit, dicens: *Ipse est rex super universos filios superbiae*. Qui etsi quando fictam speciem humilitatis assumunt, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt, quia eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, semper pavidī, atque ex omni latere circumspecti, adversum jacula elationis pugnant, et quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

LIBER TRIGESIMUS QUINTUS, ET
ULTIMUS. *In quo per anacephalaeosim multa
jam dicta revocantur, et immensum hoc opus
demississima humanae infirmitatis confessione
absolvitur.*

[*Vet. et Rec. I.*] **1143** 1. *Quid hoc libro sit praestandum.*---
Quia iste ultimus hujus operis liber est, et, locis difficilioribus pertractatis, minus obscura sunt quae supersunt, libet hunc

indulgentius remissiusque transcurrere. Velut emenso enim magno mari, jam littus cernimus, et intentionis nostrae vela deponentes, non eodem quo prius impetu ducimur, sed tamen adhuc ex impulsione pristini flatus imus. Quasi anxietatis nostrae ventus cecidit, sed tamen ejus vis jam seipsa tranquillior usque ad stationem nos littoris impellit. Igitur postquam fideli famulo Dominus Leviathan hostis ejus quam sit et fortis et callidus ostendit, dum vires illius subtiliter fraudesque patefecit, beatus Job ad utraque respondit, dicens:

CAPUT PRIMUM [*Rec. II*].

CAP. XLII, VERS. 2.---*Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.*

2. *Diaboli viribus Dei omnipotentia, machinationibus infinita Sapientia opponitur.*---Contra immanes quippe vires ejus intulit: *Scio quia omnia potes*; contra occultas vero machinationes illius subjunxit: *Et nulla te latet cogitatio.* Unde et mox Leviathan eidem exprobrat, dicens:

VERS. 3.---*Quis est iste qui celat consilium absque scientia?*

Absque scientia enim Leviathan celat consilium; quia quamvis contra infirmitatem nostram multis fraudibus occultetur, protectoris tamen nostri sancta nobis inspiratione detegitur. Absque scientia celat consilium, quia licet tentatos lateat, latere tamen protectorem non potest tentatorum. Igitur audita fortitudine et calliditate diaboli, audita etiam creatoris nostri potentia, quae et illum valenter reprimat, et nos

misericorditer tegit, quaesumus, beate Job, ut quae de temetipso sentis nobis minime occultes. Sequitur:

CAPUT II.

IBID.---*Ideo insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam.*

3. *Quidquid in rebus creatis, Deo comparatur, inane fit et nihil.*---Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, divinae sapientiae comparata, insipientia est. Omnia enim humana, quae justa, quae pulchra sunt, Dei justitiae et pulchritudini comparata, nec justa nec pulchra sunt, nec omnino sunt. Beatus itaque Job ea quae dixerat sapienter se dixisse crederet, si verba superioris sapientiae non audiret. **1144** In cujus comparatione stultum est nostrum omne quod sapit. Et qui sapienter quidem locutus hominibus fuerat, divinas tamen sententias audiens, sapientius se cognoscit non esse sapientem. Hinc est quod Abraham inter verba dominica nil se nisi pulverem vidit, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (**Genes. XVIII, 27**). Hinc est quod Moyses omni Aegyptiorum sapientia instructus, ex quo loquentem Dominum audivit, impeditioris et tardioris linguae se esse deprehendit, dicens: *Obsecro, Domine, non sum eloquens; ab heri enim et nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum* (**Exod. IV, 10**). Hinc est quod Isaias, postquam sedentem Dominum super solium excelsum atque elevatum vidit, postquam seraphim duabus alis faciem, duabus velare

pedes, et duabus volare conspexit, postquam id quod est Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, alterum ad alterum clamare audivit (**Isai. VI**), ad seipsum rediens, ait: *Vae mihi quia tacui, quoniam vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (**Ibid., 5**). Moxque ipsam pollutionem unde cognoverat subdens, ait: *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis* (**Ibid.**). Hinc etiam Jeremias divina verba audiens, verba se non habere cognovit, dicens: *A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (**Jerem. I, 6**). [*Vet. II.*] Hinc Ezechiel loquens de quatuor animalibus, dicit: *Cum fieret vox supra firmamentum, quod erat supra caput eorum, stabant et submittebant alas suas* (**Ezech. I, 25**). Quid enim per volatum animalium, nisi evangelistarum atque doctorum sublimitas designatur? Vel quid sunt alae animalium, nisi sanctorum contemplationes eos ad coelestia sublevantes? Sed cum fit vox supra firmamentum, quod super caput eorum est, stantes submittunt alas suas, quia cum internam vocem supernae sapientiae audiunt, quasi volatus sui alas deponunt, quia videlicet ipsam veritatis altitudinem minus se contemplari posse cognoscunt. Ad vocem ergo desuper venientem alas deponere est cognita superna potentia, virtutes proprias humiliare et consideratione creatoris nil de se aliud quam abjecta sentire. Sancti itaque viri dum divinitatis sententias audiunt, quanto magis contemplando **1145** proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut prope nihil se esse cognoscunt. Respondeat ergo divinis sermonibus beatus Job, et sapienter proficiens, stultum se esse deprehendat, dicens: *Insuper locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam*. Ecce tanto se amplius redarguit, quanto amplius

proficit, et scientiam suam ultra modum excessisse se credidit, quia in verbis Domini plus quam aestimaverat secreta ejus sapientiae agnovit. Sequitur:

CAPUT III [*Rec. III*].

VERS. 4.---*Audi, et ego loquar; interrogabo te, et responde mihi.*

4. *Quid sit hominem interrogare Deum; quidve Deum homini respondere.*---Audire nostrum est sono aliunde venienti aurem alio positam commodare. At contra Deo, cui nil extra est, audire proprie est sub semetipso surgentia desideria nostra percipere. Ad Deum ergo, qui et tacentium corda cognoscit, loqui nostrum est non vocibus gutturis id quod sentimus prodere, sed promptis ad illum desideriis inhiare. Et quia ideo quisque interrogat, ut discere valeat quod ignorat, homini Deum interrogare est in conspectu ejus nescientem se cognoscere. Respondere autem Dei, est eum qui se humiliter nescientem cognoverit occultis inspirationibus erudire. Ait ergo beatus Job: *Audi, et ego loquar.* Ac si diceret: Misericorditer desideria mea percipe, ut dum haec tua pietas percipiens adjuvat, ad te multipliciora consurgant. Bona quippe vota quoties effectum percipiunt, multiplicantur. Unde alias scriptum est: *Ego clamavi, quoniam exaudisti me (Psal. XVI, 6).* Non enim ait: Quia clamavi, exaudisti me; sed *clamavi, quoniam exaudisti me.* Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat: *Interrogabo te, et responde mihi.* Ac si diceret:

Nescientem me ex tuae scientiae contemplatione cognosco. Interroganti igitur responde, id est stultitiam propriam humiliter cognoscentem doce. Quia enim interrogaret ipse ex desiderio humilitatis, et Deum sibi respondere quaereret ex magisterio aspirationis, verbis sequentibus declaratur. Interrogaturum quippe se perhibuit, sed nihil interrogando subjungit. Nam sola de se humilia sentiens, et quae misericorditer a Domino perceperit agnoscens, protinus subdit:

CAPUT IV [*Rec. IV*].

VERS. 5.---*Auditū auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.*

5. *Quantum Job per flagella in Dei et sui cognitione profecerit.*---His nimerum verbis aperte indicat quia quanto visus superior est auditu, tanto differt ab eo quod prius exstitit, et hoc quod postmodum per flagella profecit. Et quia interno oculo veritatis lumen magis conspexerat, humanitatis suae tenebras dijudicans plus videbat. Unde et sequitur:

CAPUT V [*Rec. V*].

VERS. 6.---*Idcirco ipse me reprehendo.*

6. *Quanto se quisque magis videt, sibi magis displicet.*---Quanto enim quisque se minus videt, tanto sibi minus

displicet; et quanto majoris gratiae lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Cum enim intrinsecus sublevatur per omne quod est, ad eam quam super se conspicit regulam congruere nititur. Et quia adhuc humana infirmitas praepedit, cernit quia ei ex non minima parte dissentit; totumque ex se illi onerosum est, quod internae regulae conveniens non est. Quam regulam beatus Job post flagella proficiens amplius suscipit, et a semetipso in magna sui redargutione dissentit, **1146** dicens: *Idcirco ipse me reprehendo*. Sed quia nulla est cognitio reprehensionis, si non sequantur etiam lamenta poenitudinis, recte post reprehensionem subditur:

CAPUT VI.

IBID.---*Et ago poenitentiam in favilla et cinere.*

7. *Vana est nostri cognitio quam non sequitur poenitentia. In cilicio et cinere poenitentiae quid considerandum.*---In favilla etenim et cinere poenitentiam agere est, contemplata summa essentia, nil aliud quam favillam se cineremque cognoscere. Unde et civitati reprobae in Evangelio Dominus dicit: *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* (**Matth. XI, 21**). In cilicio quippe asperitas et punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi ad poenitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, et in favilla cineris perpendamus quid per iudicium

facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa poena vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliae surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit. Potest quoque cilicio ipsa per recordationem atque poenitentiam dolorum punctio designari. Nam hoc quod ait beatus Job: *Ipse me reprehendo*, quasi quodam cilicio pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere autem agit poenitentiam, quia ex primo peccato quid per justum iudicium factus sit solerter attendit, dicens: *Ago poenitentiam in favilla et cinere*. Ac si aperte dicat: De nullo auctoris mei dono superbio, quia sumptus ex pulvere, per illatae mortis sententiam ad pulverem me redire cognosco.

[*Vet. III.*] 8. *Dei de Job et amicis ejus iudicium.*---Auditis igitur cunctis sermonibus Job, cognitis etiam responsionibus amicorum, libet ad interni iudicis sententiam spectationem mentis nostrae convertere, eique dicere: Ecce, Domine, utrasque in conspectu tuo disserentium partes audivimus, et Job quidem in hoc certamine virtutis suae facta revolvere, et amicos ejus contra eum cognovimus tuae justitiae gloriam defensare. Inter haec autem quid nostra mens sentiat agnoscis. Neque enim possumus eorum nos dicta reprehendere, quos defensionem tuae cognoscimus deservire. Sed ecce assistunt partes, exspectant sententiam; profer ergo, Domine, ex invisibili regula subtilissimum tuae discretionis examen, et quis in contentione ista sit rectius locutus ostende. Sequitur:

VERS.---*Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te,*

et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

9. *Ille absolvitur, condemnantur illi. Cur?---*O Domine, iudicii tui sententia indicat quantum a luce tuae rectitudinis caecitas nostra discordat. Ecce te iudice beatum Job victorem esse cognoscimus, quem in te peccasse loquendo credebamus. Te iudice addicti sunt, qui beati Job se merita transcendere pro te loquendo crediderunt. Quia igitur ex divina sententia quid de partibus aestimemus agnovimus, nunc ejusdem sententiae paulo subtilius verba pensemus. Quomodo enim superius beatus Job reprehenditur, si in comparatione ejus rectitudinis amici illius nequaquam **1147** coram Domino locuti rectum memorantur? An adhuc illa de eo sententia confirmatur, qua antiquo hosti dicitur: *Vidisti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram (Job. I, 8)*. Sed quid est hoc, quod et laudatur hosti, et in seipso reprehenditur: in seipso autem reprehenditur, et tamen amicis loquentibus antefertur, nisi quod sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute transcendit; sed eo ipso quod homo fuit, ante Dei oculos sine reprehensione esse non potuit? In sancto quippe homine in hac interim vita commorante, divini examinis regula habet adhuc quod judicet, quamvis jam ex comparatione caeterorum hominum habeat quod laudet. Beatus igitur Job pro culpa se credidit, et non pro gratia, flagellari; resecari in se aestimavit vitia, non autem merita augeri. Et in eo reprehenditur, quod intentionem flagelli fuisse aliam suspicatur, et tamen amicis resistentibus interni iudicii definitione praelatus est. [*Vet IV.*] Unde aperte colligitur quantae justitiae fuerit in eo quod contra amicorum verba innocentiam suae operationis astruxit, qui divino iudicio etiam ipsis ejusdem divini iudicii

defensoribus antefertur. In exordio autem libri hujus agnovimus quia de illo Satan Domino dixerat: *Mitte manum tuam, et tange eum, et vide si non in faciem benedicat tibi (Job. II, 5)*. Ad quam petitionem beatus Job damnis, orbitate, vulneribus et verborum scandalis tangi permittitur, quia videlicet certus qui eum laudaverat exstitit quod nequaquam juxta assertionem diaboli sanctus vir in maledictionis culpam laberetur. Sicut ergo et superius diximus, quisquis beatum Job in locutione sua aestimat post flagella peccasse, aperte Dominum judicat in sua assertione perdidisse. Et quamvis Dominus ad diabolum loquens, bona illius praesentia praetulit, non autem ejus perseverantiam spopondit, sciendum tamen est quia nequaquam ejus justitiam permittendo tentari praetulisset, si eum justum in tentatione persistere non posse praevideret. Permisso itaque divinitus in ejus tentatione diabolo, quisquis eum in tentatione succubuisse existimat, ignorantiam permittentis accusat.

10. *Alia Dei, alia hominum judicia.*---Approbemus igitur in dictis suis veraciter Job, ne Deum in sua providentia nequiter accusemus. Et quidem quantum ad humana judicia, in verbis suis amici ejus multa illo rectius dixisse crederentur; sed veritas aliam ex occulto regulam proferens, ait: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job*. Coram me, ait, id est intus, ubi saepe multorum vita displicet, quae etiam foris hominibus placet. Unde caute nimis in laudem justorum conjugum dictum est: *Erant justi ambo ante Deum (Luc. I, 6)*. Non enim segura laus est, justos ante homines apparere. Saepe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat; sed hunc omnipotens Deus, qui quasi ex se approbatur, ignorat. Hinc est enim quod Psalmista vigilanter

exorat, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam (Psal. V, 9).* 1148 Nimirum quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur etiam quae a veritatis itinere depravatur. Et notandum quod non dicitur: Non estis locuti coram me rectum sicut Job, sed, sicut servus meus Job, ut videlicet interpositione servitutis, dum eum quasi sub quadam peculiaritate commemorat, cuncta quae in defensione sua dixerat, quia non contumaci superbia, sed humili veritate dixerit ostendat. [*Vet. V.*] Sed quia justus est et misericors Deus, amicos ejus et per justitiam districte redarguit, et per misericordiam benigne convertit. Nam sequitur:

CAPUT VIII [*Rec. VII*].

VERS. 8.---*Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

11. *Deus amicos Job per justitiam redarguit, et per misericordiam convertit.*---Ecce justus et misericors Deus nec culpas sine increpatione deserit, nec reatum sine conversione derelinquit. Quia enim internus est medicus, primo putredinem vulneris innotuit, et post remedia consequendae salutis indicavit. Saepe autem jam diximus quod amici beati Job haereticorum speciem teneant, qui Deum dum defendere nituntur offendunt, quoniam in dictis suis veritati rebelles sunt, cui famulari se in falsa assertione suspicantur. Quia igitur omnipotens Deus saepe illos corpori sanctae Ecclesiae

per cognitionem veritatis inviscerat, bene ipsa quoque eorum conversio, quae saepe misericorditer agitur, per hanc veniam quam amici Job percipiunt designantur.

12. *Haeretici per sacrificium a se oblatum, Deum placare nequeunt. Reconciliari non possunt nisi per Ecclesiam.*--- Notandum vero magnopere est quod conversionis suae sacrificium Domino non per se, sed per Job jubentur offerre. Nimirum haeretici cum ab errore redeunt, erga se iram Domini suo per se oblato sacrificio placare nequaquam possunt, nisi ad catholicam Ecclesiam, quam beatus Job significat, convertantur, ut salutem suam ejus precibus obtineant, cujus fidem perversis assertionibus impugnabant. Ait enim: *Job servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Ac si aperte haereticis dicat: Sacrificia vestra non accipio, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius, cujus professionis verba de me veracia recognosco. Et vos quidem tauros atque arietes ad exhibenda sacrificia conversionis vestrae deducite, sed a me salutem vestram per catholicam Ecclesiam, quam diligo, postulate. Ipsi enim volo dimittere id quod mihi in ipsa deliquistis, ut haec vestram incolumitatem obtineat, quae ex vestro languore laborabat.

[*Vet. VI.*] 13. *Ecclesiae praerogativae.*---Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat (**24, q. 1, c. 22, § Sola quippe**), sola quae pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus praecepit, dicens: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras* (**Exod. XII, 46**). In una namque domo agnus comeditur, quia in una catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. **1149** De cujus carnibus divina lex efferri foras

prohibet, quia dari sanctum canibus vetat (**Matth. VII, 6**). Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur, unde et mercedem denarii non nisi qui intra vineam laboraverant acceperunt (**Matth. XX, 8**). Sola est quae intra se positos valida charitas compage custodit. Unde et aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra arcam invenit exstinxit (**Genss. VII, 20, 21, seq.**). Sola est in qua superna mysteria veraciter contemblemur. Unde et ad Moysen Dominus dicit.: *Est locus apud me, et stabis supra petram* (**Exod. XXXIII, 21**). Et paulo post: *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea* (**Ibid., XXIII, 24**). Quia enim ex sola catholica Ecclesia veritas conspicitur (**Q. 1, c. 22**), apud se esse locum Dominus perhibet de quo videatur. In petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam praesentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (**Matth. XVI, 18**). Quid est ergo hoc loco dicere ad amicos Job: *Ite ad Job*, nisi petram ascendite? Quid est, *Faciem ejus pro vobis suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia*, nisi id quod illic dicitur: *Posteriora mea videbis* (**Exod. XXXIII, 23**)? id est, ejus quae postmodum futura est mysteria incarnationis intelliges.

14. *Haereticis ut ad Ecclesiam redeant quid praestandum.*--- Haeretici autem pro eo quod in petra stare contemnunt, transeuntis Domini posteriora non aspiciunt, quia extra Ecclesiam positi, incarnationis ejus, sicut sunt, mysteria non agnoscunt. Sicut autem et superius diximus, per tauros cervix superbiae, per arietes vero ducatus exprimitur, qui ab haereticis, persuasis plebibus, quasi seductis gregibus, agitur.

De haereticis namque superbientibus dicitur, qui infirmorum mentes male suadendo corrumpunt: *Concilium taurorum inter vaccas populorum* (**Psal. LXVII, 31**). Et quia sequentes se populos velut greges trahunt, arietes aliquando nominantur. Gregem scilicet arietes ducunt. Unde per increpationem Jeremias ait: *Principes tui velut arietes* (**Thren. I, 6**). Quia igitur haeretici cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, superbiae elationem deserunt, et nequaquam jam quasi sequentes greges populorum cuneos ad interitum ducunt, amici beati Job offerre tauros et arietes jubentur. Tauros enim et arietes offerre in sacrificio est superbum ducatum conversionis humilitate mactare, ut edomita cervice superbiae discant obediendo sequi, qui dudum docendo praeire conabantur. Recte quoque eorum haec superbia septem sacrificiis expiatur, quia haeretici ad Ecclesiam revertentes per humilitatis hostiam dona Spiritus gratiae septiformis accipiunt, ut qui elationis suae vetustate tabuerant, novitate gratiae reformentur.

15. *Septenarius numerus perfectus. Quid significet? Perfectionem aeternitatis, vitae praesentis tempus, Ecclesiae universitatem.*---Septenarius autem numerus apud sapientes huius saeculi quadam sua habetur ratione perfectus, quod ex primo pari et ex primo impari consummatur. Primus enim impar ternarius est, primusque par quaternarius. Ex quibus duobus septenarius constat, qui eisdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Nam sive tres per quatuor, seu quatuor per tres ducimus, ad duodenarium pervenimus. Sed nos quia a superno munere veritatis praedicamenta percipimus, haec fixa scientiae altitudine despiciendo calcamus, hoc procul dubio **1150** inconcussa fide retinentes, quia quos Spiritus gratiae septiformis repleverit

perficit, eisque non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiae, temperantiae, fortitudinis atque iustitiae operationem praebet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur suis quodammodo partibus augetur, dum et per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur, et per operationem virtutum quatuor usque ad manifestam Trinitatis speciem pervenitur. Et apud nos ergo septenarius perfectus est, sed longe dissimiliter, quia plene et non inaniter in duodenarium surgit, dum et per fidem opera, et rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque apostoli gratiae septiformis Spiritu implendi, duodecim sunt electi. In quatuor enim mundi partibus Trinitatem, quae Deus est, innotescere mittebantur. Duodecim ergo electi sunt ut etiam ex ipsius numeri ratione causa claresceret quod per quatuor infima tria summa praedicarent.

16. Sive itaque hac, seu alia qualibet fortasse ratione, in Scriptura tamen sacra septenario numero aliquando secura requies aeternitatis, aliquando universitas praesentis hujus temporis, aliquando autem sanctae Ecclesiae universitas designatur. Septenario quippe numero perfectio aeternitatis innuitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur (**Genes. II, 2**). Cui jam vespera inesse non dicitur, quia aeternae beatitudinis requies nullo termino coarctatur. Hinc est etiam quod lege data dies septimus feriatu esse praecipitur (**Exod. XX, 11**), ut aeterna per illum requies designetur. Hinc est quod in annorum curriculo septenarius numerus septies multiplicatus, monade addita, ad quinquagenarium ducitur, ut perpetuam beatitudinem signans jubilaei sacratissima requies observetur (**Levit. XXV, 8, 9**). Hinc est quod resurgens Dominus et

frequenter apparens (**Joan. XXI**), ultimo jam convivio cum septem discipulis comedisse describitur, quia hi qui in illo nunc perfecti sunt, aeterna per illum refectione satiantur.

[*Vet. VII.*] 17. Rursum per septenarium numerum haec universitas temporalitatis accipitur. Hinc est enim quod per septem dies hoc totum vitae praesentis tempus evolvitur. Hinc est quod in typo sanctae Ecclesiae, quae omni tempore hunc mundum praedicando circuit, arca Domini tubis clangentibus muros Jericho diebus septem circumacta confregit (**Josue. VI, 20**). Hinc Propheta ait: *Septies in die laudem dixi tibi* (**Psal. CXVIII, 164**). Quod ipse rursum pro toto atque universo suae deprecationis tempore se dixisse significans, ait: *Semper laus ejus in ore meo* (**Psal. XXXIII, 1**). Quod vero per septenarium numerum praesentis vitae universitas designatur, tunc magis ostenditur, cum post eum quoque etiam octonarius subinfertur. Septenarium quippe cum adhuc alius sequitur, ex ipso ejus augmento exprimitur quod finienda temporalitas aeternitate concludatur. Hinc est enim quod Salomon admonet, dicens: *Da partes septem, necnon et octo* (**Eccle. XI, 2**). Per septenarium quippe numerum hoc quod septem diebus agitur praesens tempus expressit; per octonarium vero vitam perpetuam designavit, quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit. Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est Sabbatum sequitur, **1151** a conditione octavus invenitur. Bene autem dicitur: *Da partes septem, necnon et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram* (**Ibid.**). Ac si aperte diceretur: Sic dispensa temporalia, ut appetere non obliviscaris aeterna. Oportet namque ut in posterum bene agendo provideas, qui de venturo iudicio quanta tribulatio sequatur ignoras. Hinc est quod

quindecim gradibus templum ascenditur, ut ex ipsa ejus ascensione discatur quatenus per septem et octo et temporalis sollicite dispensetur actio, et provide mansio aeterna requiratur. Hinc est etiam quod dum monas in denarium surgit, centum quinquaginta psalmos Propheta cecinit. Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium vero aeterna signantem, super centum viginti fideles in coenaculo residentes Spiritus sanctus effusus est (**Act. II**). Per septem quippe et octo quindecim componuntur, et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vigesimum numerum pervenimus. Qua scilicet effusione Spiritus sancti didicerunt ut et temporalia tolerando transirent, et aeterna inhianter appeterent.

18. Rursum septenario numero sanctae Ecclesiae universitas designatur. Unde Joannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribit (**Apoc. I, 4**); sed per eas quid aliud quam universalem Ecclesiam intelligi voluit? Quae nimirum universalis Ecclesia ut plena septiformis gratiae Spiritu signaretur, Eliseus super puerum mortuum septies inspirasse describitur. (**IV Reg. IV, 34**). Super extinctum quippe populum Dominus veniens quasi septies oscitat, quia ei dona Spiritus septiformis gratiae misericorditer tribuit. Quia igitur saepe septenario numero sanctae Ecclesiae universitas figuratur, veniant ad beatum Job amici illius, et jussum divinitus offerant holocaustum. Sed vigilanter omnino septenarii numeri arcana custodiant, ut videlicet hi qui extra sunt positi prius se universitati sanctae Ecclesiae misceant, et tunc demum veniam de reatu pristinae elationis exquirant. Pro culpa sua septem sacrificia offerant, quia reatus sui ablutionem non accipiunt, nisi gratiae

septiformis Spiritu universali paci a qua excisi fuerant aggregentur. Dicatur igitur: *Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerite holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Ac si haereticis redeuntibus aperte diceretur: Universali vos Ecclesiae per humilitatem poenitentiae jungite, atque eam qua per vosmetipsos digni non estis veniam ejus a me precibus obtinete, qui cum per hanc veraciter sapere discitis, priores apud me vestrae sapientiae stultitiam deletis. Sequitur:

CAPUT IX [*Vet. VIII*].

VERS. 8.---*Neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Job.*

19. *Sententiae iteratio in sacris litteris ejus immutabilitatis est argumentum.*---Haec paulo ante jam Dominus protulit, et tamen haec eadem iterando subjungit. Quid est hoc, nisi quod sententiam, quam semel judicando dixerat, iterum replicando confirmat? atque ut manifestius beati Job justitia amicorumque ejus injustitia demonstretur, ejus laus illorumque reprehensio iterata voce depromitur, ut replicata foris appareant quam fixa intus habeantur. Namque **1152** cum rex Aegypti metuenda venturae famis tempora sub boum spicarumque specie gemina visione cognovisset, voce sancti interpretis audivit: *Quod vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est* (**Genes. XLI, 32**).

Qua ex re aperte colligitur quia quidquid in eloquio divino repetitur, robustius confirmatur. Sed quia quid iudex decrevit audivimus, addicti quoque quid faciant audiamus. Sequitur:

CAPUT X.

VERS. 9.---*Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, et suscepit Dominus faciem Job.*

20. *Ordo veniae.*---Horum interpretationem nominum idcirco reticemus, quia in hujus operis exordio de ea nos latius disseruisse meminimus. Intuendum vero est quia ita caute, sicut praedictum fuerat, ordo acceptae veniae custoditur, ut in sacrificiis Dominus non illorum, sed beati Job faciem suscepisse referatur. Sed quia quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur, recte subjungitur:

CAPUT XI.

VERS. 10.---*Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Job, cum oraret pro amicis suis.*

21. *Citius pro nobis orantes exaudimur, si oratio nostra proximi et maxime adversarii dilectione conditur.*---Jam

enim superius pro amicis suis exauditus ostenditur, cum factum quod praediximus memoratur: *Fecerunt sicut locutus fuerat ad eos Dominus, et suscepit Dominus faciem Job*. Sed cum protinus subinfertur: *Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Job, cum oraret pro amicis suis*, aperte ostenditur quia etiam pro semetipso poenitens tanto citius exaudiri meruit, quanto devote pro aliis intercessit. Plus enim pro se valere preces suas efficit, qui has et pro aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro adversariis impendat. Hinc est enim quod magistra Veritas dicit: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (**Luc. VI, 28**). Hinc rursum ait: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in coelis est dimittat vobis peccata vestra* (**Marc. XI, 25**). Quantum vero pro se obtinuit, qui pro aliis intervenit, illico demonstratur, cum subditur:

CAPUT XII [*Rec. VIII*].

Ibid.---Addidit Dominus omnia quaecunque fuerant Job duplicia.

22. *Juxta afflictionis pondus disponitur mensura consolationis.*---Cuncta quae amiserat duplicia recepit, quia per pietatem benigni iudicis tentationis nostrae dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus autem tentat probatio quam remuneratio consolatur, ut ex

retributionis merito leve fuisse quod toleravit agnoscat, qui ex percussione pondere grave se aliquid tolerare judicabat. Unde afflictæ quoque Judææ dicitur: *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te* (**Isai. LIV, 7**). Aliquando vero juxta afflictionis pondus disponitur mensura consolationis. Unde alias scriptum est: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ laetificaverunt animam meam* (**Psal. XCIII, 19**). In ea enim mensura consolatum se in qua afflictus fuerat indicat, qui laetificatum se secundum multitudinem dolorum clamat. Non autem minime lector instruitur, si ipsum remunerationis ordinem contempletur. Excessum quippe correctio, correctionem poenitentia, poenitentiam venia, **1153** veniam vero munera subsequuntur. Sed quia, divinae dispensationis permissione percussus, etiam amicorum verbis afflictus est, divinae pietatis muneribus consolatus, etiam humana debet charitate refoveri; ut undique ei consolationis gaudia respondeant, quem undique dolorum tristitia et adversa lacerabant. Unde et subditur:

CAPUT XIII.

VERS. 11. *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universae sorores suae, et cuncti qui noverant eum prius; et comederunt cum eo panem in domo ejus, et moverunt super eum caput.*

23. *Non solum divinae, sed etiam humanae.*---Quid in comestione panis nisi charitas, quid vero motione capitis, nisi admiratio designatur? Bene autem subditur:

IBID.---*Et consolati sunt eum super omne malum, quod intulerat Dominus super eum.*

Percussi enim moerorem consolari est ei post percussione de venia congaudere. Nam quanto quisque de restituta proximi salute cernitur hilarescere, tanto se indicat de ablata doluisse.

CAPUT XIV [*Rec. IX*].

IBID.---*Et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam.*

24. *Ecclesia receptura est aliquando duplicia.*---Licet cuncta haec juxta historiam veraciter dicta sint, ipsis tamen oblatis muneribus cogimur ut ad allegoriae mysterium recurramus. Neque enim otiose debemus accipere quod ovem, quod unam, quod inaurem auream obtulere, quod unam. Et si fortasse juxta litteram mirum non est ovis oblata cur una, valde tamen mirum est inauris oblata cur una. Quid vero aut ovis ad inaurem pertinet, aut quid inauris ad ovem? Ex ipso ergo munerum fine compellimur ut priora quoque, quae superficie tenus juxta solam historiam contingendo transcurramus, in allegoriae mysteriis indagemus. Quia igitur Christus et Ecclesia, id est caput et corpus una persona est, saepe beatum

Job diximus modo capitis, modo figuram corporis designare [*Vet. IX*]. Servata ergo historiae veritate, sub typo gestum sanctae Ecclesiae sentiamus id quod scriptum est: *Addidit Dominus omnia quaecunque fuerant Job duplicia*. Sancta quippe Ecclesia etsi multos nunc percussione tentationis amittit, in fine tamen hujus saeculi ea quae sua sunt duplicia recipit, quando susceptis ad plenum gentibus, ad ejus fidem currere omnis quae tunc inventa fuerit, etiam Judaea consentit. Hinc namque scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (**Rom. XI, 25**). Hinc in Evangelio quoque Veritas dicit: *Elias veniet, et ille restituet omnia* (**Matth. XVII, 11**). Nunc enim amisit Israelitas Ecclesia, quos convertere praedicando non valuit, sed tunc Elia praedicante, dum quotquot invenerit colligit, velut plenius recipit quod amisit.

25. *Ante resurrectionem sancti singulas stolas accipiunt, binas post resurrectionem.*---Vel certe sanctae Ecclesiae in fine suo duplum recipere est in singulis nobis et de beatitudine animae, et de carnis incorruptione gaudere. Hinc est enim quod per prophetam de electis dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt* (**Isai. LXI, 7**). Hinc est enim quod Joannes apostolus de sanctis finem mundi quaerentibus dicit: *Data sunt illis singulae stolae albae, et dictum est eis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conservorum et fratrum eorum* (**Apoc. VI, 11**). Sicut enim longe superius diximus (**scilicet praefationis, c. 10, n. 20**), ante resurrectionem sancti singulas **1154** stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur; in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt.

26. *Conversio Judaeorum in fine mundi praenuntiata.*---Sed ea quae subnexa sunt, in fine magis hujus saeculi conversionem se Judaici populi nuntiare testantur. Nam subditur: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universae sorores suae, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus.* Tunc quippe fratres sui ac sorores ad Christum veniunt, quando ex plebe Judaica quotquot invecti fuerint convertuntur. Ex illo enim populo carnis materiam sumpsit. Tunc ergo ad eum fratres ac sorores accedunt, quando ex ea plebe quae ei per cognationem juncta est, vel qui fortes futuri sunt, velut fratres, vel infirmi, velut sorores, ad eum per cognitionem fidei devota gratulatione concurrunt. Tunc apud eum celeberrimae festivitatis convivium exhibent, quando eum jam nequaquam quasi purum hominem contemnentes, propinquitatis suae memores, divinitati se ejus inhaerere congaudent. Tunc in domo ejus panem comedunt, cum, postposita observatione subjacentis litterae, in sancta Ecclesia mystici eloquii quasi frugis medulla pascuntur [*Vet. X*]. Bene autem subjungitur: *Cuncti qui noverant eum prius.* Prius quippe noverant, quem in passione sua quasi incognitum contempserunt. Nam nasciturum Christum nullus qui plene legem didicit ignoravit. Unde et Herodes rex, magorum occursione perterritus, sacerdotes et principes studuit solerter inquirere ubi Christum nasciturum esse praescirent; cui protinus responderunt: *In Bethleem Judae* (**Matth. II, 5**). Prius ergo noverant quem passionis suae tempore dum despicerent ignorabant. Quorum et notitia prior, et ignorantia posterior bene ac breviter Isaac caligante signatur. Qui dum Jacob benediceret, et quid eveniret in futuro praevidebat, et quis illi praesens assisteret nesciebat (**Genes. XXVII**). Sic quippe Israelitarum populus

fuit, qui prophetiae mysteria accepit, sed tamen caecos in contemplatione oculos habuit, quia eum praesentem non vidit, de quo tam multa in futuro praevidit. Ante se enim positum nequaquam cernere valuit, cujus adventus potentiam longe ante nuntiavit. Sed ecce in fine mundi veniunt, et eum quem prius noverant recognoscunt. Ecce in domo ejus panem comedunt; quia in sancta Ecclesia sacri eloquii fruge pascuntur, et omnem insensibilitatem pristini torporis excutiunt. Unde et subditur: *Et moverunt super eum caput*. Quid enim in capite, nisi principale mentis accipitur? sicut per Psalmistam dicitur: *Impinguasti in oleo caput meum (Psal. XXII, 5)*. Ac si aperte diceretur: Arentem in suis cogitationibus mentem meam charitatis unctione rigasti. Caput ergo movetur, cum, per formidinem veritatis tacta, ab insensibilitate sua mens quatitur. Veniant ergo parentes ad convivium, atque excusso torpore moveant caput, id est hi qui Redemptori nostro carne conjuncti fuerant refectionem quandoque verbi in fide percipiant, et insensibilitatis pristinae duritiam amittant. Unde bene per Habacuc dicitur: *Pedes ejus steterunt, et mota est terra (Habac. III, 5)*. Stante enim Domino terra procul dubio movetur, quia cum **1155** cordi nostro timoris sui vestigia imprimit, cuncta in nobis cogitatio terrena contremiscit. Hoc taque loco caput movere est immobilitatem mentis excutere, et ad cognitionem fidei credulitatis gressibus propinquare.

27. *Quanta ex eorum conversione Ecclesiae consolatio. Quae conversi, Christo debeant offerre.*---Sed quia sancta Ecclesia nunc Hebraeorum aversione afficitur, et tunc conversione relevatur, recte subjungitur [*Vet. XI*]: *Et consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super*

eum. Consolantur videlicet Christum, consolantur Ecclesiam, qui ab infidelitatis pristinae errore resipiscunt, et pravitatem vitae, per quam recta docentibus repugnauerant, deserunt. Annon gravis moeror est duris cordibus infructuose praedicare, laborem in ostendenda veritate sumere, sed nullum de conversione audientium fructum laboris invenire? At contra, magna praedicatorum consolatio est subsequens profectus auditorum. Relevatio quippe docentis est immutatio proficientis. Et notandum quod in flagello positum consolari noluerunt, sed ad consolandum eum post flagellum veniunt, quia nimirum passionis ejus tempore Hebraei, praedicamenta fidei contemnentes, quem hominem ex morte probaverant Deum credere despexerunt. Unde per Psalmistam Dominus dicit: *Sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit; consolantem me quaesivi, et non inveni* (**Psal. LXVIII, 21**). Consolantem quippe in passione minime invenit, quia in despectu mortis etiam ipsos hostes pertulit, pro quibus ad mortem venit. Post flagella ergo propinqui ad consolationem veniunt, quia in membris suis nunc quoque Dominus patitur; sed extremo tempore Israelitae omnes ad fidem, cognita Eliae praedicatione, concurrunt, atque ad ejus protectionem quem fugerant redeunt, et tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum convivium celebratur. Tunc post flagella quasi Job sanus ostenditur, quando a conversis atque credentibus post passionem suam ac resurrectionem Dominus in coelis immortalis vivere per certitudinem fidei scitur. Tunc quasi remuneratus Job cernitur, quando in majestatis suae potentia sicut est Deus creditur, et ejus fidei subjici hi qui prius restiterant videntur. In fine igitur mundi credentes Hebraei conveniant, et humani generis redemptori in potentia divinitatis quasi sano Job oblationem suarum vota

persolvant [*Vet. XII*]. Unde et bene subditur: *Et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam*. Quid per ovem nisi innocentia, quid per inaurem nisi obedientia designatur? Per ovem quippe simplex animus, per inaurem vero ornatus humilitatis gratia auditus exprimitur.

[*Rec. X.*] 28. *Obedientiae commendatio. Obedientia usque ad mortem servanda.*---Sed quia ad ostendendam virtutem obedientiae occasio opportuna se praebuit, libet hanc paulo vigilantius sollicitiusque discutere, et quanti sit meriti demonstrare. Sola namque virtus est obedientia quae virtutes caeteras menti inserit, insertasque custodit. Unde et primus homo praeceptum quod servaret accepit (**Genes. II, 1**), cui se si vellet obediens subdere, ad aeternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc Samuel ait: *Melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere* (**I Reg. XV, 22**). Obedientia quippe victimis jure praeponitur (**8, q. 1. can. sciendum, § Obedientia**), quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero **1156** voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia, gladio praecepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientia demonstretur. Ex adverso igitur melius ostenditur, quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere, sola est quae fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiae dicitur: *Vir obediens loquitur victorias* (**Prov. XXI, 28**). Vir

quippe obediens victorias loquitur, quia dum alienae voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Evangelio Veritas dicit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras, quia de coelo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (**Joan. VI, 37**). Quid enim? si suam faceret eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas Filii a Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudio exivit (**Genes. III, 24**), secundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem se Patris et non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non ejicit, quia dum exemplo suo nos obedientiae subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio* (**Joan. V, 30**) *judico*. Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda praecipitur. Ipse autem si sicut audit judicat, tunc quoque obedit, cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad praesentis vitae terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc etiam cum judex venerit servat. Quid ergo mirum si homo peccator se obedientiae in praesentis vitae brevitate subjicit (**11, q. 3, c. Quid ergo**), quando hanc mediator Dei et hominum et cum obediens remunerat, non relinquit?

[*Vet. XIII.*] 19. *Malum nunquam fieri debet per obedientiam, sed bonum aliquando intermitteri.*---Sciendum vero est quod nunquam per obedientiam malum fieri aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitteri. Neque enim mala in paradiso arbor exstitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit (**Genes. II**). Sed ut melius per

obedientiae meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut etiam a bono prohiberetur, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto et a bono cessans, auctori suo se subditum humiliter exhiberet. Sed notandum quod illic dicitur: *Ex omni ligno paradisi comedite, de ligno autem scientiae boni et mali ne tetigeritis (Ibid., 16)*. Qui enim ab uno quolibet bono subjectos vetat, necesse est ut multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus penitus repulsa jejumat. Omnes autem paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cum ab una prohibuit, ut creaturam suam, quam nolebat extinguere, sed provehi, tanto facilius ab una restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.

30. *Quando nullius meriti sit obedientia, quando minimi.*--- Sed quia nonnunquam nobis huius mundi prospera, nonnunquam vero jubentur adversa, sciendum summopere est quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima (**8, q. 1, c. Sciendum**). Nam cum huius mundi successus praecipitur, **1157** cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda haec obedit, obedientiae sibi virtutem evacuat, si ad haec etiam ex proprio, desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitae prospera libidini propriae ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus praecipitur, cum probra adipisci et contumeliae jubentur, nisi ex seipso animus haec appetat, obedientiae sibi meritum minuit, quia ad ea quae in hac vita despecta sunt invitus nolensque descendit. Ad detrimenta quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius saeculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum

in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus et in adversis tanto sit gloriosior quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, et in prosperis tanto sit verior quanto a praesenti ipsa quam divinitus percipit gloria funditus ex mente separatur.

31. *Subeunda prospera ex sola jussione, adversa vero etiam ex devotione, docemur exemplo Mosis et Pauli.*---Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si coelestis patriae duorum hominum facta memoremus. Moyses namque cum in deserto oves pasceret, a Domino per angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendae omni Israelitarum multitudini praesset (**Exod. III**). Sed quia apud se mente humilis exstitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Obsecro, Domine, non sum eloquens; ab heri et nudiustertius ex quo coepisti loqui ad servum tuum, tardioris et impeditioris linguae sum factus* (**Ibid. IV, 10**). Et, se postposito, alium deposcit, dicens: *Mitte quem missurus es* (**Ibid. 13**). Ecce cum auctore linguae loquitur, et ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat ut in Jerusalem debuisset ascendere admonitus, sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam, assumpto Barnaba et Tito; ascendi autem secundum revelationem* (**Galat. II, 1**). Isque in itinere cum prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas in Jerosolymis maneret audivit (**Act. XXI**). Scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum cujus haec zona est sic alligabunt in Jerusalem* (**Ibid., 11**). A Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem*

paratus sum pro nomine Jesu, neque enim pretiosiore facio animam meam quam me (Ibid., 13). Praeceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens, adversa cognoscit, et tamen haec libenter appetit; audit quae timeat, sed ad haec ardentius anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticae plebi praeferatur. Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille praesentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare; iste, Deo aspera et dura disponente, se studuit ad graviora praeparare. Praeunte ergo utrorumque ducum infracta virtute instituimur, ut si obedientiae palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus saeculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus.

1158 [*Vet. XIV.*] 32. *Innocentiae ornamentum est obedientia.*---Notandum vero est quod hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiae jungitur; Domino attestante, qui ait: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me (Joan. X, 27).* Beato igitur Job nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit, quia profecto Redemptori suo non obedit, qui innocens non est; et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia vero ipsa obedientia non servili metu sed charitatis affectu servanda est, non terrore poenae, sed amore justitiae, cuncti qui ad convivium veniunt, auream inaurem obtulisse perhibentur, ut videlicet in ea quae exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quae virtutes omnes quasi auri more caetera metalla transcendat.

33. *Nulla potest esse aut innocentia aut obedientia, nisi in una vera Ecclesia.*---Sed quia nulla esse innocentia, nulla esse vera obedientia in multiplicibus haereticorum divisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes offerant ovem, sed unam; offerant inaurem, sed unam; id est, tales veniant, qui in unitate sanctae Ecclesiae innocui obediensque persistent. Unum quippe dividi per numeros non potest, quia et hoc ipsum unum quod dicimus numerus non est. Offerant igitur ovem, sed unam; offerant inaurem, sed unam; id est, ad sanctam Ecclesiam cum innocentia atque obedientia venientes, eam mentem deferant quam sectarum schismata non dividant.

[*Vet. XV.*] 34. *Quantum de Judaeorum conversione futurum in Ecclesia gaudium, et celebrandum aliquando convivium.*--Aperire libet oculos fidei, et illud extremum sanctae Ecclesiae de susceptione Israelitici populi convivium contemplari. Ad quod nimirum convivium magnus ille veniens Elias convivantium invitator adhibetur; et tunc propinqui, tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello paulo ante positum contempserunt. Appropinquante enim die judicii, vel praecursoris vocibus, vel quibusdam erumpentibus signis, ipsa eis jam aliquo modo advenientis Domini virtus interlucet. Cujus iram dum praevenire festinant, conversionis suae tempus accelerant. Conversi autem cum muneribus veniunt, quia eum quem paulo ante in passione deriserunt, tunc virtutum opera quasi munera offerendo, venerantur, illud procul dubio hac sua oblatione complentes quod et cernimus magna ex parte jam factum, et adhuc credimus perfecte faciendum: *Adorabunt eum filiae Tyri in muneribus (Psal. XLIV, 13).* Tunc namque illum plenius

filiae Tyri in muneribus adorant, cum Israelitarum mentes hujus nunc mundi subditaе desideriiis, ei quem superbientes negaverunt, quandoque cognito, suae hostias confessionis apportant. Et quamvis eisdem temporibus quibus Antichristus appropinquat, aliquatenus vita fidelium minoris esse virtutis appareat, quamvis in conflictu illius perditionis hominis gravis etiam corda fortium formido constringat: Elia tamen praedicante roborati, non solum fideles quique in sanctae Ecclesiae soliditate persistunt, sed, sicut superius diximus, ad cognitionem fidei multi quoque ex infidelibus convertuntur; ita ut Israeliticae gentis reliquiae, quae repulsae prius funditus fuerant, ad sinum matris Ecclesiae pia omnimodo devotione concurrant. Unde et bene nunc subditur:

CAPUT XV [*Vet. XVI*].

VERS. 12.---**1159** *Dominus autem benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus.*

35. *Deus novissimis Ecclesiae, multiplici animarum collectione benedicet.*---Haec historice facta credimus, haec mystice facienda speramus. Magis enim novissimis Job quam principio benedicatur, quia quantum ad Israelitici populi susceptionem pertinet, urgente fine praesentis saeculi, dolorem sanctae Ecclesiae Dominus animarum multiplici collectione consolatur. Tanto quippe locupletius ditabitur, quanto et manifestius innotescit quod ad finem praesentis vitae temporalitas urgetur. Praedicatores namque

sanctae Ecclesiae benedictione extremi temporis Psalmista ditari conspexerat, cum dicebat: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuntient* (**Psal. XCI, 15**). In senecta scilicet uberi multiplicantur, quia cum eorum vita differtur, semper ad melius fortitudo producitur, eisque per augmentum temporum crescunt etiam lucra meritorum. Bene autem patientes sunt ut annuntient, quia coelestia praedicantes, tanto robustius adversa tolerant, quanto et per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant. Sequitur:

CAPUT XVI [*Rec. XI*].

VERS. 12, 13.---*Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinae; et fuerunt ei septem filii, et tres filiae.*

36. *In duplicatis Job armentis et gregibus, aggregata fidelium universitas designatur: innocentium, in vitiis olim superbientium, jugo legis subditorum, gentilium.*---Quod septem millia ovium, et tria millia camelorum, et quingenta juga boum, et quingentas asinas ante probationem percussionis habuerit, ipsa ejusdem historiae praefatio ostendit; quae per flagellum perdita, ea nunc sunt duplicia restituta. Filii autem totidem sunt redditique quot amissi. Septem quippe filios et tres filias habuit, septem autem nunc filios et tres filias recepisse describitur, ut et hi qui extincti fuerant vivere demonstrarentur. Dum enim dicitur: *Addidit Dominus quaecunque fuerant Job duplicia* (**Job I**), et tamen totidem

filios ei restituit quot amisit, et liberos dupliciter addidit, cui decem postmodum in carne restituit, decem vero qui amissi fuerant in occulta animarum vita reservavit [*Vet. XVII*]. Si quis autem in praedictis animalibus, postposito culmo historiae, ut intellectuale videlicet animal, pasci mysteriorum fruge desiderat, necesse est ut quae sentimus agnoscat. Intelligere enim possumus quod in his animalibus aggregata fidelium universitas designatur. Hinc est namque quod per Psalmistam Patri de Filio dicitur: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (Psal. VIII, 8)*. Hinc est quod idem propheta sanctam Ecclesiam simplices quosque inhabitare conspiciens, ait: *Animalia tua habitabunt in ea (Psal. LXVII, 11)*.

37. Quid ergo in ovibus nisi innocentes, quid in camelis nisi eos qui caeterorum mala transeunt exuberantium tortuosa mole vitiorum, quid in jugatis bobus nisi Israelitas legi subditos, quid in asinis nisi simplices gentilium mentes accipimus? Nam quia innocentes quique ovium nomine designantur, testatur Psalmista, qui ait: *Nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus (Psal. XCIV, 7)*. Neque enim qui servare innocentiam negligunt, illa internae pascuae refectione satiantur.

38. Cameli vero nomine aliquando in sacro eloquio Dominus, aliquando gentilium superbia exprimitur, quasi excrescente desuper tumore tortuosa. **1160** Quia enim ad suscipienda onera sponte se camelus humiliat, non immerito Redemptoris nostri gratiam designat, qui in eo quod infirmitatis nostrae onera suscipere dignatus est, a potestatis suae celsitudine sponte descendit. Unde et per Evangelium dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum*

sumendi eam (Joan. X, 18), et nemo tollit eam a me. Et unde iterum dicit: Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum coelorum (Matth. XIX, 24). Quid enim nomine divitis nisi quemlibet elatum, quid cameli appellatione, nisi propriam condescensionem signat? Camelus enim per foramen acus transiit, cum idem Redemptor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit. Quae passio velut acus exstitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus per foramen acus transit quam dives coelorum regnum ingreditur, quia nisi ipse prius infirmitatis nostrae onera suscipiens per passionem suam foramen nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius superba nostra rigiditas inclinaret. Rursum cameli nomine tortuosa ac plena vitiis gentilitas designatur, sicut per Moysen dicitur quod inclinata jam die egressum in agro Isaac in camelo sedens Rebecca conspexerit, ac protinus de camelo descendit, et sese pallio ad visionem illius verecundata cooperuit (**Genes. XXIV, 64**). Quem enim Isaac alium, in eo quod inclinata jam die in agro egressus fuerat, designabat, nisi eum qui extremo hujus mundi tempore, velut in diei fine veniens, quasi in agrum foras exiit? quia cum sit invisibilis, in hoc mundo se visibilem demonstravit. Quem in camelo sedens Rebecca conspexit, quia eum Ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitiis esset innixa, et necdum spiritualibus, sed animalibus motibus inhaereret, attendit. Sed protinus de camelo descendit, quia vitia quibus prius fuerat superbe elata deseruit, seque etiam pallio operire curavit, quia, viso Domino, infirmitatem suae actionis erubuit, et illa quae prius in camelo libera gestabatur, descendens postmodum verecunda tegitur. Unde eidem Ecclesiae a priore elatione conversae per apostolicam vocem, quasi Rebecca

de camelo descendenti sibi que pallium superducenti, dicitur: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (**Rom. VI, 21**)?

[*Vet. XVIII.*] 39. In bobus vero aliquando luxuriosorum dementia, aliquando laboriosa fortitudo praedicantium, aliquando humilitas exprimitur Israelitarum. Quia enim bovis nomine per comparisonem luxuriosorum dementia designatur, Salomon indicat, qui cum male suadentis mulieris petulantiam praemisisset, adjunxit: *Statimque eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam* (**Prov. VII, 22**). Rursum quia bovis nomine labor praedicatoris exprimitur; legis verba testantur, quae ait: *Non obturabis os bovi trituranti* (**Deut. XXV, 4**). Ac si aperte diceret: Praedicatores verbi a stipendiorum suorum perceptione non prohibebis. Rursum quia bovis nomine plebs Israelitica figuratur, propheta asserit, qui Redemptoris adventum denuntians dicit: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui* (**Isai. I, 3**), per bovem scilicet Israeliticum populum jugo legis edomi tum signans, **1161** per asinum vero gentilem populum indicans, voluptatibus deditum, et gravius brutum.

40. Asinorum quoque et asinarum nomine aliquando luxuriosorum petulantia, aliquando mansuetudo simplicium, aliquando vero, ut praediximus, stultitia gentilium designatur. Quia enim luxuriosorum petulantia asinorum appellatione per comparisonem exprimitur aperte declaratur cum per prophetam dicitur: *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum* (**Ezech. XXIII, 20**). Rursum quia asinarum nomine simplicium vita figuratur, Redemptor noster cum Jerusalem pergeret, asinam sedisse memoratur. Jerusalem quippe visio pacis dicitur. Quid igitur signat quod Dominus sedendo

asinam Jerusalem ducit, nisi quod simplices mentes dum praesidendo possidet, eas usque ad visionem pacis sua sacra sessione perducit? Rursum quia asinorum nomine stultitia gentilium designatur propheta testatur, dicens: *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini (Isai. XXXII, 20)*. Super omnes quippe aquas seminare est cunctis populis fructuosa vitae verba praedicare. Pedem vero bovis et asini immittere est vias Israelitici et gentilis populi per praeceptorum coelestium vincula religare.

[*Vet. XIX.*] 41. *Sacrae Scripturae littera praeterita referuntur, et futura praedicuntur.*---Litterae igitur veritate servata, sub beati Job nomine cunctis his animalibus non immerito credimus sanctae Ecclesiae populos designari, quatenus ea quae scripta sunt dispensatione sancti Spiritus cuncta mirabiliter ordinante, et transacta nobis referant, et futura praedicant. Agnoscamus ergo in ovibus fideles atque innocentes ex Judaea populos, legis dudum pascuis satiatos. Agnoscamus in camelis ad fidem simplices ex gentilitate venientes, qui prius sub ritu sacrilego, quasi quadam deformitate membrorum, valde turpes ostensi sunt, videlicet foeditate vitiorum. Et quia saepe, ut praediximus, sacra eloquia curant repetere quod affirmant, possunt rursum in bobus Israelitae accipi, quasi iugo legis attriti; asinis vero, ut dictum est, gentiles populi designari, qui dum se colendis lapidibus inclinabant, non reluctante mente, quasi dorso stulte supposito, quibuslibet idolis bruto sensu serviebant. Sancta ergo Ecclesia quae in exordiis suis innumeris tentationibus pressa, vel Israeliticum populum, vel multos ex gentibus amisit, videlicet quos lucrari non potuit, duplicia in fine recipit, quia in ea ex utraque natione fidelium numerus

multiplicior excrescit. Possunt etiam per jugatos boves praedicatores intelligi. Unde cum eos ad annuntiandum Dominus mitteret, teste Evangelio (**Marc. VI, 7**), binos misisse describitur, ut quia vel duo sunt praecepta charitatis, vel quia haberi societas minus quam inter duos non potest, praedicatores sancti ex ipsa qualitate suae missionis cognoscerent quantum concordiam societatis amarent. Possunt, sicut praediximus, per asinas mentes simplicium designari. Sancta vero Ecclesia duplices boves atque asinas, recipit quia praedicatores sancti, qui, pressi formidine, in ejus dudum tentatione tacuerant, et mentes simplicium, quae, victae terroribus, veritatem illius confiteri formidabant, tanto jam nunc robustius in confessione veritatis **1162** voces suas exerunt, quanto debilius ante timuerunt.

42. Latentia in diversis numeris mysteria, et in nominibus trium Job filiarum.---Haec in significatione Ecclesiae breviter diximus: quae quomodo ejusdem sanctae Ecclesiae capiti serviant, in exordio hujus operis latius nos dixisse memoramus (**Praefat., num. 14**). Qui ergo de his sibi plenius satisfieri nititur, secundum hujus operis librum (**Maxime num. 43**) legere dignetur. Jam vero si quaerimur ut etiam de ipso animalium numero disseramus, cur mille juga boum, vel mille asinae, et sex millia camelorum, et quatuordecim millia ovium numerentur, dicere breviter possumus quod apud saecularem quidem scientiam millenarius numerus idcirco perfectus habetur, quia denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe decies ducta fiunt centum, quae jam figura quadrata, sed plana est. Ut autem in altitudinem surgat, et solida fiat, rursus centum decies multiplicantur, et mille sunt. Senarius autem numerus idcirco perfectus est, quia

primus in numeris completur partibus suis, id est sexta sui parte, et tertia, et dimidia, quae sunt unum, et duo, et tria, quae in summam ducta sex fiunt. Nec alius ante senarium numerum reperitur, qui in suis partibus dum dividitur, tota ejus summa compleatur. [*Vet. XX, Rec. XII.*] Sed quia cuncta haec per sacrae Scripturae celsitudinem proficiendo transcendimus, ibi senarium, ibi septenarium, ibi denarium, ibi millenarium unde sit perfectus invenimus. Senarius quippe numerus in Scriptura sacra perfectus est, quia in mundi origine Dominus ea quae primo die coepit sexto die opera implevit (**Genes. II, 2**). Septenarius in ea perfectus est, quia omne opus bonum septem per Spiritum virtutibus agitur, ut et fides simul et opera consummentur. Denarius numerus in ea perfectus est, quia lex in decem praeceptis concluditur, omnisque culpa non amplius quam per decem verba cohibetur, atque, enarrante Veritate, operadores vineae denario remunerantur (**Matth. XX, 10, 11**). In denario quippe tria junguntur ad septem. Homo autem, qui ex anima constat et corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus spiritaliter, et quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei tribus qualitatibus spiritaliter excitatur, cum ei per legem dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (**Matth. XXII, 37**). Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur, quia videlicet ex materia calida et frigida, humida et sicca componitur. Homo ergo qui ex septem qualitatibus constat denario remunerari dicitur, quia in illa perceptione supernae patriae septem nostra ad tria junguntur aeterna, ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, et de remuneratione operis quasi quodam denario consummatus vivat. Vel certe quod septem virtutes sunt quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione

contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac vita denarium accipit, dum eisdem septem virtutibus, spem, fidem, charitatemque conjungit. Millenarius quoque numerus in sacro eloquio perfectus accipitur, quia appellatione ejus universitas designatur. Unde scriptum est: **1163** *Verbi quod mandavit in mille genera iones (Psal. CIV, 8)*. Cum enim nequaquam credendum sit quod ad centum generationes mundus extenditur, quid aliud mille generationibus nisi universitas generationum figuratur? Beatus igitur Job quatuordecim millia ovium recepit. Quia enim in sancta Ecclesia virtutum perfectio ad utrumque sexum ducitur, septenarius in ea numerus duplicatur. Et sex millia camelorum, quia plenitudinem in illa operis accipiunt qui ab illa dudum vitiorum suorum foeditate perierunt. Mille quoque juga boum, ac mille asinas recepit, quia Israelitas atque gentiles, doctos ac simplices, post tentationum casus in culmen perfectionis assumit. [*Rec. XIII.*] Septem quoque filios, et tres filias recepit, quia eorum mentibus quos septem virtutibus genuerat ad perfectionis summam, spem, fidem, charitatemque conjungit, ut tanto verius prole sua gaudeat, quanto suis fidelibus nil deesse virtutis pensat. [*Vet. XXI.*] Sed quia haec succincte transcurrimus, nunc ipsis quoque indagandis filiarum vocabulis intendamus. Sequitur:

CAPUT XVII.

VERS. 14.---*Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundae Casiam, et nomen tertiae Cornustibii.*

43. Haec nomina, pro eo quod a virtutibus sumpta sunt, apte curavit interpretes non ea sicut in Arabico sermone inventa sunt ponere, sed in Latinum eloquium versa apertius demonstrare. Quis enim nesciat Diem vel Casiam Latina esse vocabula? At vero in Cornustibii (quamvis non cornus, sed cornu dicitur, nec cantantium fistula *Tibium*, sed *tibia* vocatur) in Latina tamen lingua sermonis genere minime custodito, rem, credo, prodere maluit, atque in ejus linguae de qua transferebat proprietate perdurare. Vel quia per cornu et tibiam unum verbum ex utroque composuit, utrumque verbum per unam orationis partem in Latina lingua transfusum quo voluit genere licite vocavit. (**Vet. XXII.**) Quid est ergo quod prima filia beati Job Dies dicitur, secunda Casia, tertia vero Cornustibii vocata memoratur, nisi quia universum genus humanum, quod benignitate conditoris atque ejusdem misericordia redemptoris eligitur, istis nominibus designatur? Homo namque quasi dies ex conditione claruit, quia hunc auctor suus ingenitae innocentiae splendore respersit. Sed sponte sua ad peccati tenebras lapsus, quia veritatis lucem deseruit, quasi in nocte se erroris abscondit, quia alias dicitur secutus umbram. Sed quia auctori nostro non defuit largitas bonitatis suae, etiam contra tenebras iniquitatis nostrae eum quem prius potenter ad justitiam condidit potentius redimendo postmodum ab errore revocavit. Cui quia post casum suum illa conditionis suae pristina firmitas defuit, eum contra bella intima repugnantis corruptionis multiplicibus donorum suorum virtutibus fulsit. Quae nimirum virtutes proficientium in notitia caeterorum hominum quasi suavitate fragrant odorum. Hinc est enim quod per Paulum dicitur: *Christi bonus odor sumus Deo* (**II Cor. II, 15**). Hinc

est quod sancta Ecclesia, in electis suis quamdam fragrantiam suavitatis odorata, in canticorum Cantico **1164** loquitur, dicens: *Donec rex in recubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum (Cantic. I, 11)*. Ac si aperte dicat: Quousque meis obtutibus rex apud se in requie secreti coelestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut quo adhuc eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo posito, nardus odorem dat, dum, quiescente in sua beatitudine Domino, sanctorum virtus in Ecclesia magnae nobis gratiam suavitatis administrat. Quia ergo et conditum luce innocentiae claruit, et redemptum genus humanum exercitio bonorum operum odorem suavitatis aspersit, prima filia recte *Dies*, et secunda non incongrue *Casia* nominatur. Bene autem *Casia* dicitur, quae in tanto sublimis vitae odore dilatatur. In ipsa quippe sua origine in qua justus homo conditus fuerat tantis quantis nunc opus est virtutibus non indigebat, quia si stare sicut est conditus vellet, hostem extra positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam vero per assensum hominis semel adversarius ad intima irrupit, laboriosius jam victor ejicitur, qui adhuc impugnans sine labore repelleretur.

44. *Multis virtutibus, quae in paradiso necessariae non fuissent, indigemus.*---Multa namque nunc exhibenda sunt quae in paradiso necessaria non fuerunt. Nunc quippe opus est virtute patientiae, laboriosa eruditione doctrinae, castigatione corporis, assiduitate precis, confessione delictorum, inundatione lacrymarum; quorum profecto omnium conditus bono non eguit, quia salutis bonum ex ipsa sua conditione percepit. Aegro quippe poculum amarum porrigitur, ut ad

salutis statum morbo sublato revocetur. Sano autem nequaquam praecipitur quid accipiat ut convalescat, sed a quibus caveat ne languescat. Nunc ergo majoribus studiis utimur, cum salutem nequaquam servamus habitam, sed reparare curamus ablatam. Et quia omnes hi annis nostrae reparationis magnis intra sanctam Ecclesiam opinionibus pollent, nomen secundae filiae velut casia ex merito redolet, ut quia prima filia quasi dies exstitit per dignitatem conditionis, secunda casia sit per fragrantiam fortitudinis ex gratia redemptionis. [*Vet. XXIII.*] Unde et eidem venienti Redemptori per Prophetam dicitur: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis a gradibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiae regum in honore tuo* (Psal. XLIV, 9). Quid enim myrrhae, guttae et casiae, nomine nisi virtutum suavitas designatur? Quid eburneis gradibus nisi magna nitens fortitudine proficientium ascensus exprimitur? Redemptor igitur veniens myrrha, gutta et casia, in vestimento utitur, quia ex electis suis, quibus se misericorditer induit, myrrhae virtutis fragrantiam aspergit. In quibus iste odor eburneis gradibus ducitur, quia in eis virtutum opinio non ex ostensione simulationis, sed ex veri ac solidi operis ascensu generatur. Bene autem subditur: *Ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*. Sanctae namque animae ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editae Redemptorem suum in ejus honore delectant, **1165** quia ex eo quod bene agunt suae laudi nihil vindicant. Quia vero tertio ordine humanum genus etiam carnis resurrectione renovatum in illo concentu aeternae laudis assumitur, tertia filia *Cornustibii* vocatur. Quid enim per Cornustibii nisi laetantium cantus exprimitur? Ibi enim veraciter adimpletur quod modo per Prophetam dicitur: *Cantate Domino canticum*

novum (Psal. CXLIX, 1). Ibi veraciter adimpletur, ubi canticum laudis Dei non jam ex fide, sed ex specie contemplata cantabitur. Ibi a nobis conditor noster laudum suarum veraces cantus recipit, qui humanum genus et condendo diem, et redimendo casiam, et assumendo cornustibii fecit. Qui enim lux fuimus conditi, et nunc sumus casia redempti, erimus quandoque cornustibii, in exultatione aeternae laudis assumpti. Sed priusquam ad nuptiarum thalamum sponsa perveniat, omnem a se vitae foeditatem respuit, et sponsi amoris praeparans sese per species virtutum ornat et comit. Studet quippe interni arbitri iudicio placere, et, intimis desideriis sublevata, foedos mores conversationis humanae transcendere. Unde bene et de eisdem filiabus beati Job subditur:

CAPUT XVIII [*Rec. XIV*].

VERS. 15.---*Non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Job, in universa terra.*

45. *Electorum pulchritudo.*---Electorum quippe animae omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conversatur, suae pulchritudinis decore transcendunt; quantoque se exterius affligendo despiciunt, tanto verius se intus componunt. Hinc est enim quod sanctae Ecclesiae, quae electorum pulchritudine decoratur, per Psalmistam dicitur: *Concupivit rex speciem tuam (Psal. XLIV, 12).* De qua paulo post subditur: *Omnis gloria ejus filiae regum ab intus (Ibid., 14).* Nam si foris gloriam quaereret, intus

speciem, quam rex concupisceret, non haberet. [*Vet. XXIV.*] In qua quidem quamvis multi virtutum decore fulgeant, atque ipsa vivendi perfectione caeterorum merita transcendant, nonnulli tamen quia ad altiora assequenda non sufficiunt, infirmitatis suae conscii, pietatis ejus gremio continentur. Qui in quantum praevalent mala vitant, quamvis in quantum appetunt altiora bona non impleant. Quos tamen benigne Dominus suscipit, eosque apud se pro modo dignae retributionis admittit. Unde et sequitur:

CAPUT XIX.

IBID.---*Deditque eis pater suus haereditatem inter fratres earum.*

46. *Christus inter fortes et perfectos, infirmos et humiles ad supernae haereditatis sortem admittit.*---Ipsae ergo ex perfectorum merito speciosae memorantur, ipsae etiam quasi ex imperfectorum typo velut infirmae haereditatem inter fratres accipiunt. Usus namque vitae veteris non habebat ut haereditatem feminae inter masculos sortirentur, quia legis severitas fortia eligens, infirma contemnens, districta potius studuit quam benigna sancire. **1166** Sed pio nostro Redemptore veniente, nullus infirmitatis suae conscius de sortienda coelestis patrimonii haereditate desperet. Pater enim noster inter masculos etiam feminis jura successionis tribuit, quia inter fortes atque perfectos, infirmos et humiles ad sortem supernae haereditatis admittit. Unde ipsa Veritas in Evangelio dicit: *In domo Patris mei mansiones multae*

sunt (Joan. XIV, 2). Apud Patrem quippe mansiones multae sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit, sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi quantum perceperit sufficit. Sorores ergo cum fratribus ad haereditatem veniunt, quia infirmi illuc cum fortibus admittuntur, quatenus si quis per imperfectionem non erit summus, ab haereditatis tamen sorte per humilitatem non sit extraneus. Quas bene Paulus mansiones unicuique secundum merita distributas insinuat, cum ait: *Alia claritas solis, et alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate (I Cor. XV, 41).* Sequitur:

CAPUT XX [*Rec. XV*].

VERS. 16.---*Vixit autem post haec flagella Job centum quadraginta annis; et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem; et mortuus est senex, et plenus dierum.*

47. *Qui dicantur pleni dierum in sacris litteris. Job pristino statui, auctis etiam rebus, restitutus, typus est Ecclesiae.*---In Scriptura sacra non facile plenus dierum ponitur, nisi is cujus per eandem scripturam vita laudatur. Vacuus quippe dierum est qui, et quamlibet multum vixerit, aetatis suae tempora in vanitate consumpsit. At contra plenus dierum dicitur cui nequaquam dies sui pereundo transeunt, sed ex quotidiana mercede boni operis apud justum judicem et postquam transacti fuerint reservantur.

[*Vet. XXV.*] 48. Sed quia sunt qui haec etiam in typo sanctae Ecclesiae interpretari desiderant, quorum votis tanto magis obediendum est quanto et eorum spiritali intelligentiae congaudendum, si quatuordecim per denarium ducimus, ad centesimum et quadragesimum numerum pervenimus. Et recte vita sanctae Ecclesiae multiplicata per decem et quatuor computatur, quia utrumque Testamentum custodiens, et tam secundum legis decalogum, quam secundum quatuor Evangelii libros vivens, usque ad perfectionis culmen extenditur. Unde et Paulus apostolus quamvis Epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius quam quatuordecim tenet, ut ex ipso Epistolarum numero ostenderet quod doctor egregius legis et Evangelii secreta rimatus esset. Bene autem beatus Job post flagella vivere dicitur, quia et sancta Ecclesia prius disciplinae flagello percutitur, et postmodum vitae perfectione roboratur. Quae etiam filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem conspicit, quia in hac aetate quae **1167** annuis quatuor temporibus volvitur, usque ad finem mundi per ora praedicantium nascentes sibi quotidie soboles contemplatur. Nec abhorret a vero quod per generationes dicimus tempora designari. Quid enim unaquaeque successio, nisi quaedam propago est generis? Et pincerna regis Aegypti cum vidisset somnium quod tres propagines duceret (**Genes. XL, 12**), Joseph praeditus in solutione somniorum, tres propagines, tres dies renuntiat designare. Si ergo per tres propagines spatium trium dierum exprimitur, cur non etiam per quatuor generationes annua quatuor tempora figurentur? Sancta itaque Ecclesia videt filios suos, cum primam fidelium sobolem conspicit. Videt filios filiorum, cum ab eisdem fidelibus ad fidem gigni et filios cognoscit. Quae etiam senex et plena

dierum moritur, quia, subsequente luce ex mercede quotidianorum operum, deposito corruptionis pondere, ad incorruptionem spiritalis patriae mutatur. Plena videlicet dierum moritur cui labentes anni non transeunt, sed stantium actuum retributione solidantur. Plena dierum moritur quae per haec transeuntia tempora id quod non transit operatur. Unde et apostolis dicitur: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam (Joan. VI, 27)*. Dies itaque suos sancta Ecclesia, etiam cum praesentem vitam deserit, non amittit, quia in electis suis tanto eorum lucem multiplicius invenit, quanto nunc in eis ab omni tentatione se cautius sollicitiusque custodit. Dies suos Ecclesia non amittit, quia sese in hac vita vigilanter quotidie pensare non negligit, et ad omnia quae recte facere valeat inertia nulla torpescit. Hinc est enim quod de illa per Salomonem dicitur: *Considerat semitas domus suae, et panem otiosa non comedit (Prov. XXXI, 27)*. Semitas quippe domus suae considerat, quia cunctas suae conscientiae cogitationes subtiliter investigat. Panem otiosa non comedit, quia hoc quod de sacro eloquio intelligendo perceperit, ante aeterni iudicis oculos exhibendo operibus ostendit. Mori autem dicitur, quia cum illam aeternitatis contemplatio absorbuerit, ab hac mutabilitatis suae vicissitudine funditus exstinguit, ut in ea jam hoc quod acumen intimae visionis impediatur ullo modo nihil vivat. Tanto enim verius tunc interna conspicit, quanto cunctis exterioribus plenius occumbit. Hanc itaque mortem, hanc dierum plenitudinem, et in beato Job, uno scilicet membro Ecclesiae, credamus factam, et in tota simul Ecclesia speremus esse faciendam, quatenus ita teneatur rei gestae Veritas, ut non evacuetur rei gerendae prophetia. Bona enim, quae de sanctorum vita cognoscimus, si veritate carent, nulla sunt; si

mysteria non habent, minima. Quae ergo per Spiritum sanctum bonorum vita describitur, et per intellectum nobis spiritalem fulgeat, et tamen sensus a fide historiae non recedat, quatenus tanto fixior animus in suo intellectu permaneat, quanto hunc quasi in quodam medio constitutum, et erga futura spes, et erga praeterita fides ligat.

[*Vet. XXVI, Rec. XVI.*] 49. *Conclusio totius operis. Quam formidandum ne qui de Deo loquuntur, aut mala incaute dicant, aut bona non bene. Intentioni placendi Deo humanae laudis intentio se interserit.*---Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeundum. **1168** Multum quippe mens nostra etiam cum recte loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia eum trahunt intrinsecus, minuunt. Igitur a publico locutionis redeundum est ad curiam cordis, ut quasi in quodam concilio consultationis ad meipsum discernendum convocem cogitationes mentis, quatenus ibi videam ne aut incaute mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim bene dicitur bonum, cum is qui dicit, soli ei a quo accepit per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non invenio, tamen quia omnino non dixerim, non defendo. Bona vero si qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me bene dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meae intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni qua Deo placere studeo furtim se nescio quomodo intentio humanae laudis interserit. Quod cum jam postmodum tardeque discerno, invenio me aliter agere quod scio me aliter inchoasse. Sic

etenim saepe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte subjuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanae laudis assequitur, sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepat, edendi delectatio permiscetur. Unde plerumque contingit ut refectionem corporis, quam salutis causa coepimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur quod rectam quidem intentionem nostram, quae soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quae de donis Dei placere hominibus quaerit, insidiando comitatur. Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra pura mala sunt, et bona quae nos habere credimus pura bona esse nequaquam possunt? Sed hoc mihi operae pretium credo, quod fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo, non celavi quod sensi, confitendo non abscondo quod patior. Per expositionem patefeci dona, per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parvuli desunt qui dictis meis debeant instrui, nec magni desunt qui cognitae meae valeant infirmitati misereri, per haec utraque aliis fratribus quantum possum curam confero, ab aliis spero. Illis dixi exponendo quod faciant, istis aperio confitendo quod parcant. Illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quaeso ut quisquis haec legerit, apud districtum iudicem solatium mihi suae orationis impendat, et omne quod in me sordidum deprehendit fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione me superat, si cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddat.

